GODOY, Pedro de (O.P.)

Illust[rissi]mi ac rev[erendissi]mi D.D. Fr. Petri de Godoy Ordinis Praedicatorum... Disputationes theologicae in tertiam partem Diui Thomae : tomus primus. -- Burgii Oxomensis : In aedibus episcopalibus : Excudebat Fr. Didacus Garcia, 1666

[64], 699, [40] p., I6, I8, @-3@6, A-Z8, 2A-2V8, 2X-2Z6, 3A8 ; Fol.

Disputationes theologicae in tertiam partem Diui Thomae. -- Port. a dos tintas fileteada . -- Antep. a dos tintas . -- Texto fileteado, a dos col., con apostillas marginales

1. Tomismo 2. Tomismoa I. Título

R-5630 Ejemp. deteriorado. -- Enc. perg.

ILLVSTMI AC REVMI

D. FR. PETRI DE GODOY

ORDINIS PRAEDICATORVM:

ALMANTICENSIS ACADEMIÆ IN SACRA THEOLOGIA MAGISTRI:

EIVSDEMQVE VNIVERSITATIS QVONDAM CANCELLARIj:

Diu Vespertin. & Primarie Cathedre Moderatoris:

Concionatoris Regij:

*** Et nunc ***

EPISCOPI OXOMENSIS:

DISPVTATIONES THEOLOGICAE IN TERTIAM PARTEM DIVI THOMÆ.

Tomus Primus.

***

ILLVSTR.MO ET REVEREND.MO

DOMINO DOMINO
FR. ILDEPHONSO
A SANCTO THOMA,

OLIM PROVINCIÆ BÆTICÆ PROVINCIALI
DIGNISSIMO,

PRIMVM OXOMENSI EPISCOPO,

MOXPLACENTINO,

AC DEMVM

MALACITAN. ÆCCLESIÆ PRÆSVLI MERITISSIMO.

Frater Petrus Episcopus Oxomensis, salutem, & æternam fœlicitatem precatur.

EN, *Princeps Nobilissime, Solertissime, & Vigilantissime Præsul, Mihique amantissime Ildephonse, Tibi opto, quæ tandiu desideraſti. Nouitiatum agens, antequam professionem emitteres, litteris ad Me directis, animum indicasti, vt quæ publicè dictaueram, Tibi transcripta emitterem (adeo in Te Scientiarum amor xarsit, vt antequam Religioni oriereris, natus fueris desiderio Sapientiæ, etsi Me Magistrum eligens, forsan plausu, & fama immeritis tuctus, scopum aberraueris.) Quid mirum, vt tam facile sapientiam inueneris, ita manè ad illam vigilans?*

Sed ne fallaci, ut minus perpollito transcribentium calamo euaderent minus exculta, parum Tuis oculis grata, minusque digna Tuo

conſpectu apparerent; firmo animo conc epi, vſque tunc evulgaueram, dictaueramque ex ſuggeſtu, & qua eps eſſent evulgaturus, firmioribus, & clarioribus characteribus ere, typiſque mandare; non iam, vt ex illis diſceres, ſed vt doceres. Si fragilis memoria fallit, non ſolum id animo concepi, & decreui um & Tibi Me facturũ promiſi. Ergo, quod tuum eſt, Tibi offeri Tuum, quia Tibi promiſſum. Tuum, quia Tuis repetitis inſtan aratum. Tuum denique, quia Meum, in quem tot auxiſti, & ulaſti, manu largiſsima, dona, vt tam ingenti beneficiorum cumu re optimo mancipaueris. Quem, expenſis proprijs, vſque ad pro itatem effuſis, Epiſcopum conſecrans, meritò adoptaueris. Tripl ergo, imo & multiplici titulo, Tuum eſt, quidquid Meum eſſe poteſt. Quod ſi lucubrationum ſuarum Mecœnatem, & Patronum eligere, rum pendet arbitrio; Te in Mei operis Aduocatum, & Patronum mere, non arbitrium, ſed neceſsitas fuit, Meumque Opus in Tua tectionem ſuo ipſius pondere, nullo impellente, fuit.

Sed in quem iret meus hic de charitate, & miſericordia Chriſti Libellus, qua in humanum genus ſub miſeria, & pau ate culpæ detentum ardentiſsimè flagrauit, niſi in Te? Quem Patr pauperum amantiſsimum merito appellem, illorum amore, & erga miſericordia piiſſimo corde flagrantem. Dicant miſerabilium paup lachrymæ Oppidi, quod Bej r vocant, Tuum, pro tunc inopinat aptum, enixè deplorantium: meaque Patria Placentina, non place animo ferens, ſed lugubri corde plorans, ſe tanto Paſtore, & tanto Pa eſtitui, è cuius manu largiſsima ſuæ triſtitiæ ſolatium, ſuæque miſ aupertatis, tam continuo Belli ardore, repetitoque armorum ſtrepitu ucta, remedium certò ſperabat. Dicant pientiſsimæ, & amantiſsimæ benedictiones pauperum mulierculariu in Te largiter ex corde fuſæ, cum Tuo amabili, & benuolo fruerentur aſpectu, quas Mexurius percepi. Teſtis ſit Mea Eccleſia Oxomenſis, etſi adhuc Tua trofuſam largitatem experiens, Tui abſentiam, Me præſente, ſine rue deplorans, & pro Anteriori Sponſi, non ſine Mei cordis aliquanto dolore, gemebunda ſuſpirans. Sed quis poterit Solis abſentiam ſpiere? Quiſque ad Tuam vacuitatem plendam ſufficiens reperietur? Dicat denique Malacitana Eccleſia, ho no inter multos titulos ſæ, Te cum tanto

plauſu,

plausu, & ingenti omn acclamatione suscipiens, Te euangelicè, & angelicè prædicantem admirans, Te omnium confessiones audientem experiens; vt non solmiseriam corporum eleues, sed etiam, quod melius, & maius est, mœa animarum consulas, vtroque misericordiæ genere ditatus cumulatissimè.

Ad quem tendit meum hoc de Christi virtutibus opus, à primo suæ conceptionis instì omnigena ornati virtute, & in Virgineo vtero viri circumdati, nil Tæ Cui ita munificèter Dei prouidentia fauit, quem ita profusè Dmanus largissima fouit; vt videaris, virum natum infantiæ impetenta nescisse, breuique consummatũ implesse tempora multa. Annsextum supra vigesimũ agens, iam discipuli, Magistri, Cõcionator & Prælati munus cum tãta dexteritate, omniumq; plausu, & approbne compleueras, non solum vtraque, vt multi, sed vt Tu solus, mulici manu pro dextera vtens; vt à fidedignis acceperim, in nullo rum aliquid Tibi superesse ob ea, quæ à maioribus hausisti supplenda. Illumque venerabilis memoriæ virum, virtute, & litteris, nostro culo, nulli secundum, Illustrissimũ Dominum Fratrem Petrum de pia Hispalensem Archiepiscopum, à quo longè abat adulationi tiam leuis suspicio, cum Te conclusionibus Magicis publicè pdentem vidisset, suoque acri ingenio argutormentis tuam virtutem probasset, illam admiratum, Tui ingenij subtilitatem, & celsitudinem commendasse, quibus egemus egregiũ tuarum virtutum agmen cõtestatus, Prædicatorum ordinis Prouincia, illaque prudentissimo omine Te filiũ meruit, vigesimũ sextum annum agens, suum Caput & Prælatum assumpserit, viris, & sapientia tuis posthabitis. Nec vnquam pœnitens, Tui regiminis ctione pœnitu: quinimo Tuam prudentiã, suis acclamationibus suauitatẽ expiens, aliasque virtutes bus (quem, etsi viuentem cr Philippi Quti Regis nostri prudentum imbre ploramus) aures redimus, à nobtreptum copioso lachry & regulatissimum dictamen pleuit, eiusq pientissimum animum explentem in Mea Ecclesia induxit, vt è trigesimum ætatis Ecclesiæ Capiti præsentaret, quam Oxomẽsis Pratum, atque Pastor, ea dexteritateaque prudentia visti, vt ferè statim Ecclesiam Placentinam

tinam merito ascenderis, moxque in Malacitan assumptus fueris, omnibus Hispaniæ Ecclesijs pro Te Pastore, & Te habendo pia æmulatione certantibus.

Sed quid? Encomia ne agam? Absit. Tu enim, pro innata modestia Tua, ne Tibi meis laudibus ruborem extiens, rubicundum augeam colorem: vt autem meum, quale quale misculum Tuis oculis gratius, & placidius existat, Tuaque protectio lignius habeatur, illud in manu Nostri Angelici Præceptoris repono vt ab illo id recipias, è cuius limpidissimo, & clarissimo fonte, si d. boni in Nostro opere continetur, accepimus, vtque in Sapientiæ Canum, vnde omnia verioris doctrinæ flumina exeunt, reuertar, vt iterum fluant. Vale totius Nostræ Dominicanæ Filiæ dulce delicium, vale iterum, viue fœlix. vtinam in æternum viuas!

OPERIS CEN-
SVRA COMMIT-
TITVR.

DOctor D. Franciſcus Berdeces & Tamayo, Prouiſor, & Vicarius generalis Oxomẽſis, & eius Epiſcopatus, ab Illuſtriſsimo, & Reuerendiſsimo D.D.Fr. PETRO de GODOY Epiſcopo Oxomenſi Domino meo, Regioque Conſiliario, &c. *Has Diſputationes Theologicas in Tertiam Partem D. Thomæ, in Tres Tomos diuiſas*, ab eodem Illuſtriſsimo Domino elaboratas, committo perlegendas R. Admodum P. Magiſtro Fr. Andreæ à Matre Dei, Ordinis Diſcalceatorum B. V. Mariæ de Monte Carmeli, & in Salmanticenſi Collegio eiuſdem Ordinis Theologiæ Primarij profeſſoris, vt quid ſenſerit, pandat, dicat, & ſubſcribat. In Villa del Burgo de Oſma Kalendis Auguſti, anno à Natiuitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo quinto.

Dor. D. Franciſcus Berdeces Tamayo.

De mandato Domini Prouiſoris.

D. Gabriel Parron,
Notarius maior.

CEN-

CENSVRA R. P. M. Fr. ANDREÆ à Matre Dei, in Salmanticensi Collegio PP. Discalceatorum B. Mariæ V. de Monte Carmeli, Theologiæ Primarij professoris.

EXpectatissimum opus, omnibusque studiosis, & veritatis Thomisticæ alumnis, summo affectu desideratum: quod in commune bonum, & vtilitatem, maximo cum studio, elaborauit grauissimus, & sapientissimus Magister D. D. Fr. PETRVS â GODOY, Ordinis Prædicatorum proles felicissima, in Salmãtina Academia Primariæ Cathedræ diu Moderator dignissimus, & modò Ecclesiæ Oxomensis pro meritis Antistes constitutus: nobis discutiendum, & examinandum commisit D. D. Franciscus â Berdeces & Tamayo, eiusdem Oxomensis Diœcesis Vicarius generalis. Et cùm tanti operis nos decreuit designare censores, maximum honorem conciliasse, & indulgentiam, cum Seneca confitemur: *Cæterùm quod libros meos tibi mitti desideras, indulgentiæ istud est, non iudicij: etsi modo iudicij est, indulgentia tibi imposuit.* Indulgentiam certè maximam nobis imposuit, qui per istud egregium opus, non vt iudices, sed vt encomiastes percurrere concesit: quod maximo cumulatus gaudio, & honore, quam sedula euolui diligentia, quam maxima voluptate perlegi: *Et lætus dies, & vultus solemnes cum tali tractatu nobis pariter accesserunt.* Nam laudatorem potius,

Senec. epist. 45

Hildib. Cano. manifest. tom 3. Biblior. epist. 22

uersariorum fulcris ingens efficacia. Hæc igitur, quæ toties in Salmantina Academia, dum è subsellijs doceret, celebrauere omnes, mirati sunt vniuersi, in hoc volumine potiori iure in admirationem rapit. Auctor denique in eo, sic obstrusa, ac recondita Incarnationis arcana, luce meridiana clariora tradit, difficilia admodum mirabili perspicuitate enodat, metaphysicas quæstiones mirum in modum interpretatur, & Thomisticis iactis fundamentis resoluit: nouas, ac sinuosas difficultates, quæ hac tempestate latent, ita dilucidè ac profundè rimatur, vt nihil alijs discutiendum remittat, nihilque amplius possit in hac materia desiderari. Quare tanto Præsuli gratulamur, regratiamurque, quòd inter magnas sui muneris curas hanc nouam sibi adscribere non recusauit, vt opus hoc diu à Discipulis D. Thomæ desideratum, iam iam concupiscentibus animis salubriter præparatum exhibeat: *Talis præterea pastoralibus excubijs congruebat* (asserit præcitatus Auctor) *cui nihil deesset ad plenitudinem iustitiæ, nihil ad integritatem doctrinæ.* O vtinam faxit Deus Illustrissimum Dominum vsque ad vltimam suorum librorum metam peruenire valeat, vt eorum vtilitate, & doctrina totus perfruatur orbis: in quibus omnis veritatis amator abundè reperiat, vndè & sibi nanciscì possit puram, & limpidissimam Theosophiam, & alios in doctrina sana imbuere, & contra dicentes arguere possit, imò prorsus debellare: *Nisi quis enim* (inquit S. Zenon) *hostem, à quo impugnatur, expugnet, nunquam bonis suis poterit vti securus.* Igitur, qui Thomisticæ Scholæ saluberrimo, ac suauissimo liquore refici desiderat, opera huius magni Magistri manibus evoluat, iugique labore percurrat, vbertim argumentorum, & subtilitatum pondere referta, in quibus feliciter coniunctum inueniet, quod in diuersis libris dispersum, & involutum fortè, nunquam consequetur: *Non refert quàm multos libros, sed quàm bonos habeas* (dixit dissertissimè Seneca) *lectio certa prodest; varia delectat, qui, quò destinauit, peruenire vult,*

Hildib. vbi sup. epist. 22.

S. Zenò de Gen. ser. 1.

Senec. epist. 45

vnam sequatur viam, non per multas vagetur: non ire istud, sed errare est. Hunc ergo solum librum evoluat, qui in recta sapientiæ semita proficere, non errare desiderat. In eo quod correctioni obnoxiũ sit, vel orthodoxæ doctrinæ minus cõsentaneum, nec apicẽ minutissimum reperiet; imô omnia sana, omnia tuta, quæ inoffenso pede quisq; decurrere possit: *Grandis, & rectus est; hoc te volo tenere, sic ire.* Prodeat ergo in lucem, prodeat in vtilitatem Ecclesiæ Catholicæ, vt omnes ipsius doctrina lucem fœnerentur: quandoquidem luci datum, lucẽ quàm maximam omnibus daturum non ambigimus. Prodeat hæc Ciuitas magna in doctrinæ altitudine collocata, & in medio huius mundi theatro collocetur, vt omnibus pateat, qui omnium protectioni, ac munimini prodesse, haud quisquam potest inficiari. Ideoque publicæ vtilitati multum prodesse arbitramur, vt non solùm quàm citissimè prælo excutiatur, sed quòd iterùm, atque iterum typis mandetur, vt per omnium circumferatur manus, omniumque linguis celebretur: Hoc nostrum iudicium est, in Beatæ Mariæ de Monte Carmeli nostro Oxomensi Cœnobio firmatum, die vigesima septima Augusti, anno 1665.

Senec. epist. 45

Fr. Andreas à Matre Dei.

LICENTIA ORDINARII.

VIsa Censura, & Approbatione supra dicta de hoc Opere, quãtum ad potestatem Ordinariã spectat, vt prælo mandetur, Licentiam, & Facultatem Concedo. In prædicta Villa del Burgo die quarta mensis Ianuarij Anno à Natiuitate Domini Nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto.

Dor. D. Franciscus Berdeces Tamayo.

De mandato Domini Prouisoris.

D. Gabriel Parron,
Notarius maior.

PRIVILEGIO

LA REYNA GOVERNADORA.

POR quanto por parte de vos el Reuerendo en Christo Padre DON FRAY PEDRO de GODOY Obispo del Obispado de Osma, del nuestro Consejo, se nos ha representado auiades compuesto *Tres Tomos Sobre la Tercera Parte de Santo Thomas*, y queriades darlos à la Emprenta, suplicandonos os concediessemos priuilegio por diez años en la forma ordinaria, ô como la nuestra merced fuesse. Y visto en el Consejo, y como por nuestro mandado se hizieron las diligencias que por la Prematica por nos vltimamente hecha sobre la impresion de los libros se dispone, fue acordado deuiamos mandar dar esta nuestra Cedula para vos, en la dicha razon: y Nos lo tuuimos por bien. Por la qual os damos licencia, y facultad, para que por diez años primeros siguientes, y no

mas

mas, podais imprimir, y vender, vos, ô la persona que vuestro poder tuuiere, y no otra alguna el dicho libro, por el original que en el Consejo se vio, que vâ rubricado, y firmado al fin del Secretario Miguel Fernandez de Noriega Escriuano de Camara mas antiguo de los que en èl residen: con que antes que se venda, se trayga ante ellos, juntamente con el original, para que se vea si la dicha impression estâ conforme a èl, ô traigais fee en publica forma, como por Corrector, por nos nombrado, se viô, y corrigiô la dicha impression por el dicho original, y se tasse el precio por que se ha de vender. Y mandamos al Impressor que imprimiere el dicho libro, no imprima el principio, y primer pliego, ni entregue mas que vno solo con su original al Autor, ô persona â cuya costa se imprimiere, y para efecto de la dicha correccion, hasta que antes, y primero el dicho libro estê corregido, y tassado por los del Consejo, y estando lo, y no en otra manera puedan imprimir el dicho principio, y primer pliego, y segundo, donde se ponga esta nuestra Cedula, y la Aprobacion que cerca de ello se hizo, por nuestro mandado, y la tassa, y erratas, pena de caer, ê incurrir en las penas contenidas en las leyes, y prematicas de estos Reynos, que sobre ello disponen. Y mandamos, que ninguna persona, sin vuestra licencia, pueda imprimir el dicho libro; y si lo hiziere, aya perdido, y pierda todos, y qualesquier libros, moldes, y aparejos que dellos tuuiere; y mas incurra en pena de cinquenta mil marauedis, la tercia parte para nuestra Camara, y la otra tercia parte para el Iuez que lo sentenciare, y la otra tercia parte para el denunciador. Y mandamos â los del Consejo, Presidentes, y Oydores de las nuestras Audiencias, Alcaldes, Alguaziles de Casa, y Corte, y Chancillerias, y â todos los Corregidores, Assistentes, Gouernadores, Alcaldes mayores, y Ordinarios, y otros Iuezes, y Iusticias qualesquier de todas las Ciudades, Villas, y Lugares de estos Reynos, y Se-

ñorios, y cada vno en ſu jurisdicion, que os guarden, y cumplan eſta nueſtra Cedula, y contra lo en ella contenido no vayan, ni paſſen, ni conſientan ir, ni paſſar en manera alguna, pena de la nueſtra merced, y de diez mil marauedis para la nueſtra Camara. Fecha en Madrid à veinte y ocho dias del mes de Iunio de mil y ſeiſcientos y ſeſenta y ſeis años.

YO LA REYNA.

Por mandado de ſu Mageſtad.

Iuan de Subiza.

Secretario.

ILLVSTRISSIMI, ET REVERENDISSIMI D.D. Fr. Martini de Montaluo, Ordinis D. Auguſtini viui exẽplaris: meritiſsimi quondam, ſimulque vigilantiſsimi eiuſdem Ordinis Prouincialis: Salmantinæ Academiæ diu Sacræ Theologiæ Magiſtri: ipſiuſque Vniuerſitatis primùm Diui Thomæ: dein Durandi, ac denique ſacræ Scripturæ ſtrenui, doctiſsimi, & acclamatiſsimi Moderatoris: & nunc Pacenſis Epiſcopi digniſsimi, de hoc opere ex affectu, & voto, ex Conſiliique Supremi Caſtellæ delegatione approbatio, & cenſura.

IVSSVS à Supremo, & Præcelſo Caſtellæ Senatu, magna animi auiditate, & pari affectus alacritate, diligenti diſquiſitione, & accurata diſcuſione adamuſsim pervolvi Diſputationes Theologicas in Tertiam Diui Thomæ Partem affabrè concinnatas, maximo acumine elaboratas, omnibuſque numeris abſolutas. Sed quid mirũ? Cum earum Opifex, & Auctor ſit Sapientiſsimus, pariter, ac Illuſtriſsimus D.D.Fr. PETRVS de GODOY innumeris mihi titulis ſemper venerandus, percolendus, obſequendus: olim in perilluſtri Salmanticenſi Academia omnigenæ ſapientiæ cœleſti Orbe, & ſcientiarũ Emporio, Primarius profeſſor, Primarium item fauſtis ſuæ doctrinæ radijs conſpicuum lumen, & columen: nunc in alma Oxomenſi Eccleſia digniſsimus, atq; fulgentiſsimus infulatus Antiſtes, quem vberioris ornamẽta naturæ ſpectabilem quidem, diuinioris fortunæ præclariſsimum reddidere dotes: cui, ob admiraculũ ferè æquitatẽ, & probitatẽ, mirã ſapientiã, & doctrinã, ſelicem ſubtilitatem, & claritatẽ, multiplicẽ fama cõſtruxit coronã. Pervolvi, inquam, præfatas Diſputationes Theologicas; & poſt exactam earum perpen-

ſionem

sionem, censeo (en iam muneri mihi iniuncto censoris satisfacio) esse opus egregium, & præstantissimum, & quod meruit appellari opus *Desideriorum*, cum tandiû, anxiêque ab omnibus fuerit desideratum, & summo studio quæsitum; & meritô quidem, cum in eo singula, quæ magnum alijs Scriptoribus honorem fecerunt, se se conspicienda cumulata obijciunt: vt de ipso cum Claudiano vberius, & verius pronuntiari possit: *Quæ sparguntur in omnes, in te mixta fluunt: & quæ diuisa beatos efficiunt, collecta tenes.* Cum in ipso luculentissimè inueniantur Sapientiæ Incarnatæ arcana mirabili perspicuitate reserata, Scripturarum inconcussa perpetuô veritas strenuê propugnata, Sacrorum Conciliorum dogmata sedulô penetrata, SS. PP. acumina acumine enucleata: Auctorum placita fideliter relata: difficilia enodantur, obscura illustrantur: abstrusa, & recôdita elucidantur: in refellendis alienis resplendet efficacia; in tutandis proprijs maxima præstãtia. Fateor, me tot, tantaque in vno opere collecta simul vidisse, in magnam admirationem rapuisse, & illicô menti occurrisse, quod ait D. Ambrosius loquens de luce: *Plus in eo est, quod probetur aspectu, quam quod sermone laudari possit: suo enim vtitur testimonio, non suffragio alieno.* Opus tam excelsum, & perfectè constructum, nihil, quod refragetur orthodoxæ fidei, aut morũ integritati continere valet, sed omnia eius cedũt in vtilitatem Ecclesiæ, litterariæ Reipublicæ, Scholasticæ Theologiæ, & præsertim eorum, qui Thomistico stemmate gloriantur, cum viderint, se tam illustri Antesignano in tuto esse positos, atque defensos. Exeat ergo in lucem, vt lumen omnibus afferat. Ita sentio in Conuentu Sancti Philippi Matritensi Ordinis Magni Parentis Augustini die vigesima quinta Iunij, Anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto.

Claudianus.

Lib. 1 Exam. cap. 9.

Fr. Martinus Episcopus Pacensis.

Errata sic corrige.

Disp.5.num.73.in principio,vbi dicitur, *à nostris Thomistis ad vltimam solutionem*: lege, *consequenter ad vltimam solutionem*. Disp.6.n.144.vbi dicitur, *ad suam formam*, lege, *ad suam famam, & honorem*. Disp.7.n.24. circa finem vbi dicitur, *sed tantum denominatiue*, lege, *dominatiue*. Disp.7. n.52. post medium,vbi dicitur, *libertas namque inter homines*, lege, *liberalitas*. Disp. 8. n.15.vbi dicitur, *facta caro*,lege, *factum caro*. Disp.8.n.87.in fine, vbi dicitur, *occasio incarnationis fuit*, lege, *non fuit*. Disp.8.n.170 in fine,vbi dicitur, *decreto*, lege, *decreti*. Disp.9.n.21.vbi dicitur, *virtualia*, lege, *virtuali*. Disp. 9. n. 63.vbi dicitur, *& ex hoc*, lege, *& ex vs*. Disp.11.n.3.vbi dicitur, *euidenti rationi probari*, lege, *euidenti ratione*. Disp.11.n.80.vbi dicitur, *respectu transcendendi*, lege, *transcendentali*. Ibidem. n.98. vbi dicitur, *aliquanto*, lege, *aliquando*. Ibidem.n.103.prope finē,vbi dicitur, *cur Deus ac creaturas*, lege, *ad creaturas*. Disp.12.n.9.vbi dicitur, *diuinæ Verbo*,lege,*diuino Verbo*. Disp 14 n.33.vbi dicitur,*ex perte*, lege,*ex parte*. Ibidem.n.63.in fine,vbi dicitur , *ob æterno*, lege, *ab æterno*. Disp.15.n.104.vbi dicitur, *secuncario*, lege, *secundario*. Ibidem. n.136. vbi dicitur, *personalitate*,lege,*personalitate*. Ibidē.n.157.vbi dicitur, *subsistria*, lege, *subsistentia*. Disp.16.n.118.vbi dicitur, *ad secundum filij*, lege, *ad secundum filium*. Ibidem.n.136.in fine,vbi dicitur, *duo hominis*, lege, *duo homines*. Disp. 17.n 19. vbi dicitur, *Caienatus*,lege, *Caietanus*.

Hic liber inscriptus, Disputationes Theologicæ in Tertiam Partem Diui Thomæ, Auctore Illustrissimo D.D. Fr. PETRO de GODOY Episcopo Oxomẽsi, demptis his mendis, suo exemplari fideliter respondet. Datum Matriti die 5. Iulij, anno 1666.

Lic. D. Carolus Murcia
de la Llana.

TASSA

TASSA

MIGVEL Fernãdez de Noriega Secretario del Rey nuestro señor, y Escriuano de Camara mas antiguo del Cõsejo, certifico, q̃ auiendose visto por los señores dèl vn libro intitulado: *Tomo primero sobre la Tercera Parte de Santo Thomas*, compuesto por el Señor D.Fr. PEDRO de GODOY Obispo de Osma, que con licencia de dichos señores fue impresso, tassaron cada pliego â siete marauedis, el qual parece tiene ciento y setenta y cinco, sin principios, ni tablas, que al dicho respeto monta mil doscientos y veinte y cinco marauedis; y al dicho precio, y no mas mandaron se venda el dicho libro: y que esta certificacion se ponga al principio de cada vno, para que se sepa el precio â que se ha de vender. Y para que conste doy esta certificacion. En Madrid â siete de Iulio de mil y seiscientos y sesenta y seis.

Miguel Fernandez
de Noriega.

PRAEFATIO AD LECTOREM.

VIGINTI Quinqueannorum laborioſo circulo Primariam, Veſpertinam, & Sancti Thomæ Cathedras Salmãticæ regens, maiorem, melioremque Theologiæ Scholaſticæ partem Diſcipulis è ſuggeſtu dictaui, niueis hyemis frigoribus, æſtuſque ardoribus ſpretis, & nulli labori parcens, vt illorum profectui in doctrina mei Angelici Præceptoris addiſcenda, & docenda cõſulerem. Et licet, mea ſola ſententia conſulta, proprioque attento dictamine, ſatius ducerem, quæ dictavi, ſub modio relinquere, quàm publicæ luci tradere, timens, ne, quæ ſcripta, & ſupra millies trãſcripta placuere, vberiori luce potita, diſpliceant; Maiorum tamen cõtinuatis præceptis obtemperans, Amicorum repetitis

inſtan-

inſtantijs aſſentiens, & Diſcipulorum D. Thomæ conſulens deſiderijs, fere invitus, non tam luci publicæ trado, quàm illam videre ſino. Et cum Paſtoralis officij curæ aliò me iure vocarent, ea eſt mei ingenij docilitas, vt, propria ſententia poſthabita, aliorum dictis acquieverim. Quòd ſi communis expectatio ſe defraudatam invenerit, non meæ, ſed inducentium culpæ adſcribatur.

Et licet ferè integra commentaria in Primam D. Thomæ Partem habeam proximè parata; ab arcano tamen, & mirabili Incarnationis Myſterio exordium duxi ſumendum, vt, qui via, veritas, & vita eſt, Nobis viam ad alias veritates aſſequẽdas, & docendas pareꝫ. Huic acceſsit, quòd inter Angelici Præceptoris Diſcipulos, qui ſua ſcripta his temporibus prælo fęlici ſorte mandarunt, pauci de hoc ineffabili Myſterio ſcripſere. Et, vt ingenuè veritatem fatear, ad id animum tantiſpèr induxit, quorumdam hominum furta præuenire, quorum animis ea ineſt, libros evulgandi ambitioſa libido, vt propria carentes, alie-

na ſuppellectili induãtur, & proprijs ægeni, alienos labores edere non erubeſcãt. Quorum, etſi humilitatem laudem, non poſſum non audaciã, ne in verecundiam dicam, mirari, maximè in ea doctrina, vt ſibi propria evulgãda, quæ (fortunæ caſu, non merito, vt procul abigatur iactantiæ, aut vanitatis, leuis adhuc ſuſpicio) adeò eſt Italis, alijſque exteris Nationibus pervia, vt difficile, imò, & impoſsibile ſit, illam furtiuam eſſe cẹlari. Nec novũ eſt, aut his tẽporibus, hoc hominũ genus natũ; id enim ſibi accidiſſe conquerebatur Anſelmus *Lib. 1. Cur Deus homo*, quẽ his verbis exorditur: *Opus ſubditum, quod propter quoſdam, qui, antequam perfectum, & exquiſitum eſſet, primas partes eius, me neſciente, ſibi tranſcribebant, feſtinantius, quam mihi opportunum eſſet; ac ideò breuius, quã vellem, ſum coactus, vt potui, conſummare.* S. Anſelmus lib. 1. Cur Deus homo.

Hæc Anſelmus. Quibus apertiſsimè innuitur, etiã Viris Sanctis, Deoque maximè deditis, gratum non eſſe: vt alij ipſorum laboribus triumphent, illoſque vt proprios, cum ſint alieni fẹtus, emittant. Et ne illis grauiſsimum onus incumbat, vt pro alienis defectibus reddere rationem teneantur,

tur, omnia, quæ dictaui Salmanticæ, in lucem edere, typisque mandare decreui, vt suo ipsorum Auctori, proprij adscribantur defectus. Et quidem ex intimo corde dolens, quòd in illis tota scholastica Theologia explicata non inveniatur: sed nec salus, nec tempus fauère; tanta enim est in mea celebri, nullique in Orbe secunda Salmantina Academia, intra Vniuersitatis ambitum, & cancellos occupatio, vt maior pars temporis insumatur. Quod, etsi non in totum officiat; scholasticum namque certamen, quod in illa maximũ est, valdè ingenium acuit, & ad veritates indagandas, penetrandasque conducit; est tamen in causa, vt nec tantus detur meditationi locus, nec lectioni, scriptionique tãtum tempus superfit. Et ne in totum propriam videar ignauiam excusare, suas etiam partes fateor habuisse. Vtque morem alijs geram, styli, quem in scribendo seruant, rationem reddentibus, illius, qui à Me obseruatur, rationem reddere non erubesco. Aliorum placita, argumenta probatiua, argumentorumque solutiones frequenter refero, &

mul-

multoties impugno: non quidem vt expugnam, nec vt illa improbabilitatis convincam; nec enim adeò tenaciter meis sententijs adhæreo, nec tantùm in proprijs partibus Mihi complaceo, vt alienos fœtus exhorream, illisque improbabilitatis notam injciam, in quo plures deficiẽtes reperio, proprias imaginationes eo cultu venerantes, vt scelus idololatriæ iudicẽt, alienis præbere assensum, adeoque proprijs argumentis convictos, vt nullus in illorum intellectu ad aliorum sententijs assentiẽdum locus relinquatur, quod, vt Meum iudicium proferam, ex ignorantia potius, quàm ex ingenij celsitudine, & profunda rerum penetratione, vt ipsi putãt, procedit, dum ad pauca respicientes, demonstratiua iudicant, quæ sæpè, nec topica sunt argumenta. Igitur non ea mente aliorum sententias, argumenta probatiua, & solutiones refello, sed vt prudẽs Lector, omnibus hinc indè perpensis, sibi eligat, quod melius censuerit, & quod verius iudicauerit: etsi omnibus ex intimo corde exoptem; vt Angelici Præceptoris doctrinam, nõ tam proprio com-

paratam labore, quã diuinitus acceptam, ſequantur, illumque Magiſtrum eligant, qui non ſine magno miraculo ſupremam ſapientiam cum ſumma humilitate coniungẽs, poteſt Saluatoris noſtri dictum iure optimo ſibi vſurpare, & dicere cum cęleſti omnium veritatum Magiſtro: *Diſcite à me, quia mittis ſum, & humilis corde.* A cuius veſtigijs, ſi in aliquo aberrans inventus fuero, vel per latum vnguem diſcedens, illud libentèr retracto. Et quidquid ſcripſero Sanctæ Romanæ Eccleſiæ correctioni, & Sapientum emendationi, libentiſsimè ſubijcio.

INDEX DISPVTATIONVM,

Breuisque insinuatio eorum, quæ in illis continentur.

Littera.P. designat paginam. Littera.N. numerũ marginalem demonstrat.

TRACTATVS PRIMVS.
De necessitate, & motiuo Incarnationis.

DISPVTATIO PRIMA.

Vtrùm peccatum mortale in ratione offensæ sit grauitatis simplicitèr infinitæ? *Pag.3.*

§. PRIMVS.

Vera sententia eligitur, & examinantur aliquorum rationes. *Ibidem.*

Refertur sententia negans peccato mortali, in ratione offensæ, grauitatẽ infinitã. N.1.

Refertur sententia affirmans, & statuitur pro cõclusione. Num.2.

Nõ probatur benè grauitas infinita peccati mortalis, ex eo quod Deum offendat, quantũ offendibilis est. Num.3.

Proponitur obiectio contra istum modum dicendi, & responsio Recentiorum. Num.4.

Reijcitur Recentiorũ solutio paritate actus charitatis. Num.5.

Refertur Recentiorum solutio, & reijcitur. N.6.

Idem modus dicendi impugnatur, eo quod peccatum grauissimum ad summũ adæquare potest Deum in ratione offendibilis: ac proinde peccatum minus graue, non potest adæquare offendibilitatem diuinam. Num.7.

Refertur secundus modus probandi infinitatẽ peccati mortalis, eo quod est destructiuus Dei quo ad affectum. Num.8.

Modus iste dicendi reijcitur primò, eo quod actus charitatis eodem modo est quasi ædificatiuus Dei, quo peccatũ, Dei destructiuũ; & tamẽ actus charitatis non est dignitatis simplicitèr infinitæ. Num.9.

Secundo reijcitur, nam destructio Dei, nec per modum termini extrinseci, nec per modum formæ potest dare infinitatem peccato. Num.10.

Denique reijcitur, quia non esse Dei nequit esse moralitèr possibile, quod necessarium erat, vt tãquam forma daret infinitam grauitatem peccato mortali. Num.11.

Refertur tertius modus arguendi sumptus ex æternitate pœnæ debitæ peccato mortali. N.12.

Impugnatur primò, quia est solum à posteriori. Secundo à paritate meriti condigni beatitudinis æternæ; quod tamen infinitũ non est. Num.13.

Quartus modus arguendi proponitur sumptus ex antellatione creaturæ ad Deum facta per peccatum mortale: quæ ratio reijcitur primò paritate actus charitatis anteponentis Deum creaturæ, qui tamen infinitus non est. Num.14.

Deinde reijcitur ex hypotesi conficta, quod essent duo Dij, & vnus alium offenderet, seipsum præferendo offenso, quo in casu offensa esset infinitæ grauitatis, & distantia infinita inter offendentem, & offensum non esset. Num.15.

Solutio Recentiorum asserentiũ, tũc casus sumendã infinitatem offensæ, nõ ex distantia infinita, sed ex operãte infinito conatu, reijcitur. N.16.

Refertur quintus modus arguendi, quia, nempè, quodlibet peccatum mortale, non solum lædit ius Dei, sed etiã ius omnium creaturarũ. N.17.

Reijcitur primò, quia omnes Theologi cõcedentes infinitatẽ offensæ, peccato mortali, illã sumũt ex maiestate diuina iniuriata. N.18.

Deinde, quia maiestas Dei inspecta ratione sui sufficiens est ad infinitãdum peccatum, vel simul cum creaturis non sufficit. Ibidem.

Tertio, nam obiectum, tametsi infinitum sit, attactũ finito modo, non præstat infinitatem actui, nec malitiæ, nec bonitati; Deus autem, & creaturæ iniuriatæ, vt obiectũ comparantur, iuxta istum modum dicendi. N.19.

Deniq; impugnatur, eo quod, si Deo iniuriato, omnis creatura iniuriaretur in illo, etia Deo odiũ terminante, omnis creatura odio haberetur in illo; & tamen malitia odij Dei nõ est infinita, cũ nõ excedat bonitatẽ specificã actus charitatis, quæ nullo modo est infinita simplicitèr. N.20.

§. SECVNDVS.

Probatur nostra sententia testimonijs D. Thomæ. *Pag.9.*

DIuus Thomas in 3. sent. dist. 20. q. 1. art. 2. petit virtutem infinitã in satisfaciente: quia peccatum habet quandam infinitatem, quod etiam repetit pluribus alijs in locis. N.21.

Nec obstat vti particula quandam, vt inferatur non loquitur finitate simplicitèr. N.22.

Etiam loquendo de gratia substãtiali vnionis, &

de meritis Christi, vtitur particula quandam; & tamen non denotat defectum ab infinitate valoris simpliciter. Num. 23.

Si aliquando D. Thom. explicat infinitatem meritorū Christi sine illa particula, etiam de peccato loquendo sine tali particula, aliquando illius infinitatem explicauit. Num. 24.

Nec tamen infertur, peccatum in ratione auersionis, esse simpliciter infinitum, sed solū in ratione offensæ. Num. 25.

Non est eadem infinitas quam D. Thom. tribuit carentiæ visionis, & infinitas, quā attribuit peccato. Num. 26. & 27.

Deinde probatur ex merito pœnæ, infinitæ acerbitatis, & intensionis, quod D. Thom. recognoscit in peccato mortali. Num. 28.

Vis demeritoria pœnæ, sine termino in infinitum, arguit infinitam grauitatem in peccato mortali. Num. 29. & 31.

Si ex hac non colligitur infinita grauitas in peccato mortali, non rectè à contrarijs arguitur infinitas valoris in satisfactione Christi, ex eo quod non potest peccatorum multitudine thesaurus Ecclesiæ exhauiri. Num. 30.

Non sufficit ad hoc demeritum pœnæ, peccatum esse in ordine superiori. Num. 32.

Si peccatum nō esset simpliciter infinitum, sed tā tum secundum quid, & extrinsecè, ad æqualitatem puniretur carentia visionis Dei. Ibidem.

§. Tertius.

Probatur eadē sētētia ratione à priori. P. 13.

GRauitas offensæ crescit ad incrementum dignitatis personæ, cui irrogatur iniuria. N. 33

Eadem ratio est, vt ex maiestate Dei transfundatur in peccatum grauitas ordinis superioris, atque vt transfundatur grauitas infinita. N. 34.

Nō potest limitari maiestas diuina offensa, ne peccato grauitatem infinitam communicet, ex limitatione cognitionis. Num. 35.

Cognitio non est ratio formalis, sed solum conditio, vt persona offensa det offensæ grauitatem. Num. 36. & 37.

Cognitio per fidem habita, & si finita sit subiectiuè, est obiectiuè infinita, ideoque impedire non potest transfusionem infinitatis. Num. 38.

Nec limitari potest ex limitatione cōnatus operā tis, sicut limitatio in modo egrediendi à principio, nō impedit in persona satisfaciente trāsfusionem infinitatis. Num. 40.

Limitatio operantis, & elicientis, actum nō impedit: ergo nec limitatio cōnatus. Ibidem.

Eadem infinitas probatur à paritate satisfactionis Christi, quæ infinita redditur à persona satisfaciente infinita. Num. 41.

Maiestas diuina offensa, nō vt obiectū, sed vt subiectū morale, ad offensam cōparatur. Probatur ex differētia rationis malitiæ, & offensæ. N. 43.

Probatur etiam ex communi modo loquendi; non enim dicitur peccantem offensam pati, sed personam iniuriatam. Num. 44.

Denique probatur ex eo quod Deus offendēti subijcitur affectiuè, & cōditionate effectiuè. N. 45

Maiestas diuina offensa est, prout in se, forma dās offensæ grauitatem. Num. 46.

Non stat Deum, vt cognitum, esse formā dantem grauitatem, & offensam esse superioris ordinis, ad satisfactionem puræ creaturæ. Ibidem.

Nō etiam stat superioritas ordinis offensæ ad satisfactionem puræ creaturæ, nisi in forma dante grauitatem, sit superioritas ordinis ad formam dantem dignitatem. Ibidem.

Non stat excessus inter effectus formales, absque excessu in causis secūdū se illos causantib⁹. 48.

§. Qvartvs.

Tribus argumentis occurritur. Pag. 18.

PRimum argumentum sumitur ex D. Thoma asserente, quod sicut offensa habuit quandam infinitatem, ita nostra satisfactio. Num. 49.

Comparatio D. Thom. tenet quoad infinitatem, nō quoad modū infinitatis. Quæ explicatio probatur ex eodem D. Th. in 4. ad Annibal. dist. 15. q. vnic. a. 1. Et quia alias satisfactio esset æqualis pro offensa mortali. Num. 50.

Secundum argumentum sumitur ex limitatione malitiæ. Num. 51.

Nō soluitur ex eo quod ratio offensæ sequatur ad rationem auersionis; hæc namque nō est infinita simpliciter. Num. 52.

Impugnatur solutio asserentium, malitiam ex persona offensa sumptam, esse infinitam simpliciter. Num. 53.

Persona enim ad malitiam solum obiectiuè comparatur, obiectum autem quamuis infinitum sit, nō dat infinitatem simpliciter. Ibidem.

Nec refert, quod vt persona trāfundat malitiam sufficiat attingi indirectè. Num. 54.

Adducitur duplex instātia, vna sumpta ex superioritate ordinis, quæ communiter offensæ, cōceditur, alia in valore operū Christi. N. 55.

Ratio offensæ, nō sequitur ad rationem malitiæ effectiuè, sed solum subiectiuè, & subtractiuè comparatur ad illam. Num. 56.

Adæquata ratio meriti, vel demeriti, non est bonitas, vel malitia actus, sed ingrediente simul ad meritum dignitate operātis, & ad demeritum dignitate personæ iniuriatæ. Num. 59.

Stat vnam formalitatem esse cum alia necessariò cōnexam, etsi ab illa nō dimanet. Num. 60.

Tertium argumentum sumitur à paritate peccati venialis. Num. 61.

Aliqui argumento conuicti censent, peccatum veniale esse infinitum simpliciter in ratione offensæ. Num. 62.

Reiciuntur primo, quia est cõtra cõmunem Theologorum sententiam. Ibidem.

Secundo, quia peccatum veniale, etiam in ratione offensæ, est secundum quid tale, & consequẽter non potest in ratione offensæ esse infinitum simpliciter. Num. 63.

Offensa peccati venialis nõ potest esse grauis, quãto minus infinita. Ibidem.

Si esset in ratione offensæ infinitum, esset etiam infinitum in ratione demeriti, & cõsequenter mereretur carẽtiã visionis Dei, quod nullus Theologorum admittet. Num. 64.

Alij censent, peccatum veniale nõ esse offensam diuinam, ideoque nec infinitum; sed non bene: nõ enim stat esse peccatum, & aliqualiter Deo non displicere: & consequenter ratio peccati nõ potest à ratione offensæ separari. Num. 65.

Alij docent, nõ infinitari à Deo, quia in illo mera liter non recipitur. Contra quos obstat offensã grauem ex ratione communi offensæ in offenso subiectari: & cõsequẽter id ipsum debet veniali offensæ conuenire. Num. 66.

Alij tenẽt, peccatũ veniale, solũ æquiuocè esse peccatum, & sic solum æquiuocè habet quantitatem offensæ: sicut pictura quadricubita hominis solum æquiuocè est homo quadricubitꝰ. 67.

Contra quos obstat primò, peccatum veniale, non æquiuocè, sed analogicè esse peccatum comparatum cum mortali, sicut accidens non æquiuocè, sed analogicè est ens. Ibidem.

Secundo, nam sequitur esse offensam simpliciter infinitã infinitate cadente, nõ supra offensam, sed supra eius quãtitatem. Sicut pictura hominis quadricubiti, licet nõ sit simpliciter homo quadricubitus, est tamen homo quãtitatis simpliciter quadricubitæ. Num. 68.

Ideò peccatum veniale, nõ infinitatur à maiestate offensa, quia est subiectum incapax recipiẽdi infinitatem, & forma subiecto incapaci vnita, nõ præstat suum effectum formalem. Num. 70.

Non sequitur influxum subiecti, & formæ limitari à principio influente, sed solum ab illo impediri ponendo substractum incapax. Num. 73.

Ideò omnis operatio Christi est infiniti valoris simpliciter, quia in omni Christi operatione adsũt ex parte substracti omnia requisita ad istam infinitatem. Num. 74.

Peccans venialiter impedit influxum personæ ponendo substractum incapax recipiendi infinitatem, ex quo nõ sequitur limitare influxũ personæ offensæ, ob solã limitationẽ principij. N. 79.

Omnis actus potens à Christo vt homine elici, necessario recipit aliquã infinitatem, quia omnis actus, quomodolibet eliciatur ab humanitate Christi, est capax alicuius infinitatis. N. 80.

Si eliciatur à Christo actus necessarius, vel semiplenè tãtũ liber, nõ esset valoris meritorij infiniti: esset tamẽ infinitæ æstimabilitatis, & adorabilitatis. Ibidem

Si eliceretur ab humanitate Verbo vnita, actꝰ vndique naturalis, esset infinitus in ratione meriti naturalis; nõ autem in ratione meriti absolutè. Ibidem.

Et si offensa leuis minus distet à grauitate, distantia entitatiua, quam malitia finita à grauitate infinita; magis tamen distat distantia habitudinis. Num. 81.

Obsequiũ leue potest infinitũ valorem meritoriũ habere, nõ manens in ratione obsequij leuis, sed accepta à persona operãte dignitate; offensa autem venialis taliter est leuis offensa, quod repugnat illi in grauem offensam trãsire, nisi efficiatur mortalis. Num. 83.

§. QVINTVS.

Quartum argumentum proponitur, & explicatur subiectum morale offensæ. *Pag.* 27.

QVartum argumentũ à paritate actus charitatis desumitur, qui ex obiecto infinito, nõ redditur infinitæ dignitatis: ergo ex persona infinita nõ accipit offensa infinitã grauitatem. Num. 84.

Non satisfacit discrimen à quibusdam assignatũ, quia nempè dignitas actus charitatis est perfectio, grauitas autem offensæ est imperfectio moralis. Num. 85.

Nam ex ista ratione discriminis, sequitur malitiam specificam odij esse infinitam simpliciter. Num. 86.

Ratio differentiæ est, quia Deus ad actum charitatis comparatur vt obiectum; ad offensam autem comparatur vt subiectum morale. Numero 87.

Offensa non solum passiuè, sed etiam actiuè considerata Deum respicit, vt subiectum morale. Num. 92.

Vtroque modo sumpta est infinita moraliter. Ibidem.

Impugnatur quorumdam distinctio offensæ formalis, & offensæ actiuæ, & afferentium, primam subiectari in Deo, non secundam. Num. 94.

Sequitur ex ista doctrina, Deum intrinsecè mutari recipiendo in se offensam formalem, realiter ab offensa actiua distinctam. Num. 95.

Si repugnat offensam formalem, quia infinita est, cum offensa actiua finita identificari, repugnabit etiã, quod abilia efficienter causetur. Numero.96.

Ratio demeriti conuenit offensæ actiuæ, & consequenter, cum illa infinita sit in peccato, offensa actiua, etiam debet esse infinita. Ibidem.

Actus voluntatis creatæ, illam respicit vt subiectũ inhæsionis physicæ; Deũ autem vt subiectũ effectionis, nõ absolutè, sed cõditionatè. N.97.

Etiãsi admittamus actũ charitatis, Deũ vt subiectũ effectionis conditionatæ respicere, nõ sequitur esse infinitæ dignitatis; in offensa autem sequitur esse infinitæ grauitatis. Num.98.

Nec sequitur, quod etiã si offensa, & actus charitatis Deũ solum vt obiectũ respicerent, posset saluari superioritas ordinis in offensa respectu actus charitatis, in ratione satisfactionis. N.99.

Deus nõ potest subire mutationem moralem in ipso intrinsecè fundatã; benè vero mutationẽ moralem fundatam in affectu creaturæ. N.101.

Deum esse in potentia ad offensam moraliter recipiendam, est sic se habere in prudentũ æstimatione, ac si verè illã pateretur intrinsecè. N.103.

Nec sequitur, omnes offensas in eodem tempore cõmissas, esse numero indistinctas: indiuiduatio nãque, nõ à subiecto effectionis, & moralis adhæsionis, sed à subiecto inhæsionis physicæ sumitur. Ibidem.

Quamuis offensa moraliter recipiatur in Deo, non ideo est adoranda adoratione latriæ. N.104.

Si vera esset sententia asserentiũ, Christũ potuisse peccare de potentia absoluta, peccatum à Christo commissum non adoraretur. Ibidem.

Manus, alapa Christum percutiens, nõ debuit, nec potuit adorationem latriæ terminare, etsi Christum contigerit. Ibidem.

Ratio auersionis, & ratio offensæ, non sunt formalissimè idem. Num.105.

Sufficit distinctio rationis inter rationem auersionis, & rationem offensæ, vt sub ratione offensæ Deum vt subiectum respiciat; nõ autem sub ratione auersionis. Num.106.

Si ratio malitiæ, & ratio conuersionis idem subiectum respiciunt, est, quia in ordine ad eundem terminũ eodem modo inspectum, sumitur vterque conceptus. Ibidem.

Moralis subiectio personæ satisfacientis, ad satisfactionem, cognitionem dignitatis personæ, non præsupponit; bene tamen moralis subiectio personæ offensæ ad offensam, & quare. Num.107.

Ex eo quod vt influat persona offensa in offensam, cognitionem offendentis personæ offensæ requirat, non sequitur non esse subiectum morale offensæ. Num.108.

§. Sextvs.

Explicatur forma dãs offensæ grauitatẽ. P.34.

Non est modꝰ offensæ intrinsecus, quia istius causa efficiens assignari, non potest; nã etiã si purè moralis sit, nõ potest esse infinitꝰ, nisi causã in eodem genere infinitam habeat. N.111.

Nec voluntas creata, ex eo quod in linea deficiendi sit prima, potest prædictũ modũ infinitũ causare; alias posset causare malitiã specificã infinitã in actu habente obiectum infinitum. N.112.

Nec potest per resultantiam fieri, cuius resultãtiæ principium sit persona offensa. Num.113.

Si persona offensa esset istius resultãtiæ principiũ, deberet actum peccaminosum moraliter informare, ex quo vlteriꝰ sequitur se ipsa, vt forma, grauificare offensam, modumque resultãtem superfluere. Num.114.

Etiam si posset actus in malitia excedere potentiam, non sequitur à causa, scilicet, potentia in linea morali finita, posse grauitatem moralem infinitam causari. Num.116.

Forma infinitans offensam, nõ est infinita distãtia creaturæ à creatore, aliàs omne peccatũ hominis esset grauius quolibet peccato Angeli. 118.

In hypotesi conficta, quod vnus Deus alium offenderet, offensa esset infinita, & distantia inter offensorem, & offensum infinita non esset. N.119.

Forma infinitans offensam, est maiestas Dei per peccatum iniuriata. Num.120.

Offensa grauis in concreto, causam efficientem habet; grauitas offensæ in abstracto à nullo efficiẽter causatur. Ibidem.

Quatruplex obiectio proponitur cõtra istam resolutionem. Num.121.

Quod in se est bonum, & amore dignum, auersiuè attractum potest malum, & odio dignum constituere. Num.122.

Maiestas diuina amata, nõ potest odium fundare, iniuriata, & odio habita potest. Ibidem.

Maiestas diuina iniuriata, est subiectum offensæ, non tamen grauitatis illius: vnde forma grauitatis offensæ, subiectum inhæsionis nõ habet, sed tantum constitutionis. Num.123.

Deus per peccatum offensus, est forma intrinseca, non physicè, sed moraliter. Num.125.

Potest dici offensa esse grauitatis infinitæ simpliciter, nõ intrinsecè, sed extrinsecè; nec sequitur esse eodem modo infinitum actum charitatis. Numero.126.

Etiam si admittatur charitatis actum, vt satisfactio est, Deum respicere vt subiectum, cui fit satisfactio, non sequitur Deum, vt formam, illum dignificare. Num.127.

Offensa grauis, non est phisicè infinita, sed tantum moraliter, nec constituit moralis infinitas in aliquo re ipsa finito, parum; ab infinito distante. Num. 131.

Non omne quod re vera est infinitum, phisicè infinitum est. Ibidem.

Ad infinitum phisicè, non sufficit forma phisicè infinita, nisi etiam phisicè vniatur. N. 132.

Formam vniri moraliter est sic se habere in ordine ad prudens iudicium, ac si phisicè vniretur. Ibidem.

Stat actus moralis, qui actus phisicus nō sit. 133.

Si ad infinitatem resultantem ex forma nō attenderetur vnio, sequeretur, offensæ grauitatem adæquare valorem satisfactiuæ operationis Christi, sicut etiā esse per essentiam infinita. N. 134.

§. Septimvs.

Explicatur peccatorum inæqualitas. *Pag.* 40.

Septimum argumentum proponitur. N. 135.

Quidam docent infinitū determinati generis, posse ab alio infinito excedi, secus autem infinitum per essentiam. Num. 136.

Alij docent sumpto peccato, secundū rationē malitiæ, vnū alio maius esse, non autem in ratione offensæ. Num. 137.

Error Stoicorū erat omnia peccata sub omni ratione esse æqualia, sicuti etiam omnes virtutes. Num. 138.

Auctores, qui asserunt peccata inæqualia esse in ratione malitiæ, æqualia tamen in ratione offensæ, longè distant ab errore Stoicorū. Ibidem.

Grauitas offensæ, non solum à persona offensa desumitur, sed etiam ab obiecto, & alijs circumstantijs. Ibidem.

Peccata in ratione malitiæ, & in grauitate offensæ sumpta ex obiecto, & alijs circumstātijs, sūt inæqualia. Num. 139.

Grauitas personalis, quæ in offensa contra Deum commissa inuenitur, æqualis est in omni peccato mortali. Ibidem.

Probatur à paritate valoris personalis operationū Christi, qui in omnibus est æqualis. N. 140.

Sicut ex maiori, vel minori influxu in operationes Christi, nō augetur, nec minuitur valor personalis illarū: ita ex inæqualitate cognitionis, qua maiestas offensa cognoscitur, nulla inæqualitas in grauitate personali resultat. N. 141.

Discrimen inter vtrūq; difficile est assignare, impugnatur, quod à cōtrarijs statuitur. N. 143.

Sicut valor personalis æqualis est in omnib⁹ Christi operibus: ita grauitas personalis æqualis est in omni peccato mortali. Num. 144.

Grauitas ex alijs capitib⁹ sumpta, inæqualis est, iuxta malitiæ inæqualitatem. Ibidem.

Deus vno peccato mortali offenditur magis, quā alio extensiuè, non intensiuè. N. 146.

Constatum ex parte finita, & infinita eminenter finitā cōtinente, est infinitum simpliciter. 147.

§. Octavvs.

Diluitur vltimum argumentum, explicaturq; an peccatum in ratione demeriti sit infinitū simpliciter? *Pag.* 43.

Ex medijs probari intenditur, peccatum mortale, in ratione demeriti, nō esse simpliciter infinitum. à num. 148. vsque ad 151.

Prima solutio distinguit inter offensam causalem, & formalem, & asserit, hanc esse infinitā simpliciter, nō autem illam; ideoq; in ratione demeriti nō est simpliciter infinitū: quia ratio demeriti cōsequitur ad offensam causalem. N. 152.

Non potest dari offensa formalis distincta ab offensa causali, vt terminus relictus ex illa. N. 153.

Peccato, quia cōtra Deum est, inspecto secundū se, pœna infinitè acerua deberetur, quod nō staret si in ratione demeriti non esset simpliciter infinitum. Ibidem.

Secunda solutio cōcedit peccato infinitatem simpliciter in ratione demeriti, quin extendatur ad omnem pœnam possibilem. Num. 154.

Mereri infinitam pœnam, non tamen omnem pœnam possibilem sufficit, vt peccatum sit infinitum demeritum; nō autem vt in ratione demeriti sit simpliciter infinitum. Num. 155.

Peccatum mortale, quia contra Deum est, nulla pœna possibili data potest ad æqualitatem puniri; vnde meretur, inspectum secundum se, omnem possibilem pœnam. Num. 156.

Ex demerito pœnæ infinitæ intensionis, per immediatam cōsequentiam colligitur, peccatum mortale esse infinitum demeritum; per mediatas autem cōsequentias infertur esse infinitum simpliciter in ratione demeriti. Num 159.

Peccatum mortale Petri illius grauitate substantialiter inuariata, potest mereri omnem pœnā possibilem, non solum proprio subiecto, sed etiā alijs ab ipso. Num. 160.

Peccatum, non punitur de facto tantum, quantū meretur, illius grauitate inspecta secundum se, sed prout subest taxationi pœnæ de facto statutæ à Deo. Num. 161.

Cùm in Scriptura asseritur, peccatum quantū meretur, puniendum, non denotatur æqualitas absoluta, sed solius proportionis. Ibidem. ex Diuo Thoma.

Ex eo quod Deus vltra condignū præmiet, ly vltra dicente moderatam excessum, nō sequitur, quod citra condignum puniat, ly citra dicente moderatum defectum. Num. 162.

Index Disputationum.

Attenta grauitate peccati sumpta ex maiestate offensa, non est contra, nec supra rationem naturalem, quod illi aeterna pœna debeatur, nec quod demereatur omnem possibilem pœnam. N. 163

Esto id esset supra rationem naturalem, nõ ideo negandum est demereri omnem pœnã possibilem: probatur, paritate sũpta ex insatisfactibilitate pro illo per actus puræ creaturæ. N. 164.

Peccatũ mortale, illius grauitate inspecta secundũ se, meretur carentiã Incarnationis. N. 165.

Nec sequitur excedere vim meritoriam operationum Christi. Ibidem.

Supposita applicatione meritorũ Christi, ad acceptationem sui, nõ acceptatio non erat pœna possibilis. Num. 166.

In nullo euentu sequitur, meritum Christi vinci à peccato, aut per illud sepeliri. N. 167.

Peccatum, in ratione demeriti, adæquat extensiuè vim meritoriam operationum Christi; non autem intensiuè. Num. 168.

Non esse Incarnationis, quod esse potuit pœna cõdigna peccati mortalis, non est ita malum, ac esset Incarnatio Patris bona, quæ potuit sub meritis Christi cadere. Ibidem.

Grauitate peccatorum inspecta secundum se, omnibus æqualis pœna debetur, secus autem si sumantur, vt substant taxationi pœnæ de facto statutæ à Deo. Num. 169.

Non sequitur ex nostra sententia, non esse misericordiæ diuinæ attribuendum, quod peccata citra condignum puniat, sumpto inadæquatè termino condignitatis demeritoriæ peccati. Num. 171.

§. Vltimvs.

Corollaria precedentis doctrinæ. *Pag.* 51.

PEccatum originale ratione grauitatis personalis inspectæ secundum se, est dignum pœnæ infinitæ intensionis, & omni pœna possibili. Num. 172.

Peccatum, de quo Diuus Thomas loquitur in art. 2. est peccatum originale, de illoque affirmat, esse infinitum. Ibidem.

Peccatum originale nostrum eiusdem rationis, & grauitatis est cum peccato habituali Adami. Num. 173.

Peccatum originale sicut nulla satisfactione data elicita à pura creatura, adæquatur in ratione satisfactibilis: ita nulla pœna possibili data adæquatur in ratione punibilis. Ibidem.

Peccatum originale, illius grauitate inspecta secũdum se, meretur naturæ annihilationem: & cõsequẽter omni pœna sensus est dignũ. N. 174.

Peccato originali, quia contra infinitũ est, non solum pœna damni, sed etiã pœna sensus debetur illius grauitate attenta secundum se. N. 175.

Vt pœna sensus peccato originali debeatur, sufficit quod actus, à quo causatur in conuersione consistat. Num. 176.

Quod peccanti personaliter, qui actualiter peccauit, debita sit pœna sensus, non dicit causam cõdignitatis illius, sed congruentiam, vt à Deo pœna sensus sit pro illo taxata. Num. 177.

Vt peccatum originale sit in ratione demeriti simpliciter infinitum, non sufficit, quod illi omnis pœna priuatiua debeatur. Num. 178.

Falso à quibusdam asseritur, peccatũ mortale esse infinitæ grauitatis in ordine, & intra ordinem esse finitum. Num 179.

Sicut non stat, infinitum esse in genere, & limitatũ intra genus: ita stare nequit infinitum in ordine cum limitatione intra ordinem. Ibidem.

Infinitum in aliquo genere cõtinere debet omnem generis perfectionem, & infinitum in ordine omnem perfectionem ordinis. Ibidem.

Ad infinitum in genere, in ordine, vel in specie, nõ sufficit negatio excessus, sed vlterius dicta continentia requiritur. Num. 180.

Ex oppositio sequeretur, odium Dei in ratione malitiæ esse infinitum in ordine. Ibidem.

Non stat, infinitam esse grauitatem offensæ mortalis infinitate ordinis, nisi ex Deo offenso, vt à forma. Num. 181.

Quia persona satisfaciens, se ipsa vt forma, valorat Christi satisfactionem, constituit illam infinitam in ordine, & intra ordinem. Ibidem.

Ideo persona satisfaciens non cõmensuratur cum cõnatu in valorando, quia elicientia principij solum est conditio, vt valoret. Num. 183.

Si persona offensa in grauificãdo offensam cõmensuraretur cum conatu operantis, nec in ordine illam infinitaret. Num. 184.

Conatus operantis inspectus pro priori ad informationem præstitam à maiestate offensa, est limitatus, etiam in ordine. N. 185.

Dispvtatio Secvnda.

Vtrum homo purus de condigno satisfacere possit pro suo, vel alieno peccato mortali? *Pag.* 57.

§. Primvs.

Quibusdam præsuppositis referuntur sententiæ *Ibidem.*

HOmo purus, per exclusionem gratiæ auxiliãtis, nec perfectè, nec imperfectè potest satisfacere pro peccato mortali, nec pro veniali. Num. 1.

Homo non Deus, potest ex viribus gratiæ æqualiter satisfacere pro peccato veniali, & pro peccato mortali imperfectè. Num. 2.

§. Secvndvs.

Statuitur prima conclusio, & examinantur aliquorum rationes. *Pag* 58.

Non potest pura creatura, quantacũque gratia exornata, exhibere pro suo peccato mortali condignam satisfactionem. Num. 3.

Refertur ratio, qua Vazquez probat istam conclusionem. Num 4.

Reijcitur prima, quia solum probat, non posse satisfacere ad æqualitatem pro pœna peccato debita, de quo non procedit conclusio. N. 5.

Secundò reijcitur, quia ex illius ratione sequitur satisfactionem Christi perfectam, & æqualem non fuisse. Num. 6.

Deniq; reijcitur argumẽto sũpto ad hominẽ. N. 7.

Discrimen, quod statuit Vazquez inter meritum, & satisfactionem in ratione præcedendi collationem præmij, & remissionem offensæ, impugnatur. Num 8.

Refertur ratio, qua vtitur Pater Suarez sumpta ex superioritate ordinis. Num. 9.

Reijcitur primo, nam si offensa infinita non est, nec superioris ordinis esse potest. Num. 10.

Si grauitas offensæ sumitur à maiestate iniuriata, vt à forma, est infinita simpliciter. Num. 11.

Si grauitas offensæ est aliqua formalitas identificata cum actu offensiuo, eadem ratio est, vt sit, vel non sit infinita, atque vt sit, vel non sit ordinis superioris. Ibidem.

Non potest offensa mortalis esse superioris ordinis ad omnes actus satisfactorios puræ creaturæ possibilis, nisi constituatur simpliciter infinita. Num. 12. 13. 14. 15. & 16.

Reijcitur ratio Cardinalis Lugo sumpta ex eo quod offensa Dei ex se postulat, non posse compensari per actus puræ creaturæ. Primò, quia est petitio principij. Secundò, quia incompensabilitas, non est primus diuinæ offensæ conceptus, sed alium præsupponens: ac proindè ex illo est probanda. Num. 17.

Interroganti cur pura creatura potest pro culpa veniali satisfacere condignè, non nisi irrisoriè poterit responderi; quia talis naturæ est, vt petat, posse compensari per actus à pura creatura elicitos. Ibidem.

Malè nostra conclusio probatur, ex eo quod pura creatura non potest Deo satisfacere, per actus Deo aliis titulis non debitos. Num. 18.

Ex ista ratione sequitur, non posse puram creaturã cõdignè satisfacere pro peccato veniali. Ibidẽ.

§. Tertivs.

Nostra conclusio duplici argumento suadetur. *Pag.* 63.

Probatur primo, ex infinitate offensæ, & limitatione valoris cuiusvis actus puræ creaturæ possibilis. Num. 19.

Secundo probatur, ex eo quod satisfactio condigna essentialiter supponit remissam offensam subiecto satisfacienti. Ibidem.

Si satisfactio condigna non supponeret offensam remissam, de facto actus contritionis esset satisfactio condigna in sententia asserente, offensam non esse infinitam, nec ordinis superioris. Num. 20.

Inter homines satisfactio condigna non supponit necessario amicitiam: satisfactio autem condigna apud Deum illius amicitiam supponit, & cur. Num. 21.

Etiam si concedamus, gratiam habitualem posse cadere sub merito nostro condigno; non ideo cõcedendum est, posse etiam de potentia absoluta, per actus nostros satisfieri condignè pro culpa mortali propria. Num. 22.

§. Qvartvs.

Tribus argumentis occurritur. *Pag.* 65.

Contraria sententia cum suis Auctoribus refertur. Num. 23.

Satisfactio nostra, iuxta D. Thom. non adæquatur cum offensa mortali, secũdum quantitatem, sed solum secundum proportionem, & acceptationem Dei Num. 24.

Æqualitas proportionis consistit in hoc, quod sicut se habet, quod Deo debetur ad Deum, ita se habet ad hominem, quod homo facere potest. Num. 25.

Hanc æqualitatem concedit D. Thomas satisfactioni creaturæ respectu proprij peccati, & illam negat respectu culpæ originalis. N. 26.

Homo faciens totum, quod potest ex viribus gratiæ, satisfacit comparatiuè ad suum posse, & ad suam obligationem, non tamen comparatiuè ad grauitatem offensæ. Num. 28.

Qui centũ debet, & non potest, nisi tantùm quinquaginta soluere, illa soluens, satisfacit suæ obligationi, non tamen ad æqualitatem debitum soluit. Ibidem.

Qui reddit tantum, quantum abstulit, ad æqualitatem restituit, non tamen ad æqualitatẽ pro iniuria satisfacit, nisi reddat tantum, per obsequium valoris æqualis cum grauitate iniuriæ. Num 30.

Qui per rapinam centum abstulit à Rege, centũ reddens ad æqualitatem restituit, nõ tamen ad æqualitatẽ satisfacit pro iniuria Regi per rapinam illata. Ibidem.

Actus charitatis, & si possit dici, veluti æquiualens restitutio; non tamen potest dici æquiualens satisfactio. Ibidem.

Index Disputationum.

§. Quintvs.

Cætera argumenta soluuntur, & explicatur, an ad satisfactionem condignam requiratur status amicitiæ in subiecto satisfaciente: *Pag.* 68.

Reiicitur quorumdam sententia asserentiũ per actum charitatis destrui rationem maculæ in peccato, non autem rationem offensæ. Num. 32.

Actus charitatis incompossibilis est cum peccato mortali essentialitèr. Num. 33.

Quod causat efficientèr formam incompossibilem cum offensa, ratione valoris moralis, ad æqualitatem satisfacit; secus autem si forma causata nõ ratione valoris, sed aliundè sit cum offensa incompatibilis. Ibidem.

Eãdem oppositionem habet cũ peccato actus charitatis patriæ, quã habet amor viatoris. Ibid.

Deus nõ potest obligari ex iustitia ad remissionem offensæ, nisi à satisfaciẽte cõdignè; potest tamẽ à nõ satisfaciente cõdignè ad illius remissionem necessitari, necessitate suppositionis. Ibid.

Vltimum argumentum proponitur. Num. 34.

Hominem in peccato mortali existentem posse de cõgruo aliquid mereri à Deo, est probabilis sententia. Num. 35.

Sententia opposita est inter Thomistas frequentior. Ibidem.

Actus charitatis, prout præcedit gratiam, vt iustificãtem, nec meretur de cõgruo remissionem offensæ, nec imperfectè pro illa satisfacit. Ibidem.

Prout tamen subsequitur gratiã, vt excludentem maculam & antecedit illam, vt excludentem peccatum sub ratione offensæ, imperfectè pro illa satisfacit, & de cõgruo meretur illius remissionem. Ibidem.

Nulla est repugnantia inter satisfactionem, & meritum, quoad hoc, quod est supponere offensam remissam. Ibidem.

Licet macula, & offensa necessariò destruãtur simul, simultate instantis in quo: *non tamen necessariò destruũtur simul, simultate* à quo, *& naturæ.* Num. 37.

Inconsequentia doctrinæ notãtur aliqui Recentiores Thomistæ in mutua prioritate admittenda, & excludenda. Ibidem.

Esto admittamus in peccato, prius rationem offensæ intelligi, quam rationem maculæ, potest ratio maculæ, prius prioritate à quo *excludi per gratiam iustificantem, quam ratio offensæ.* Num. 39.

Gratia, nec maculam, nec offensam excludit, nisi vt in anima recepta. Ibidem.

§. Sextvs.

Quid sit de peccato alieno dicendum? *Pag.* 73.

Secunda conclusio. *Ibi.*

Nulla pura creatura potest cõdignè satisfacere pro peccato mortali alieno. Num. 40.

Satisfactio cõdigna adæquari debet cum gravitate offensæ in morali æstimatione. Num. 41.

Nulla offensa irrogata creaturæ potest in ratione offensæ adæquare offensam irrogatam Deo. Ibidem.

Nulla satisfactio à pura creatura præstita adæquare potest satisfactionem hominis Dei. Ibid.

Probatur conclusio ad hominem contra Patrem Suarez. Num. 42.

Refertur illius solutio. Num. 43.

Inconsequentia notatur, ex eo quod ex vna parte docet, satisfactionem esse cõdignam, negãs ex alia esse æqualem. Num. 44.

Inconsequentia probatur ex alia doctrina eiusdem. Num. 45.

Maiorem cõdignitatem cõcedere satisfactioni puræ creaturæ in ordine ad culpam originalem, quã in ordine ad culpã mortalem propriam, doctrinæ D. Thomæ aduersatur. Num. 46.

§. Septimvs.

Contraria sententia cum suis fundamẽtis proponitur. *Pag.* 75.

Defectus amicitiæ in subiecto est sufficiens causa defectus cõdignitatis in satisfactione pro culpa mortali propria, nõ tamen vnica, & necessaria. Num. 47.

Ex eo quod satisfactio pro culpa aliena, Dei amicitiam in subiecto supponat, secus autem satisfactio pro culpa mortali propria, non sequitur maior cõdignitas in ordine ad illam, quam in ordine ad istam. Num. 48.

Implicat peccatum esse mortale cum ignorãtia invincibili, quod Deus illo offendatur. Num. 50.

Admissa illius possibilitate, nõ est inconueniens admittere in pura creatura vim satisfactiuam cõdignam pro illo. Num. 51.

Verior est aliorum solutio, quæ docet tali possibilitate admissa, nec cõdignam, nec imperfectam pro illo peccato, posse dari satisfactionem, nam hæc necessariò rationem offensæ supponit. Ibid.

§. Octavvs.

De merito gratiæ aliorum, etiam remissiuæ peccati. *Pag.* 77.

Tertia conclusio. *Ibi.*

Potest de potentia absoluta homo purus constitui aliorum caput in ordine gratiæ, & illis mereri cõdignè gratiam iustificantem, & à peccato mortali mũdatem. Num. 52.

Probatur primo auctoritate D. Thomæ. Ibidem.

Solu-

Index Disputationum.

Solutio cõtrariorum refertur, & impugnatur. Num. 53.

Secundum cõuenientiam analogam potuit potestas excellentiæ, Christo vt homini cõueniens, de potentia absoluta puro homini conuenire, Ibidem.

Potuit Deus cum homine puro pacisci, de gratia alijs conferenda, vice augmenti cõferendi subiecto merenti. Num 54.

Actus meritorius ab vno homine elicitus, non solum in esse entis adæquatur cum gratia alijs cõferenda, sed etiam in ratione causæ, & effectus. Num. 56.

Ex eo quod gratia sit semen gloriæ, non tollitur, quod efficienter possit alieno subiecto prodesse. Ibidem.

Vt actus vnius hominis contineat in genere causæ moralis gratiam aliorum, sufficit, quod tanti æstimetur, quanti habetur præmium cõferendum alijs. Ibidem.

Ex opposito sequeretur, non posse vnum hominem alijs mereri condignè remissionem culpæ venialis. Ibidem.

Actus vnius hominis iusti potest in morali æstimatione adæquari cum gratia conferenda alteri in peccato mortali existenti. Num. 58.

Gratia, vt collata homini existẽti in peccato mortali infinitum beneficium non est. Ibidem.

Vt gratia, peccatum mortale excludat, infinitas vires non petit: & consequenter, nec in merito illius cõdigno infinita dignitas est necessaria. Ibidem.

§. Nonvs.

Contraria sententia cũ suis fundamentis proponitur. *Pag.* 80.

Oppositam sententiã tenet Vazquez, quem plures sequuntur. Num. 59.

Via condignè satisfactionis, non potest pura creatura gratiam remittentem peccatum alijs præstare; benè tamen via meriti cõdigni; & sic explicatur Adrianus. Num. 60.

Gratiam, quæ de facto datur, non extendi ad merendum alieno subiecto, solum prouenit ex defectu pacti, & ordinationis diuinæ. Num. 63.

Licet promissio diuina non præstet condignitatem, præbet operi efficaciã meritoriam. Ibidẽ.

Gratia habitualis in vno subiecto existens, non potest dignificare opera alterius subiecti, potest tamen opera proprij subiecti dignificare, vt sint alijs meritoria. Num. 64.

Potest vnum opus meritorium esse cõdignum duplicis præmij disiunctim, non autem copulatim. Ibidem.

Opus ab homine iusto elicitum, non potest condignè mereri gratiam alijs cõferendam in eadem intensione cum augmento gratiæ, quod proprio subiecto meretur. Num. 65.

Licet gratia vnius non possit per modum seminis physici continere gloriã alteri cõferẽdam, potest tamen illam cõtinere, vt principiũ quo morale. Ibidem.

Opera puræ creaturæ merentia cõdignè alijs gratiã remissiuam peccati, nõ sunt cõdigna satisfactio pro illa. Num. 67.

Extinguere debitũ ex offensa cõtractum ratione incõpossibilitatis termini cadentis sub merito cum offensa, nõ est satisfacere condignè pro illa. Num. 68.

Via istius incompossibilitatis potest creditor ex iustitia obligari ad remissionem offensæ à non satisfaciente condignè pro illa. Num. 69.

Differentia cõstituitur inter debitũ pecuniariũ, & debitũ ex offensa cõtractũ, quoad posse extingui sine æquali restitutione, aut satisfactione. N. 70.

Meritũ cõdignũ gratiæ excludentis peccatũ, non petit adæquare offensam in morali æstimatione. Num. 72.

Diuus Thomas docens, non posse vnũ hominem alijs gratiã de cõdigno mereri, loquitur de lege ordinaria, nõ de potentia absoluta. Num. 74.

Cõiunctio humanitatis cũ Verbo, nõ est necessaria ad merendũ alijs cõdignè; benè tamẽ ad cõdignè satisfaciendũ pro culpa mortali aliena. Ibidẽ.

§. Vltimvs.

Corollaria præcedentis doctrinæ. *Pag.* 85.

Infertur primò, hominem iustũ, etiam vt membrum Christi, nõ posse pro culpa mortali satisfacere cõdignè. Num. 75.

Efficacia, in qua, iuxta D. Thomam, meritũ hominis iusti excedit meritũ Angeli, nõ est ex meritis, aut ex gratia Christi formaliter, sed meritoriè efficienter. Num. 76.

Secũdò colligitur, etiã si esset dabilis gratia infinitæ intensionis, & actus ab illa elicitus infinita intensione gauderent, nõ fore condignè satisfactorios pro culpa originali, vel pro peccato mortali. Num. 77.

Infinitas prædictis actibꝰ cõpetens, esset per participationẽ diuinã, ideoq; inferior infinitate offensæ mortalis, quæ est per cõmunicationem diuinã. Ibidem.

Si gratia infinitè intẽsa, esset in humanitate Christi, illã infinitè sanctã redderet, nõ tamen æquali sanctitate illi, quæ humanitati cõuenit per gratiam vnionis. Num. 78.

Licet vnum infinitum alio esse maius quantitatiuè non possit, potest tamen vnum infinitum aliud in qualitate excedere. Ibidem.

Tertiò colligitur, admisso offensam mortalem infinitè grauem nõ esse, nec superioris ordinis ad satisfactionem à pura creatura præstitam, nõ posse cõsequenter negari, quod possit pura creatura pro illa satisfacere cõdignè. Num. 79.

Prædicta sententia admissa obsequiũ à pura creatura exhibitũ adæquaret offensam mortalem, nõ solum in esse entis, sed etiam in ratione causæ, & effectus. Num. 81.

Nõ alia ratione Christus per gratiam vnionis cõtinet, vt causa principalis moralis remissionẽ offensæ mortalis, nisi quia opus gratia vnionis valoratum adæquat, vel excedit offensam in morali æstimatione. Ibidem.

Prædicta sententia admissa, nullum esset discrimen inter opus valoratum gratia vnionis, & opus valoratum gratia adoptionis, quoad hoc, quod est moraliter cõtinere remissionem offensæ mortalis. Num. 83.

Asserere, ideò in admissa sententia, non posse purũ hominem moraliter cõtinere remissionem offensæ mortalis, quia gratia adoptionis proprio alligatur subiecto, nõ potest in doctrina D. Thomæ defendi. Num. 84.

Sequitur ex hac doctrina, non solum pro peccato alieno mortali, verum etiam, nec pro veniali alieno, posse hominem iustum satisfacere cõdignè. Num. 85.

Quarto colligitur, purum hominem existentẽ in gratia, & amicitia diuina, posse per actus ex viribus gratiæ elicitos satisfacere cõdignè pro peccato veniali proprio; secus autẽ homo existens in peccato mortali. Num. 88.

Quinto colligitur, posse purum hominem de potentia absoluta cõdignè satisfacere pro peccato veniali alieno, & pro pœna illi debita. Num. 89.

De facto tamen satisfacit vnus homo pro pœna debita peccato veniali alterius, non autem pro culpa. Num. 90.

Denique infertur qualiter Incarnatio Verbi fuerit necessaria, nõ fuit necessaria absolutè, neque ex suppositione vniuersi cõditi, nec fuit necessaria simpliciter ad reparãdum hominem à peccato, nec ad merendum cõdignè remissionem illius, nec ad satisfaciendum cõdignè pro peccato veniali, sed solum fuit necessaria simpliciter ad satisfaciẽdum cõdignè pro peccato humani generis sumpta Incarnatione, nõ strictè, sed largè. Num. 91. & 92.

Disputatio Tertia.

An satisfactio Christi fuerit valoris simpliciter infiniti? *Pag.* 92.

§. Primus.

Referuntur sententiæ, vera eligitur, & auctoritatẽ probatur. *Ibidem.*

Prima sententia, etsi cõcedat, operationes Christi fuisse tãti valoris, vt ab actionibus à pura creatura elicitis adæquari nõ potuerint: negat tamẽ fuisse valoris simpliciter infiniti. n. 1.

Secũda, & vera sententia docet, actus Christi satisfactorios, etsi in esse phisico fuerint limitati, & finiti; in morali tamẽ æstimatione fuisse infinitos simpliciter. Num. 2.

Referuntur varij modi explicãdi radicem huius infinitatis, & formam à qua præstatur formaliter. Num. 3.

Statuitur prima cõclusio, satisfactio Christi Domini fuit infinita simpliciter in valore, & morali æstimatione. Num. 4.

Probatur primò hæc cõclusio ex Clemente 6. in extrauag. Vnigenitus, vbi docet, timẽdũ nõ esse, vt thesaurus Ecclesiæ extinguatur peccatorũ multitudine propter infinita merita Christi. Num. 5.

§. Secvndvs.

Rationibus eadẽ conclusio probatur. *Pag* 94.

Prima ratio sumitur ex auctoritate prædicta, eo quod vis satisfactiua pro culpis, sine termino in infinitum, nõ potest nõ esse moraliter infinita. Num. 6.

Vis effectiua phisica effectuũ perfectione inæqualium sine termino in infinitum, nõ potest cõuenire causæ, quæ phisicè infinita nõ sit. Ibidem.

Hinc probatur à posteriori omnipotẽtiam Dei esse phisicè infinitam, quia sine termino est in ratione productiuæ. Ibidem.

Et ratio à priori est, nam effectus nequit suæ causæ efficientis excedere perfectionem, illam autem excederet, si terminus potẽtiæ finitæ, esset syncathegorematicè infinitus. Ibidem.

Excluditur Scotistarum euasio asserentium, actus Christi satisfactorios nõ gaudere vi prædicta ab intrinseco, sed ab extrinseca acceptatione Dei. Num. 7.

Reijcitur aliorum respõsio asserentium, vt satisfactio Christi sit pro culpis sine termino cõdigna, sufficere, quod sit superioris ordinis ad grauitatem offensæ. Num. 8.

Et si existens in ordine superiori, possit infinita ordinis superioris excedere; illa tamen actu continere non potest, nisi sit infinitum. Ibidem.

Aliàs, & si peccatum esset in ratione offensæ simpliciter infinitum, posset satisfactio Christi, esto finita moraliter, esse condigna pro illo. Numero 9.

Et si actus gratia adoptionis formati, sint in ordine superiori ad omnem entitatem naturalem, non tamen potest vnus actus supernaturalis præmia ordinis naturalis infinita mereri. Numero 10.

Esto in physicis indiuiduum specificè inferius adæquare nequeat indiuiduum perfectioris speciei, in moralibus tamẽ oppositũ accidit. Numero 11.

Peccatũ v.c. furti, & si specificè inferius sit odio Dei, potest adeo crescere ex intensione, vel alijs capitibus, vt odium Dei excedat in ratione demeriti. Ibidem.

Et si infinitum ordinis superioris cõtinere possit infinitiès infinita ordinis inferioris, res tamen finita ordinis superioris cõtinere nequit finita ordinis inferioris, sine termino in infinitũ, & redditur ratio discriminis. Num. 13.

Quod peccata venialia, quamvis numero augeãtur, nõ possint adæquare vnũ peccatũ mortale, nõ est alligãdũ infinitæ grauitati peccati mortalis. Num. 15.

Esto peccatũ mortale non esset in ratione offensæ grauitatis infinitæ simpliciter, posset demereri cõdignè priuationẽ gratiæ iustificãtis, & æternã dãnationẽ. Num. 16.

Peccata venialia, etiã omnia collectiuè sumpta, nõ possunt dictas pœnas promereri. Ibidem.

Quod peccata venialia, nõ possint numero, vel intensione adæquare grauitatem vnius peccati mortalis nõ est, quia peccatũ mortale est in ordine superiori, sed quia veniale est secũdum quid offensa, & solũ secũdum quid displicet voluntati diuinæ. Num. 17.

Probatur eadem cõclusio ratione à priori sumpta ex doctrina D. Thomæ, quia, nempè, satisfactio crescit ad incremẽtũ dignitatis personæ satisfaciẽtis; persona autem Christi est dignitatis simpliciter infinitæ. Num. 18.

Euasio Scotistarum refertur asserentium, nõ crescere ad incrementũ personæ arithmeticè, sed tãtum geometricè. Num. 19.

Reijcitur hæc solutio ad hominẽ, ex eo quod ex illa sequitur, posse satisfactionẽ à pura creatura elicitã adæquare satisfactionẽ Christi. N. 20.

Secũdò reijcitur, eo quod persona satisfaciens seipsa immediatè, vt forma valorat satisfactionem. Num. 21.

Si persona Christi valorat satisfactionẽ media humanitate, vt à se dignificata, etiam infinitè satisfactionẽ dignificat. Num. 22.

Tandem reijcitur, nam persona infinita ex se est potens infinitè dignificare, & aliàs vndè limitetur nõ habet. Num. 23.

§. Tertivs.

Diluuntur tria argumenta contrariæ sententiæ. *Pag.* 100.

Primum argumentũ cum duplici confirmatione proponitur. Num. 24.

Reijcitur solutio, qua Vazquez & Suarez occurrunt. Num. 25.

Constatum ex duobus, quorum vnum est infinitum, etiam si alterum sit finitum, est infinitum simpliciter, si pars infinita eminenter partem finitã cõtineat. Num. 26.

Hoc cõplexum, Deus homo est infinitum simpliciter, etsi humanitas sit finita, quia Deus ex quo simul cũ humanitate coalescit eminenter cõtinet illam. Ibidem.

Valor personalis, quẽ infinitũ adstruimus in operationibus Christi, nõ dependet ab aliqua causa efficiente finita. Num. 27.

Vnus actus satisfactorius Christi non est maior alio intensiuè, sed tantũ extensiuè. Ibidem.

Continentia eminentialis est duplex, nempè, causalitatis, & æquiualentiæ. Num. 28.

Valor ex persona Verbi sumptus, non cõtinet eminenter valores sumptos ex alijs capitibus, eminentia causalitatis, sed æquiualentiæ. Ibidem.

Hoc eodem eminentiæ genere cõtinetur gratia habitualis in gratia substantiali vniõnis. Ibidẽ.

Secũdum argumentum proponitur à paritate obiecti infiniti, nõ infinitantis actũ elicitũ medio principio finito. Num. 29.

Plus cõducit ad dignitatem satisfactionis persona operãs, quã obiectũ. Num. 30.

Operationes Regis Regiæ dicũtur, & operationes Christi theãdricæ, & Dei viriles, quas denominationes nõ subeunt operationes habentes pro obiecto Regem, nec illæ, quæ habent pro obiecto Christũ. Ibidem.

Redditur ratio discriminis cõsistens in eo, quod persona seipsa, vt forma, dignificat, obiectum autem nõ ita, sed de se specificatiuè dat perfectionem eliciẽdã à principio operãte. Ibidem.

Triplex instãtia proponitur cõtra istam rationem discriminis. Num. 31.

Limitatio subtracti nõ limitat influxum formæ infinitæ moralis, etsi impediat infinitatẽ formæ physicæ, & cur. Num. 33.

Ex physicis ad moralia formalis cõsequentia non fit: cum cõtingat, id quod physicè est subiectũ, moralitèr esse formam. Ibidem.

Ratio cur obiectum infinitum limitatur à principio finito, ne suam infinitatem actui à se specificato cõmunicet in genere, tam physico, quã morali est, quia eadem ratio in vtroque genere militat. Ibidem.

Index Disputationum.

Non militat eadem ratio in genere morali, quæ in physico, vt subtractū limitet formam moralem. Ibidem.

Quædam obiectio proponitur sumpta à paritate subsistentiæ Verbi, & diuinæ essentiæ vnitæ per modum speciei. Num. 34.

Nec subsistentia Verbi cōstituit humanitatem infinitè subsistētem, nec diuina essentia vt species constituit mentes Beatorum potentes infinitè, videlicet; dignitas autem personæ Verbi operantis infinitè actus satisfactorios dignificat, & redditur ratio discriminis. Num. 35.

Obiectum, nec etiam in genere moris subinduit rationem formæ; benè tamen persona operans: & ratio differentiæ assignatur. Num. 36.

Dignitas personæ sumpta ab habitu accidentali, limitatur à principio; secus autē dignitas substantialis. Ibidem.

Tertium argumentum proponitur, intendens probare, principium quo elicitiuum actus satisfactorij, comparari effectiuè ad valorem sumptū à persona Verbi. Num. 37.

Duplex moralitas distinguitur; vna sumpta penès ordinem ad regulas morum; alia per ordinem ad æstimationem prudentum: prima petit esse libera, & voluntaria; non autem secunda. Num. 38.

Valor personalis operationum Christi, non est moralis in prima, sed in secūda acceptione; & ideò nō est liber, nec volūtarius formaliter. Ibidē.

Principium merens nō tendit ad præmium per valorem personalem, nec meretur per illum, sed per actum valoratum. Num. 39.

Valor personalis operationū Christi in abstracto, est aliquid increatum, in concreto aliquid creatum est, & sic sumptus causam efficientem habet. Ibidem.

Proponitur quædam obiectio sumpta ex eo quod concretum, quod causam efficientem habet, nequid esse infinitum. Num. 40.

Cōcretum ex omni parte causatum, nequit esse infinitū; quod autem ex parte formæ causam efficientem non habet, potest esse infinitum moraliter. Num. 41.

Cōcretum physicū ex parte formæ infinitum, non potest principaliter physicè à causa finita causari; benè tamē cōcretum morale, & ratio discriminis assignatur. Ibidem.

§. Qvartvs.

Tribus alijs argumentis occurritur. *Pag.* 107.

Proponitur quartum argumētū sumptum ex eo quod bonitas moralis operationum Christi est finita. Num. 42.

Reijcitur solutio, qua asseritur bonitatem moralem operationum Christi esse infinitam moraliter. Num. 43.

Persona infinita non potest, vt circumstātia dare infinitā bonitatē, aut infinitā malitiā. N. 44.

Et si valor meritorius, & satisfactorius supponat bonitatem in opere, nō tamē adæquatè ad illā cōsequitur. Num. 45.

Potest actus æstimari supra propriam bonitatem moralem. Ibidem.

Valor moralis operationum Christi, est bonū bonitate morali, moralitate sumpta penès ordinem ad æstimationem prudentum, nō verò moralitate sumpta penès ordinem ad regulas morum. Num. 46.

Ad præstādum prædictum valorem nō cōcurrit persona operans, vt circumstantia, propriè de circumstantia loquēdo. Ibidem.

Proponitur quintum argumētum procedens ex eo quod actus satisfactorij vniātur cum supposito Verbi, mediāte modo finito. Num. 47.

Refertur solutio distinguētium realiter duplicem modum vnionis physicum, nempè, & moralem. Num. 48.

Prædicta solutio reijcitur, impugnaturq; duplex iste modus vnionis. Num. 49.

Sicut moralitas actuum idētificatur realiter cū entitate physica illorum: ita vnio moralitatis cū vnione physica realiter idētificatur. N. 50.

Quādo vnum, & idem est, quod in genere physico est subiectum, & forma in genere moris, duplex vnio necessaria non est. Ibidem.

Supposito, quod detur vnio physica ab extremis distincta, etiam debet vnio moralis ab extremis realiter distincta constitui, nō tamē distincta realiter ab vnione physica illorum. Ibidē.

Modus vnionis actuum cum supposito Verbi est infinitus moraliter, nō moralitate idētificata cum illo, sed moralitate sumpta à persona Verbi, vt à forma. Num. 51.

Vel potest dici, modū istum esse infinitum vt quo, *licet vt* quod *sit finitus* Ibidem.

Vel tertiò, dici potest limitationem modi nō obstare illimitationi formæ moralis, & formalis effectus illius. Ibidem.

Si applicatio agentis infiniti ad passum est finita vt quo, *limitat eius influxū; secus autē si quāuis sit vt* quod *finita, nō fuerit finita vt* quo. Ibidem.

Sextum argumētum proponitur sumptum, ex eo quod, si Deus esset capax merendi in se ipso, illius meritum excederet meritū Christi. N. 52.

Respondetur, meritum diuinum, tunc casus excessurum in perfectione physica, & in bonitate morali, & etiam in valore meritorio: ex hoc

tamen

tamen non sequitur, meritum Christi non esse in ratione valoris simpliciter infinitum. N. 53.

§. QVINTVS.

Septimum argumentum proponitur, sumptū ex eo quod humanitas Christi non sanctificatur infinitè à Verbo. *Pag.* 112.

REfertur, & impugnatur quorumdam Recentiorum solutio, asserentium, humanitatem æquè amabilem esse ac Verbum, vt in se ipsa. Num. 55.

Verbo convenit Deitas per essentiam humanitati per communicationem, ideo quæ non reddit illā æquè amabilem ac Verbum. Ibidem.

Si humanitas redderetur æquè amabilis, amaretur super omnia. Ibidem.

Si esset æquè amabilis ac Verbū, esset æquè bona, ac Verbum bonum est in se ipso. N. 56

Verbo ratione Deitatis debetur beatitudo consistens in visione comprehensiua Dei; humanitati verò visio solum fruitiua. Ibidem.

Vt humanitas sanctificetur infinitè, nō est necessarium, quod sanctificetur æquè infinitè cum Verbo, quod sanctum est per essentiam. Num. 57.

Personalitas Verbi in terminando physicè humanitatem, non exhauritur ab illa; bene tamen in terminando ad extra moraliter. Ibidem.

Humanitas, licet sanctificetur infinitè, non constituitur diligibilis supra omnia: quia non sanctificatur infinitè per essentiam. Ibidem.

Casus, in quo possibile foret præmium creatū actu infinitum, extendere tur ad illud efficacia meritorum Christi: hæc tamen efficacia non esset in tali casu eadem, ac nunc entitatiuè, sed entitatiuè diuersa. Num. 59.

Non datur in meritis Christi vis meritoria subiectiuè absoluta præmij creati infiniti, sub conditione possibilitatis illius Ibidem.

Non potuit Christus plus mereri, quam Deus potest præmiare. Ibidem.

Nouum argumentum proponitur intendens probare, non dari in meritis Christi vim meritoriā syncathegorematicè infinitam. Num. 60.

Refertur quorumdam solutio, asserentium, Incarnationem Patris, aut Spiritus Sancti, nō fore, in ratione præmij, simpliciter infinitā, eo quod personalitas Patris, aut Spiritus Sancti, non induceret rationem præmij, nisi vt vnita humanitati; vnio autem finita esset. Num. 61.

Reijcitur hæc solutio. Primo, quia esset præmium vt vnita moraliter, qua ratione esset infinita. Secundo, nam personalitas Verbi non sanctificat, nisi vt vnita, & tamen infinitè sanctificat. Num. 62.

Refertur Recentiorum solutio, asserentium, vnionem ex parte præmij esse rationem formalem, in ordine verò ad sanctificandum, esse solum conditionem. Num. 63.

Impugnatur prædicta diserimē tripliciter. N. 64.

Si prædicta solutio esset vera, sequeretur, posse incarnationem Patris cadere sub codignitate meritoria operis à pura creatura eliciti. Ibidem.

Traditur duplex solutio, asserendo primo, merita Christi per incarnationem Patris data in præmium, non fore exhaurienda extensiuè, sed tantum intensiuè. Vel secundo asserendo de ratione meriti infiniti non esse, quod per infinitum præmium exhauriri non possit. Num 65.

Decimum argumentum proponitur. Num. 66.

Refertur prima solutio. Num. 67.

Contra illam nonnulli Recentiores arguunt, quorum impugnatio reijcitur. Num. 68.

Aliter tradita solutio impugnatur. Num. 69.

Aliorum solutio refertur, asserentium, nō quo maior est gratia sanctificans, eo maiorem esse valorem meritorij in operibus hominis iusti N. 71.

Ratio primā discriminis, inter gratiam adoptionis, & gratiam substantialem vnionis, vt hæc infinitè sanctificet, illa autem non sanctificet adæquatè ad suā intensionem, refertur, & reijcitur. Num 72.

Aliorum solutio impugnatur. Num 73.

Refertur ratio discriminis ab alijs constituta. N. 74 & 75.

Prædicta ratio discriminis impugnatur. Num. 76. 77. & 78.

Assignatur vera ratio discriminis. Num. 79.

Proponitur triplex obiectio contra assignatā rationem discriminis. Num 80.

Fit satis his obiectionibus. Num. 81. 82. & 83.

Vltimū argumentum proponitur, conians ex triplici inconuenienti. Num. 84 & 85.

Vt homo iustus mereatur de condigno donū aliquod creatum, non est necessarium mereri infinitā dignitatem decreti liberi Dei N. 86.

Ex eo quod operationes Christi sint dignitatis infinitæ, non sequitur placere Deo quæ, ac ipsum Verbum placet voluntati diuinæ. Ibidem.

§. SEXTVS.

Explicatur forma operationes Christi dignificans. *Pag.* 124.

SEcunda conclusio. Forma immediatè valorās operationes Christi, nō est aliquid rationis, nec modo realis creati, sed ipsa persona Verbi. N. 87.

Prima pars conclusionis triplici ratione probatur Ibidem

Secunda pars conclusionis videtur posse probari, eo quod istius modi infiniti moralis, non potest causa prima infinita assignari. Num. 88.

Index Diſputationum.

Reiçitur hoc argumentum: poſſunt enim aſsignari iuſtus modi principia moraliter infinita. Ibidem. & Num 89. & 90.

Relicto hoc argumento ſuadetur ſecunda pars cõcluſionis quadrupliciter. N. 91. & N. 92.

Contraria ſententia refertur, & illius fundamentis occurritur. N. 93. & N. 94.

§. SEPTIMVS.

Explicatur cõceptus, quo perſona Verbi operationes Chriſti valorat. *Pag.* 127.

TErtia concluſio. Perſona Verbi nõ dignificat operationes Chriſti ratione illius, quod perſonalitas explicat, additque ad prædicata eſſentialia, ſed ratione prædicati incluſi. Quæ cõcluſio triplici argumento probatur. N. 95. 96. & 97.

Refertur duplex ſolutio. Prima docens, perſonalitatem Verbi ratione conceptus expliciti, dicere perfectionem ad extra, licet non dicat perfectionem ad intra. Secunda docens, dicere perfectionem moralem, & ſi non dicat perfectionem phiſicam. Num. 88.

Reiçitur prima ſolutio, probando, non poſſe perficere ad extra, quin etiam ad intra perficiat. N. 99. & N. 100.

Secunda ſolutio impugnatur, probando, ſequi eadem incõuenientia, ex eo quod perſonalitas Verbi ratione conceptus expliciti dicat perfectionem moralem, quæ ſequuntur ex eo quod dicat phiſicam perfectionem. Num. 101.

§. OCTAVVS.

Explicatur magis ratio, ſub qua perſona Verbi valorat opera humanitatis. *Pag.* 130.

VLtima cõcluſio. Perſona Verbi præſtat prædictum valorem ſub cõceptu dignitatis, & ſub conceptu ſanctitatis. Num. 102.

Perſonam Verbi valorare operationes humanitatis ſub conceptu ſanctitatis, probatur. N. 103.

Quod etiam ſub conceptu dignitatis eaſdem operationes valoret, probatur. Ibidem.

Fundamentum Patris Vazquez pro cõtraria ſententia, refertur. Num. 104.

Reſpondet Suarez, dato per impoſsibile, quod humanitas Verbo vnita eſſet in peccato mortali, ſequi duo contradictoria, nempè, Chriſtum ſatisfacturum, & non ſatisfacturũ cõdignè. N. 105.

Impugnatur hæc ſolutio, eo quod impoſsibile, quod ſupponitur, nõ eſt complicatorium, ideſt, conſtans ex terminis immediatè contradicentibus. Ibidem.

Refertur Recentiorum ſolutio, aſſerentium, caſu, in quo humanitas Verbo vnita eſſet in peccato mortali, opera Chriſti Domini fore infinitè ſatisfactoria. Num. 106.

Reiçitur prædicta ſolutio primò, vt enim Chriſtus ſuis operationibus valorem ſatisfactorium cõmunicet, requiritur, quod Chriſtus vt homo habeat dignitatem infinitam, ideſt, quod humanitatem infinitè dignam conſtituat, quod in prædicta hypoteſi non eueniret. Num. 107.

Secundo impugnatur, eo quod non ſtat Chriſtũ ſatisfacere condignè pro offenſa, quin cõdignè mereatur remiſsionem illius; meritum autem condignum cum peccato humanitatis nequit componi. Num. 108.

In prædicto caſu, non maneret dignitas perſonæ Verbi, quatenus homo eſt; ideoque operationes humanitatis condignè meritoriæ, aut ſatisfactoriæ non eſſent. Ibidem.

Obiçitur contra hanc ſolutionem: in prædicto caſu, Chriſtum vt hominem fore Filium naturalẽ Dei, & conſequenter dignum omni bono poſsibili. Num. 109.

Reſpondetur, Chriſtum vt hominem, ly vt *determinante ſuppoſitum prædictam dignitatem fore habiturum; ſecus autem, ly* vt *determinãte humanitatem, & hoc ſecundum neceſſariũ erat vt opera humanitatis eſſent meritoria, & ſatisfactoria condignè.* Num. 110.

Nec ſequitur, Nos coincidere in ſentẽtiam Patris Vazquez. Num. 112.

Secundum argumentum contra eandem ſententiã proponitur, ex illa inferens, in qualibet operatione Chriſti conſtituendos eſſe duos valores infinitos. Num. 113.

Reſpõdetur, cõcedendo cõſequentiã, nec incõſequẽti inconueniens aliquod inuenitur. Ibidem.

§. VLTIMVS.

Duo corollaria præcedentis doctrinæ. *P.* 135.

EX dictis colligitur primo; operationes Chriſti non habuiſſe valorem infinitũ, ex eo quod per illas Chriſtus ipſe offerebatur, ſed quia perſona Verbi fuit cauſa efficiens, & ſubiectum illarum. Num. 114.

In contrarium obiçitur Clemens 6. in Extrauag. Vnigenitus. *Obiçitur etiam D. Th. 3. p. q. 48. art. 2.* Num 115.

Sũmus Põtifex, & Angel. Dr. explicãtur. N. 116

Colligitur ſecundo cõtra Magiſtrum Vincentium Redemptionem humani generis, etiam ſub conceptu redemptionis, non à re oblata, ſed à perſona operãte, infinitatẽ valoris sũpſiſſe. N. 117.

Probatur primo ex D. Thoma 3. p. q. 48. artic. 3. Ibidem.

Secundo probatur, eo quod ſi Chriſtus ſatisfeciſſet pro nobis offerendo Deo aliquid purè creatum, illius ſatisfactio, ſub conceptu redemptionis, foret valoris ſimpliciter infiniti. Num. 118.

Tertio ab incõuenienti, quod sequitur ex doctrina Vincentij, quod, nempè, ꝑ Beatissima Virgo Christi sanguine in nostri redẽptionem offerret, non retineret redẽptione infiniti valoris; cui⁹ falsitas probatur ex D. Thoma. Ibidem.

Proponũtur duo fundamenta Vincentij. N. 119.

Prædictis fundamentis occurritur. Num. 120.

Notatur obiter, Christũ in redemptione hominũ, nõ se subiecisse Diabolo, sed Deo, qui sua gratia remittendo peccatũ, illos à potestate Dæmonis liberauit. Ibidem.

DISPVTATIO QVARTA.

An satisfactio Christi fuerit de se sufficiẽs pro peccatis omnium hominum? *Pag.* 138.

§. PRIMVS.

Quibusdam præsuppositis referuntur sententiæ. *Ibidem.*

SVponitur primo contra Iudæos, & Pelagianos, Christum satisfeciſſe pro peccato humani generis. Num. 1.

Secũdo supponitur, satisfeciſſe pro peccatis hominum, non solũ quoad culpam, sed etiam quoad pœnam illorum peccatis debitam. Num. 2.

Supponitur tertio, Christi satisfactionem absolutè fuiſſe sufficientem, imo & superabundãtem, abstrahendo amodo superabundantiæ, & sufficientiæ. Num. 3.

Explicatur sẽsus, in quo disputatio procedit. n. 4.

Refertur prima sententia Scoti, & sequatium, docentium, satisfactionem Christi, non fuiſſe ex se sufficientem, sed solum id habuiſſe ab extrinseco, quia nempè Deus illam, vt sufficientem acceptauit. Ibidem.

Oppoſita sẽtẽtia D. Th. refertur, & præfertur. n. 5.

§. SECVNDVS.

Satisfactionẽ Christi fuiſſe ex se in actu primo condignam, auctoritate, & ratione probatur. *Pag.* 140.

Prima conclusio. Satisfactio Christi Dñi secluſa acceptatione extrinseca Dei, fuit de se in actu primo cõdigna pro peccato humani generis. N. 6.

Probatur primo, quia ex oppoſito fieret satisfactionem Christi nõ esse præferendam in valore redemptiuo, peccato Adami, quoad vim ad spoliandam posteritatem gratia, & iuſtitia originali; quod videtur aduersarij Paulo ad Rom. cap. 5. Ibidem.

Pactum cũ Adamo initum, non dedit condignitatem illius peccato ad perdendum, sed ex se habuit prædictam condignitatem. N. 7.

Secunda cõclusionis probatio sumpta ex eo quod aliàs Incarnatio neceſsaria non fuiſſet ad satisfaciẽdũ pro nobis, quod Patrib⁹ aduersatur. 8.

Tertio probatur conclusio; quia ex oppoſito fieret satisfactionem Christi non fuiſſe perfectã in ratione satisfactionis, quod aduersatur Scripturæ, illam prædicanti copioſam. N. 9.

Denique probatur, eo quod valor satisfactionis Christi ex se, & ex natura ſua, saltim adæquat grauitatem iniuriæ. N. 10.

§. TERTIVS.

Duo argumenta contrariæ sententiæ soluuntur. *Pag.* 142.

PRimum argumentũ nititur in eo, quod valor meritorium operationum Christi, nõ adæquat vim demeritoriam peccati originalis. N. 11.

Respondetur, negãdo aſsũptũ; nec probatur benè ex eo quod Christus ſuã Incarnationem nõ meruerit, quã tamen peccatũ originale demeruit: nã primum nõ prouenit ex defectu æqualitatis moralis operationum Christi cum vnione humanitatis ad Verbum: ſed quia talis vnio fuit illarum principium. Num. 12.

Secundum argumentũ ſumitur, ex eoquod valor satisfactorius operationum Christi nõ adæquat in morali æstimatione grauitatẽ offensæ mortalis, quod tripliciter probatur. N. 13. & 14.

Christus satisfecit vt homo elicitiuè, non autẽ dignificatiuè, ſed hoc modo satisfecit vt Deꝰ. N. 15.

Verbũ valorat operationes Christi, vt homo, ly VT *dicente cõditionẽ ad valorandum: Deus etiam grauificat offensam, vt cognitus, ly* VT *dicente cõditionẽ; vndè vtrobique ingreditur aliquid creatum tanquam conditio.* Num. 16.

Actus affectiuè deſtructivus Dei, non eſt tam malus, ac ipſa deſtructio. Num. 17.

Grauitas offensæ irrogatæ Deo à creatura, ad ſummũ esse potest maior extensiuè, offensa irrogata Deo, ab altero Deo, in hypotheſi impoſsibili. 18.

§. QVARTVS.

Occurritur argumento Durandi, ſumpto ex eo quod Christus, vt homo, nõ potuit Deo æquales gratias agere pro beneficijs in humanitate ſuſceptis. *Pag.* 145.

REfertur duplex ſolutio, prima Patris Vazquez, ſecunda Patris Suarez. Num. 20.

Prima reijcitur. n. 21. *Secũda excluditur.* n. 22.

Ex doctrina D. Th. 2. 2. q. 106. art. 6. in corp. docentis, hoc esse diſcrimen inter cõpenſationem ex iuſtitia, & cõpẽſationẽ ex gratitudine, quod ad perfectionem primæ ſufficit æquale reddere; ad perfectionem autem ſecundæ requiritur plus reddere quam acceptum ſit, quod non potuit Christus facere. Num. 22.

Refertur ſolutio, qua occurrit huic difficultati Magiſter Cornejo, & reijcitur. Num. 23. 24. & 25.

Index Disputationum.

Respõdetur primo ad argumentũ Durandi, illius consequenti, à nõ tenere in forma, eo quod beneficia humanitatis facta excedunt in morali æstimatione grauitatem offensæ mortalis. N. 26.

Respõdetur secũdo: re vera Christũ Dñm perfectè recõpensasse beneficiũ Incarnationis factu humanitati; quia licet nõ in effectu, in affectu tamẽ plus reddidit, quã accepit humanitas. n. 27

Opponitur huic solutioni, sequi ex illa posse purã creaturam ad æqualitatem gratiæ agere Deo pro beneficijs acceptis ab ipso. Num. 28.

Respondetur primo, concedendo sequelam, loquendo de beneficijs antecedentibus gratiarũ actionem; negando autem loquendo de beneficio cõcomitante. Num. 29.

Respondetur secundo, negando sequelam, eo quod excessus in affectu in pura creatura, non supponit æquiualens, in re præstitũ, qualiter in Christo supponitur. Num. 30.

§. Qvintvs.

Fuisse superabundantem satisfactionem Christi, probatur. *Pag.* 148.

Secunda conclusio. Satisfactio Christi fuit ab intrinseco superabundans pro peccato humani generis. Num. 31.

Probatur primo: nam satisfactio superabundans, solum ab extrinseco, non repugnat puræ creaturæ; debet autem Christo concedi superabundantia puræ creaturæ repugnans. Num. 32.

Probatur secundo; quia ex eodem capite conuenit satisfactioni Christi superabundantia, ex quo illi conuenit condignitas; hæc autem ei conuenit ab intrinseco. Num. 33.

Refertur, & impugnatur istius superabundantiæ triplex ratio à priori. N. 34. & 35.

Vera ratio à priori assignatur, sumpta ex eo quod grauitas offensæ mortalis fundatur in vnione affectiua cũ diuina maiestate offensa; valor autem satisfactionis Christi fundatur in vnione physica cum persona Verbi operantis. N. 36.

§. Vltimvs.

Argumẽtis in contrarium occurritur. *P.* 151.

Primum argumentum nititur in eo quod grauitas offensæ mortalis adæquat in morali æstimatione valorem satisfactionis Christi, quod dupliciter probatur. Num. 37.

Respondetur, negando assumptum, nec conuincitur ex eo quod ab eadem forma sumantur; nam valor satisfactorius sumitur à diuinitate, sibi perfectiori modo vnita, illo, quo vnitur offensæ. Num. 38.

Nec secundo conuincitur, ex eo quod vnum infinitum, non sit alio maius; nã licet hoc verũ sit quãtitatiuè; potest tamen vnum infinitum, aliud excedere in qualitate essentiali. N. 39.

Licet vnum infinitum non possit ab alio eiusdem generis excedi; potest tamen excedi ab alio diuersi generis. Num 40.

Obijcitur; sequi ex doctrina tradita, posse vnum peccatũ esse altero maius in grauitate sũpta ex maiestate offensa, quod cõtradicit his, quæ disputatione prima docuimus. Num. 41.

Secũdo obijcitur; sequi ex eadẽ doctrina, operationes Christi non esse valoris simpliciter infiniti, cuius contrariũ docuimus disput. 3. Et sequela probatur tripliciter. N. 42. 43. & 44.

Respondetur primæ obiectioni, negãdo sequelam, quæ non conuincitur probatione ibi facta: excessus namque modi vnionis operationum Christi respectu vnionis offensæ, est formalis extrahens ad aliud genus: excessus autẽ modi vnionis, quo vnus actus offensiuus, præ alio, maiestati offensæ vnitur, est materialis, & intra idem genus contentus. N. 45.

Ad secundam respondetur, negando sequelam, quæ non conuincitur prima probatione: tum, quia modus, quo operationes Christi vniuntur supposito Verbi, est moraliter infinitus. Tum etiã, quia solum sequitur limitatio valoris operationum Christi in concreto, positiua, in genere entis, & negatiua in genere moris vt sic; non autẽ limitatio in genere meriti, & satisfactionis. N. 46. & 47.

Ex eo quod ad infinitatem cõcreti pensetur, nõ solum forma, sed etiam modus, & iste finitus sit; solum sequitur, effectũ formalem formæ nõ esse infinitũ moraliter ex omni capite; non autem quod ex parte formæ moraliter infinitus nõ sit, nec quod nõ sit infinitus simpliciter. N. 48.

Grauitas omniũ offensarum, non est intensiuè maior grauitate vnius offensæ mortalis: ideoque valor vnius operationis Christi excedens grauitatem vnius peccati mortalis, etiam grauitatem omnium excedit. Num. 51.

Iustè exigitur à Deo satisfactio Christi pro offensa peccati mortalis, quam vis illius grauitatem excedat: quia vbi æqualitas sine excessu repugnat, qualiter in præsenti contingit, iustè exigitur excessus. Num. 52.

Disputatio Qvinta.

Vtrum satisfactio Christi fuerit ex toto rigore iustitiæ? *Pag.* 156.

§. Primvs.

Referũtur sententiæ, vera eligitur, & probatur.

Supposita æqualitate, imo & excessu satisfactionis Christi, examinatur, an fuerit de rigore iustitiæ, quia ad hoc præter æqualitatem requiruntur alia plura. Num. 1.

Index Disputationum.

Prima sententia docet, satisfactionem Christi fuisse perfectam de rigore meriti, & condignitatis; non autem fuisse perfectam de rigore iustitiæ, ex defectu conditionum, quæ ad rigorem iustitiæ requiruntur. Ibidem.

Secunda sententia docet, fuisse perfectam, non solū cōdignitate, sed etiā de rigore iustitiæ. N. 2.

Hæc sententia statuitur pro conclusione: & probatur primo: quia iuxta Scripturā, & Patres, Christus satisfecit pro hominibus satisfactione ex iustitia perfecta, quod non potest saluari nisi fuerit de rigore iustitiæ. Num. 3.

Melius explicantur Scripturæ, & Patrum verba, concesso Christi satisfactioni, quod fuerit perfecta ex rigore iustitiæ, quam solum ei concessa perfectione condignitatis. Num. 5.

Conditiones requisitæ, vt satisfactio sit de toto rigore iustitiæ, etiam necessariæ sunt ad perfectā æqualitatem. Ibidem.

§. Secvndvs.

Occasione primi argumenti, examinatur prima conditio, & satisfactioni Christi accommodatur. *Pag.* 158.

Arguitur primo. Nam ad satisfactionem de rigore iustitiæ perfectam requiritur esse ad alterum re, quod non videtur conuenire satisfactioni Christi. Num 6.

Refertur prima solutio asserentium, Christum nō sibi, sed Patri satisfecisse, à quo distinctione reali personali distinguitur. Num. 7.

Solutionem istam, vt improbabilem reiciunt cōmuniter Theologi: & impugnatur primo; nam satisfactio illi fit, qui est per peccatum offensus; peccatum autem non offendit per se primo Patrem, sed hunc Deum, vt tribus personis communem. Ibidem.

Secundo reiicitur; nam illi fit per se primò satisfactio, qui gratiā largitur, & offensam remittit; largiri autem gratiam, & offensam remittere nō cōuenit per se primo alicui ex diuinis personis, sed huic Deo, vt tribus personis communi. Num. 8.

Præterea; nam ex opposito fieret, Verbum omnino gratis; Patrem autem ex iustitia remittere nobis offensam, quod absurdum, & implicatoriū est. Num. 9.

Denique; nā ex doctrina ista sequitur, satisfactionem Christi condignam, & perfectam pro hominum peccatis non fuisse, quod etiam absurdum est. Num. 10.

Nec obstat, actiones Christi satisfactorias specialiter in Scriptura ad Diuinū Patrem dirigi: hoc enim non est, quia solius Patris sit hominū peccata remittere; sed quia ea, quæ maiestatis sunt, & auctoritatis, Patri per accommodationem attribuuntur. Num. 11.

Refertur aliorum solutio, asserentium, de ratione iustitiæ inter homines esse, quod sit ad alterum re; non autem de ratione iustitiæ ex communi conceptu, nec de ratione iustitiæ Christo conueniente in ordine ad Deum. Num. 12.

Hæc etiam solutio displicet cōmuniter Theologis, & reiicitur primo; nā si hæc conditio sic explicatur, etiā aliæ cōditiones, poterūt eodē modo explicari, quod omni careat fundamento. N. 13.

Secundo reiicitur; nam eadem ratio est de iustitia, ac de iniustitia quoad prædictam conditionem; hæc autem vniuersaliter petit, quod sit ad alterum re. Ibidem.

Denique reiicitur, nam ratio, ob quam iustitia, realem distinctionem extremorū exposcit, est, quia petit versari inter extrema distinctorum iuriū; hæc autem conditio petitur ex communi cōceptu iustitiæ. Num. 14.

Amicitia potest inter extrema eiusdē naturæ versari; secus autem iustitia: & assignatur ratio discriminis. Num. 15.

Tertio respondet Vazquez; nō Verbum prout in humanitate subsistens, sed humanitatē esse, quæ satisfecit vt quod; inter humanitatem autem satisfacientem, & Deum, cui fit satisfactio, realis distinctio versatur: quam doctrinā multis medijs prædictus Auctor suadet. N. 16. & 17.

Vt falsa tamen reiicitur, eiusque falsitas multipliciter monstratur. à n. 18. vsque ad 23.

Fundamentis contrarij Auctoris occurritur. à n. 24. vsque ad 37.

§. Tertivs.

Explicatur secunda conditio, & accommodatur satisfactioni Christi. *Pag* 170.

Secundū argumentum principale proponitur, sumptum ex eo quod ad satisfactionē de rigore iustitiæ, requiritur, nō fundari in gratia creditoris, quod non videtur conuenire satisfactioni Christi. Num. 38.

Refertur prima solutio quorūdā, asserētiū, rigorē iustitiæ in satisfactione, excludere gratiā factā à creditore ex intētione, & fine satisfactionis; secus autem, si ex tali intentione nō fiat. N. 39.

Reiicitur hæc solutio. Ibidem. & num. 40.

Secunda solutio est, rigori iustitiæ in satisfactione solū obstare, quod fundetur in gratia cōcomitante satisfactionem; non autem quod fundetur in gratia omnino antecedenti; gratia autem humanitati facta omnino antecedens fuit. N. 41.

Hæc tamen solutio reiicitur, eo quod in satisfactione Christi, nō solū intercessit gratia D. i, illā omnino antecedēs, sed etiā gratia cōcomitās. n. 42

Index Disputationum.

Tertio respondetur ab alijs, quod licet ipsa creditoris gratia nequeat esse materia contractus ex iustitia inter debitorem, & creditorem; id tamen, quod debitor ex gratia creditoris lucratur, materia cõtractus ex iustitia celebrati esse potest. Num 43.

Prædicta solutio impugnatur, ex eo quod actus ipsi, quibus Christus satisfecit fuerunt gratiæ, & dona Dei. Num. 44.

Respondetur argumento primo; rigorem iustitiæ in satisfactione excludere gratiam supplentem defectum dignitatis in actu satisfactorio; nõ autem excludere gratiam creditoris dantem operi satisfactorio dignitatem, & valorẽ adæquãtem grauitatem offensæ. Num. 45.

Quæ solutio, vt vera defenditur, & obiectionibus contra illam occurritur. à nu. 46. vsq; ad 48.

Respondetur secundo: ad satisfactionem ex rigore iustitiæ requiri, quod non fundetur in gratia facta satisfacienti; non autem excludi gratiã factam alteri, à creditore; Verbo autem, quod satisfecit, vt quod, *non fuit gratia facta à Deo.* Num. 49.

Obiectionibus contra istã solutionem occurritur. à n. 53. vsque ad 56.

§. Qvartvs.

Explicatur tertia cõditio, & satisfactioni Christi accommodatur. *Pag.* 177.

Tertium argumentum sumitur, ex eo quod ex bonis alio titulo debitis creditori, nõ potest fieri satisfactio ex rigore iustitiæ; omnes autem Christi actiones erant Deo creditori pluribus titulis debitæ. Num. 57.

Respõdet Suarez ex aliàs debitis titulo iustitiæ, non posse fieri rigorosam satisfactionem; secus autem ex debitis titulo alterius virtutis; satisfactio autem Christi non erat Deo debita alio titulo iustitiæ. Num. 58.

Impugnatur hæc doctrina. à n. 58. vsq; ad 61.

Secunda solutio est quorundam Recentiorum asserentium, ex debitis proximè alio titulo, non posse satisfieri ex rigore iustitiæ; benè tamen ex his, quæ remotè debentur: Christi autem operationes non erant debitæ proximè. Num. 62.

Quæ doctrina reijcitur, eo quod operationes Christi erãt Deo debitæ proximè titulo obedientiæ, cum habuerit præceptum moriendi. Num. 63. & 64.

Tertio respondet Nazarius: operationes Christi plures infinitates habuisse; ideoque, & si pluribus titulis debitæ fuerint, potuerunt omnibus ex rigore iustitiæ satisfacere. N. 65. *Vbi etiam ista doctrina impugnatur.*

Traditur vera solutio, & prædictæ cõditionis explicatio, quod, nempè, quando plures tituli incidant supra eandem materiam, potest vno opere omnibus ex rigore satisfieri. Num. 66.

Opponitur cõtra hanc solutionem, & explicatur testimonium D. Tho. à n. 67. vsq; ad 70.

Alijs obiectionibus cõtra eandem solutionem occurritur. Num. 71. & 72.

Secundo respõdetur argumento principali, explicando aliter cõditionem prædictam, nempè, ad rigorem iustitiæ in satisfactione sufficere, quod sit ex alijs indebitis à satisfaciente, vt quod, *quod ita accidit in Christo.* Num. 73.

Quæ doctrina explicatur, & defenditur. n. 74. & 75.

§. Vltimvs.

Explicatur quarta conditio, & satisfactioni Christi applicatur. *Pag.* 184.

Quartum argumentum sumitur, ex eo quod satisfactio ex rigore iustitiæ, petit esse ex bonis proprijs satisfacientis; Christi autem operationes, nõ erãt bona propria ipsius, cum essent sub perfectissimo dominio Dei creditoris. Num. 76.

Alijs terminis idem argumentũ proponitur; nam satisfactio ex rigore iustitiæ, petit esse ad alterum iure, & dominio; satisfactio autem Christi huius cõditionis nõ fuit; erat enim sub perfectissimo dominio Dei. Ibidem.

Respõdet Magister Vincentius operationes Christi, vt in facto esse, subiectas fuisse supremo dominio Dei; secus autem prout in fieri. Num. 77.

Impugnatur hæc doctrina. à num. 78. vsq; ad 81.

Aliorũ solutio est operationes Christi, quoad substantiam terminasse Dei causalitatem, fuisseq; Dei dominio subiectas; secus autem quoad valorem. Num. 82.

Reijcitur hæc solutio. à num. 83. vsq; ad 85.

Tertio respondet Granadus, sufficere ad rigorem iustitiæ, quod qui satisfacit, habeat dominium satisfactionis, tam perfectum, quam ipse creditor habet: & ita in Christo accidisse. Num. 86.

Impugnatur hæc doctrina. Num. 87. & 88.

Traditur vera solutio, & prædictæ cõditionis explicatio, nempè, ad rigorem iustitiæ, sufficere, quod sit ex proprijs satisfacientis positiuè, quãdo fit, & antecedenter negatiuè absolutè, & cõcomitãter priuatiuè, nõ absolutè, sed aliquo modo speciali, quæ omnia in satisfactione Christi saluantur. Num. 89. & 90.

Obiectionibus cõtra illam occurritur. à num. 91. vsq; ad 103.

Dispvtatio Sexta.

An Christi satisfactio fuerit ex virtute iustitiæ? *Pag.* 196.

Index Disputationum.

§. Primvs.

Referuntur sententiæ, & statuitur prima conclusio. *Ibidem.*

Plures Theologi cõcedétes satisfactioni Christi totum vigorem iustitiæ, negat illi, quod fuerit virtutis iustitiæ actus. Num. 1.

Supponitur primo, nõ omnes actus, quib⁹ Christ⁹ satisfecit fuisse elicitos à virtute iustitiæ. N 2.

Secũdo supponitur; actus satisfactorios Christi, nõ solum à virtute iustitiæ specialis, sed etiam ab alijs virtutibus fuisse imperatos, seu potuisse imperari. Num. 3.

Punctus difficultatis aperitur, cõsistens in eo, an, scilicet, detur in Christo virtus iustitiæ specialis, mediãte qua eliciatur propositum satisfaciendi Deo pro peccatis hominum ex motiuo speciali? Num. 4

Prima sentẽtia negat, huiusmodi virtutem residere in anima Christi Domini. Num. 5.

Secunda sentẽtia docet, dari in Christo virtutem specialem iustitiæ, per quam actus aliarum virtutũ in quantum satisfactorij sunt, regulãtur, imperãturque ex fine satisfaciẽdi: in cuius sententiæ defensione variãt Theologi, in explicãdo ad quam speciem virtutis pertineant. Numero 6.

Statuitur prima conclusio, qua asserimus, constituendã esse in Christo aliquam virtutem specialem ad satisfaciendum Deo. Num. 7.

Prædicta cõclusio probatur. à n. 7. vsq; ad 12.

§. Secvndvs.

Occurritur argumentis in contra. *Pag.* 201.

Primum argumentum sumitur, ex eo quod Christus satisfecit pro offensa irrogata Deo per actus omnium virtutum. Num. 13.

Huic argumento fit satis. Ibi, & num. 14.

Secũdum sumitur, ex eo quod ratio iniuriæ reperta in peccato, non pertinet ad vitium speciale. Num 15. *Vbi huic argumento fit satis.*

Vltimũ argumẽtum sumitur, ex eo quod in iustis ad promerendam gloriam de cõdigno, nõ detur aliqua specialis virtus, à qua actus meritorij imperẽtur. Num. 16.

Adducitur triplex huius argumẽtis solutio. n. 17.

Prædictæ solutiones impugnãtur. à num. 18. vsq; ad 22.

Traditur vera solutio, cõcesso antecedenti, negãdo cõsequentiam; veraque ratio discriminis assignatur. Num. 23.

Defenditur prædicta solutio. Num. 24. & 25.

Assignatur alia discriminis ratio inter merita iustorũ, & act⁹ satisfactorios Christi, quo ad hoc, quod est virtutem specialem supponere. N. 26.

Impugnatur, et defenditur. à num. 27. vsq; ad 34.

§. Tertivs.

Statuitur secunda conclusio. *Pag.* 209.

Virtus ista, à qua elicitur in Christo intentio formalis satisfaciendi, & per quam regulãtur actus aliarum virtutũ, in quãtum satisfactorij, est virtus iustitiæ cõmutatiuæ. N. 35.

Conclusio ista multipliciter probatur. à num. 35. vsque ad 43.

Virtutem istam, non posse esse iustitiam distributiuam, nec iustitiam legalem, nec iustitiam vindicatiuam, probatur. Num. 44. 45. & 46.

Nõ fuisse virtutem religionis, illam, quæ regulauit in Christo actus aliarum virtutum, quatenus satisfactorios, cõtra Vincẽtium probatur. Num 48 & 49.

Occurritur argumentis Vincẽtij, quibus intendit probare fuisse in specie religionis. Num. 50.

Excluditur aliorum solutio recurrentium ad specialissimam quandam virtutem innominatã, & incognitam. Num. 51.

§. Qvartvs.

Argumentis contra conclusionem occurritur. *Pag.* 215.

Primum argumentum sumitur, ex eo quod si daretur in Christo virtus iustitiæ ad satisfaciendum pro nobis, sequeretur, satisfeciſſe, nõ vt inferiorem Patri, sed vt illi æqualẽ. N. 52.

Respõdetur huic argumento; Christum satisfeciſſe dignificatiuè, vt æqualem Patri; quia dignificauit satisfactionem vt Deus; elicitiuè autem satisfeciſſe, vt inferiorem Patri; quia elicuit satisfactionem, vt homo. Num. 53.

Secundum argumentum sumitur, ex eo quod est de ratione iustitiæ cõmutatiuæ, posse prodire in actum, cui tribuat cõdignitatem ad præmium si fuerit meritorius, & æqualitatem cum offensa, si satisfactorius fuerit; nulla autem virtus potuit hoc præstare satisfactioni Christi. N. 54.

Respondetur; quod licet sit de ratione iustitiæ respicere æqualitatem; nõ tamen est de ratione illius, quod ipsa æqualitatem præstet. Num. 55.

Impugnatur, & defenditur prædicta solutio. à numero 56. vsque ad 60.

Tertium argumentum sumitur, ex eo quod vt virtus satisfactiua Christi esset iustitia cõmutatiua, specificari deberet ab operibus Christi satisfactorijs, prout æqualibus offensæ; hoc autẽ est impossibile; aliàs esset virtus Theologica. 61.

Occurritur huic argumento, & defenditur solutio. à num. 62. vsque ad 64.

Quartum argumentum sumitur, ex eo quod iuxta Aristotelem 5. Ethic. cap. 5. & 6. filij ad patrem non est iustitia simpliciter; quia filius est aliquid patris: Christus autem multo

Index Disputationum.

magis est aliquid Dei. Num. 65.

Respõdetur, Christum vt hominem esse magis aliquid Dei, quam Filius increatis aliquid Patris, quoad physicam identitatem, nõ autẽ quod rationem iuris, & domini. Num. 66.

Quintum argumentum sumitur, ex eo quod obiectum iustitiæ cõmutatiuæ est æqualitas Arithmetica, inter acceptum & datum, ablatum, & restitutum, iniuriam, & satisfactionem; Christi autem satisfactio nõ fuit, æqualis Arithmeticè offensæ, sed illam excedens in morali æstimatione. Num. 67.

Refertur, & impugnatur duplex euasio. à num. 68. vsq; ad 72.

Respõdetur argumento facto; primo obiectum iustitiæ commutatiuæ, prout cõtractæ ad materiam satisfactionis, esse æqualitatem Arithmeticam actus satisfactorij cum offensa, negatiuè per defectum, nõ autem negatiuè per excessum. Num. 73.

Impugnatur, & defenditur prædicta solutio, & explicatur dupliciter, quomodo possit satisfaciens obligari ad præstandam satisfactionem excedentem grauitatem offensæ. à num. 74. vsque ad 78.

Secũdo ad quintum argumentum respõdetur; obiectum iustitiæ commutatiuæ esse æqualitatem Arithmeticam, formaliter, aut æquiualenter talem; licet autem satisfactio Christi Domini nõ fuerit formaliter æqualis, sed excedens; fuit tamen æquiualenter æqualis Arithmeticæ offensæ. Num. 79.

Sextum argumentum sumitur, ex eo quod ad rationem iustitiæ commutatiuæ est necessarium in subiecto satisfaciente debitum strictum operandi ex iustitia, quod debitum in Christo non datur. Num. 80.

Respõdet Suarez, negãdo ad iustitiam commutatiuam tale debitum operãdi requiri. Num. 81.

Quæ doctrina iuuatur, & probatur. Num. 82.

Illius tamen solutio, vt contrariæ Angelico Præceptori reijcitur. Num. 83.

Fundamẽtis, quibus iuuatur occurritur. à num. 84. vsq; ad 87.

Quomodo autem cum debito operãdi, præsupposito essentialiter à virtute iustitiæ componi possit libertas in voluntate Christi, illius impeccabilitate supposita, quæ difficultas tangitur. Num. 88.

Remittitur decidendum ad tractatum de merito Christi, & instatur in actu obedientiæ, de cuius essẽtia est præsupponere præceptũ. N. 89. & 90.

Aliorum solutio refertur, asserentiũ, debitum strictum operãdi solũ esse de ratione iustitiæ inter homines. Num 91.

Prædicta solutio reijcitur. Num. 92.

Traditur vera argumenti solutio, quæ asserimus, quod licet Christus absolutè, non habuerit debitũ satisfaciendi, id tamen habuit supposito, quod fuit factus hominũ fideiussor. Num. 93.

Prædicta solutio impugnatur, & defenditur. à num 94. vsq; ad. 100.

§. Qvintvs.

Occasione vltimi argumenti explicatur, an in quolibet peccato mortali inueniatur ratio specialis iniustitiæ contra Deum? *Pag.* 234.

VLtimũ argumentũ sumitur, ex eo quod si homines essent capaces præstandi satisfactionem æqualem, nõ obligarentur ad illã præstãdam ex perfecta, & speciali iustitia. Num. 101. 102. & 103.

Refertur prima solutio, distinguentium inter peccata, quæ sunt cõtra iustitiam specialem Dei, & alia, quibus specialis Dei iustitia nõ violatur. Num. 104.

Prædicta solutio reijcitur. Num. 105. & 106.

Aliorum solutio refertur, asserentium, per omne peccatũ violari ius strictæ iustitiæ Dei in supremo dominio fundatum. Num. 107.

Prædicta solutio triplici argumẽto reijcitur. 108.

Tertio alij respõdent; omne peccatũ esse iniustitiã, vel ex eo quod cõtrariatur iustitiæ diuinæ, vel per oppositionem cũ iustitia legali. Num. 109.

Prima pars doctrinæ huius solutionis impugnatur. Num. 110. & 111.

Secũda pars eiusdem doctrinæ reijcitur. Num. 112. & 113.

Traditur vera solutio, negãdo antecedens, quod, nempè, si homines essent capaces æqualis satisfactionis pro culpa ab ipsis cõmissa, nõ obligarentur ad illã ex iustitia stricta, & speciali: negamus etiã prædictam obligationem solũ posse oriri ex violatione iustitiæ. Num. 114.

§. Sextvs.

Vltima differentia virtutis satisfactiuæ Christi explicatur. *Pag.* 241.

TErtia conclusio. Virtus iustitiæ, ex qua Christus satisfecit, est diuersæ speciei ab omni virtute, quæ in puro homine reperitur. N. 115.

Dicta conclusio probatur cõtra Patrem Suarez, docẽtẽ, esse eiusdẽ speciei cũ virtute pœnitẽtiæ, ex qua purus homo satisfacit. à num. 115. vsque ad 120.

Suadetur eadem cõclusio, probando cõtra quosdam Recentiores; virtutem satisfactiuã Christi, nõ esse eiusdem rationis cũ iustitia nobis infusa. à num. 121. vsq; ad 124.

Deniq; eadẽ cõclusio probatur, eo quod ratio sub

qua *obiecti virtutis satisfactiuæ Christi est distincta à ratione formali sub* qua *obiecti cuiuscumque virtutis in puro homine residentis.* à num. 125. vsq; ad 130.

§. Septimvs.

Quatuor argumẽtis occurritur, & explicatur, an religio existẽs in Christo specificè, cũ religione in nobis existente cõueniat. *Pag.* 246

Primũ argumentũ nititur, in eo quod virtutes cõueniũt Christo ratione gratiæ habitualis, quæ eiusdem rationis est, cũ illa, quæ in nobis residet; ex quo sequitur, virtutes cõsequentes ad gratiam eiusdem rationis esse in Christo, & in puris hominibus. Num. 131.

Respondetur, negãdo consequentiã; nam gratia invariata manens, potest aliquã virtutem radicare in vno subiecto, quã nõ radicet in alio; sicut in viatoribus radicat fidem, & spem, quas in beatis non radicat. Num. 132.

Nec sequitur, gratiã habitualem ex defectu istius virtutis, esse in hominibus iustis, in statu incõnaturali; vt in exẽplo adducto cõspicitur. Ibid.

Secũdũ argumentũ contendit, virtutem satisfactiuam Christi esse eiusdem speciei cũ virtute pœnitentiæ, eo quod obiectũ prædictæ virtutis est ius diuinũ, vt illæsum cõseruandũ, & læsũ reparãdũ, quod etiam est obiectũ virtutis pœnitentiæ. Num. 133.

Respondetur, prætermisso, quod obiectũ pœnitentiæ sit ius diuinũ; in prædicta communitate, nõ sequi, esse eiusdem speciei cũ virtute satisfactiua Christi; nã hæc respicit prædictũ ius, vt læsum reparandũ ad æqualitatem; secus autem virtus pœnitentiæ. Num. 134.

Obiectionibus contra prædictam solutionem occurritur. à num. 135. vsq; ad 139. *Vbi etiam explicatur, à qua virtute procedat satisfactio puri hominis pro peccato veniali.*

Tertiũ argumentũ contendit, virtutem satisfactiuam Christi esse eiusdem rationis cũ iustitia stricta infusa nobis, in ordine ad Deum, eo quod prædictæ virtutes coincidãt in obiecto formali. Num. 140.

Refertur quorũdam solutio, asserentiũ, nõ dari in puris hominibus virtutem strictæ iustitiæ, penès ordinem ad Deum. Num. 141.

Prædicta solutio impugnatur, & indecisa relinquitur. Num. 142.

Prædicti argumẽti traditur verior solutio. Num. 143. & 144.

Quartũ argumentũ sumitur ab inconvenienti, quod sequitur ex modo defensionis nostræ sententiæ, nempè, religionem Christi, & nostram, esse distinctas speciei. Num. 145.

Refertur quædam solutio, concedens argumenti sequelam, & disparitatem statuens inter religionem, & alias Christi virtutes, quæ sunt eiusdem rationis in Christo, & in puris hominibus. Num. 146.

Prædicta solutio reijcitur probando, religionem Christi, & nostram eiusdem esse speciei. Num. 147. 148 & 149.

Traditur vera solutio, negando argumenti sequelam; eo quod obiectũ virtutis religionis Christi, est omnino eiusdem rationis cũ obiecto specificante religionem, in nobis residente. N. 150.

§. Vltimvs.

Cætera argumenta diluuntur, & explicatur, an eadem specie virtute obediamus Deo, & hominibus? *Pag.* 255.

Quintũ argumentũ contendit probare, obiectum iustitiæ commutatiuæ inter homines, & virtutis satisfactiuæ Christi esse formaliter idem; & consequenter prædictas virtutes esse eiusdem speciei. N. 152. & 153.

Respõdetur, negando assumptum, eo quod obiectũ iustitiæ cõmutatiuæ inter homines, est æquale reale debitum homini; obiectũ autem virtutis satisfactiuæ Christi est æqualis satisfactio debita Deo, inter quas æqualitates, & debita, nõ est cõuenientia obiectiua specifica. à num. 154. vsque ad 157.

Obiectionibus contra prædictam solutionem occurritur. à num. 158. vsque ad 161.

Vltimum argumentũ contendit probare, inter debitũ homini, & debitum Deo, nõ esse distinctionem formalem obiectiuam, eo quod vtrumque cõprehenditur sub vna virtute obedientiæ: & assumptũ probatur testimonio D. Thom. Num. 162. & 163.

Effugium autem, quo poterat verbis D. Thom. occurri, asserendo, loqui Angelicum Doctorem de vnitate specifica subalterna virtutis obedientiæ, reijcitur. Num. 164.

Refertur secunda solutio, & D. Thom. explicatio, & reijcitur. à num. 165. vsq; ad 171.

Distinctio Caietani, qua mentem D. Thomæ intellexit refertur. Num. 172.

Prædicta distinctio, & doctrina Caietani impugnatur. à num. 173. vsque ad 176.

Traditur vera solutio, qua asserimus, cum debitum humanum, & debitum diuinum, habent fundamentum eiusdem rationis, non distingui obiectiuè formaliter, & hoc respectu virtutis obedientiæ cõtingere; secus autem cum prædicta debita habent fundamenta diuersæ rationis, & hoc in nostro casu accidere probatur. Num. 177.

Index Disputationum.

Colligitur obiter, in obedientiam specialem, quæ consistit in nõ exequendo rem præceptam, quia à superiore præcipitur, esse eiusdem speciei in ordine ad Deũ, & ad superiores creatos. N. 178.

Obiectio contra hanc doctrinam proponitur, & diluitur. Num. 179. & 180.

Quia tamen ex irreuerentia ad personam, & ex contemptu dignitatis illius, regulariter, eius præceptum contemnitur, fit, vt regulariter loquendo, in obedientia formalis ad Deum, nascatur ex irreuerentia Dei, quæ est peccatum specie distinctum, ab irreuerentia hominis. Ibidem.

DISPVTATIO SEPTIMA.

An Deus satisfactionem Christi acceptauerit ex iustitia stricta, & speciali? Pag. 267.

§. PRIMVS.

Referuntur sententię, & statuitur prima conclusio. Ibidem.

DEum satisfactionem Christi acceptasse ex virtute, quæ aliquo modo iustitia sit, à nullo Theologorum negatur. Num. 1.

Punctus difficultatis est, an hæc virtus, ex qua Deus satisfactionem Christi acceptauit, sit stricta iustitia, & ad quam ex speciebus strictæ iustitiæ pertinear? Num. 2.

Prima sententia negat, strictam iustitiam fuisse, cuius Authores diuidũtur in explicando virtutem, ex qua Deus Christi satisfactionem acceptauit. Ibidem.

Refertur secunda sententia affirmans, prædictam virtutem contineri sub iustitia stricta, & perfecta: cuius Authores etiam inter se diuidũtur in explicando ad quam speciem perfectæ iustitiæ pertineat. Num. 3.

Statuitur prima conclusio, qua asserimus; Deum acceptasse satisfactionẽ Christi ex iustitia stricta, & speciali, illamque esse de mente D. Thom. probatur. Num. 4.

Eadem cõclusio authoritate Scripturæ suadetur, & contrariorũ solutio impugnatur. à num. 5. vsque ad 7.

Tertio principaliter suadetur, eo quod pactum sub conditione operis onerosi, & cõdigni inducit in promittente obligationem strictæ iustitiæ adimplendæ cõditione, quæ in satisfactione Christi intercessisse, videtur negari nõ posse. Num. 8.

Adducitur, & impugnatur aduersariorũ solutio. à num. 9. vsque ad 13.

Denique suadetur conclusio, ex eo quod in acceptãdo satisfactionem Christi ex iustitia stricta, & speciali, nulla imperfectio Deo repugnans importatur. Num. 14.

Imperfectio, quam contrarij Authores in prædicta acceptatione reperiunt, refertur, & impugnatur. à num. 15. vsque ad 18.

§. SECVNDVS.

Argumẽtis in contrariũ occurritur. Pag. 274.

CONtra cõclusionẽ arguitur primo ex Arist. 5. Ethic. c. 6. asserente, inter seruũ, & Dñm, non posse esse strictam iustitiam; Christus autem in quantum homo seruus est Dei Num. 19.

Respõdetur, veram esse maiorem, loquendo de Domino, & seruo creatis; secus autem loquẽdo de seruo seruitute diuina, & ratio discriminis ex D. Thoma assignatur. Num. 20.

Secundo arguitur, ex eo quod Deus obligari non potuit obligatione strictæ iustitiæ, per satisfactionem Christi ad illius acceptationem, quod necessarium erat, vt illam ex iustitia speciali acceptaret. Num. 21. 22. & 23.

Huic argumento occurritur, negando assumptum illius, quod, nempè, Deus nõ posset per satisfactione Christi ex stricta iustitia obligari, & diluuntur tres assumpti probationes. Num. 24. 25. & 26.

Ad quartã probationem, sunt qui respõdeãt, quod licet Deus fuerit ex iustitia stricta obligatus ad acceptandã satisfactionem Christi, posset nihilominus, illam absq; iniuria Christi non acceptare: quæ solutio reijcitur. Num. 27.

Vera solutio traditur explicando essentiã, & diffinitionem dominij. Num. 28.

Ad primã confirmationem refertur Recentiorum solutio, asserentiũ, si Deus, vt potest extinguat ius Christi supra illius satisfactionem fundatũ, posse illius satisfactionem irremuneratã relinquere; secus autem prædicti iuris conseruatione suppositu. Num. 29.

Hæc doctrina impugnatur, & indecisa relinquitur. Num. 30. & 31.

Traditur vera primæ confirmationis solutio, asserendo, ex supremo Dei dominio solum inferri, posse Deum absque iniuria Christi, ius in illius satisfactione fundatũ extinguere, potentia antecedenti; secus autẽ potentia cõsequenti. n. 32.

Secundæ confirmationi occurritur, explicando ex D. Th. qualitatem debiti legalis ab ipso exacti ad operandũ ex iustitia speciali, & defenditur explicatio. Num. 33. 34. & 35.

Vltimũ argumentũ contendit, Deum non solũ nõ posse ex iustitia stricta ad aliquid faciendũ absolutè obligari, sed etiam nõ posse obligari ex suppositione ipsi libera, quod tripliciter probatur. Num. 36. & 37.

Occurritur argumento, negãdo assumptũ, & illius probationes diluuntur. à num. 38. vsque ad 43.

Index Disputationum.

§. Tertivs.

Deum ex iustitia cõmutatiua satisfactionem Christi acceptasse, probatur auctoritate, & ratione. *Pag.* 285.

Secunda cõclusio. Deus acceptauit satisfactionem Christi ex virtute iustitiæ cõmutatiuæ. Quæ conclusio ex D. Thoma probatur. à num. 44. vsque ad 47.

Secundo probatur ex eodem D. Thoma. Num. 48. 49. & 50.

Vltima cõclusionis probatio, sumitur, ex eo quod in Deo reperitur iustitia cõmutatiua; & consequenter ex illa satisfactionem Christi acceptauit, & probatur assumptum ex doctrina Diui Thom. Num. 51.

Deinde probatur ratione, sumpta, ex eo quod de conceptu formali iustitiæ cõmutatiuæ, nulla est imperfectio, quod latè ostenditur. à num. 52. vsque ad 58.

§. Vltimvs.

Argumentis in cõtrariũ occurritur. *Pag.* 291.

Primum argumentũ sumitur ex D. Thom. cõcedente in Deo iustitiam distributiuã, & cõmutatiuã negãte, quã doctrinã, nõ posse in nostra sententia explicari multipliciter suadetur. à num. 59. vsque ad 62.

Respondetur argumento, dupliciter explicando D. Thom. & vtraque explicatio defenditur. à num. 63. vsque ad 77.

Secundũ argumentum sumitur, ex eo quod obiectum formale iustitiæ cõmutatiuæ, est æqualitas arithmetica dati, & accepti, quæ æqualitas inter Deum, & creaturam intercedere non potest. Num. 78.

Respondetur, distinguendo duplicem dati, & accepti vsurpationem, quarum vnã Deo non repugnare, probatur; & ad rationem iustitiæ sufficere, ostenditur, explicaturq; D. Thom. Num. 79. 80. & 81.

Tertium argumentum sumitur, ex eo quod iustum cõmutativũ est idem, quod contrapassum, Deo autem contrapassum repugnat. Num. 82.

Respondetur, ex doctrina D. Thom. constare, quod non repugnat Deo contrapassum requisitum ad iustum commutativum. Num. 82. 83. & 84.

Disputatio Octava.

An Verbum carnem assumeret in vi præsentis decreti, Adamo non peccante? *Pag.* 301.

§. Primvs.

Relatis sententijs, vera eligitur, & auctoritate probatur. *Ibidem.*

Potuisse Deũ carnẽ assumere, & in illa venire, non peccante Adamo, vt omnino certum supponitur. Num. 1.

Ad asserendum Verbum, Adamo non peccante, carnem assumpturum, in vi alterius decreti, in prædicta suppositione in diuina mente extituri, nullum adest fundamentum. Num. 2.

Diuinatio quorũdam Recentiorum, oppositũ asserentium reijcitur. à num. 3. vsq; ad 7.

Disputationis sensus exponitur. Num. 8.

Prima sententia docens, Verbum in vi præsentis decreti venturum, Adamo non peccante, refertur cum suis Authoribus. Num. 9.

Secũda sententia docens, Verbũ incarnandũ non fore, Adamo nõ peccãte, à D. Thom. defenditur, estque apud Theologos frequentior. Num. 10.

Prædicta sententia pro nostra conclusione statuitur, et authoritate Patrum probatur. Num. 11.

Communis istius argumenti solutio, & Patrum explicatio refertur, nẽpè, loqui de aduẽtu Christi in carne mortali, proximeq; passibili; nõ autem negare, in prædicta hypothesi, aduentum Christi absolutè. Num. 12.

Prædicta explicatio reijcitur. à n. 13. vsq; ad 16.

Quatuor aliæ expositiones verborũ Sanctorũ Patrũ referũtur, & reijciũtur. à n. 17. vsq; ad 33.

§. Secvndvs.

Ratio D. Thom. pro nostra sententia expenditur, & reijcitur Scoti solutio. *Pag.* 310.

Probatur nostra sententia, ex eo quod motiuũ decreti Incarnationis, & istius decreti existẽtia, nõ potest nobis innotescere, nisi ex testimonijs Scripturæ; ex his autem non habetur decretũ de Incarnatione cum peccato non connexum. Num. 34.

Respondet Scotus testimonia Scripturæ, explicando de Incarnatione Verbi, nõ quoad substantiã, sed quoad circũstãtiã proximæ passibilitatis. Num. 35.

Prædicta solutio excluditur, & fusè reijcitur. à num. 36. vsque ad 54.

§. Tertivs.

Examinatur sententia Patris Suarez, & aliorũ Recentiorũ euasiones reijciũtur. *P.* 318.

Secũdo respõdet Suarez, duplex distinguendo, decretũ intentiuũ, scilicet, & executiuũ, & testimonia Scripturæ de hoc secũdo decreto explicando. Num. 55.

Prædicta explicatio reijcitur. à n. 56. vsq; ad 70.

Refertur secũda solutio cuiusdã Recentioris, asserentis, etiam primum Incarnationis decretum habuisse pro motiuo remedium peccati, non vt existentis, sed vt imminentis, ideoque ex vi talis decreti futuram Incarnationem, nullo existente peccato. Num. 71.

Prædicta solutio reijcitur. Num. 72. & 73.

Vltima solutio refertur quorumdam, asserentium

exprimi in testimonio Scripturæ pro motiuo remedium peccati, non tamen excludi alia sufficientia motiua. Num. 74.

Reijcitur prædicta solutio. Num. 75. & 76.

§. Qvartvs.

Occurritur quatuor argumētis cōtrariæ sententiæ, & mens Augustini explicatur. *P.* 325.

Primum argumentum sumitur ex Augustino lib. 1. de nuptijs, & concupiscentia cap. 21. Num. 77. 78. & 79.

Explicatur mens Augustini. Num 80. 81. & 82.

Secundum argumentum desumitur ex Bernardo in serm. 1. aduentus. Num. 83. *& illius mens explicatur.* Num. 84.

Tertium argumentum sumitur ex eo quod mysterium Incarnationis fuit primo homini reuelatum in statu innocentiæ, cui tamen in prædicto statu futuritio peccati reuelata nō fuit. Num. 85.

Respondetur ex D. Thom. nihil prohibere alicui reuelari effectum, cui non reueletur adæquata causa illius. Num. 86.

Prædicta solutio impugnatur, & defenditur. N. 87. vsque ad 95.

Quartum argumentum sumitur ex quinque incō uenientibus ex nostra sententia deductis. à num. 96. vsque ad 100.

Respondetur, nullum ex illis inconvenientibus ex nostra sententia sequi. à n. 101. vsq; ad 105.

§. Qvintvs.

Proponitur vltimum argumentum, & exponitur prima, & frequentior solutio. *Pag.* 332.

Vltimum argumentum sumitur, ex eo quod prædestinatio Christi fuit prior decreto producendi creaturas; & consequenter præcessit decretum permittendi peccatum, à num. 106. vsque ad 109.

Refertur prima solutio, illaque Thomistis frequētior negantibus prioritatem prædestinationis Christi ad decretum producendi creaturas, & permittendi peccatum, quæ solutio, vt probabilis defenditur. à num. 110. vsq; ad 114. *vbi ordo decretorum Dei iuxta hanc sententiam explicatur.*

§. Sextvs.

Occasione vltimi argumenti statuitur secūda conclusio, & explicatur ordo de facto inter diuina decreta seruatus. *Pag.* 336.

Secunda cōclusio ordine intentionis prius fuit volitus Christus, quoad substantiam Incarnationis, & etiam quoad circumstantias in genere causæ finalis; posterius tamen in genere causæ materialis. Num. 115.

Præcedentia prædestinationis Christi in genere causæ finalis ad omnes res vniuersi, probatur. à num. 116. vsque ad. 126.

Incarnationem Christi quoad circumstantiam proximæ passibilitatis fuisse ordine intentionis priorem, quam res ordinis vniuersi, & quam permissio peccati, probatur. Num. 127.

Eadem prioritas Christi, non solum vt Redemptoris, sed etiam vt actualiter redimentis, probatur. à num. 128. vsque ad 130.

Posterioritas Christi ad res ordinis vniuersi, & ad permissionem peccati in genere causæ materialis, probatur. Num. 131 & 132.

Ex dictis probando conclusionem occurritur vltimo argumento triplici solutione. Num. 133. 134. & 135.

§. Septimvs.

Tribus obiectionibus contra conclusionem occurritur. *Pag.* 342.

Tertium argumentum contendit, data prioritate Incarnationis in genere causæ finalis ad permissionem peccati, non posse probari simultatem consequentiæ cum illa. Num. 136.

Respondetur, negando assumptum, cuius falsitas instantijs probatur. Num. 137.

Secundum argumentum sumitur ex D. Thom. in hac tertia pate quæst. 1. art. 3. ad 4. argumentū, vbi videtur cōclusioni tertiæ aduersarij. Num. 138. & 139.

Testimoniū D. Thom. nostræ sententiæ fauere probatur. Num. 140.

Argumento respondetur, & defenditur solutio. à num. 143. vsque ad 148.

Secundo eidem argumento occurritur, & defenditur solutio. à num. 149. vsque ad 155.

Obiectioni cuidam domesticæ occurritur contendenti, absurdum esse admittere voluntatem in Deo terminatam ad Christum, vt Redemptorē, virtualiter cum peccato connexam. à num. 156. vsque ad 160.

§. Octavvs.

Vltimum argumentum contrariæ sententiæ proponitur. *Pag.* 350.

Vltimum argumentum contendit, Christum vt de facto volitum non esse finem permissionis peccati; eo quod fuit volitus propter remedium peccati. Num. 161.

Triplex solutio refertur. Numero 162. 163. & 164.

Prima solutio reijcitur, probando, eumdem esse finem decreti intentiui, & decreti executiui. à num. 165. vsque ad 169.

Contra quam doctrinam arguitur à paritate motiui, quod potest esse diuersum respectu decreti executiui, & decreti intentiui. N. 170. & 171.

Index Disputationum.

Respondetur negando paritatem rationis, & discrimen constituitur. à num. 172. vsq; ad 175.
Secunda, & tertia solutio impugnantur. à num. 176. vsque ad 182.

§. NONVS.

Traditur, & defenditur vera solutio. *Pag.* 355.
Remittuntur duo, ex quibus vera solutio deducitur. Num. 183. & 184.
Contra solutionem multipliciter arguitur. Num. 185 & 186.
Occurritur obiectionibus à n. 187. vsq; ad 221.

§. DECIMVS.

Corollaria præcedentis doctrinæ, & vna difficultas resoluitur. *Pag.* 366.
Colligitur primo, verba Patrum asserentium, nullam causam fuisse veniendi Christū, nisi peccatores saluos facere, solū excludere causam aduentus Christi, non conexā cū remedio peccati. Num. 222.
Secundo infertur, primum decretū incarnationis fuisse amorē Dei erga homines. N. 223. & 224.
Tertio infertur, primū illud decretū fuisse actum liberalitatis, & misericordiæ diuinæ. Num. 225. & 226.
Contra quam doctrinam arguitur. Num. 227. *& respondetur.* Num. 228.
Denique infertur, qualis ordo fuerit de facto inter diuina decreta seruatus. Num. 229. & 230.
Inquiritur, an, non existente peccato originali, veniret Christus, in vi præsentis decreti, in carne mortali, & passibili propter sola mortalia actualia. Num. 231.
Respondetur negatiue, probaturque ex D. Thoma à num. 232. vsque ad 236.
Contra conclusionem arguitur à Patre Granado. N. 237. *illiusque argumentū soluitur.* N. 238.

§. VNDECIMVS.

Alia difficultas resoluitur. *Pag.* 370.
Secunda difficultas inquirit, an existente solo peccato originali, Christus Redemptor veniret in vi præsentis decreti. Num. 239.
Respondetur negatiuè, & resolutio probatur. à n. 241. vsque ad 256.
Argumentis contra nostram sententiam occurritur. à n. 257. vsque ad 273.

§. VLTIMVS.

Resoluitur tertia difficultas, & obiectio emergens diluitur. *Pag.* 380.
Supponitur primo, nec vi præsentis, nec vi alterius decreti, venturum Christum propter sola venialia peccata. Num. 274.
Secundo supponitur, non venturum Christum, vt Redemptorem, vi alteri⁹ decreti vno, vel alio homine mortaliter delinquente. Num. 275.
Affirmant plures, Christū vi alterius decreti venturum vt Redemptorem ob solam culpam originalem. Num. 276.
Alij docent, casu, in quo non existente culpa originali, plura essent peccata mortalia, & in pluribus hominibus, venturum Christum Redemptorem, vi alterius decreti in prædicto casu exituri. Num. 278.
Contra vtramque sententiam asserimus, non posse iudicium prudenter in alterutram partem determinari, nec positiuè affirmando, nec positiuè negando, & probatur. à num. 279. vsque ad 286.
Contra dicta in tota disputatione obijcitur, sequi ex illis, non fuisse Beatissimam Virginem a cōtractione culpæ originalis præseruatam. Numero 287.
Respondetur, id ex nostra sententia, non sequi, neque ex ordine decretorum à nobis in Deo statuto. à num. 289. vsque ad 300.

TRACTATVS SECVNDVS.
De modo vnionis Verbi Incarnati.

DISPVTATIO NONA.

Vtrum vnio humanitatis ad Verbū facta fuerit in persona, vel in natura? *Pag.* 392.

§. PRIMVS.

Referuntur sententiæ, & statuitur prima conclusio. *Ibidem.*
Error Nestorij, & aliorum refertur. Num. 1.
Aliorum error negantium, vnionem animæ ad corpus in humanitate assumptæ, refertur. Num. 2.
Error asserentium, vnionem humanitatis ad Verbum in natura factam esse, refertur. N. 3.
Prima conclusio. Vnio Verbi ad humanitatem facta est in natura. N. 4.
Prædicta conclusio probatur auctoritate, & ratione. à num. 5. vsque ad 12.

§. SECVNDVS.

Hæreticorum argumentis occurritur. *Pag.* 395.
Argumenta hæreticorū proponuntur, & soluuntur. à n. 13. vsque ad 23.
Specialis obiectio proponitur, & diluitur. à numero 24. vsque ad 26.

§. TERTIVS.

Sextum argumentum diluitur. *Pag.* 398.
Sextum argumentum contendit, ex vnione facta in natura, non sequi inconueniens à Diuo Thoma deductum, nempè, fore plures Christos. Num. 27.
Argumento respondetur, & sensus D. Thomæ explicatur. à n. 28. vsque ad 36.

Index Disputationum.

§. Qvartvs.

Vltimum argumentum proponitur, & examinantur varij modi dicendi. Pag. 402.

Vltimum argumentum procedit contra rationem D. Thomæ, qua probat, ex eo quod natura diuina sit omnino immutabilis, nō potuisse humanitatē in diuinitatem conuerti: & cōtendit ex tali conuersione, nō sequi mutationem in Deo: nā corpus Christi sine sui intrinseca mutatione terminat cōuersionem panis in ipsum. Num. 37. & 38.

Referuntur quatuor modi dicendi, & impugnantur, relicta difficultate indecisa, & ad propriū locum remissa. à num. 39. vsque ad 55.

§. Qvintvs.

Vera resolutio traditur, & explicatur mēs Diui Thomæ. Pag. 407.

Respondetur argumento, D. Thomā loqui, non de conuersione totali, sed de conuersione formali, de cuius essentiali cōceptu est mutatio intrinseca termini. à n. 56. vsque ad 63.

Contra explicationem arguitur, eo quod Eutychetis error, quē D. Th. impugnat, fuit de cōuersione totali, quod probatur. à n. 64. vsq; ad 67.

Obiectioni respōdetur, negando assumptum, quod nempè error Eutychetis fuerit de cōuersione totali, cuius falsitas probatur. à n. 68. vsq; ad 78.

§. Sextvs.

Explicatur in quo facta sit vnio. Pag. 412.

Secunda conclusio. Vnio Verbi ad humanitatē facta est in persona. Num. 79.

Probatur prædicta conclusio auctoritate, & ratione. à n. 79. vsque ad 88.

§. Septimvs.

Argumentis in cōtrarium occurritur. P. 415.

Primum argumentū cōtendens probare, vnionem factam esse in natura, eo quod personalitas, & natura non distinguuntur, proponitur, & diluitur. N. 89. 90. & 91.

Proponitur, & diluitur argumentum Durandi. Num. 92. 93. & 94.

Vltimum argumentum procedens contra rationē D. Thomæ, proponitur, & diluitur. à n. 95. vsque ad 101.

§. Vltimvs.

Corollaria præcedentis doctrinæ. Pag. 418.

Infertur primo, vnionem Verbi ad humanitatem factā esse in hypostasi, vel supposito, & probatur argumentis D. Tho. N. 102. 103. & 104.

Specialis obiectio proponitur, & diluitur. Numero. 105. & 106.

Secundo colligitur, fuisse in Christo factam vnionē animæ, & corporis, & probatur, quia aliàs Christus non esset homo eiusdem rationis nobiscum. Num. 107. & 108.

Contra rationem istam arguitur, probando, vnionem solius animæ ad Verbum sufficere, vt Christus sit eiusdem naturæ, & speciei cum alijs hominibus. Num. 109.

Argumento respondetur. à n. 110. vsque ad 113.

Tertio colligitur, humanitatem vnitā fuisse Verbo, nec secundum essentiam, nec secundum accidens, vel accidentaliter, sed substantialiter, seu secundum hypostasim. Quæ doctrina quoad omnes partes probatur. N. 114. & 115.

Posse dici, humanitatem vnitam Verbo Dei accidentaliter prædicabiliter, docuit Durandus. Num. 116.

Contraria sententia est communis Theologorum, à Nobisque approbatur, & probatur. N. 117.

Argumento, quo Durandus fuit conuictus occurritur. Num. 118.

Denique infertur, quod licet humanitas sit instrumentum Verbi coniunctum, nō est dicendū, vnitam esse Verbo solum, vt instrumentum. Num. 119.

Disputatio Decima.

An Christus verè sit, & dicatur persona cōposita propria compositione? Pag. 423.

§. Primvs.

Relatis sententijs, vera eligitur, & probatur. *Ibidem.*

Christum aliqualiter esse compositū, nullus Theologorum negat; dissentiunt autem circa proprietatem compositionis; & prima sentētia illam negat. Num. 1.

Secunda, & frequentior sententia affirmat, personam Christi esse veré, & proprie compositam. Num. 2.

Hæc sententia est nostra prima conclusio, & probatur auctoritate, & ratione. Num. 3. 4. & 5.

Specialis obiectio proponitur, & diluitur. Num. 6. & 7.

Ex dictis colligitur, Christum absolutè dicendū esse compositum, & personam compositam. n. 8.

§. Secvndvs.

Argumētis in contrarium occurritur. P. 425.

Primum argumentū sumptū ex auctoritate D. Thomæ, proponitur, & diluitur. Num. 9. & 10.

Secundum argumentum contendens probare, cōpositionem Christi non esse realem, ac per consequens nec propriam, proponitur, & diluitur. à num. 11. vsque ad 14.

Tertium argumentū desumptum, ex eo quod propria compositio partes componētes petit, ratio autem partis prædicatis diuinis repugnat, proponitur, & diluitur. à num. 15. vsq; ad 21.

Index Disputationum.

Quartum argumentum desumptum, ex eo quod sequitur ex nostra sententia, concedendam esse istam propositionem: Verbum est persona composita, *proponitur, & diluitur.* à num. 22. vsque ad 25.

Quintum argumentū inferens aliud inconueniēs, nempè, esse concedendas duas personas realiter distinctas in Christo, proponitur, & diluitur. à num. 26. vsque ad 33.

Vltimum argumentum procedit contra modum, quo D. Tho. explicuit compositionem personæ Christi. Num. 34.

Huic argumento occurritur. Num. 35.

§. Tertivs.

Extrema compositionis personæ Christi explicantur *Pag.* 432.

Secunda conclusio. Persona Christi est composita ex Verbo, & humanitate, ex personalitate Verbi, & humanitate, & ex diuina, & humana natura. Quæ conclusio quoad omnes partes probatur. à num. 36. vsque ad 43.

§. Qvartvs.

Occurritur argumentis in contra. *Pag.* 434.

Argumenta contra primam partem conclusionis, proponuntur, & soluuntur. à n. 44. vsque ad 47.

Argumentis contra secundam partem occurritur. Num. 48. 49. & 50.

Primum argumentum contra vltimā partem nostræ conclusionis, proponitur, & diluitur. N. 51. & 52.

Secundum argumentū sumitur, ex eo quod sequitur ex nostra sententia, concedendam esse istam propositionem: Christus est duæ naturæ, & persona Christi est humanitas, & diuinitas. Num. 53.

Referātur varij modi dicendi circa prædictā propositionem, in quo sensu sit concedenda. à n. 54. vsque ad 57.

Omnes insufficientes probantur. à num. 58. vsq; ad 63.

Occurritur argumento, & explicatur, in quo sensu possit dicta propositio concedi, & à Patribꝰ concedatur. à n. 64. vsque ad 69.

§. Qvintvs.

Modus istius mirabilis compositionis exponitur. *Pag.* 441.

Tertia conclusio. Persona Christi non est composita compositione huius ex his, sed huius ad hoc, seu cum his. Num. 70.

Refertur, & reijcitur fundamentum Durandi pro conclusione proposita. Num. 71. 72. & 73.

Fundamentū Nazarij, pro eadem conclusione refertur, & impugnatur. à n. 74. vsq; ad 77.

Conclusio posita duplici ratione suadetur. Num. 78. 79. & 80.

§. Vltimvs.

Contraria argumenta diluuntur. *Pag.* 444.

Primum argumentū sumptū ex quinta Synodo generali proponitur, & diluitur. num. 81. & 82.

Cæteris argumētis occurritur. à n. 83. vsque ad 89.

Disputatio Vndecima.

An vnio humanitatis ad Verbum sit realitèr distincta ab extremis? Quid sit? Et quotuplex sit? *Pag.* 447.

§. Primvs.

Prima pars disputationis resoluitur. *Ibidem.*

Triplex acceptio vnionis refertur, primo pro actione vnitiua. Secundo pro nexu, quo realitèr nectuntur extrema. Tertio pro relatione prædicamentali ad vnionem extremorū sequuta. Num. 1.

Disputatio procedit de vnione secūdo modo accepta: Et prima sententia negat esse realitèr ab extremis distinctam. Num. 2.

Secunda sententia affirmat, humanitatem Christi vniri diuino Verbo per modū vnionis, realitèr modalitèr ab ipsa, & à Verbo distinctum. N. 3.

Sententia ista à Nobis eligitur, & auctoritate D. Thomæ probatur. Num. 4. & 5.

Quadruplex solutio reijcitur. a n. 6. vsq; ad 12.

§. Secvndvs.

Duplex ratio pro Nostra sententia. *Pag.* 451.

Secundo suadetur cōclusio ex separatione possibili vnionis ab extremis vnitis. Num. 13.

Hoc argumentum visum euidens Recentioribus Societatis, in illorum principijs iniatur. à n. 14. vsque ad 16.

In principijs Thomistarum vrgetur. à n 17. vsq; ad 22.

Denique probatur conclusio; eo quod ex vi actionis vnitiuæ, producitur vnio humanitatis ad Verbū; non autem humanitas. n. 23. & 24.

§. Tertivs.

Duplici argumento occurritur, & explicatur mens D. Thomæ. *Pag.* 454.

Primum argumentum ex testimonijs D. Tho. desumptum proponitur, & diluitur. à num. 15. vsque ad 30.

Secundum argumentum sumitur, ex eo quod, vt forma vniatur materiæ, non requiritur vnio realiter ab extremis distincta, quod auctoritatibus Diui Thomæ, & rationibus probatur. à num. 31. vsque ad 35.

Hoc argumentum diluitur. à num. 36. vsque ad 40.

Index Disputationum.

§. Qvartvs.

Cætera argumenta diluuntur, & explicatur, an personalitas creata absque modo superaddito vniatur propriæ naturæ? *Pag.* 459.

Tertium argumentum sumitur, ex eo quod personalitas creata se ipsa cum propria natura vnitur absque vllo modo realiter ab extremis distincto. Num. 41. & 42.

Huic argumento respondetur primo, negando antecedens. Num. 43. & 44.

Secundo respondetur, subsistentiam creatam vnirí cũ propria natura absque modo ex parte sui, non autem absque modo se tenente ex parte naturæ à num. 45. vsque ad 47.

Quartum argumentum desumptum, ex eo quod, vt humanitas vniatur Verbo, sufficit simultanea existentia Verbi, humanitatis, & actionis vnitiuæ, proponitur, & diluitur. Num. 48. 49. & 50.

Vltimum argumentum desumptum, ex eo quod stat separatio realis non mutua absque reali distinctione, proponitur, & diluitur, à num. 51. vsque ad 57.

§. Qvintvs.

Secunda pars disputationis resoluitur. *P.* 464.

Circa essentiam modi vnionis referuntur variæ sententiæ. Num. 58.

Asserimus primo contra Gabrielem, vnionem humanitatis ad Verbum qualitatem non esse. N. 59. & 60.

Obiectioni factæ in fauorẽ prædictæ sententiæ occurritur. Num. 61.

Asserimus secundo, vnionem humanitatis ad Verbum non esse relationem prædicamentalem. N. 62. & 63.

Tertio asserimus, vnionem hypostaticam non esse influxum actiuum specialem Verbi in humanitatem. à num. 64. vsque ad 67.

Duplex obiectio proponitur, & diluitur. Num. 68. & 69.

Asserimus quarto, vnionem esse modũ substantialem supernaturalem respectiuum transcendentaliter Verbi, vt sustentãtis humanitatem. N. 70.

Super istum respectum transcendentalem fundari relationem prædicamentalem, qua humanitas refertur ad Verbum, probatur. N. 71. & 72.

§. Sextvs.

Occurritur argumentis in contra. *Pag.* 469.

Dvplex obiectio contra primam partem vltimæ conclusionis proponitur, & diluitur. N. 73. 74. & 75.

Obiectioni contra secundam, & tertiam partem occurritur, à num. 76. vsque ad 79.

Obiectio contra vltimam partem cõclusionis, proponitur, & diluitur. à n. 80. vsque ad 83.

§. Septimvs.

Tertia pars disputationis resoluitur. *Pag.* 472.

Difficultatis sensus explicatur, & refertur sententia negãs ex parte Verbi vnionem distinctam ab illa, per quam humanitas ipsi vnitur. Num. 84.

Verbum vniri humanitati intrinsecè per propriã entitatẽ, ac proinde dari ex parte Verbi vnionem realiter distinctam ab illa, per quã humanitas ipsi vnitur, multipliciter monstratur. à n. 85. vsque ad 94.

§. Vltimvs.

Contrariorum argumenta diluuntur. *P.* 476.

Primum argumentũ sumitur, ex eo quod vnio in subiecto incõpletionẽ supponit, hæc autem diuino Verbo repugnat. Num. 95. *Cui argumẽto respondetur.* Num. 96.

Secundum argumentum desumptũ, ex eo quod non potest existere vnio, nisi vniat actualiter, proponitur, & diluitur, à n. 97. vsque ad 103.

Secundo eidem argumento respondetur, & defenditur solutio. à num. 104. vsque ad 107.

Vltimum argumentum cõtendens, vnionem se tenentem ex parte humanitatis solã sufficere, ac proinde superfluere vnionẽ ex parte Verbi, proponitur, & diluitur. à n. 108. vsque ad 111.

Ex dictis colligitur primo, vnionem hypostaticã ex parte naturæ humanæ esse aliquid creatum; secus autem ex parte naturæ diuinæ. N. 112.

Secũdo colligitur, causam materialẽ vnionis productæ esse solam humanitatem. Ibidem.

Tertio colligitur, & explicatur, quæ sit causa formalis extrinseca, & intrinseca vnionis. n. 113.

Denique infertur vt certum, fuisse prædictã vnionem efficienter à tota Trinitate causatam. N. 114.

Quod autem non possit efficienter principaliter physicè ab aliqua creatura causari, communiter docetur à Theologis, & probatur. N. 115.

An vero potuerit physicè instrumentaliter ab aliqua creatura causari, est sub lite Theologorum, & vtrumque probabile est. Num. 116.

Quod autem à quibusdam Recentioribus additur, de facto Beatissimam Virginem prædictã concursum habuisse, sine vrgenti fundamento asseritur. Ibidem.

Disputatio Dvodecima.

Quid sit termin⁹ formalis *ad quem* Incarnationis prout actio est? *Pag.* 483.

§. Primvs.

Aperitur difficultas, & referuntur sententiæ. *Ibidem.*

Index Disputationum.

NOn procedit disputatio de termino vnionis sumptæ pro relatione prædicamentali, aut trãscendentali, sed de termino formali ad quẽ actionis vnitiuæ. Num. 1.

Ante resolutionem supponitur, actionem vnitiuã esse distinctam à creatione animæ, & à productione humanitatis. Num. 2.

Contra istam doctrinam arguitur, sequi ex illa Beatissimam Virginem non esse Matrem Christi, vel Dei, quod est contra fidem. Num. 3.

Respondetur, negando sequelam; vt enim Beatissima Virgo Mater Christi sit, & dicatur; sufficit immediatus concursus ad productionem humanitatis, à quo dependentiã habuit actio vnitiua, & quod in eodem instanti fuerit à Verbo assumpta. Num. 4. & 5.

Contra istam doctrinam duplex obiectio proponitur, & vtrique respondetur. à n. 6. vsq; ad 11.

Circa terminum formalem actionis vnitiuæ tres referuntur sententiæ. Num. 12.

§. SECVNDVS.

Vera sententia explicatur. *Pag.* 487.

QVarta sententia, quæ à Nobis verior censetur, docet, terminum formalem quo actionis incarnatiuæ, esse humanitatem vnitam, vnione vt conditione ingrediente. Quæ sententia vnica ratione probatur. N. 13.

Refertur, & reijcitur duplex solutio. N. 14. 15. & 16.

Aliorum probationes referuntur, & omittuntur. Num. 17. & 18.

Duæ aliæ solutiones nostri argumenti referuntur, & reijciuntur. à n. 19. vsque ad 22.

§. VLTIMVS.

Argumentis in cõtrarium occurritur. P. 490.

PRimum argumentum contendit, terminũ formalem actionis vnitiuæ esse subsistentiã Verbi, eo quod primario per illã intenditur. N. 23.

Respõdetur, negando, quod primario per talem actionem intendatur: nam licet subsistentia principalior sit humanitate in esse entis; in esse tamen termini prædictæ actionis principalior nõ est. Num. 24.

Secundum argumentum contendens, terminũ formalem actionis vnitiuæ esse vnionem, eo quod per talem actionem producitur; secus autẽ humanitas proponitur. à n. 25. vsque ad 28.

Tertium argumentũ desumptum à paritate caloris antecedenter producti, & per aliam actionẽ vniti, proponitur, & diluitur. N. 29. & 30.

Quartum argumentũ desumptum, ex eo quod terminus formalis Incarnationis, vt passio, nõ est humanitas; & consequenter, nec eiusdem, vt actio, proponitur, & diluitur. N. 31. 32. & 33.

Ex dictis infertur, terminũ à quo totalem prædictæ actionis esse, non esse Christi, terminum autem à quo formalem esse negationem humanitatis, non entitatiuè sumptæ, sed constitutiuè acceptæ. Num. 34.

DISPVTATIO DECIMATERTIA.

An Patres Antiqui Incarnationis substantiam ex congruo meruerint. *Pag.* 494.

§. PRIMVS.

Quibusdam præluppositis, referuntur sententiæ, & vera eligitur. *Ibidem.*

PRimo, vt omnino certum, supponitur, Antiquos Patres non meruisse de condigno substantiam Incarnationis. Num. 1.

An potuerint de potentia absoluta dissident Theologi; & negatiua sententia est cõmunis. N. 2.

Secundo, vt exploratũ supponitur, Antiquos Patres meruisse de congruo aliquas circumstatias Incarnationis. Num. 3.

Tertio ex cõmuni sententia supponitur, Antiquos Patres potuisse de potentia absoluta mereri de congruo substantiam Incarnationis. N. 4.

Dupliçi obiectioni contra istam doctrinam occurritur. Num. 5. 6. & 7.

Difficultas ergo est, an, hoc ordine rerũ supposito, substantiam Incarnationis de facto ex congruo meruerint, & prima sententia negat. N. 8.

Secunda sententia, quæ à Nobis, vt verior; eligitur, docet, meruisse de facto substantiam Incarnationis, non vt primo intentam à Deo, sed vt executioni mandatam. Num. 9.

Prædicta sententia probatur ex D. Thom. & ratione ex ipso sumpta. Num. 10.

Aduersariorum solutio refertur, & refellitur. à num. 11. vsque ad 14.

§. SECVNDVS.

Soluuntur duo argumenta contrariæ sententiæ, & mens D. Tho. explicatur. *Pag.* 499.

PRimũ argumẽtũ ex varijs testimonijs D. Th. proponitur, & diluitur. à n. 15. vsq; ad 23.

Secũdũ argumẽtũ desũptũ, ex eo quod sequeretur ex Nostra sententia, merita Antiquorũ Patrũ se ipsa de cõgruo meruisse, efficienterq; causasse, proponitur, & diluitur. à n. 24. vsq; ad 29.

§. TERTIVS.

Proponitur tertium argumentum, & examinantur varij modi dicendi. *Pag.* 504.

TErtium argumentũ sumitur, ex eo quod principium meriti, nõ potest sub eodem merito cadere; Christus autem fuit principiũ meriti Antiquorum Patrum. Num. 30.

Prima solutio negantium, Christum fuisse principium meriti Antiquorum Patrum, refertur, & impugnatur. à num. 31. vsque ad 34.

Index Disputationum.

Secunda solutio asserens, principium meriti non posse cadere sub merito cõdigno, bene tamen sub merito cõgruo operis à se ipso causati, refertur, & quorundam argumentis impugnatur, quorũ examen ad tractatum de merito Christi remittitur. Num 35. & 36.

Aliorum solutio, asserentium, opera Antiquorum Patrum non causasse efficienter, sed materialiter tantùm, substantiam Incarnationis refertur, & impugnatur. Num. 37. & 38.

Quarta solutio distinguens inter principium essentiale meriti, & principium accidentale, refertur, & refellitur. Num. 39. 40. & 41.

Aliorum solutio refertur, & impugnatur. Num. 42. & 43.

§. Qvartvs.

Examinatur aliorum solutio. *Pag.* 508.

Quidam, quos sine nomine refert Vazquez, occurrũt argumento facto, asserendo, Christum nõ causasse gratiam Antiquorum Patrum in genere causæ efficientis, sed solum in genere causæ finalis, qui modus dicendi probatur ex D. Thom. & rationibus. à num. 44. vsque ad 49.

Prædictus modus dicendi reijcitur, aliquorũ censuram temperando. à n. 50. vsque ad 54.

§. Qvintvs.

Fundamentis in contrariũ occurritur. *P.* 511.

Primum fundamentum desumptum ex Diuo Thoma, diluitur, eius mentem explicãdo, & explicatio defenditur. à num. 55. vsq; ad 62.

Secundum fundamentum, etiam ex D. Tho desũptum, diluitur. à n. 63. vsque ad 65.

Tertio fundamento occurritur, dupliciter explicando, differentiam in modo causandi inter causam meritoriam, & finalem, etiam si ad vtramque existentia in apprehensione sufficiat. Num. 66. & 67.

Quartum argumentum diluitur, explicando differentiam in pacto interueniente ad merendum, in præmio anticipato, & in præmio conferendo post meritum. Num. 69.

Quinto fundamento occurritur, explicando, quomodo præmium anticipatè solutum, non conferatur indigno. à n. 70. vsque ad 75.

§. Vltimvs.

Tertio argumento principali, vera solutione occurritur. *Pag.* 517.

Respondetur argumento, quod licet principium meriti, non possit sub merito cadere operis à se causati, sub ea ratione, & statu, in quo est principium merendi; potest tamen sub alia ratione, & statu, sicque in præsenti contingere. Num. 76.

Prædicta doctrina impugnatur, & defenditur. à num. 77. vsque ad 87.

Prima gratia auxilians, & esse substantiale hominis possunt cadere de potentia absoluta sub merito congruo operum procedentium ab ipsis; incarnatio verò, nec sub congruo, nec sub condigno merito operationum Christi cadere potest. Num. 88. 89. & 90.

Obiectio ex D. Thoma proponitur, & diluitur. Num. 91. & 92.

TRACTATVS TERTIVS.

De extremo assumente.

Disputatio Decima Qvarta.

An Verbum per Incarnationem fuerit mutatum intrinsecè? *Pag.* 524.

§. Primvs.

Ratio dubitandi proponitur, & reijcitur prima solutio. *Ibidem.*

Quid importetur sub nomine Incarnationis explicatur. Num. 1.

Ratio dubitandi sumitur, ex eo quod mutatio intrinseca est trãsitus de nõ esse intrinseco ad esse intrinsecum; quod videtur in Verbo per Incarnationem contigisse. Num. 2. & 3.

Qua ratione dubitandi hæretici cõuicti in varios errores inciderunt. Num. 4.

Catholica assertio est, Verbũ per Incarnationem intrinsecè mutatum non esse. Num. 5.

Prima solutio rationis dubitandi est Valentiæ, asserentis, ideo Verbũ per Incarnationem intrinsecè mutatũ nõ esse, quia ante Incarnationẽ supponitur præcõtinẽs eminẽtèr humanitatẽ. N. 6.

Prædicta solutio reijcitur. à num. 7. vsq; ad 17.

§. Secvndvs.

Examinantur alij modi dicendi. *Pag.* 529.

Secũda solutio aliorũ asserentiũ; ideo Verbum per Incarnationẽ mutatũ non fuisse, quia non ordinatur per se ad vnionem cũ humanitate, refertur, & impugnatur. Num 18. 19. & 20.

Tertia solutio aliorũ asserentiũ, ideo Verbum non mutari, quia quamuis vniatur intrinsecè humanitati, per illam tamen nõ perficitur intrinsecè, refertur, & refellitur. à n. 21. vsq; ad 25.

Quorũdã Recentiorũ solutio admittentiũ in Verbo innouationẽ intrinsecã, nõ tamen intrinsecã mutationem, quia ex vnione ad humanitatem, nec incrementũ, nec decrementum patitur, refertur, & impugnatur. à num. 26. vsq; ad 29.

Fundamenta ad statuendam in Verbo innouationem intrinsecam adducuntur, & diluuntur. Num. 30. 31. 32. & 33.

§. Tertivs.

Alij modi dicendi examinantur. *Pag.* 533.

Index Disputationum.

Cardinalis de Lugo inde probat, Verbum per humanitatem non mutari, quia non est subiectum vnionis cum humanitate. Et hoc ideo, quia ad prædictam vnionem, nec vacuum, nec incompletum supponitur. Num. 34. 35. & 36.

Prædicta doctrina reijcitur. Num. 37. 38. & 39.

Aliorum Recentiorum solutio, inde excludentiũ intrinsecã mutationem à Verbo ex vi vnionis cum humanitate, quia licet sit subiectũ adhæsionis; nõ tamen est subiectum sustentationis illius, refertur, & reijcitur. à n. 40. vsq; ad 46.

Aliorum ratio, ideo excludentium intrinsecã mutationem à Verbo, quia licet sit subiectum sustentationis humanitatis; illam tamen in se ipso non recipit, refertur, & excluditur. Num. 47. & 48.

§. Qvartvs.

Traditur, & defenditur vera rationis dubitandi solutio. *Pag.* 537.

Vera igitur solutio est; ideo Verbum per Incarnationem mutatum nõ esse; quia nõ est subiectum humanitatis, sed purè intrinsecus terminus. Num. 49. 50. & 51.

Plura, quæ aduersus istam resolutionem militãt, proponũtur, & diluũtur. à n. 52. vsq; ad 62.

§. Vltimvs.

Cæteris argumentis occurritur, & mens D. Thomę explicatur. *Pag.* 542.

Ad quartum argumentum contra nostram resolutionem propositum, respondetur, assignando disparitatem inter modum, quo anima rationalis vnitur materiæ, & illum quo Verbum vnitur humanitati. Num. 63.

Obiectionibus cõtra prædictum discrimen, & solutionem factis occurritur. à n. 65. vsq; ad 75.

Obiectio cõtra eamdem doctrinam sumpta ex Angelico Doctore, proponitur, & diluitur. à num. 76. vsque ad 80.

Disputatio Decimaqvinta.

Sub qua ratione conueniat personæ diuinę assumere naturam creatam? Et an illam assumere potuerit secundum prædicata absoluta? *Pag.* 549.

§. Primvs.

Prima pars disputationis resolvitur. *Ibidem.*

Supponitur primo, cõuenire personæ diuinæ assumere naturam creatam. Num. 1.

Secũdo supponitur, id etiam cõuenire naturæ diuinæ, licet nõ ita propriè, ac personæ. Num. 2.

Obiectio contra istam doctrinã diluitur. Num. 3.

Tertio præmittitur, esse principiũ actionis assumptiuæ cõuenire personæ diuinæ ratione naturæ, perfectionumque absolutarum. Num. 4.

Difficultas cõsistit, in explicãdo id ratione, cuius cõuenit personæ diuinæ terminare humanitatem circa quod, referuntur quinque sententiæ. à num. 5. vsque ad 8.

Cõclusio est: humanitatem nõ fuisse immediatè vnitam naturæ diuinæ, nec individuo Deitatis, vt communi tribus personis, sed personalitati, & personæ Verbi immediatè fuit vnita, & Deitati mediatè. Quæ cõclusio est communis Theologorum, oppositam sententiam varijs censuris notantium. Num. 9.

Prædicta conclusio probatur, ex Concilio Toletano, & ex sexta Synodo generali. à num. 10. vsque ad 17.

Denique probatur ab inconuenienti, quod sequitur ex sententia Durandi, nempè, tres personas fuisse de facto incarnatas. Num. 18.

Duplex solutio Durandi refertur, & refellitur. à num. 19 vsque ad 24.

De censuris contra sententiam Durandi ferur iudicium. Num. 25.

Quod vnio humanitatis ad Verbum facta sit cum personalitate Verbi immediatè, probatur. N. 26.

Quod humanitas mediatè fuerit diuinæ naturæ vnita, suadetur. Num. 27.

§. Secvndvs.

Diluuntur duo argumenta contrariæ sententiæ *Pag.* 557.

Primũ argumentũ sumitur, ex eo quod personalitas Verbi est idẽ cũ diuina natura. N. 28.

Quorumdã Recentiorũ euasio refertur, & vt deliriũ somniatũ reijcitur. à num. 29. vsq; ad 36.

Vera argumenti solutio traditur, & defenditur. à num. 37. vsque ad 41.

Argumẽtũ Durãdi desumptum, ex eo quod ex vnione immediata humanitatis cũ Deitate, non sequitur vnio personalis cũ tribus diuinis personis, proponitur, & diluitur. N. 42. 43. & 44.

Recentiorum iudiciũ asserentium, ex vnione mediata humanitatis cum existentia absoluta naturæ diuinæ, sequi idem incõueniens, quod infertur ex sententia Durandi, refertur, & reijcitur. à num. 45. vsque ad 50.

§. Tertivs.

Vltimum argumẽtum diluitur, & explicatur, sub qua ratione personalitas Verbi terminat immediatam vnionem. *Pag.* 564.

Denique arguit Durandus: nam sub ea ratione vnitur Verbum immediatè humanitati, sub qua terminat dependentiam illius; terminat autem dependentiam ratione prædicati absoluti. Num. 51. & 52.

Refertur, & refellitur duplex solutio. à num. 53. vsque ad 56.

Index Disputationum.

Refertur, & explicatur communis Thomistarum solutio, ferturque iudicium de illa. à num. 57. vsque ad 60.

Traditur, & defenditur vera solutio. à num. 61. vsque ad 71.

§. Qvartvs.

Secūda pars disputationis resoluitur. *Pag.* 571.

Svpponitur ex cōmuni sententia, quod si Deus trinus in personis nō esset, sed vnus, vnaque tātum subsistentia, & personalitate absoluta gauderet, posset alienam naturam assumere, illique immediatè vniri. Num. 72.

Supposito autem, vt ex fide supponimus, in Deo esse tres personas constitutas proprietatibus relatiuis, an possit natura diuina, vel hic Deus ratione alicuius prædicati absoluti assumere alienam naturam, illique vniri immediatè, dissidium est inter Theologos, & in quatuor diuiduntur sententias. à num. 73. vsque ad 76.

Posse hunc Deum, vt communem tribus personis sibi assumere naturam creatā, probatur auctoritate D. Thom. & rationib⁹. à n. 77. vsq; ad 86.

§. Qvintvs.

Aliæ partes conclusionis probātur. *Pag.* 576.

Qvod prædicta vnio possibilis sit, quamuis subsistentia absoluta non distinguatur virtualiter ab æquatè à diuina natura, multiplicitèr probatur. à num. 87. vsq; ad 94.

Quod denique, si conceptus subsistentiæ absolutæ nō constituatur in Deo, nō possit hic Deus, vt communis tribus personis immediatè assumere naturam creatā, probatur. Num. 95. & 96.

§. Sextvs.

Duobus argumentis contra primam partem conclusionis occurritur, & explicatur mens D. Thomæ. *Pag.* 579.

Contra primam partem cōclusionis arguit Vazquez primo: nā sancti Patres non cognouerūt possibilem alium modū vnionis naturæ creatæ cū Deo, nisi vel in natura, vel in persona; vnio autem cū hoc Deo, ratione subsistentiæ absolutæ, sub nulla ex his cōtinetur. Num. 97. 98. & 99.

Argumento respondetur, negādo maiorem, explicanturque Concilium Toletanum sextū, & vndecimum, & auctoritas Anselmi. Num. 100. 101. & 102.

Circa mentem D. Thom. refertur, & refellitur explicatio Medinæ. Num. 103. 104. & 105.

Caietani explicatio refertur, et sustinetur. à num. 106. vsque ad 112.

Alia Angelici Præceptoris explicatio, vt melior, & facilior, defenditur. Num. 113. & 114.

Secundū argumentū ex D. Thom. desumptū proponitur, & diluitur. à n. 15. vsque ad 122.

§. Septimvs.

Alijs obiectionibus contra eandem partem conclusionis fit satis. *Pag.* 587.

Tertium argumentū sumitur, ex eo quod implicat subsistēs in natura intellectuali, quod persona non sit, hoc autem non implicaret si esset vera nostra sententia. Num. 123. & 124.

Quorundam solutio asserentium, casu in quo hic Deus immediatè assumeret naturā rationalem creatam, fore personam prout in illa immediatè subsistentem, refertur, & refellitur. à num. 125. vsque ad 130.

Durandi solutio refertur, & impugnatur. Num. 131. 132. & 133.

Traditur, & defenditur vera solutio. à num. 134. vsque ad 138.

§. Octavvs.

Argumentis contra secundam, & tertiam partem conclusionis occurritur. *Pag.* 592.

Contra secūdam partem conclusionis arguitur, nā cū duæ formalitates nō differunt inter se virtualiter, nō potest vna illarū cum aliquo extremo vniri, quin eidem extremo illarū altera vniatur. Num. 139.

Respondetur, negādo assumptū, & defenditur solutio, varijsque instantijs iuuatur. a num. 140. vsque ad 143.

Deinde arguitur, probando, posse hunc Deum, esto subsistens nō sit assumere naturam creatam, eo quod, licet subsistens nō sit, potest illam sustentare. Num. 144.

Respondetur, admittendo, posse in prædicta hypothesi, sustentare naturā creatā effectiuè, non autem terminatiuè: & hoc secūdum requirebatur, vt posset illam assumere. Num. 145. 146. & 147.

Vltimum argumentū, idem probare contendens, eo quod, licet hic Deus non subsistat subsistentia absoluta, pro priori tamen ad relationes supponitur perfectissimè existens, proponitur, & diluitur. à num. 148. vsque ad 152.

§. Vltimvs.

Ex dictis quædam difficultas resolutoriè enodatur. *Pag.* 597.

Difficultas est, an quælibet diuina formalitas, siue absoluta, siue relatiua sit, possit assumere naturam creatam, referūturque tres sententiæ. Num. 153.

Asserimus primo, nullum prædicatum diuinum, si subsistens non sit, posse assumere naturā creatam. Num. 154.

Secundo asserimus, nō esse concedendum, in sensu omnino formali, omnibus prædicatis diuinis,

quod

Index Disputationum.

quod possint naturâ creatam assumere. Num. 155 & 156.

Denique asserimus, supposito quod omnia prædicata diuina formaliter sint subsistentia, posse immediatè vniri cum natura creata, etiamsi subsistat subsistentia naturæ. à n. 157. vsq; ad 160.

Argumentum in contrarium proponitur, & diluitur. à num. 161. vsque ad 166.

DISPVTATIO DECIMASEXTA.

An omnes personæ diuinæ, possint simul vnâ terminare naturam, & vna persona plures. *Pag.* 601.

§. PRIMVS.

Quæ certa sunt præmittuntur. *Ibidem.*

PRimo, vt omnino certum supponitur, posse quamlibet ex diuinis personis creatam terminare naturâ, illique hypostaticè vniri. N. 1.

Casu, in quo Diuinus Pater carnem sumeret ex Virgine, esset eiusdem Virginis Filius. Num. 2.

Pater assumens naturam creatam non esset Filius naturalis Dei. Num. 3.

Posset tamen in eodem casu, vt in humanitate subsistens, dici Pater naturalis per gratiam vnionis. Num. 4. & 5.

Pater in prædicto casu, non esset Filius Dei adoptiuus. Num. 6.

Posset tamẽ, vt in humanitate subsistẽs, dici Filius Trinitatis, filiatione fundata in creatione humanæ naturæ: & assignatur inter hanc filiationem, & adoptiuam discrimen. Num. 7. & 8.

Non posset Pater in prædicto casu dici missus tẽporaliter à Deo. Num. 9.

Secundo, vt omnino certum supponitur, posse vnam personam diuinam sine alia assumere naturam creatam. Num. 10.

Quæ contra hanc doctrinã obstant, opponuntur, & diluuntur. a num. 11. vsque ad 16.

Denique, vt fide certum supponimus, de facto solum Verbum assumpsisse naturã creatã. N. 17.

Argumentum cõtra hanc doctrinam desumptum, ex eo quod sequeretur ex illa, plus Verbo à nobis deberi, quam alijs personis diuinis, proponitur, & diluitur. à num. 18. vsque ad 26.

§. SECVNDVS.

Prima pars disputationis resoluitur. *Pag.* 608.

NOsse tres personas diuinas, terminatione mediata, terminare vnam naturam creatione individui Deitatis, illam immediatè terminantis, cõstat ex dictis præcedenti disputatione: vnde difficultas deuoluitur ad terminationem immediatam, & prima sententia negat. N. 27.

Secunda, & vera sententia affirmat, posse tres diuinas personas simul terminare vnam, & eandem naturam. Num. 28.

Hæc sententia pro nostra cõclusione statuitur, & probatur. à num. 29. vsque ad 37.

§. TERTIVS.

Quatuor argumentis contrariæ sententiæ occurritur. *Pag.* 612.

PRimum argumentum sumptum ex auctoritate Anselmi, proponitur, & diluitur. Num. 38. 39. & 40.

Secundũ argumentum desumptum, ex eo quod sequeretur ex nostra sententia infinitas naturæ tribus personis vnitæ, proponitur, & diluitur. à num. 41. vsque ad 44.

Tertium argumentum nititur, in eo quod non potest natura creata substantialiter personæ diuinæ vniri, nisi ex tali vnione resultet vnum per se; hoc autem contingere nequit, si tribus personis vniatur. à num. 45. vsque ad 47.

Huic argumento respondetur, instaturque in sententia cõtrariorum. à num. 48. vsque ad 55.

Quartum argumentum desumptũ, ex eo quod implicat naturam creatam sistere in vno supposito, & simul transire ad aliud; hoc autem cõtingeret si vniretur tribus diuinis personis, proponitur, & diluitur. Num 56. & 57.

§. QVARTVS

Præcipuum fundamentum Scoti proponitur, & examinantur varij modi dicẽdi. *Pag.* 618.

QVintum argumentum sumitur, ex eo quod non potest vnus effectus à pluribus causis adæquatis dependere; hoc cautẽ in nostra sententia contingeret. Num. 58.

Prima solutio asserentium, nullam esse implicationem, in eo quod vnus, & idem effectus simul dependeat a pluribus causis adæquatis, & totalibus, refertur, & refellitur. à num. 59. vsque ad 65.

Secunda solutio, asserentium, vnum, & eundem effectum, non posse dependere à duabus causis adæquatis in actu secundo; benè tamen à duabus causis solum in actu primo adæquatis; & solũ hoc in nostro casu contingeret, refertur, & reijcitur. Num. 66. & 67.

Aliorum solutio aientium argumentum Scoti cõuincere, non posse vnam naturam simul sustentari à tribus personis diuinis; non autem quod non possit simul cum illis vniri, refertur, & impugnatur. à num. 68. vsque ad 75.

Solutio Patris Vazquez asserentis, naturã creatam alieno supposito vnitam ab illo non dependere, refertur, & refellitur. N. 76. 77. & 78.

Quorundam Recentiorum solutio asserentium, in casu nostræ disputationis non dari vnum effectum dependentem à pluribus causis, reijcitur. Num. 79.

Index Disputationum.

§. Qvintvs.

Traditur, & defenditur vera solutio. *Pag.* 624.

Argumento respondetur, quod licet nō possit vnum, & idem, à pluribus adæquatè dependere, dependentia stricta, & causali; potest tamen dependentia pure terminativa. à num. 80. vsque ad 94.

§. Sextvs.

Vltimum argumentum proponitur, & examinatur, an tunc casus, vnica vnio, vel multiplex sit constituenda? *Pag.* 629.

Qvintum argumētum sumitur, ex eo quod, vt vna natura creata vnitatur simul pluribus diuinis personis, plures vniones sunt necessariæ; pluralitas autē vnionū simul in eadē natura repugnat. à n. 95. vsq; ad 98.

Hoc argumentum, etiam soluere tenentur, qui negant modum vnionis, realiter ab humanitate distinctum. Num. 99.

Frequentior Recentiorum solutio variis modis defensata, refertur, & refellitur. à num. 100. vsque ad 106.

§. Septimvs.

Traditur, & defenditur vera solutio. *Pag.* 633.

Respondetur argumento, negando maiorem, quod, scilicet, necessariæ sint plures vniones, sed vnica vnio sufficeret, vt vna natura creata vniretur tribus diuinis personis; quod ratione, & auctoritate D. Thomæ probatur. Num. 107. & 108.

Probationibus maioris occurritur. à num. 109. vsque ad 112.

Contra doctrinam traditam, plura obijciuntur, & diluuntur. à num. 113. vsque ad 123.

§. Octavvs.

Secunda pars disputationis resoluitur. *P.* 638.

Omnes Theologi conueniunt in eo, quod vna persona diuina potest plures naturas assumere: & ratione D. Thomæ probatur. N. 124.

Triplex solutio refertur, & impugnatur. à num. 125. vsque ad 132.

Quod difficultatem ingerit, est, an casu, in quo vna persona diuina duas humanitates assumeret, esset dicenda vnus homo, vel duo homines. Num. 133.

Refertur sententia Durandi, & refellitur. Ibidē, & num. 134.

Secunda sententia docet, eo in casu personam diuinam dicendam esse plures homines simpliciter. Num. 135.

Tertia, & vera sententia defendit, in casu disputationis, personā diuinā dicendam esse vnum hominem. Num. 136.

Bernalis existimatio, prædictæ sententiæ adhærentis, addentisque, in eo casu duo concreta hominis resultare, redarguitur inconsequentiæ. à num. 136. vsque ad 139.

§. Nonvs.

Statuitur conclusio, & examinantur aliquorum rationes. *Pag.* 642.

Ratio Patris Bernal, refertur, & refellitur. Num. 140. & 141.

Secunda ratio, qua ductus est Arriaga, refertur, & reijcitur. à num. 142. vsque ad 148.

Probatur nostra sententia testimonijs D. Thomæ. Num. 149.

Probatur secundo ratione Angelici Præceptoris, contrariorumque euasiones, reijciūtur. à num. 150. vsque ad 159.

§. Decimvs.

Tribus argumentis occurritur, & mens Diui Thomę explicatur. *Pag.* 646.

Primum argumentum ex D. Thoma desumitur; refertur prima solutio, & refellitur. num. 160. 161. & 162.

Traditur vera solutio, & impugnatur Capreolus. Num. 163. & 164.

Secundo arguitur ex eodem D. Thoma, respondeturque ex Caietano, & defenditur solutio. à num. 165. vsque ad 172.

Tertium argumentum desumptum, ex eo quod vnitas, vel pluralitas nominis sumitur ex vnitate, vel pluralitate significati formalis, proponitur, & diluitur. à num. 173. vsque ad 179.

§. Vndecimvs.

Occasione quarti argumenti examinatur, an casu, in quo plures personæ assumerent vnam humanitatem, essent plures homines, vel vnus homo? *Pag.* 653.

Vltimum argumentum desumptum, ex eo quod tres personæ assumentes vnam humanitatem, dicerentur vnus homo; ex quo videtur inferri, casu, in quo vna persona, duas humanitates assumeret, duos homines esse dicēdā, proponitur. Num. 180.

Sententia Durandi, reijcitur. Num. 181.

Sententia Caietani, & Medinæ asserentium, in prædicto casu, personas diuinas plures homines esse dicendas, cum suis fundamentis refertur. Ibidem, & num. 182.

Tertia, & vera sententia docet, in prædicta hypothesi tres personas fore vnū hominē simpliciter, *cōtrapositiuè ad* secūdū quid, *non autem prout* simpliciter, *idem valet, quod* omnibus modis. Num. 183.

Prima pars istius sententiæ, in qua est posita difficultas, probatur ex D. Thoma, & Caietani explicatio impugnatur. Num. 184. & 185.

Index Disputationum.

Secundo suadetur ratione ab Angelico Doctore insinuata, & multiplex solutio reycitur. à num. 186. vsque ad 197.

Fundamentis Caietani, & Medinæ occurritur. à num. 198. vsque ad 202.

§. Vltimvs.

Occurritur quarto argumento, & inter nomẽ numerale, & nomen vnitatis differentia explicatur. *Pag.* 662.

Ad vltimũ argumentũ, cõcesso antecedenti, negatur cõsequentia, eo quod ad vnitatem nominis subsãtiui sufficit, vel vnitas formæ, vel vnitas suppositi; vt autem pluraliter prædicetur, requiritur vtriusq; pluralitas. Num. 203. 204. & 205.

Triplex ratio discriminis refertur, & refellitur. Num. 210. & 212.

Infertur ex dictis, rationem cõuincentem discriminis nõ posse assignari, totũque ex modo concipiendi dependere; modũ autem cõcipiendi nostræ sententiæ fauere. Probatur ex D. Thom. à num. 213. vsque ad 218.

Ex dictis sequitur primo, quod si Verbum humanitatem assumptam relinqueret, & aliam distinctam assumeret, esset vnus homo, *non* plures homines, *dicendum absolutè, & simpliciter.* Num. 219.

Secundo infertur, quod si Verbum humanitatem relinqueret, suppositum ex humanitate relicta resultãs, esset vnus homo cum Verbo. N. 220.

Tertio colligitur, quod si tres personæ diuinæ assumerent simul tres humanitates, dicendæ essent plures homines, & vnus homo, in diuersis cõsiderationibus. Num. 221.

Disputatio Decimaseptima.

Vtrum persona creata possit de potentia absoluta alienam terminare naturã? *Pag.* 667.

§. Primvs.

Quibusdam præsuppositis, eligitur vera sententia. *Ibidem.*

Supponitur primo, non posse, etiam de potentia absoluta, vt principium assumptionis. N. 1.

Secundo supponitur, nec per modũ termini posse vniri naturæ alienæ, potẽtia sibi cõnaturali. n. 2.

Tertio, tanquam certum supponitur, quod si personalitas creata in negatione cõsistat, nõ potest de potentia absoluta alienã terminare naturã. Et reiecta ratione, qua id probat Bernal, probatur suppositio tripliciter. à num. 3 vsq; ad 7.

Disquirendum restat, an supposito, quod personalitas creata in positiua entitate cõsistat, possit de potentia absoluta, terminare naturã alienã? Et prima sententia affirmat. Num. 8.

Secũda, & vera sẽtẽtia negat id esse possibile. n. 9.

§. Secvndvs.

Aliquorum rationes pro hac sententia expenduntur. *Pag.* 669.

Pater Suarez probat implicationem, eo quod subsistentia creata est modus propriæ naturæ, implicat autem modum vnius rei afficere, aut modificare aliam distinctam. Num. 10. & 11.

Pater Vazquez rationẽ istam refellit, illiq; respõdet; eius tamen impugnatio, & responsio reyciũtur. à num. 12 vsque ad 15.

Aliorum responsio ad argumentum Suarez, refertur, & refellitur. Num. 16. 17. & 18.

Prædicta ratio reiicitur, eo quod non est menti D. Thomæ conformis. Num. 19.

Argumentum Patris Suarez instauratur à Zippullo, & etiam prout sic instauratum displicet ex eodem principio. Num. 20. & 21.

Ratio Patris Vazquez refertur, & de illa fertur iudicium. Num. 22.

§. Tertivs.

Probatur nostra sententia auctoritate, & ratione. *Pag.* 673.

Probatur conclusio primo D. Thomæ auctoritate. Num. 23.

Duplex explicatio testimonij D. Thomæ, refertur, & refellitur. à num. 24 vsque ad 30.

Secundo probatur ratione Caietani, & Durandi, sumpta ex eo quod subsistentia potens alienam terminare naturam, necessario est infinita; infinitas autẽ repugnat subsistentiæ creatæ. N. 31.

Refertur, & refellitur triplex solutio. à num. 32. vsque ad 43.

§. Qvartvs.

Vltima solutio reijcitur, & vlterius nostra cõclusio probatur. *Pag.* 679.

Vltima solutio est; quod licet posse per potentiam naturalem alienam terminare naturam, argumentum sit infinitatis; non tamen probatur infinitas ex potẽtia obedientiali ad alienam terminandã naturã. Quæ solutio, exinde reycitur, quod forma non potest ratione potentiæ obedientialis suum effectum formalem præstare. à num. 44. vsque ad 50.

Denique probatur cõclusio, eo quod sola personalitas propria naturæ infinitæ, potest alienã terminare naturã; personalitas autem creata, propria naturæ infinitæ non est. à n. 51. vsq; ad 55.

§. Qvintvs.

Primum argumentum contrariæ sententiæ diluitur. *Pag.* 683.

Primũ argumẽtũ sumitur, ex eo quod personalitas diuina, prout à natura distincta, infinita nõ est; & tamen plures potest terminare naturas. Num. 56.

Solutio,

Solutio, qua Pater Vazquez occurrit huic argumento, refertur & refellitur. à num. 57. vsq; ad 60.

Traditur, & defenditur vera solutio, & explicatur, qua ratione personalitas diuina sit infinita, esto prout distincta à natura perfectionem non importet. à num. 61. vsque ad 74.

§. Sextvs.

Duo alia argumenta diluuntur. *Pag.* 689.

Secundum argumentum contendit, terminationem alienæ naturæ, non petere infinitatem in personalitate terminante. Num. 75. & 76.

Terminatio alienæ naturæ non est infinita in ratione entis; est tamen in ratione effectus formaliter infinita, quæ doctrina variis exemplis iuuatur. Num. 77.

Dato, quod subiectum possit extraneum accidens recipere; non sequitur posse personam creatam alienam sustentare naturam, & assignatur ratio discriminis. Num. 78.

Personalitas alienam naturã terminans, præstat eundem effectum formalem eminenter, quem personalitas propria præstaret, esto non præstet eundem effectum formaliter. Num. 79. & 80.

Potest etiam defendi, præstare eundem effectũ formalem formaliter, quem præstaret personalitas propria. Num. 81.

Tertium argumentum cõtendit, posse formã concurrere ad effectum formalem ratione potẽtiæ obedientialis, quod variis exemplis probatur. Num. 82.

Anima rationalis in ordine ad reunionem cum corpore, est in potentia obedientiali; nõ autem in ordine ad animãdum corpus, reunione cum illo supposita. Num. 83.

Nec sequitur, posse idem dici de personalitate creata, per respectum ad naturã alienam, & assignatur ratio discriminis. Num. 84. & 85.

Reijcitur quorundam doctrina asserentium, formam cœlestem esse, ex cõceptu generico in potentia obedientiali ad informandum materiam sublunarem. Num. 86. & 87.

Implicat formam cœlestem informare materiam sublunarem, & formam sublunarem informare materiam cœlestem. Num. 88.

Non potest dici, formam cœlestem respicere propriam materiam, vt potentiam sibi cõnaturalem, & materiam vt sic, vt potentiam sui specificatiuam; sicut de intellectu asseritur, per comparationem ad obiectum, & ratio differentiæ assignatur. Num. 89. & 90.

Prætermisso, quod accidens cõnaturale vni subiecto, possit de potentia absoluta, in alio subiecto recipi, non sequitur, posse de potentia absoluta, illi præstare suum effectum formalem. à num. 91. vsque ad 95.

§. Vltimvs.

Aliter tertiæ probationi occurritur, & cæteræ obiectiones diluuntur. *Pag.* 695.

Ex eo quod subiectum possit, ratione potentiæ obedientialis in se ipso recipere accidens supernaturale, nõ sequitur, posse ratione eiusdem potentiæ recipere accidens alteri subiecto cõnaturale, & traditur ratio discriminis. Numero 96.

Ex eo quod, nõ implicet, accidens sine omni subiecto existere, nõ probatur, nõ implicare, quod extraneo possit inhærere subiecto, & ratio differentiæ assignatur. Num. 97.

Doctrina Patris Vazquez asserentis, humanitatem comparatiuè ad Verbum omnino passiuè se habere; ideoque esse in potentia obedientiali, vt ab ipso assumatur, reijcitur. N. 98. & 99.

Licet humanitati supernaturalis sit vnio cũ Verbo diuino, illique ratione potentiæ obedientialis conueniat sustentari ab ipso, hac tamen sustentatione suppositã, Verbum hominem constituere, non conuenit humanitati ratione potentiæ obedientialis. Num. 100.

Nec sequitur, posse personalitatem creatam esse in potentia obedientiali, vt vniatur cum natura aliena, & in potentia naturali ad illius sustentationẽ, & assignatur ratio discriminis. Num. 101. 102. & 103.

Ex eo quod diuinæ omnipotentiæ, quæ impossibilia sunt, attribuãtur, non extolli, sed potius minui, docet Pater Vazquez, & benè. N. 104.

Siquis velit defendere, posse accidens informare extraneum subiectum, formamq; alienam informare materiam, & cum hoc nostram sententiam tueri, vtatur ratione vltima, qua prædictam sententiam monstrauimus. Num. 105.

Angeli cum corpora assumunt, non vniuntur hypostaticè cũ corporibus assumptis, ex quo reijciendi, aut explicandi veniunt, Origenes docens, Baptistam fuisse Angelum incarnatũ, & quidam Hebræi, id ipsum asserentes de Abrahamo, Isaac, & Iacob. Num. 106.

Hieronymus, & Beda asserentes, Anti-Christum Dæmonem incarnatum futurum, accipiendi sunt in sensu exageratiuo. Ibidem.

Non solum personæ de facto existenti, sed etiam personæ de potentia absoluta creabili, repugnat alienam terminare naturam. Num. 107.

FINIS.

TRACTATVS PRIMVS DE NECESSITATE, & motiuo Incarnationis.

DE quo D. Thom. in 3. Sentent. dist. 1. q. 1. art. 1. 2. & 3. In 3. ad Annibaldum dist. 1. q. vnic. art. 1. & 2. Opusc. 60. art. 1. 2. & 3. In 4. Contra gentes à cap. 50. vsque ad 55. Et in præsẽti q. 1. Quã in sex Articulos diuidit. Docẽs in primo, Deũ incarnari, fuisse cõueniens, eo quod id dicitur vnicuiq; cõueniens, quod sibi cõpetit secundũ rationẽ propriæ naturæ; cũ autẽ ad rationẽ boni pertineat, vt se alijs cõmunicet, & cõsequẽter ad rationẽ summi boni, quòd se summè cõmunicet, Deusq; essentia bonitatis, & summũ bonũ sit, sũma cõmunicatio est secundũ rationem naturæ illius, ac per cõsequens conueniẽs est ipsi Incarnatio, quæ est sũma ipsius ad extra cõmunicatio.

In secundo docet, non fuisse necessarium simpliciter, Verbum incarnari ad reparandũ hominem à peccato; potuit enim Deus multis alijs modis hominẽ reparare; fuisse tamen ad hunc finẽ necessarium secundũ quid, idest, medium conueniẽtius, vt nẽpè, homo à culpa liberaretur cõdigna satisfactione, in quo Dei iustitia, & misericordia splendescerent: non enim potuit condigna satisfactio à pura creatura præstari propter infinitatem peccati, & creaturæ limitationem.

In tertio docet, primo homine nõ peccãte, Verbũ ex vi præsentis decreti incarnãdũ nõ fore, eo quod præcipuũ motiuũ decreti, quo Deus de facto Incarnationẽ Verbi decreuit, fuit homines à culpa originali redimere; cessãte autẽ motiuo decreti, nequit decretũ subsistere: ac proindè, primo homine nõ peccãte, Verbũ in vi præsentis decreti carnẽ nõ assumeret.

In quarto docet, Incarnationem Verbi fuisse ordinatam ad remediũ peccati originalis principalius extensiuè, quam ad remedium actualis peccati, eo quod peccatum originale est extensiuè grauius actuali.

In quinto docet, non fuisse conueniens, Deum ab initio mundi incarnari, antequã esset peccatum, eo quod in peccati abolitionẽ fuit ordinata Incarnatio; medicina autem nõ nisi iam infirmis datur: vnde supponit infirmitatem medendã. Docet insuper, cõueniẽs nõ fuisse, Verbũ carnem

ſumere ſtatim poſt culpam cõmiſſam. Tùm, quia peccatũ primi hominis prouenerat ex ſuperbia, vndè oportebat, vt homo dilatione remedij humiliatus propriã infirmitatẽ recognoſceret, ſeq; liberatore indigere. Tùm etiam propter dignitatẽ Verbi incarnati, ad quam conducebat, vt illius aduentum magna præconum ſeries præcederet. Ac denique, ne feruor fidei tam longa ab aduentu Chriſti temporum prolixitate tepeſceret.

In vltimo articulo docet, non debuiſſe Incarnationẽ Verbi vſq; ad finẽ mundi differri, eo quod Verbum incarnatum eſt cauſa efficiens omnis gratiæ, quæ à Deo confertur hominibus; efficiens autem perfectum tempore imperfectum præcedit, & conſequẽter oportuit, vt Verbũ incarnatum tempore præcederet homines perficiendos ab ipſo, quod non contingeret, ſi illius Incarnatio vſque ad finem mundi differretur.

Nec inferas, ex hac ratione ſequi, debuiſſe Incarnationem omnes à principio mũdi præcedere, cum omnibus per Chriſtũ gratia fuerit collata. Non enim id ſequitur: cũ nãq; Verbũ Incarnatũ fuerit cauſa principalis moralis, & cauſa phyſica inſtrumentalis, oportuit, vtrãque iſtam cauſalitatẽ exercere, ſaltim reſpectu aliquorũ, quod nõ fieret, ſi ad omnes ſubſequeretur. Vel eſto ſolũ moraliter influat in gratiam, huic efficientiæ modus connaturaliter debitus eſt, vt cauſa præexiſtat effectui; oportuit autẽ vt Chriſtus quatenus cauſa efficiẽs moralis modũ iſtũ connaturalẽ cauſãdi obtineret, ſaltim reſpectu aliquorũ, quod nõ contingeret, ſi vſq; ad finẽ mũdi Incarnatio differretur: nõ autẽ fuit cõueniẽs, vt modus iſte cauſãdi reſpectu omniũ ipſi cõpeteret ob rationes articuli præcedentis.

Vel aliter poteſt occurri, duplicẽ in Myſterio Incarnationis proceſſũ attẽdi, nempè, imperfecti, quod ad perfectionẽ reducitur ex parte naturæ humanæ: in quo modo procedẽdi imperfectũ tẽpore præcedit perfectũ. Alter eſt cauſæ perficiẽtis in ordine ad id, quod perficit; fuit enim Chriſtus cauſa efficiens omnis gratiæ: in quo modo procedendi perfectũ tẽpore imperfectũ præcedit, & vt vtrũque ſaluaretur, oportuit, vt Incarnatio ab initio mũdi nõ fieret, nè natura humana ſtatim ſummã reciperet perfectionẽ. Oportuit etiã vſq; ad finẽ mundi non differri, vt Verbũ incarnatum, quod eſt cauſa efficiens perfectionis humanæ naturæ aliquos homines perficiendos præcederet, nam licet homines Chriſto anteriores intuitu ipſius venturi gratiam receperint; quia tamen Chriſtus vt exiſtens vberiorem contulit gratiam, oportuit, vt iſte vberioris gratiæ influxus

vsque ad finem mundi non differretur. Quod etiam alia congruentia à D. Thoma probatur, vt Christus multis modis hominibus gratiam conferret, nempè, vt futurus, vt præsens, & vt præteritus ad manifestationem diuinæ virtutis, quæ in tot modis conferendi gratiam eluceſcit.

DISPVTATIO PRIMA.

An peccatum mortale in ratione offensæ sit grauitatis simpliciter infinitæ?

§. I.

Vera sententia eligitur, & examinantur aliquorum rationes.

N. 1. HOC DVBIVM idcirco in tractatus limine primum statuimus: quia cætera, quæ de necessitate Incarnationis sunt discutienda, ex illius resolutione dependent, & quia D. THOM. S. THO. grauitatem offensæ assumpsit pro medio ad probandum insufficiẽtiam puri hominis, & Dei hominis necessitatem ad satisfaciendum condignè pro peccato humani generis. In quo duæ extremæ oppositæ versantur sententiæ. Prima est negatiua, quam tenent Scotus *in 4. dist. 15. quæst. vnic.* Scotus. Paludanus *in 3. dist. 20. q. 2. art. 2. in princip.* Palud. Magister Soto *in 4. dist. 19. q. 1. art. 2. ad primum argumentum, & lib. 3. de natura, & gratia, cap. 6.* in prima ratione tertiæ conclusionis. M. Soto. Suarez in præsenti *disput. 4. sect. 7.* Suarez. Vazquez *disput. 2. cap. 2.* Vazq. Eandem sententiam tenent Discipuli Scoti communiter, Moderniores Societatis frequentiùs, illisq; nonnulli ex nostris adhærent.

2 Secunda affirmans est, quam tuetur Anselmus *lib. 1. cur Deus homo? cap. 21.* vt testatur Vazquez vbi supra *num. 7.* Illam tenent Capreolus *in 3. dist. 18. 19. & 20.* Caietanus in præsenti *art. 2. §. ad alteram verò obiectionem.* Medina *dub. vnic. ad 2. argumentum.* Alvarez *disput. 3. concluſ. 3. & disp. 6. concluſ. 1.* Cornejo *disp. 2.* Illustrissimus Araujo *dub. 3.* & probabiliter Magister Sancto Thoma in præsenti, *quæst. 1. disp. 1.* quibus frequentiùs consentiunt Recẽtiores Thomistæ. Tenent etiam ex Patribus Societatis Coninch *tom. 2. de Sacramentis disp. 2. dub. 3. num. 21. & disp. 10. dub. 2.* Et Hurtado *disp. 9. sect. 3.* quos nonnulli Recentiores ex eadem familia sequuntur.

Capreol. Caietan. Medin. Alvar. Cornejo Araujo. M. S. T. Coninch Hurtado.

Sententiam istam pro conclusione statuimus. Illam probant docti Recentiores primò: nam actus attingens obiectum infinitum, quantum attingibile est, infinitatem venatur ex illo, si namque nostra cognitio Deum attingeret, quantum est cognoscibilis, euaderet infinita, Deique comprehensiua, vt omnibus est in confesso, idemq; de actu amoris erga Deum versante est dicendum; sed quolibet peccato mortali offenditur Deus, quantùm offendibilis est (non enim aliter offendi potest, quàm auferendo

3

S. Anſel.

ab illo rationem vltimi finis quoad affectum, & eam conſtituẽdo in creatura, quod in quolibet peccato mortali invenitur:) ergo quodlibet peccatum mortale eſt in ratione offenſæ grauitatis ſimpliciter infinitæ.

4. Quòd ſi eis obijciatur; non quodlibet peccatum mortale æqualiter Deum offendit, nec toto conatu poſſibili; quovis enim peccato mortali aſsignato poteſt intenſius peccatum dari: ergo nullum peccatum mortale Deum offendit, quantum offendibilis eſt, & conſequẽter minor prædicti fundamenti deficit à veritate. Reſpondent, conceſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens, ex parte ſubiecti concedunt conſequentiam, ex parte obiecti negant conſequentiam; quod explicant exemplo Angelorum: duo namque Angeli inæqualis perfectionis comprehendunt Angelum ſibi inferiorem, & conſequenter illum cognoſcunt, quantum eſt cognoſcibilis ex parte obiecti, cum hoc ſit de eſſentia comprehenſionis; & tamen ex parte ſubiecti vnus altero perfectius Angelum inferiorem cognoſcit. Sic inquiunt, peccatum v.c. furti Deum offendit, quantum eſt offendibilis ex parte obiecti, quia ab illo aufert quoad affectum rationem vltimi finis, illamque in creatura conſtituit, qualiter ſolum Deus eſt obiectiuè offendibilis; quod ſi ab alio peccato furti, vel alterius ſpeciei in conatu, vel in alio excedatur, exceſſus iſte ſubiectivus eſt, non obiectivus, ac per conſequens non tollit, quin vtrúque peccatum comprehenſivum ſit Dei in ratione offendibilis, ab illoque infinitatem ſimpliciter in ratione offenſæ recipiat.

5. Cæterum contra hanc ſolutionem obſtat primò. Nam eſto quiuis actus charitatis auferat à creatura rationem vltimi finis, illamque in Deo quoad affectum conſtituat; quia tamen poteſt Deus ferventius, ac ferventius amari, & in nullo actu totus conatus poſſibilis continetur, nullo illorum Deus diligitur, quantum diligibilis eſt: ergo quamvis quodlibet peccatum mortale à Deo affectivè auferat rationem vltimi finis, illamq; in creatura conſtituat; quia tamen in nullo illorum totus conatus poſſibilis Dei offenſivus invenitur, nullum adæquat Deum in ratione offendibilis. Confirmatur, Deus ex parte obiecti nõ aliter eſt diligibilis, quàm illum præponendo creaturis, ſuper omniaque diligendo, quod à quolibet actu charitatis præſtatur; & tamen nullus actus charitatis adæquat diligibilitatem diuinam: ergo quamvis Deus ex parte obiecti non aliter ſit offendibilis, quàm auferendo ab ipſo affectivè rationem vltimi finis, illam conſtituendo in creatura, & hoc cuilibet peccato mortali conveniat, perperam colligitur, quodlibet peccatum mortale adæquare offendibilitatem diuinam.

6. Reſpondebis, Deum in ratione diligibilis ideò à nullo amore creato adæquari, quia cum ſit bonum infinitum per eſſentiam, petit diligi amore per eſſentiam infinito: vnde ſicut ſola cognitio infinita per eſſentiam Deum adæquat in ratione cognoſcibilis, ita ſolus amor per eſſentiam infinitus in ratione diligibilis cum illo adæquatur: at verò in ratione offendibilis actum offenſivum per eſſentiam infinitum non petit; ideoq; actu entitativè finito poteſt offendi adæquatè. Sed contra: nam licet Deus non petat actum offenſivum per eſſentiam infinitum, implicat enim actus offenſivus gaudens huiuſcemodi infinitate; poteſt tamen magis, ac magis offendi, & maiori, ac maiori conatu ſine termino in infinitum; ſed in nullo peccato mortali totus hic conatus, & exceſſus invenitur: Ergo nullo peccato mortali exhauritur in ratione offendibilis, & à nullo in hac ratione adæquatur. Si fortè reſpondeas, exceſſum iſtum gradualis intenſionis in actibus offenſivis permitti, non tamen peti à Deo in ratione offendibilis; exceſſum autem permiſſum, non verò poſtulatum ab obiecto, non tollere ab actu tali exceſſu non gaudente adæquationem cum ipſo, ſicut nec tollit ab actu cognoſcitiuo adæquationem cum obiecto, vt

cog-

cognoscibili, quod illud non attingat, quantū cognoscibile est permissiuè, sed solum si illud nō cognoscat, quantum positiuè petit ab intrinseco cognosci, aliàs nullus intellectus creatus comprehēdere posset formicam, cum posit à Deo actu per essentiam infinito cognosci, nullusque intellectus creatus talis perfectionis sit capax. Obstat contrà hanc solutionem, sequi ex illa peccatum veniale Deum adæquare in ratione obiecti offendibilis; consequens absurdum est: ergo solutio insufficiens. Probatur sequela: Deus in ratione obiecti non petit offendi affectu auferente ab ipso rationem vltimi finis, sed tantum permissivè se habet in ordine ad istum affectum; non enim offensam petit, sed solum illam permittit: ergo si in peccato mortali intensionis gradualis, vt duo, stat æqualitas cum Deo in ratione offendibilis, & si careat vlteriori intensione, quàm Deus potest terminare, quia excessum illum intensivum non petit, peccatum veniale, esto careat grauitate ortà ex affectu tollente à Deo rationem vltimi finis, adæquabit Deum in ratione offendibilis.

7. Deindè contrà principalem solutionem arguitur. Peccatum grauissimum non excedit Deum in ratione offendibilis, sed ad summum poterit cum illo adæquari: ergò peccatum minoris grauitatis non adæquat offendibilitatem diuinam. Antecedens probatione non eget; consequentia autem offenditur primò, quia omninò repugnans videtur, duo inter se inæqualia cum tertio adæquari. Secundò, nam peccatum minus graue non adæquat vim offensivam peccati grauioris; sed hæc non excedit, sed ad summum adæquari potest cum Deo in ratione offendibilis: ergo illi in hac ratione non potest peccatum minus graue adæquari. Et quidem in exemplo Angelorum in fauorem solutionis assumpto contra illam argumentatum habemus. Si namque Angelus alio superior non excederet cognoscibilitatem Angeli, quem vterque cognoscit, sed solum illam adæquaret, non posset inferior Angelus cognoscibilitatem Angeli comprehensi adæquate, nisi adæquaret vim cognoscitiuam Angeli superioris: ergo si peccatum grauissimum non excedit Deum in ratione offendibilis, peccatū illo inferius in grauitate non potest Deum sub hac ratione adæquare.

8. *Recētiores.* Secundò alij Recentiores sic arguunt pro nostra sententia. Actio destructiua termini infinitè boni est grauitatis infinitæ simpliciter; sed quodlibet peccatum mortale est destructivum Dei, qui est infinitè bonus: ergò quodlibet peccatum mortale est grauitatis infinitæ simpliciter. Minor exindè constat: nam quodlibet peccatum mortale tollit à Deo rationem vltimi finis: ergò est destructivum Dei, qui non potest sine hac ratione subsistere. Maiorem autem probant: non esse termini infinitè boni, est malum infinitè; sed actio destructiua adæquatur in ratione mali, cum non esse termini destruendi: ergò actio destructiua termini infinitè boni, est mala infinitè.

9. Cæterùm nec ista ratio convincit intentum. Primò, nam eodem modo actus charitatis est, vt ita loquar, ædificativus Dei, quo peccatum mortale est illius destructivum; & tamen ex hoc non probatur, actum charitatis esse bonum infinitè simpliciter: ergò nec peccatum mortale ex hoc solo principio infinitæ grauitatis convincitur. Probatur maior: peccatum non effectivè, sed affectivè tantùm tollit esse diuinum, cum solum hoc modo auferat à Deo rationem vltimi finis; sed actus charitatis dat esse Deo affectivè, cum in illo rationem vltimi finis affectivè constituat: ergò eodem modo est actus charitatis quasi ædificativus Dei, quo peccatum mortale est Dei destructivum. Respondeo, actum charitatis non posse respicere esse Dei per modum effectus, nisi conditionatè ex parte principij, sub conditione, scilicet, quòd homo esset Deus, & conditionatè ex parte termini, nempè, sub cōditione, quod esse Dei foret factibile;

& ideo ab eſſe Dei inſpecto per modum effectus non poteſt infinitam dignitatem recipere; peccatum autem non conditionatè, ſed abſolutè reſpicit non eſſe Dei per modum effectus, non quidem effectivè, benè autem affectivè; & ideo à non eſſe Dei inſpecto per modum effectus recipit grauitatem moralem infinitam ſimpliciter. Sed contrà, ideo eſſe Dei non poteſt per amorem reſpici affectivè, vt effectus, niſi ſub illa duplici conditione, quia ſolum ſub illis poteſt eſſe Dei ſubinducre rationem factibilis; ſed non eſſe Dei ſolum poteſt induere rationem poſsibilis ſub conditione ex parte principij, ſcilicet, potentiæ in peccante ad deſtruendum eſſe diuinum, & ex parte termini, nempè, ſub conditione, quòd eſſet poſsibilis diuini eſſe deſtructio: ergo eodem modo eſt conditionatè peccatum deſtructivum Dei, quo actus charitatis eſt veluti factivus illius.

10. Deindè reijcitur: vel deſtructio Dei tribuit grauitatem offenſæ per modum termini ſpecificantis extrinſecè, vel per modum formæ moralis: non primum, vt Recentiores ipſi fatentur; terminus namque, & obiectum extrinſecum, & ſi in ſe infinita ſint, non præſtant infinitatem actui finito modo in illa tendenti: nec ſecundum, cui namque forma poſitiua intrinſecè cõuenire non poteſt, nequit eſſe intrinſeca talis formæ priuatio; ſed, vt iſti Auctores fatentur, eſſe Dei nequit intrinſecè, adhuc moralitèr, informare offenſam; quo circa ipſi docent, peccatum non infinitari à Deo vt ſubiecto offenſæ, quià omninò extrinſecè comparatur cum illa: ergò non eſſe Dei, ſeu illius priuatio; aut deſtructio nequit eſſe forma offenſam moralitèr intrinſecè informans, & illam in genere moris infinitans.

11. Denique reijcitur: vt non eſſe Dei ſubinduat rationem formæ moralis debet eſſe moralitèr poſsibile; forma namque in eo genere, in quo munus formæ exercet, poſsibilis eſſe debet; ſed non eſſe Dei, ſeu diuini eſſe deſtructio, nec moralitèr obtinere poteſt rationem poſsibilis, maximè iuxta iſtorum Auctorum principia: ergò nequit infinitare offenſam, vt illius forma moralis. Probatur minor; vt non eſſe Dei moralitèr ſit poſsibile, Deus debet eſſe moralitèr deſtruibilis; ſed Deum eſſe moralitèr deſtruibilem non minus, imò magis repugnat, quàm Deum eſſe moralitèr mutabilem, quod præfati Auctores cenſent omninò impoſsibile; & idcircò docent, Deum eſſe non poſſe moralitèr ſubiectum offenſæ, quià aliàs mutaretur moralitèr: ergo non eſſe Dei obtinère nequit rationem poſsibilis adhuc moralitèr. Explicatur, & vrgetur: non minus repugnat, Deum eſſe in potentia ad ſui non eſſe, vel ſui deſtructionem, quàm in potentia ad receptionem formæ; ſed iſti Auctores impoſsibile cenſent, Deum eſſe in potentia ad receptionem formæ, non ſolum phyſicæ, ſed etiam moralis, & idcircò tenent offenſam, nec moralitèr Deum vt ſubiectum reſpicere: ergo impoſsibile tenentur cenſere, Deum eſſe in potentia ad ſui deſtructionem moralem, vel in eſſe morali poſsibilem.

12. Tertiò alij ſic arguunt pro infinitate offenſæ mortalis: pœna æterna non niſi demerito infinito in genere moris poteſt condignè deberi; ſed peccatum mortale condignè pœnam æternam meretur, imò Deus in æternum puniens citrà condignum punit, vt docet commune Theologorum axioma: ergo in genere moris eſt infinitum ſimpliciter, cumque id in ratione malitiæ non habeat, erit in ratione offenſæ ſimpliciter infinitum. Probant maiorem: effectus infinitus nequit contineri in cauſa efficiente finita; ſed pœna æterna eſt pœna infinita, vtpotè excedens pœnam infinitè intenſam tempore finito durantem. ergo nequit, vt effectus contineri in cauſa efficiente morali, niſi talis cauſa ſit moralitèr infinita, ac per conſequens peccatum mortale talem effectum præcontinens eſt infinitum moralitèr.

13. Sed contrà rationem iſtam obſtat primò, eſſe ſolum à poſteriori: ergo

eſto

esto vrgens sit, dummodò ana a priori non assignetur, vt Recentiores quidam hac sola ratione contenti non assignant, insufficienter probatur infinitas offensæ mortalis. Deindè nam iusti bonis operibus in Deo factis de congdigno vitam æternam merẽtur; & tamen illorum merita infinita in genere moris non sunt: ergò æternitas præmij infinitum præmium non est, neque infinitus effectus, arguens in causa efficiente infinitatem moralem in ratione meriti: & consequenter, nec æternitas pœnæ, infinita pœna erit, aut infinitus effectus, ex quo in illius causa morali infinitas demeritoria sufficienter inferatur. Mitto plura, quibus Recentiores vim huius obiectionis conantur eludere, quorum examen pertinet ad tractatum de merito 1.2. *quæst.* 114.

14. Quartò alij sic probant; nam per quodlibet peccatum mortale postponitur Deus creaturæ, & creatura Deo præponitur, in quo grauis Dei offensa consistit; sed huiusmodi antellatio, seu inæqualitas est infinita simpliciter, cum sit inter extrema simpliciter infinitè distantia: ergò peccatum mortale in ratione offensæ est grauitatis simpliciter infinitæ. Sed nec ista ratio intentum sufficienter conuincit, & contrà illam facit primò: nam per actum charitatis Deus præponitur creaturæ, quæ antellatio est infinita, cum sit inter extrema distantia inter se infinitè; & tamen actus charitatis infinitæ dignitatis non est: ergò ex hoc præcisè quòd peccatum mortale Deum postponat creaturæ, & inter creaturam, & Deum infinita distantia intercedat, non rectè colligitur esse grauitatis simpliciter infinitæ. Deindè, nam esto distantia illa sit simpliciter infinita; dummodò tamen actu finito attingatur, poterunt contrarij Auctores asserere, illum non constituere infinitum in aliquo esse: ergò nisi hæc ratio iuuetur aliundè, non est ad intentum sufficiens. Præterea, nam peccatum mortale in ratione auersionis, & conuersionis non est infinitum simpliciter, alias esset infinitum simpliciter in ratione malitiæ, quod Auctoribus nostræ sententiæ non placet; & tamèn inter terminum ad quem, & à quo est infinita distantia: ergo ex eo quòd offensa in prædicta inæqualitate consistat, quæ inter extrema infinitè distantia versatur, non benè infertur, esse grauitatis infinitæ simpliciter.

15. Denique, nam dato per impossibile, quòd essent duo Dij, & vnus offenderet alium, offensa in ipsum commissa infinitæ grauitatis esset; & tamèn distantia infinita inter offendentem, & offensum non foret: ergo ex distantia non sumitur infinitas grauitatis offensæ. Dices, non fore distantiam subiectiuam, tunc casus, idest, inter offendentem, & offensum; fore tamèn distantiam obiectiuam infinitã in antellatione creaturæ ad Deum, inter quæ infinita distantia inuenitur. Sed contrà, nam posset in hypothesi confictà vnus Deus alium offendere, non anteponẽdo creaturam Deo, sed seipsum alteri Deo præferendo: at in isto casu non esset infinita distantia, nec subiectiua, nec obiectiua: Ergò ablatà vtraque distantia, subsistit infinitas grauitatis offensæ, & consequenter ratio à priori, & constitutiua istius infinitatis dicta distantia non est.

16. Respondebis: verum esse, admissa prædicta hypothesi, non ex distantia sumendam infinitatem offensæ, sed ex operante infinito conatu infinito offendente; ex quo tamèn non colligitur, modò fictionibus non suppositis, non sumi ex dicta distantia. Sed contrà primò, nam ablatà ratione formali constitutiua alicuius, nec in casu etiam conficto, potest constitutum remanere: ergò si in casu, & hypothesi confictis manet grauitas offensæ infinita absque prædicta distantia, hæc non est ratio formalis constitutiua offensæ in ratione grauis infinitè simpliciter. Deindè, nam sequitur ex hac solutione fore in eo casu offensam æquè grauem, ac est digna satisfactio Christi: consequens est falsum: ergo. Sequela probatur, nam operans quod in eo casu daret grauitatem offensæ adæquaret personam Christi

propria merita dignificãtem, & aliundè eſſet phyſicè cum actu offenſiuo vnitum immediatius, quàm perſona Chriſti cum actibus meritorijs: ergo ſi ex perſona offendente grauitas offenſæ veniret, adæquaret, imò excederet valore ſatisfactorium operationum Chriſti. Deindè falſitas conſequentis probatur, nam offenſa à nobis commiſſa in Deum adæquat grauitatem offenſæ ab vno Deo commiſſæ in alterum Deum, vt in datâ hypotheſi ponitur; ſed offenſa à nobis in Deum commiſſa non adæquat valorem operum Chriſti, aliàs eius ſatisfactio ſuperabundans non fuiſſet pro peccato humani generis: ergò offenſa ab vno Deo in alterum Deum commiſſa, non adæquaret valorem ſatisfactorium operationum Chriſti.

17. *M. Sancto Thoma.* Magiſter Sancto Thoma vbi ſuprà §. *dico ergo infinitatem peccati*, indè probat, eſſe grauitatis ſimplicitèr infinitæ, quià peccatum in ratione iniuriæ lædit ius Dei fundatum in maieſtate, & dignitate diuina, & non ſolum lædit hoc ius, ſed etiam lædit ius, & dignitatem omnium creaturarum, ita vt ſi per impoſsibile omnes creaturæ ſub omnipotentia contentæ eſſent de facto productæ, læſo diuino iure, & diuina dignitate, omnium illarum ius, & dignitas læderetur; ſed iniuria Deum, & omnes creaturas lædens eſt in ratione offenſæ ſimplicitèr infinita: ergò peccatum in ratione offenſæ, & iniuriæ eſt grauitatis ſimplicitèr infinitæ. Conſequentia tenet: minor videtur conſtans, nam attingit infinitas creaturas iniuriando: ergo eſt in ratione iniuriæ infinita ſimplicitèr. Maiorem autem probat ex D. Thom. 2. 2. *q.* 65. *art.* 4. vbi docet, *quod quanto aliqua iniuria in plures redundat, cæteris paribus, tanto grauius eſt peccatum, & indè eſt, quòd grauius eſt peccatum, ſi quis percutiat Principem, quàm priuatam perſonam, quia redundat in iniuriam totius multitudinis.* Ex quibus verbis ſic arguit: iniuria irrogata Principi redundat in totam multitudinem ſibi ſubiectam, quia Princeps eſt illius multitudinis caput; ſed Deus, & Princeps, & caput eſt totius multitudinis creaturarum: ergo iniuria irrogata Deo in iniuriam omnium creaturarum redundat, Deoque iniuriato, & offenſo, omnis iniuriatur creatura. Sic diſcurrit pro infinitate offenſæ ſimplicitèr ſapientiſsimus iſte Magiſter.

S. Tho.

18. Cæterum contrà eius diſcurſum obſtat primò, omnes Theologos concedentes infinitatem ſimplicitèr, vel ſecundum quid offenſæ commiſſæ in Deũ, ex Deo offenſo illam deſumere abſque recurſu ad creaturas offenſas in ipſo Deo: ergò recurſus iſte eſt ſuperfluus. Deindè, nam Deus ratione ſui eſt dignitatis ſimplicitèr infinitæ: ergò illius dignitas formalitèr ſumpta, & ratione ſui inſpectà eſt ſufficiens dare offenſæ infinitatem, quin ad hoc ſit neceſſarium ad multitudinem creaturarum in Deo offenſam, & iniuriatam recurrere. Tertiò, nam licet Deus nullam contineret creaturam, & nullius creaturæ eſſet caput, offenſa in ipſum commiſſa infinitam grauitatem haberet: ergò vt grauitatis infinitas in offenſa probetur, neceſſarium non eſt, creaturas in ipſo offendi, illarumque dignitatem iniuriari in diuina dignitate iniuriata. Præterea, nam ſi maieſtas infinita diuina inſpectà ratione ſui non præſtat offenſæ infinitatem ſimplicitèr, ideo erit, quià attingitur per modum obiecti, & offenditur conatu finito: obiectum autem tametſi infinitum ſit, attactum finito modo non dat actui infinitatem: at hæc ratio æquè militat in Deo offenſo, & creaturis offenſis in ipſo, atque in Deo ſolo offenſo: ergò ſi Deus inſpectus ratione ſui non dat offenſæ grauitatem infinitam ſimplicitèr, nec Deus offenſus, & ſimul creaturæ in ipſo dant huiuſcemodi infinitatem.

19. Denique, & explicatur magis hoc ipſum. Obiectum tametſi infinitum ſit, attactum finito modo non præſtat infinitatem actui, nec malitiæ, nec bonitatis; ſed tàm Deus, quàm creaturæ in ipſo, & cum ipſo offenſæ comparantur obiectivè ad offenſam, vel iniuriam, vt fatetur doctiſsimus iſte

Ma-

Magister, & peccatum Deum offendens finito gaudet conatu: ergò à Deo offenso, & à creaturis offensis in ipso infinitam grauitatem non accipit. Minor cum consequentia tenet; maior autem constat in amore, & odio Dei, quæ erga obiectum infinitum versantur; & tamen quia finito modo id attingunt, amor prosecutivè, & odium auersivè, neutrum accipit à Deo aliquam infinitatem: ergo obiectum tametsi infinitum sit, attactum finito modo nullam in actum infinitatem transfundit. Et ex his præcluditur solutio præfati Magistri asserentis, Deum, quià per peccatum mortale non offenditur omni modo, quo potest offendi, non dare illi infinitatem simpliciter, prout *simpliciter* est idem, quod omnibus modis tale; benè tamèn prout *simpliciter* contraponitur ad *secundum quid*. Ex his, inquam, hoc effugium manet præclusum, quia namque odium erga Deum obiectivè versatur, & finito modo illum tangit, non accipit ab illo aliquod genus infinitatis simpliciter: ergò si peccatū in ratione offensæ obiectiuè comparatur ad Deum, & si in illo offendat creaturas; quia tamèn finito conatu offendit, nullum modum infinitatis simpliciter accipit.

20. Explicatur, & vrgetur: etenim si verū est, Deo iniuriato, iniuriari omnem creaturam, quia est illarum Princeps, & caput, etiam verum erit, Deo terminante odium, odio haberi omnem creaturam; & tamen ex hoc malitia odij non euadit infinita simpliciter, nec prout *simpliciter* est idem, quod omnibus modis tale, nec sumpto ly *simpliciter* contraponitur ad *secundum quid*: ergò pariter, ex Deo offenso, & omnibus creaturis in ipso iniuriatis, peccatum in ratione offensæ, & iniuriæ nullo modo euadit infinitum simpliciter, si sub prædicta ratione solum, vt obiectum comparatur ad Deum. Consequentia est bona. Maior cōstat à paritate rationis, & minor probatur: vt enim omnes Theologi fatentur, malitia specifica odij Dei nō est maior in ratione malitiæ bonitate specifica actus dilectionis diuinæ; sed bonitas diuinæ dilectionis nō est infinita vllo genere infinitatis simpliciter: ergò malitia specifica odij nullà infinitate simpliciter tali gaudet.

§. II.

Probatur nostra sententia testimonijs D. Thomæ.

21. S. Tho. MIssis igitur his argumentis suadenda est nostra conclusio primò ex D. Thom. 3. *sent. dist.* 20. *q.* 1. *art.* 2. circa principium corporis, illis verbis: *Ad hoc autem, quòd satisfactio esset condigna, oportebat, quòd haberet virtutem infinitam, quia peccatum, pro quo fiebat satisfactio, infinitatem quandam habebat ex tribus. Primò, ex infinitate diuinæ maiestatis in quantum offensa fuerat per contemptum obedientiæ; quanto enim maior est, in quem peccatur, tanto est maior culpa, &c.* Id ipsum repetit 3. ad Annibaldum *dist.* 20. *quæst. vnic. art.* 1. *quæst.* 2 8. *de veritate art.* 2. Et in hac quæstione *art.* 2. *ad secundum*. Ergò ex mēte D. Thom. peccatum in ratione offensæ est grauitatis simpliciter infinitæ. Respondebis communi solutione, ex verbis D. Thom. non colligi in peccato mortali grauitatem infinitam simpliciter, sed tantum secundum quid, vt clarè videtur ostendere illa particula *quandam*, quæ, cum sit dictio diminuens, denotat, grauitatem peccati deficere ab infinitate simpliciter, essèque tantum secundum quid infinitam.

22. S. Tho. Cæterum contrà hanc solutionem obstat primò D. Thom. *q.* 2. *de Malo art.* 9. *ad* 5. illis verbis: *A bono infinito aliquis auertitur actu finito, & ideò peccatum essentialitèr finitum est, licet habeat aliquam habitudinem ad bonum infinitum.* Ex quibus verbis tale argumentum contra istam solu-

tio-

tionem conſurgit. Habitudo peccati ad bonum infinitum non deficit à ratione veræ habitudinis, & quæ ſit habitudo ſimpliciter; & tamen D. Thom. illam vocat *aliquam habitudinem*, quod eſt idem, ac ſi illam *quandam habitudinem* appellaret: ergo ex hoc quòd infinitatem in peccato repertam explicet per particulam *quandam*, non licet de mente D. Tho. colligere, quòd deficiat ab infinitate tali ſimpliciter. Deindè nam D. Tho. ex infinitate peccati colligit ad condignè ſatisfaciendum pro illo eſſe neceſſariam infinitam dignitatem operationum hominis Dei, nec puri hominis ſatisfactionem ſufficere: ſed ex infinitate ſecundum quid grauitatis offenſæ non rectè id colligeret, vt ex dicendis diſputatione ſeq. conſtabit: ergò concedit peccato infinitatem ſimpliciter.

23. Denique, & vrgentius tradita ſolutio reijcitur; nam D. Thom. loquēs de meritis Chriſti, explicanſque illorum infinitatem vſus eſt eàdem particula, vt conſtat S. Tho. *ex 2. ſentent. diſt. 9. q. 1. art. 8. ad 2.* illis verbis: *Tùmetiam in quantum merita noſtra efficaciam habent ex merito Chriſti, cuius gratia eſt quodammodo infinita.* Vbi aduertendum eſt, loqui D. Thomam de gratia ſubſtantiali vnionis, cum loquatur de illa gratia, ex qua Chriſti merita valorantur, vt ex illis noſtra merita efficaciam ſortiantur, cuius infinitatem explicat dictione *quodammodo*; cum tamèn in communi ſententia ſit infinita ſimpliciter. S. Tho. Et *in 4. ſent. diſt. 14. q. 2. art. 1. quæſtiuncula 1. ad 4.* illis verbis: *Habet etiam efficaciam ex virtute paſſionis Chriſti, quæ infiniti valoris quodammodo eſt, in quantum fuit paſſio Dei, & hominis.* Quod etiam repetit S. Tho. *diſt. 15. ſeq. quæſt. 1. art. 2. ad primum, & q. 29. de veritate art. 3. ad 4.* ſic ait: *Vndè, & meritum Chriſti non fuit infinitum ſecundum intenſionem actus; finitè enim diligebat, & cognoſcebat, ſed habuit quandam infinitatem ex circunſtantia perſonæ, quæ erat dignitatis infinitæ; quanto enim maior eſt, qui ſe humiliat, tanto eius humilitas maior eſt.* Quod etiam docet in eadem quæſtione *art. 3. ad 4.* & tamèn Auctores traditæ ſolutionis concedunt meritis Chriſti infinitatem ſimpliciter in genere meriti, vt ex mente D. Thom. ergò illa particula *quandam*, quà vtitur D. Thom. explicans infinitatem peccati, non denotat defectum ab infinitate morali in ratione offenſæ tali ſimpliciter, ſed defectum ab infinitate in genere phyſico Chriſti meritis, & diuinæ offenſæ communem, vel defectum ab infinitate morali in ratione malitiæ, vel defectum ab infinitate ſimpliciter, prout *ſimpliciter*, eſt idem quod omnibus modis tale; non verò prout *ſimpliciter* ſumitur contrapoſitiuè ad *ſecundum quid*.

Reſpondebis negando conſequentiam; nam licet D. Thom. in præallegatis locis cum illo addito diminuente de infinitate meritorum Chriſti loquatur; alibi tamèn abſolutè, & ſinè tali addito infinitatem illis conceſſit, vt conſtat *ex quæſt. 29. de veritate art. 3. ad 8.* illis verbis: *Dicendum quòd ex circunſtantia perſonæ habet anima Chriſti, quòd poſſit ſuper infinita, ex quo meritum eius habet infinitatem.* Peccato autem ſempèr cum illo addito diminuente infinitatem attribuit. Ex qua diuerſitate in modo loquendi Angelici Præceptoris colligi ſufficientèr videtur, mentem eius fuiſſe, in peccato dari infinitatem ſecundum quid, adhuc in genere moris: in meritis autem Chriſti infinitatem moralem ſimpliciter reperiri. Sed contra, nam D. Thom. *1. 2. q. 87. art. 4. in corpore*, etiam concedit peccato infinitatem ſine addito diminuente, vt conſtat ex illis verbis. *Dicendum quòd pœna proportionatur peccato; in peccato autem duo ſunt, quorum vnum eſt auerſio ab incommutabili bono, quod eſt infinitum: vndè ex hac parte peccatum eſt infinitum, &c.* Quibus verbis ſinè vllo addito diminuente concedit D. Thom. infinitatem peccato. Ergò nullum eſt diſcrimen in modo loquendi Angelici Præceptoris de infinitate peccati, & de infinitate meritorum Chriſti, ex quo poſſit cum fundamento inferri, tribuere

24. S. Tho. S. Tho.

pec-

peccato mortali infinitatem moralem, non simpliciter; sed secundum quid; meritis autem Christi concedere infinitatem moralem simpliciter.

25. Nec interas (vt tacitæ obiectioni occurramus) peccatum in ratione auersionis esse infinitum simpliciter, nam ly *ex hac parte* non cadit suprà auersionem, sed supra *incommutabile bonum*, quod infinitum est, & ex quo offensa peccati mortalis redditur infinita simpliciter, vt infrà explicabimus. Vel aliter possunt prædicta verba explicari, videlicet, ex parte auersionis habere peccatum mortale infinitam grauitatem, non quià in ratione auersionis sit infinitũ simpliciter, sed quià ex illa habetur, quòd Deus grauiter offendatur, quatenus ratio vltimi finis quoad affectum tollitur per auersionem ab ipso. Ex quo vlterius fit, vt offensa moraliter Deũ afficiens, & in illo subiectata moraliter ab ipso vt forma morali reddatur infinita simpliciter. Vndè ly *ex hac parte* non denotat rationem formalem, sed prærequisitum necessarium, vt peccatum mortale à Deo vt subiecto offenso, & vt à forma morali infinitè graue constituatur: quò circa peccatum veniale, & si in ratione offensæ etiam subiectetur in Deo, quià non auertit ab illo, non constituitur in ratione offensæ infinitum, vt inferius explicabimus.

26. Sed dices: eandem infinitatem, quam tribuit D. Thom. peccato ex parte auersionis, concedit priuationi beatitudinis, in qua pœna damni consistit; sed infinitas pœnæ damni non est simpliciter talis, sed tantum secundum quid: ergò infinitas, quam in prædicto testimonio attribuit D. Thom. peccato, non est infinitas simpliciter, sed tantum secundum quid. Consequentia cum minori tenet; maior autem probatur, nam docet D. Thom. quòd quià pœna debet proportionari culpæ, & in peccato est infinitas ex parte auersionis, quatenus auertit ab incommutabili bono, quod est infinitum, ideò illi ex parte auersionis correspondet pœna infinita, videlicet, pœna damni, quæ etiam infinita est, quià est amissio boni infiniti: ergò eandem infinitatem, quam atribuit peccato mortali, concedit pœnæ damni, quà ex parte auersionis punitur.

27. Respondeo negando maiorem, ad cuius probationem dicatur, D. Thomam non loqui de proportione pœnæ, & culpæ inspectæ secundum se; sic enim cuiuis peccato mortali deberi omnem pœnam possibilem ex infrà dicendis constabit: sed de proportione secundum taxationem iustitiæ diuinæ, iuxta quam peccato ex parte auersionis correspõdet pœna damni, quæ quodammodo est infinita; non tamèn tanta, quanta est grauitas peccati, alias Deus non puniret illud citrà condignum contrà commune Theologorum axioma. Ex quo euidenter infertur, non posse D. Thomam pœnæ damni, & peccato graui eandem infinitatem adscribere: si namque eadem vtriusque infinitas esset, peccatum priuatione beatitudinis adæquatè puniretur, & consequentèr Deus non citrà condignum, sed condignè omninò illud pœna damni puniret, quod nullus Theologorum admittet.

28. Deindè principaliter suadetur conclusio ex eodem D. Thom. *in 2. sent. dist. 42. q. 1. art. 5. in corpore*, illis verbis: *Dicendum, quòd ratio, quare ad æternam pœnam obligat, potest sumi ex tribus. Primò ex parte eius, in quem peccatur, qui est infinitè magnus, scilicèt, Deus: vndè, & offensa illius infinità pœnà digna est, quià quantò est dignior, in quem peccatur, tantò peccatum magis punitur.* S. Tho. Et solutione adsecundũ sic habet: *Dicendũ, quòd ex hoc, quod contra infinitum peccat, debetur sibi pœna infinita; non autem potest esse infinita acerbitate, quià in creatura finita non potest esse qualitas infinita, sed compensatur per durationem infinitam.* Ex qua doctrina tale argumentum pro nostra sententia conficio. Causa efficiens continens moraliter infinitum effectum, non potest non esse infinita in genere moris: tum; quià effectus infinitus non potest physicè contineri in causa finita physicè, &

con-

conſequentèr, nec poterit contineri moralitèr in cauſa moralitèr finita: tùm etiam, quià effectus nequit ſui cauſam efficientem principalem excedere in eo genere, in quo eſt cauſa; excederet autem, ſi effectus infinitus eſſet, & cauſa finita; ſed peccatum mortale efficientèr moralitèr continet infinitum effectum; demeritum enim efficientèr moralitèr continet pœnam, ſicut meritum efficientèr moraliter continet præmium: peccatum autem, quià contrà Deum eſt, pœnam infinitè acerbam meretur, vt conſtat ex verbis D. Thom. relatis: ergò ex parte, quà Deum offendit, eſt infinitum moralitèr.

29. Confirmatur primò; etenim præcipui Auctores, contrà quos noſtra concluſio procedit, indè colligunt infinitatem valoris meritorij ſimplicitèr in meritis Chriſti Domini, quià Clemens Sextus *in Extrauagante* vnigenitus, ait: *Timendum non eſſe, nè abundantia peccatorum Theſaurus Eccleſiæ extinguatur propter infinita merita Chriſti.* Extingui autem poſſet Theſaurus Eccleſiæ, & efficacia meritorum Chriſti exhauriri peccatorum multitudine, ſi infiniti valoris non eſſent; ſed quacumque multiplicatione pœnarum extingui, aut exhauriri nequit efficacia demeritoria competens peccato mortali ex eo, quòd eſt contrà Deum, & illum offendit grauitèr, cum ex hac parte ſit dignum pœna infinita: quacumque autèm pœna aſſignata minor infinita ſit: ergo eſt grauitatis in genere moris ſimplicitèr infinitæ. Explicatur, & vrgetur ſecundò. Vis ſatisfactoria pro culpis ſyncathegorematicè infinitis eſt in argumento his Auctoribus ad inferendam infinitatẽ valoris in meritis Chriſti ſimplicitèr: ergò vis demeritoria pœnarum ſinè termino in infinitum efficacitèr arguit in peccato mortali infinitatem in ratione offenſæ ſimplicitèr; ſed huiuſcemodi vis in peccato mortali inuenitur, cum iuxta D. Thomam ſit dignum, vt pœna infinita puniatur: ergò eſt in ratione offenſæ grauitatis ſimplicitèr infinitæ.

Clem. 6.

Reſpondebis, ad continẽtiam moralem pœnæ infinitæ ſufficere, quòd peccatum ſit in ordine ſuperiori, nec requiri, quòd ſit ſimplicitèr infinitum; homo namque, tametſi finitus ſit, ſuperat in perfectione infinitas ſpecies poſsibiles animalium, & intellectus entitatiuè finitus continet intellectiones ſyncathegorematicè infinitas. Sed contrà primò; nam eàdem ratione poſſet etiam reſponderi in meritis Chriſti ſufficere, quòd ſint ordinis ſuperioris, eſto infinita non ſint, vt gaudeant vi ſatisfactiuà pro culpis ſyncathegorematicè infinitis; ſed hoc allegati Auctores non dicent, aliàs argumentum, quo probant illorum infinitatem, ex auctoritate Clementis, prorſus inefficax eſſet: ergò nec ſolutionem traditam poſſunt admittere. Deindè, nã aliud eſt, *aliquid non* æquari in perfectione ab infinita multitudine ſpecierum inferiorum, & aliud illas actu præcontinere, vt ſufficiens cauſa effectiua: primum non arguit infinitatem in aliquo genere, vt conſtat in exemplo adducto hominis; benè tamen ſecundum, nec oppoſitum poteſt aliquo exemplo probari; intellectus namque non continet actu, vt cauſa adæquata, & completa infinitas cognitiones poſsibiles, ſed ad hoc indiget complemento ſpecierum: at peccatum continet infinitum effectum, vt adæquata cauſa efficiens moralis: ergò eſt infinitum ſimplicitèr in genere moris. 30.

Prætereà, nam vis effectiua phyſica effectus cathegorematicè infiniti ſub ſolà conditione poſsibilitatis effectus non poteſt conuenire cauſæ phyſicæ finitæ, eſto in ſuperiori ordine ſit conſtituta: ergo vis effectiua moralis effectus cathegorematicè infiniti ſub ſolà conditione poſsibilitatis effectus, non poteſt conuenire cauſæ in genere moris finitæ, tametſi in ſuperiori ordine collocetur; ſed peccatum mortale habet hanc vim effectiuam moralem ſub prædicta conditione obiectiua; ſi namque eſſet poſsibilis pœna cathegorematicè infinita, peccatum mor- 31.

tale

tale illam mereretur condigne invariatum formaliter quoad grauitatem ex persona offensa sumptam; ergo non solum est grauitatis ordinis superioris, sed etiam in genere moris simpliciter infinitæ.

32. Denique, nam si peccatum non esset simpliciter infinitum, sed solum gauderet superioritate ordinis, pœna eiusdem ordinis condigne, & adæquatè punitum maneret; sed hoc est falsum: ergò est infinitum simpliciter in genere moris. *Minor*, in qua est difficultas, probatur. Carentia diuinæ visionis est pœna eiusdem ordinis cum grauitate culpæ mortalis, cum in sententia contraria grauitas peccati mortalis solum extrinsecè, & obiectiuè sit infinita; quia nempe auertit à Deo, Deumque offendit, qui bonum infinitum est, quæ infinitas etiã pœnæ damni conuenit, quæ in amissione, & carentia Dei summe boni consistit; sed hac pœna non condignè, & adæquatè, sed inæqualiter, & citrà condignum peccatum mortale punitur, vt commune docet Theologorum axioma: ergo pœna ordinis superioris non adæquat grauitatem offensæ mortalis, & cõsequenter hæc non solum existit in superiori ordine grauitatis, sed in ordine infinito simpliciter.

§. III.

Probatur eadem sententia à ratione.

33. TERTIO principaliter suadetur conclusio fundamento à priori sumpto ex doctrina D. Thomæ. Grauitas offensæ crescit iuxtà mensuram dignitatis personæ, cui iniuria fit, vt ex Aristotele, & D. Thoma fatentur communiter Theologi, & exemplis conuincitur: iniuria namque irrogata plebeio minor est illa, quæ irrogatur equiti, & hæc minor est illa, quà offenditur Princeps, quià Princeps equitem, & eques plebeium excedit in dignitate; sed persona per peccatum mortale offensa, scilicèt Deus, est dignitatis infinitæ simpliciter: ergò offensa contrà Deum commissa est grauitatis simpliciter infinitæ. Communis huius argumenti solutio est, offensam non crescere arismethicè, hoc est, ad æqualitatẽ incrementi dignitatis personæ iniuriatæ per ipsam, sed solum geometricè, hoc est, secundum proportionem: vnde ex hoc, quòd Deus per peccatum offensus sit dignitatis infinitæ simpliciter, non sequitur, peccatum in ratione offensæ esse grauitatis simpliciter infinitæ, sed solum quòd excedat omnem offensam irrogatam creaturis: sicut licet actus crescat ex incremento perfectionis obiecti, non sequitur, actum attingentem obiectum infinitum, infinitâ perfectione gaudere, sed solum quòd excedat actus omnes erga obiecta inferiora versantes, vt constat in visione beatifica, quæ habet infinitum obiectum, & tamen infinita non est.

34. Cæterum contra hanc solutionem insurgo sic primo; vt enim illius Auctores fatentur, Deus per peccatum mortale offensus illi præstat grauitatem in ordine superiori existentem; quo circà contra Scotum docent, non posse à pura creatura, etiam de potentia absoluta, pro eo condignè satisfieri; sed eadem ratio est transfusionis in offensam grauitatis ordinis superioris, & grauitatis simpliciter infinitæ, ergo non solum transfundit in peccatum mortale grauitatem ordinis superioris, sed etiam grauitatem simpliciter infinitam. Probatur minor. Ideò Deus offensus communicat offensæ irrogatæ in ipsum grauitatem ordinis superioris, quià ipse superioris ordinis est; sed Deus non solum est dignitatis ordinis superioris, sed etiam dignitatis simpliciter infinitæ: ergò eadem ratio militat, vt communicet offensæ infinitatem simpliciter, atque vt communicet superioritatem in ordine. Se-

Arist. S. Thom.

cun-

cundò contrà eandem ſolutionem inſurgo. Deus per peccatum offenſus non eſt minùs ex ſe potens dare infinitatem ſimpliciter, quàm ſuperioritatem in ordine; & aliàs ex parte offenſæ nulla eſt ratio aſsignabilis, cur vnum, & non aliud participet: ergò grauitas offenſæ diuinæ non ſolum eſt ordinis ſuperioris, ſed etiam infinita ſimpliciter.

35. Reſpondebis primò, influxum diuinæ maieſtatis offenſæ limitari à cognitione, quà offendens cognoſcit Deum, ne in actum offenſiuum infinitatem transfundat; quia cum maieſtas offenſa non communicet grauitatem offenſæ, niſi vt cognita ab offenſore, & cognitio ſit finita, impeditur ab illa, ne offenſæ grauitatem infinitam communicet. Sed contrà, cognitio non ſolum eſt finita, ſed etiam eſt ordinis inferioris ad perſonam offenſam; ſed inferioritas cognitionis non obſtat, quo minus perſona offenſa, quia ſuperioris ordinis eſt, communicet offenſæ grauitatem ordinis ſuperioris: ergò limitatio cognitionis nequit obſtare, quin perſona offenſa, quia infinita eſt, grauitatem infinitam offenſæ communicet. Probo conſequentiam, primò à paritate rationis. Deindè, nam ideò inferioritas cognitionis non obſtat transfuſioni ſuperioritatis, quia ſolum eſt conditio, non autem ratio formalis ex parte perſonæ transfundentis grauitatem: ergo eâdem ratione limitatio cognitionis obſtaculum eſſe non poteſt, vt perſona offenſa infinita transfundat infinitatem.

36. Reſpondebis, cognitionem non eſſe conditionem, ſed rationem formalem partialem ex parte perſonæ offenſæ ad transfundendam grauitatem in actum, & probabis; creſcit namque, & decreſcit grauitas offenſæ, & malitiæ ad incrementum, & decrementum cognitionis, aut ignorantiæ obiecti culpæ, & perſonæ iniuriatæ, quod ſignum eſt, cognitionem non tam eſſe conditionem, quàm rationem formalem ex parte perſonæ offenſæ, vt transfundat grauitatem, & ex parte obiecti, vt communicet actui malitiam; ideoque limitatio cognitionis impedit, ne perſona infinita in actum offenſiuum infinitatem transfundat.

Sed contra primo, nam frequentior, veriorque Philoſophorum ſententia eſt, quæ docet apprehenſionem obiecti non eſſe rationem formalem, etiam partialem, ſed ſolum conditionem in obiecto voluntatis, ſicut exiſtentia ſolum eſt conditio ad cauſandum in cauſa phyſicè efficiente. Deindè, nam creſcente voluntario in peccato, creſcit malitia, & decreſcente, decreſcit, cæteris paribus; & tamen voluntarium non eſt ratio formalis malitiæ: ergò ex eo quòd ex cognitione malitiæ creſcat grauitas offenſæ, & decreſcente, decreſcat, male infertur, cognitionem eſſe rationem formalem ex parte perſonæ offenſæ, vt transfundat in offenſam grauitatem. Præterea, nam eatenus incrementum cognitionis augere poteſt rationem malitiæ, aut offenſæ, quatenus auget rationem voluntarij: ergò ſi voluntarium ratio formalis partialis malitiæ, aut offenſæ non eſt, nec cognitio eſſe poteſt ratio formalis partialis.

37. *Philoſophi.*

Denique tradita ſolutio reijcitur: etſi cognitio Dei, quam per fidem habemus, finita ſit; non tamen latet illam, ſed patet infinitas maieſtatis offenſæ: ergo vt cumque concurrat, non impedit transfuſionem infinitæ grauitatis: antecedens eſt certum: conſequentiam autem probo; tùm quià exinde inferebatur, impedire transfuſionem infinitæ grauitatis, quia ignorantia minuit malitiam, & plena cognitio illam auget; ſed licet cognitio maieſtatis diuinæ, quam habemus per fidem, finita ſit; ignorantia tamen non eſt, cum illi obiectiuè pateat infinitas Dei offenſi: ergò non impedit transfuſionem grauitatis infinitæ. Tùm etiam, nam cognitio, quam lateret ſuperioritas maieſtatis offenſæ, impediret transfuſionem ſuperioritatis ordinis in offenſam; illa tamen, quam ſuperioritas perſonæ offenſæ non latet, tametſi talis cog-

38.

nitio

nitio Inferioris ordinis sit, talem transfusionem non impedit: ergò pariter, quamvis cognitio finita subiectiue, & obiectiuè, hoc est, non attingens infinitatem maiestatis iniuriatæ, nec illam offendenti proponens, impediat transfusionem grauitatis infinitæ in offensam; cognitio tamen, quæ licet finita sit subiectiuè, obiectiuè est infinita, idest, infinitatem maiestatis offensæ offendenti repræsentans, non potest impedire transfusionem moralis infinitatis.

39. Respondebis secundo argumento *num.* 34. proposito, limitari personam infinitam, ne communicet offensæ infinitam grauitatem ex limitatione conatus peccantis; sicut enim obiectum infinitum potens quantum est de se infinitatem in actum transfundere, si finito modo attingatur, infinitam illi perfectionem non confert: ita licet maiestas diuina offensa sit quantum est de se potens cõmunicare offensæ grauitatẽ infinitam, impeditur, nè illam communicet ex limitatione conatus, quo attingitur per peccatum.

40. Sed contra primò. Limitatio in modo egrediendi à principio non tollit, quo minus persona infinita operans det actui à se elicito infinitam dignitatem, & infinitum valorem, vt præter Scotum, fatentur ferè omnes Auctores nobis in hac parte contrarij: ergo pariter limitatio conatus, & modi tendendi actus in personam offensam, impedimentum esse non potest, vt persona offensa infinita communicet actui offensiuo infinitam grauitatem.

Deindè, limitatio operantis, & eliciẽtis actum nõ impedit infinitudinẽ grauitatis sumendãex persona offensa infinita: ergo nec limitatio conatus in actu offensiuo illam impedire potest. Consequentia probatione non indiget: antecedens autem probatur: si per impossibile essent duo Dij, & vnus alium offenderet, grauitas ex persona offensa sumpta non esset maior, imò fortè minor esset grauitate personali offensæ contra Deum ab operante finito commissæ, sicuti offensa vnius Regis in alium minor est offensa Regi à plebeio irrogata; sed tunc casus grauitas offensæ in Deum esset infinita simpliciter, cum non haberet, vnde limitari posset: ergo grauitas ex Deo offenso desumpta infinita est in peccato egrediente à principio finito, ac perconsequens limitatio operantis non impedit infinitudinem ex persona offensa sumendam, nec tollit, quo minus persona offensa infinita illi infinitam grauitatẽ cõmunicet. Deniq; nam inferioritas ordinis conatus, & modi tendendi actui offensiuo conueniens non impedit superioritatem ordinis grauitatis peccati sumptam ex persona offensa ordinis superioris: ergo limitatio conatus in causa esse non potest, vt actus offensiuus à persona offensa infinita non euadat infinitæ grauitatis, vt suprà de cognitione arguebamus.

41. Denique principaliter suadetur conclusio, quia namque satisfactio crescit ad incrementum personæ satisfacientis, quando hæc est infinitæ dignitatis, dat actui satisfactorio valorem infinitum simpliciter, vt infrà videbimus de satisfactione Christi tractantes, & præter Scotum, id docent ferè omnes Auctores, contra quos in præsenti disputamus; sed offensæ grauitas crescit ad incrementum dignitatis personæ iniuriatæ: ergo ex persona infinitæ dignitatis, qualis est Deus per peccatum offensus, accipiet grauitatẽ simpliciter infinitam. Prob. consequentia: licet namque satisfactio non crescat in dignitate ad incrementum personæ satisfacientis secundum æqualitatem arismethicam, hoc est, ita vt tanta sit, quanta est persona, vt quod satisfaciens, nihilominus ita crescit ad illius incrementum, vt à persona infinita valorem simpliciter infinitum recipiat: ergo pariter quamvis grauitas offensæ non augeatur ad incrementum personæ iniuriatæ arismethicè, nihilominus ita augebitur ex illa, vt ex persona offensa infinita, euadat infinita in linea morali simpliciter.

42. Communis solutio est, personam satisfacientem comparari ad satisfactio-

ctionem, non quidem vt obiectum, ſed vt ſubiectum, quod induit rationem formæ moralis valorantis ſatisfactionem; ideòque ſeipſo illam informans moraliter præſtat illi totam dignitatem poſsibilem, ac perconſequens infinitam, cum perſona ſatisfaciens infinitæ eſt dignitatis: perſona autem offenſa nō eſt offenſæ ſubiectum, nec forma etiam in genere moris, ſed ſolum vt obiectum comparatur ad offenſam: obiectum autem non ſeipſo valorat, aut grauificat actum, ſed ſpecificatiuè concurrit ad valorem, aut grauitatem ſumendam ex principio operante effectiuè, ac prondè, cum hoc limitatum ſit, & finitum, non trāsfundit in actum valorem, aut grauitatem infinitam, neque ex obiecto valor, aut grauitas infinita deſumitur ob limitationem ſumptam ex principio operante.

43. In hoc diſcrimine tota contrariæ ſententiæ probabilitas conſiſtit, cōtra quod inſto ſic primo. Deus per peccatum offenſus comparatur ad offenſam, vt ſubiectum in genere moris: ergo ſi perſona ſatisfaciens, quia eſt ſubiectum ſatisfactionis ſeipſa illam valorat formaliter, & infinitam conſtituit, quando eſt perſona infinita, non obſtāte limitatione principij eliciēdis ſatisfactionem, & conatus actus ſatisfactorij, perſona offenſa ſeipſa grauificabit offenſam, illamque perſona infinita infinitè grauem conſtituit, quin obſtet limitatio principij, & conatus. Conſequentia tenet ex doctrina traditæ ſolutionis: antecedens autem oſtenditur primò ex differentia, quæ inter peccatum in ratione malitiæ, & in ratione offenſæ inuenitur; nam ſub priori conſideratione eſt, & dicitur malum peccantis, ſub alia autem non peccantis, ſed Dei dicitur malū. ergo in ratione offenſæ Deum reſpicit, vt ſubiectum morale.

44. Secundò probatur ex communi modo loquendi; non enim offendens, ſed perſona offenſa dicitur, offenſam pati; ſed ille dicitur patiens offenſam, qui offenſæ ſubiectum eſt: ergo Deus, qui eſt perſona per peccatum offenſa, eſt morale offenſæ ſubiectum. Tertiò probatur, vt enim fatentur ferè omnes contrarij Auctores, præter diſcipulos Scoti, peccatum in ratione offenſæ eſt ſuperioris ordinis ad actum charitatis in ratione ſatisfactionis, quò circa omnes, extrà Scholam Scoti, tenent, non poſſe à pura creatura Deo pro offenſa mortali exhiberi condignam ſatisfactionem: ergo aliter comparatur ad Deum odium, v.c. ipſius in ratione offenſæ, ac comparatur actus charitatis in ratione ſatisfactionis: at in comparatione ad Deū, vt obiectum conueniunt, quò circa malitia ſpecifica odij non excedit bonitatem ſpecificam dilectionis diuinæ: ergo in ratione offenſæ comparatur ad Deum, vt ſubiectum ſui morale, alias nullum eſſet in comparatione ad ipſum inter vtrumque diſcrimen.

Deniq; probatur, licet enim Deus non ſubijciatur homini offendenti effectiuè abſolutè, quia iſtius ſubiectionis eſt incapax; ſubijcitur tamen illi affectiuè, & conditionatè effectiuè; ſi namque Deus eſſet talis ſubiectionis capax, per offenſam illi ſubijceretur; ſed in hoc conſiſtit eſſe ſubiectum morale offenſæ; etenim quoad illi communicandam grauitatem ita ſe habet Deus in prudentum æſtimatione ex eo, quòd per affectum peccatori ſubijcitur, ab eoque affectiuè læditur, ac ſi ſubijceretur illi in effectu, & effectiuè læderetur ab ipſo: ergo Deus eſt ſubiectum offenſæ morale. Facit in eiuſdem aſſumpti probationem commune Philoſophorum axioma, quo dicitur: *Honor eſt in honorante; iniuria autem in perſona iniuriata.* Quod ſaltem in morali æſtimatione decet verificari: ergo offenſa in Deum commiſſa moraliter in ipſo recipitur, & conſequenter ab illo euadit grauitatis ſimpliciter infinitæ. *Philoſophi.*

45.

46. Secundo tradita ſolutio reijcitur. Maieſtas diuina offenſa eſt prout in ſeipſa forma dans offenſæ grauitatē: ergo ſi perſona ſatisfaciens infinita valorat ſatisfactionem infinitè ſimpliciter, quia ſeipſa eſt forma ſatisfactionem valorans, maieſtas diuina offenſa infinitè ſimpliciter offenſam grauifi-

cat. Consequentia tenet ex doctrina solutionis: antecedens autem probatur; vt enim communis sententia docet, offensa peccati mortalis est superioris ordinis, non solum ad offensas illatas creaturis, sed etiam ad omnem satisfactionem puræ creaturæ possibilem; sed hoc verum esse non potest, nisi maiestas diuina offensa sit se ipsa forma offensam grauificans: ergo sic sumpta est forma grauitatis offensæ. Probatur minor: vt offensa sit superioris ordinis ad satisfactionem puræ creaturæ, forma dans offensæ grauitatem debet esse ordinis superioris ad formam valorantem puræ creaturæ satisfactionem; sed nisi maiestas offensa sit forma, hoc verum esse non potest: ergo, nisi forma sit, non saluatur superioritas ordinis in offensa in Deū commissa ad omnem satisfactionem possibilem puræ creaturæ. Maior cū consequentia tenet: minor autem prob. si maiestas Dei offensa non est forma offensam grauificans prout in se, erit forma quatenus cognita à nobis; sed Deus vt à nobis cognitus non est superioris ordinis ad formam dignificantem satisfactionem puræ creaturæ: ergo nisi maiestas diuina vt in se sit forma offensam grauificans, non assignatur forma dans grauitatem offensæ, quæ sit superioris ordinis ad formam valorantem satisfactionem puræ creaturæ. Probatur minor: forma valorans satisfactionem creaturæ est Deus, vt participatus per gratiam habitualem; sed Deus, vt à nobis cognitus non est superioris ordinis ad se ipsum, vt participatum per gratiam habitualem, cum gratia habitualis cognitionem fidei excedat; ergo si est forma dans grauitatem offensæ, maiestas diuina vt cognita à nobis per fidem, forma dans grauitatem offensæ non est superioris ordinis ad formam valorantem satisfactionem puræ creaturæ, & consequenter grauitas offensæ mortalis superioris ordinis ad satisfactionem puræ creaturæ non erit, cum stare nequeat inæqualitas inter effectus formales, nisi similis inæqualitas inter formas inueniatur.

47. Respondebis, Deum vt cognitum per fidem non esse superioris ordinis ad se ipsum, vt participatum media gratia habituali in essēdo, aut in linea entis, quod argumento facto conuincitur; benè tamen in ratione causæ grauitatis offensæ, & dignitatis operis satisfactorij. Sed contra primò, nam sequitur ex hac solutione posse esse infinitū in grauificādo offensam, licet prout à nobis cognitus finitus sit in essendo. Consequens non admittunt Auctores traditæ solutionis: ergo nec solutionem possiunt admittere. Probatur sequela; nam iuxta solutionis doctrinam non commensu ratur grauitas cum esse formæ illam dantis; ergo sicut ob hanc causam potest esse superioris ordinis in ratione causæ dantis grauitatem sine superioritate ordinis in linea entis, ob eádem esse poterit infinita in ratione dantis grauitatem, quamuis sit in linea entis finita.

Deindè, quia namque Deus in ratione obiecti odij non est superior se ipso in ratione obiecti amoris, in ratione dantis malitiam specificam odio non excedit se ipsum, vt dantem bonitatem specificam amori: ergo si Deus quatenus per fidem cognitus non est in linea essendi superior se ipso, vt participato per gratiam, neque in linea grauificandi esse poterit ordinis superioris ad se ipsum, vt dignificantem satisfactionem.

48. Denique, nam vt in effectibus assignetur excessus, debet prius assignari in causis secundum se, non autem reduplicatiuè solum vt causis, aliàs petetur principium in probando excessum inter effectus, quod maximè verum est, quando causæ sunt formales: ergo vt grauitas offensæ, quæ est illius formæ effectus constituatur superior ad dignitatem satisfactionis, debet prius in forma accepta secundum se excessus iste saluari. Et quidem, quia Deus vt subsistentialitèr vnitus humanitati excedit infinitè se ipsum, vt participatum per gratiam habitualem, rectè inferimus, dignitatem satisfactionis Christi præditam à Deo, vt subsistentialitèr humanitati

vnito infinitè excedere dignitatem satisfactionis puræ creaturæ, quæ præstatur à Deo, vt participato media gratia habituali: ergo è contra, si Deus vt cognitus per fidem dat vt forma gratuitatem offensæ, & vt sic cognitus nō est in essendo superior seipso, vt participato per gratiam habitualem: qua ratione est forma dignitatem præstās satisfactioni puræ creaturæ, grauitas offensæ mortalis nō erit superior dignitate satisfactionis puræ creaturæ possibilis.

§. IV.

Tribus argumentis occurritur, & explicatur quantitas peccati venialis.

49. S. Tho. *Primū argumē tum.*

CONTRA NOSTRAM Conclusionem obijciunt oppositi Auctores primò Diuum Thomā *in quarto Sententiarum distinctione 15. quæstione prima articulo secundo ad primum*, illis verbis: *Dicendum, quod sicut offensa habuit quandam infinitatem ex infinitate diuinæ maiestatis, ita & satisfactio accipit quandam infinitatem ex infinitate diuinæ misericordiæ, prout est gratia informata, per quā acceptū redditur, quod homo reddere potest.* Quibus verbis æquiparat Diuus Thomas infinitatem offensæ cum infinitate satisfactionis exhibitæ à pura creatura; sed infinitas huius satisfactionis illi competens ex infinitate misericordiæ diuinæ non est talis simpliciter, sed solum secundum quid, vt omnibus est in confesso: ergo iuxta Diuum Thomam idem est de infinitate mortalis offensæ dicendum, quòd nempè non sit grauis infinitè simpliciter, sed solum secundum quid, adhuc in linea morali.

50. *Solutio*

Respondeo, negando consequentiam, explicandoque Diuum Thomam, quod similitudo tenet quoad infinitatem, non autem quoad infinitatis modum, nam offensa verè est in se ipsa infinita; satisfactio autem, etsi infinita non sit, acceptatur tamen ex misericordia diuina in ordine ad remissionem offensæ, ac si in se infinita esset.

S. Tho.

Quæ doctrina est Diui Thomæ *in quarto ad Annibaldum distinctione 15. quæstione vnica artitulo primo circa finem corporis*, ibi: *Ideo alij dicunt, quod satisfactio æquatur offensæ, prout est gratia informata, non per æquiualentiam, sed secundum acceptationem diuinam: quia Deus ratione gratiæ sic eam acceptat, ac si esset offensæ æquiualens.* Quorum sententiam non reijcit, sed approbat Angelicus Doctor: sensus ergo doctrinæ nobis obiectæ est, vtrāque infinitam esse; satisfactionem quidem secundum Dei acceptationem extrinsecam, quia nempè ex misericordia diuina acceptatur, ac si esset infinita: offensa verò quia in se talis est: & quidem, si argumentum aliquid valeret, probaret, satisfactionem nostram esse ad æqualitatem pro peccato mortali, quod Auctores oppositi non intendunt: quod autem sequatur, patet; nam si satisfactio nostra esset eodem modo infinita, quo offensa, nihil illi deest, vt offensam adæquet, & consequenter erit satisfactio æqualis; si autem eodem modo infinitatis non gaudet, nihil ex verbis Diui Thomæ contra nostram sententiam colligitur: ergo vel faceri tenentur, argumentum prorsus inefficax esse, vel si aliquid probat conuincere, satisfactionem exhibitam à pura creatura pro peccato mortali esse illi omnimodè æqualem.

51. *Secundū argumē tum.*

Secundò obijciunt: malitia peccati mortalis est finita: ergo grauitas offensæ mortalis infinita esse non potest: antecedens ex dicendis constabit: consequentia autem probatur; nam grauitas offensæ in peccato se-

quitur

quitur ad rationem malitiæ, & fundatur in illa: vndè quò maior est malitia, eò est maior offensa; sed formalitas fundata nequit esse infinita, si finita sit formalitas fundans, vt per se notum videtur: ergo si peccatum in ratione malitiæ est finitum, in ratione offensæ grauitatis infinitæ esse nequit.

52. *Prima solutio.*

Huic argumento responderi solet primò; grauitatem offensæ nõ sub sequi ad malitiam peccati ex parte cõuersionis ad obiectum dissonum legi, sed ex parte auersionis; licet autem sub prima ratione finitum sit, sub secunda est infinitum. Sed non satisfacit ista solutio: peccatum namque sub cõceptu auersionis non est infinitum intrinsecè, & simpliciter, sed extrinsecè, & secundum quid, eo quòd à bono infinito auertit, sicut actus charitatis hominem cõuertens in Deum, vt in vltimum finem est extrinsecè, & secundum quid infinitus; sed grauitas offensæ est infinita simpliciter: ergo non fundatur in peccato in ratione auersionis.

Reijcitur.

53. *Secunda solutio.*

Secundò alij respondent, quòd licet malitia sumpta ex obiecto finita sit in peccato, quæ verò ex persona offensa sumitur infinita est, & ad istã, non autem ad illam, subsequi grauitatem offensæ. Sed nec ista solutio est sufficiens; quæuis namque malitia in peccato reperta, etiam si sumatur ex circunstantia personæ, debet sumi ab illa, vt obiecto mensurante, & specificante extrinsecè; sed malitia sumpta ab obiecto, quantumvis sit infinitum, infinita esse non potest, nisi tantum extrinsecè terminatiuè, & secundum quid, vt constat in malitia odij Dei, & in malitia actus, quo aliquis infinitos homines occidere veller, quæ finitæ sunt simpliciter, & solum secundum quid, & extrinsecè infinitæ, etsi obiecta sint infinita: ergo malitia peccati sumpta ex circunstantia personæ infinita esse non potest, etiam si persona offensa sit infinita.

Reijcitur.

54. *Cornejo.*

Nec respõdere sufficit cum Cornejo vbi supra, id solum induere rationem obiecti, quod directè per actũ attingitur; persona autem offensa non est necessum, quòd per actum directè attingatur, sed sufficit si indirectè: & ideò vt in actum transfundat malitiam, non est necessarium, quòd induat rationem obiecti. Non, inquam, sufficit, nam quòd obiectũ, tametsi infinitum sit, non transfundat infinitatem in actum, indè prouenit, quòd non se ipso dat actui perfectionem, vel imperfectionem, sed specificatiuè concurrit; & ideò illius concursus temperatur, & limitatur ex modo finito, quo per actum attingitur, & ex limitatione conatus operantis; sed hæc ratio æquè militat, siue directè, siue indirectè attingatur: ergo quod circunstantia personæ non petat directè attingi; obiectum tamen petat attingi directè, non probat personam infinitam dare infinitatem simpliciter, & obiectum infinitum infinitatem solum extrinsecam, & talem secundum quid.

Reijcitur.

55. *Vera solutio.*

Quare prætermissis his solutionibus, initò primo argumentum in meritis Christi Domini, quorum bonitas finita est, & valor meritorius est infinitus simpliciter: sicut ergo ista consequentia nõ valet: *Bonitas actus charitatis in Christo est finita: ergo valor meritorius est finitus*: ita in præsenti huiusmodi consequentia non tenet: *malitia odij Dei est finita, ergo grauitas offensæ reperta in odio est finita.*

Initò secundò. Malitia namque odij Dei, v. g. non est superioris ordinis ad bonitatem dilectionis diuinæ; & tamen, vt maior pars aduersariorum fatetur, grauitas offensæ odij Dei est superioris ordinis ad dignitatem satisfactoriam actus charitatis: sicut ergo ista consequentia non valet: *Malitia odij Dei non est superioris ordinis ad bonitatem actus charitatis: ergo grauitas offensæ odij Dei non est superioris ordinis ad illam*, ita nec tenet consequentia facta, in qua ex finitudine malitiæ odij Dei colligitur finitudo, & limitatio grauitatis offensæ conuenientis odio.

56.

Deinde in forma respondeo, concesso antecedenti, negando consequã-

tiam: ad illius probationem loquendo de grauitate ex perſona offenſa ſumpta, diſtinguo maiorem: ſubſequitur ad rationem malitiæ effectiuè, nego maiorem: ſubiectiuè, aut ſubſtractiuè, cõcedo maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Itaquè ſicut in actu charitatis Chriſti, v. g. reperitur valor ex obiecto proueniens, qui etiam conducit ad meritum, & valor perſonalis ex perſona Chriſti ſumptus, quorum primus eſt finitus, quia vel eſt ipſa bonitas ſumpta ex obiecto, vel ad illam ſequitur effectiuè; ſecundus autem infinitus eſt, quia licet bonitatem actus, vt ſubſtractum ſupponat, non tamen prouenit ab illa effectiuè; ita in præſenti dicimus, grauitatẽ offenſæ ſumptam ex obiecto limitatam eſſe, & finitam; quia vel eſt idem cum malitia proueniente ex obiecto, vel ad illam effectiuè ſubſequitur: grauitas autem, quæ ex perſona offenſa ſumitur, eſt ſimpliciter infinita, quamuis malitia finita ſit, quia non ſequitur ad illam effectiuè, ſeu dimanatiuè, ſed ſolum ſubſtractiuè; quia nempè illam ſupponit in actu offenſiuo, vt ipſum in ordine grauitatis ſimpliciter infinitæ cõſtituat. Cur autem finitudo ſubſtracti non limitet influxum formæ infinitæ moralis, infra explicabimus, infinitudinem meritorum Chriſti examinantes.

57. S. Tho. *Oppones primò.* Sed oppones primo; nam iuxta Diuum Thomam *Prima Secundæ quæſtione 21. articulo quarto*, actus eſt meritorius, vel demeritorius apud Deũ, in quantum eſt bonus, vel malus: ergo ratio meriti conſequitur bonitatem, & ratio demeriti malitiam actus, & conſequenter ſtare non poteſt ratio infiniti demeriti cum limitatione malitiæ. Ex quo vlterius fit, nec poſſe cum illa compati infinitam offenſæ grauitatem, cum ex hac infinitate inferatur ratio infiniti demeriti, vt ſuperiùs arguebamus.

Secũdò. Secundo, nam formalitas aliam formalitatem ſolum, vt ſubſtractum reſpiciens eſt ab illa ſeparabilis, cum ſit accidens commune, & non propria paſsio illius, quæ quia à ſubiecto ratione intrinſecæ connexionis effectiuè dimanat, non poteſt ſeparari ab illo; ſed grauitas perſonalis offenſæ eſt inſeparabilis à malitia peccati cõmiſsi in Deum cum cognitione maieſtatis diuinæ: ergo non tantùm ſubſtractiuè, ſed etiam effectiuè, aut dimanatiuè comparatur ad illam, & cõſequenter ſtare nõ poterit infinita grauitas offenſæ cum finitudine, & limitatione malitiæ.

58. *Tertiò.* Denique, nam grauitas offenſæ peccati, vt potè aliquid creatum, & de nouo in rerum natura exiſtens, debet aliquod principium effectiuum, vel per veram efficientiam, vel per dimanationem habere; ſed non poteſt aliud illius principium aſsignari effectiuum aliquo ex prædictis modis, niſi malitia peccati: ergo grauitas offenſæ ſubſequitur effectiuè ad malitiam, quæ in peccato reperitur.

59. *Ad primam replicã respõdetur* Reſpondeo ad primam replicam diſtinguendo antecedens, explicandoque D. Thomam: ita vt adæquata ratio meriti, vel demeriti ſit bonitas, vel malitia actus, nego antecedens: inadæquata, ingrediẽte ſimul dignitate operantis ad meritum, & ad demeritum dignitate perſonæ iniuriatæ, cõcedo antecedens, & nego conſequentiam, inſtoquè, vt nupèr inſtabam in meritis Chriſti Domini, quorum bonitas finita eſt, & valor meritorius infinitus ſimpliciter, quia licèt ratio meriti bonitatem ſupponat in actu; penes illam tamen non adæquatè, ſed in adæquatè penſatur, nec adæquatè, ſed inadæquatè ad illam ſubſequitur.

60. *Ad ſecũdam.* Ad ſecũdam diſtinguo maiorem: ſi formalitas, quæ vt ſubiectum ſe habet, non ſit connexa cum forma dante aliam formalitatem, concedo maiorem; ſi cum illa connectatur, nego maiorem; & conceſſa minori, nego conſequentiam: nam malitia peccati offenſiui maieſtatis diuinæ per ſe reſpicit maieſtatem offenſam, quæ vel dat vt forma offenſæ grauitatem, vel illam initiat: & ideò licet malitia non ſit ſubiectum dimanationis grauitatis perſonalis offenſæ diuinæ; ſed ſubſtra-

ctiuè,

ctiuè, aut receptiuè ſolùm comparetur ad illam, non poteſt grauitas perſonalis offenſæ ſeparari à malitia peccati commiſsi in Deum cum cognitione maieſtatis diuinæ. Ad tertiam cõſtabit infra, dum explicabimus formam dantem grauitatem offenſæ.

61. *Tertiũ argumẽtum.*

Tertiò obijciunt. Si ratio facta pro noſtra concluſione aliquid probat, conuincit, peccatum veniale eſſe in ratione offenſæ grauitatis infinitæ ſimplicitèr. Conſequens eſt falſum: ergo ratio facta eſt inefficax. Maior probatur; etenim ſi verum eſt, peccatum mortale in ratione offenſæ Deũ, vt ſubiectum reſpicere, etiam veniale peccatum in ratione offenſæ Deũ reſpiciet, vt ſubiectum morale; ſed hac ratione probauimus, peccatum mortale eſſe in ratione offenſæ ſimpliciter infinitum, quia Deum reſpicit, non vt obiectum, ſed vt ſubiectum morale, ideoquè ab illo, vt à forma grauitatem, & infinitatem accipit: ergo, ſi ratio facta aliquid probat, conuincit, idem eſſe de peccato veniali dicendum, nempè quòd ſit grauitatis ſimplicitèr infinitæ. Ex quo vlterius ſequitur, non poſſe purum hominem de condigno, & ad æqualitatem ſatisfacere pro illo.

62. *Prima Solutio.*

Huic argumento reſponderi ſolet primo, concedendo maiorem, & negando minorem, nec inconueniens reputant huius ſolutionis Auctores, quòd homo purus non poſsit de condigno ſatisfacere pro peccato veniali. Cæterum contra hanc ſolutionẽ obſtat primò communis Theologorum ſententia oppoſitum docens; quarè melius foret infinitatem offenſæ mortali negare, quàm ob illam defendendam, in huiuſmodi inconueniens incidere. Deinde, quia vt docet Diuus Thomas *quæſtione ſeptima de Malo articulo primo ad primum, & articulo quinto ad quartum. De Veritate quæſtione 25. articulo quinto in corpore. In ſecundo Sententiarum diſtinctione 42. quæſtione prima articulo tertio in corpore. In quarto Sententiarum diſtinctione quarta quæſtione ſecunda articulo primo quæſtiuncula prima ad tertium. Prima Secundæ quæſtione 88. articulo primo ad primum*, & pluribus alijs in locis, peccatum veniale eſt analogicè, & ſecundum quid peccatum: ergo non poteſt eſſe ſub aliqua ratione ſimpliciter infinitum.

S. Tho.

Si fortè dicatur inſtari hanc conſequentiam ex dictis: nam peccatum mortale eſt finitum in ratione peccati, & in ratione malitiæ; & tamen in ratione offenſæ eſt infinitum ſimpliciter in noſtra ſententia: ergo ex limitatione peccati non ſequitur limitatio offenſæ, & conſequenter ex eo, quòd peccatum veniale ſit peccatum ſecundum quid, non colligitur in ratione offenſæ, non eſſe ſimpliciter infinitum.

63.

In contrarium obſtat; nam peccatum veniale, non ſolum in ratione malitiæ, ſed etiam in ratione offenſæ, eſt tale ſecundum quid: ergo eſſe nequit in ratione offenſæ ſimpliciter infinitum. Conſequentia patet, nam quomodo ſtare poteſt eſſe infinitum ſimpliciter in aliquo genere, & ſecundum quid tale in eodem genere? Antecedens autem probatur. Ideò namque peccatum veniale eſt ſecundum quid tale in ratione malitiæ, quia non eſt culpa grauis, ſed leuis: at non eſt grauis, ſed leuis offenſa, eo quòd non auertit à Deo, ſed tantum diuertit, nec ab illo quoad affectum aufert rationem vltimi finis, in quo grauitas offenſæ conſiſtit: ergo nedum in ratione malitiæ, verum etiam in ratione offenſæ eſt tale ſecundum quid, & conſequenter ſub nulla ex his rationibus eſſe poteſt infinitum ſimpliciter. Quod amplius vrgetur primò: quod namque non offendit grauiter Deum, non poteſt ipſum infinitè offendere, vt ex terminis manifeſtum apparet: ſed peccatum veniale non offendit grauiter Deum, vt omnibus eſt in confeſſo: ergo non offendit Deum infinitè, & conſequenter in ratione offenſæ ſimpliciter infinitum non eſt.

64.

Confirmatur, & vrgetur ſecundò: ſi peccatum veniale eſſet in ratione offenſæ ſimpliciter infinitum, eſſet etiam infinitum in ratione demeriti;

ſed hoc admitti non poteſt: ergo admittendum non eſt; quòd ſit in ratione offenſæ ſimplicitèr infinitum. Conſequentia eſt bona, maior patet, quia nam q; peccatū mortale eſt in ratione offenſæ ſimplicitèr infinitū, eſt etiam infinitum in ratione demeriti, vt conſtat ex dictis, & amplius ex dicendis conſtabit: & quia operationes Chriſti Domini ſunt valoris moralis ſimplicitèr infiniti, ſunt etiam infinitæ in ratione meriti: ergo ſi peccatum veniale eſt in ratione offenſæ ſimplicitèr infinitum, erit etiam infinitum in ratione demeriti. Minor autem probatur: illud eſt infinitum ſimplicitèr in ratione demeriti, quod meretur omnem pœnam poſsibilem, ſicut illud eſt in ratione meriti infinitum ſimplicitèr, quòd eſt dignum omni præmio poſsibil; ſed peccatum veniale non meretur omnem pœnam poſsibilem, aliàs dignum eſſet priuatione gratiæ habitualis, & carentia diuinæ viſionis, in qua pœna damni conſiſtit, & cruciatibus æternis, quibus mortale peccatum punitur, quod nullus Theologorum admittet: ergo in ratione demeriti ſimplicitèr infinitum non eſt. Vrgetur, & confirmatur tertiò ad hominem contra iſtius ſolutionis Auctores: ex eo namque, quòd peccatum veniale ſit in ratione offenſæ infinitum, inferunt ipſi, non poſſe puram creaturam pro eo condignè ſatisfacere, & conſequentèr eſſe infinitum in ratione ſatisfactibilis: ergo pariter debent inferre, eſſe infinitum in ratione punibilis, & conſequentèr non poſſe ad æqualitatem, quacumque pœna data, imò & dabili puniri, quod inauditum eſt apud Theologos, & graui cenſura dignum.

65. Alij reſpondent; peccatum veniale non eſſe offenſam diuinam, eo quod non auertit à Deo, in quo eſſe offenſam Dei in peccato mortali conſiſtit; ac proinde eſſe non poteſt in ratione offenſæ infinitum. Sed nec placet iſta ſolutio; nam peccatum veniale, eo ipſo quòd peccatum ſit, vt omnes eſſe fatentur, non poteſt non diſplicere Deo, ſed efficere aliquid aliquo modo diſplicens Deo, non poteſt non eſſe aliqualitèr offenſiuum illius: ergo in peccato veniali non ſola ratio malitiæ, ſed etiã ratio aliqualis offenſæ inuenitur: neque, ex eo quòd non auertat à Deo, excluditur à ratione offenſæ diuinæ, ſed ſolum à ratione offenſæ grauis; nec ſequitur, non eſſe cõtra Deum, vt vltimum finem: nã contra Deum, vt finem vltimum, non ſolum eſt, quod à Deo auertit, ſed etiam quod diuertit ab ipſo: peccatum autẽ veniale, etſi non auertat, diuertit: ac proinde, etſi non ſimplicitèr, ſecundũ quid tamen eſt cõtra Deum vltimum finem. Ex quo vlterius fit, vt ſit offenſa Dei, non quidem ſimplicitèr, ſed tãtùm ſecundum quid, quod videtur communis Theologorum ſententia aſſerentium, peccatum veniale eſſe leuem offenſam: nam ſi leuis offenſa eſt, non alterius, quam Dei offenſa eſſe debet.

66. *Secunda ſolutio.* Aliorum ſolutio eſt, peccatum veniale non infinitari à maieſtate diuina, eo quòd tametſi offenſa ſit Dei, non tamen ſubiectatur in ipſo moraliter, quia non auertit à Deo, nec aufert ab illo rationem vltimi finis. Ex quo vlterius ſequitur, vt maieſtas Dei offenſa non ſit forma moralis in ordine ad peccatum veniale, qua ratione ſupra diximus, peccatum mortale conſtitui in ratione offenſæ ſimplicitèr infinitum.

Cæterum contra hanc ſolutionem obſtat, rationes, quibus probauimus, peccatum mortale in ratione offenſæ Deum, vt ſubiectum reſpicere probare id eſſe de ratione offenſæ in communi: ergo ſi peccatum veniale obtinet rationem offenſæ, non poteſt non reſpicere Deum, vt ſubiectum morale, & conſequentèr, vt formam. Et quidem ſicut non peccans mortaliter, ſed Deus per peccatum graue offenſus dicitur offenſam pati, ita nõ ille, qui venialiter peccat, ſed Deus leuiter offenſus pati dicitur offenſam: ergo ſicut Deus eſt morale offenſæ grauis ſubiectum, ita etiam offenſæ leuis.

67. Denique alij Recentiores reſpondent, peccatum veniale ſolum æqui-

uocè

Tertia solutio.

uocè esse offensam diuinam, & æquiuocè etiam habere quantitatem diuinæ offensæ; ex quo non sequitur, esse offensam simplicitèr infinitam: sicut homo pictus, & si tantam habeat molis quantitatem, quantã habet homo vivus, v. g. quadricubitam, nõ tamen est, aut dici potest absolutè homo quadricubitus, quia nec est, nec dici potest homo simplicitèr, sed æquiuocè, & cum addito, scilicèt, improprius, vel pictus. Sed contra primò; nam peccatum veniale non est peccatum impropriè, & æquiuocè, sed propriè, & si analogicè cũ peccato mortali, sicut accidens non impropriè, & æquiuocè, sed propriè est ens, & si nõ vniuocè, sed analogicè cum substantia: ergo non æquiuocè, & impropriè, sed propriè, quamuis analogicè, est offensa diuina, & consequentèr si habet tantam quantitatem, quantam habet peccatum mortale, habebit quantitatem offensæ infinitæ simplicitèr. Probatur consequentia; est namque peccatum propriè, quia propriè est contra legem, etsi non grauitèr obligantem: ergo erit offensa diuina propriè, quia est contra voluntatem diuinam, quamuis non grauiter, sed leuitèr renitentem, & displicentem.

Contra secundo, nam sequitur ex hac solutione, peccatum veniale, & si non sit simplicitèr offensa, esse tamen offensam infinitam simplicitèr, ly *simplicitèr* cadente non supra rationem offensæ, sed supra offensæ quantitatem: consequens est falsum: ergo & tradita solutio. Minor cum consequentia tenet: sequelam autem probo primò; nam iuxta solutionis doctrinam peccatum veniale, & mortale non differunt in quantitate, sed solum in quantitatis subitracto, nempè in ratione offensæ, quæ quantitati substernitur; sed quantitas peccati mortalis est infinita simplicitèr: ergo licet peccatum veniale non sit simplicitèr offensa; est tamen offensa quantitatis simplicitèr infinitæ. Secundo probatur; & si pictura hominis quadricubita nõ sit simplicitèr homo quadricubitus, est tamen homo quantitatis simplicitèr quadricubitæ, & æqualis quantitati veri hominis quadricubiti: ergo paritèr, si peccatum veniale habet eamdem quantitatem, quam habet peccatum mortale, & si non possit dici offensa simplicitèr, poterit tamen dici offensa quantitatis infinitæ simplicitèr, & æqualis quantitati offensæ mortalis.

Tertio probatur sequela; nam iuxta istos Recentiores, infinitas peccati consistit in infinita distantia offensoris ab offenso; sed hæc distantia eadem est in peccato veniali, & mortali: ergo eadem est infinitas in vtroq; & consequẽter, licet culpa venialis nõ sit offensa simplicitèr; erit tamẽ offensa quãtitatis infinitæ simplicitèr, & æqualis quantitati culpæ mortalis. Nec motivum, quo præfati Recentiores ducuntur, vt asserant, peccatum veniale solum æquiuocè rationem offensæ obtinere, quia nempè, offensa diuina idem est, quod inimicitia cum Deo: peccatum autem veniale solum æquiuocè est inimicitia diuina, ac proindè solum æquiuocè dici potest Dei offensa, alicuius ponderis est; voluntariè namque offensam per inimicitiam diffiniunt, sed offensa Dei est, quidquid eius legem transgreditur, illiusque displicet voluntati: peccatum autem veniale, propriè est diuinæ legis transgressio, proprièque displicet voluntati diuinæ, ac perconsequens propriè obtinet rationem offensæ, & si non talis simplicitèr, sed solum secundum quid, sicut accidens propriè est ens secundum quid, non simplicitèr.

His igitur solutionibus omissis, ad tertium argumentum respondeo negando maiorem, ad illius probationem dicatur quòd licet peccatum veniale in ratione offensæ subiectetur in Deo, non tamen recipit ab illo infinitatem simplicitèr, quia cum sit leuis offensa, est incapax recipiendi infinitatem: forma autem subiecto incapaci vnita non præstat illi effectum, quem de se præstare potest, sicut subsistentia Verbi vnita naturæ irrationali non præberet illi sanctitatis effectũ,

68.

69.

70.

Vera solutio.

nec redderet perſonatam, quia natura irrationalis iſtorum effectuũ eſt in capax. Et quidem contrarij Auctores argumento facto vrgentur, illudque tenẽtur ſoluere, quod patet; nam vt ipſi fatentur, peccatum mortale ratione diuinæ maieſtatis iniuriatæ eſt ſuperioris ordinis ad omnem ſatisfactionem puræ creaturæ poſsibilem, & ab illa incompenſabile de cõdigno, & ad æqualitatem, etiam de potentia abſoluta, cum tamen peccatum veniale, nec ſuperioris ordinis ſit ad ſatisfactionem puræ creaturæ, nec incompenſabile ab ipſa de condigno, & ad æqualitatem: inquiro, cur maieſtas diuina offenſa cõmunicat peccato mortali ſuperioritatem ordinis ad ſatisfactionem puræ creaturæ, hancque ſuperioritatem ordinis peccato veniali non præſtat? Reſponſio, quam ipſi deberint, erit argumenti facti ſolutio: & quidem non aliud reſpondere poſſunt, niſi, ideò ex maieſtate offenſa nõ euadere peccatum veniale ſuperioris ordinis ad ſatisfactionem puræ creaturæ poſsibilem, & incompenſabile ad æqualitatem ab ipſa, quia leuis offenſa eſt, ac proindè incapax prædictæ ſuperioritatis, quod idem Nos dicimus de infinitate ſimpliciter, nempè illam non recipere à maieſtate diuina offenſa, quamuis in Deo moraliter recipiatur, quia cum leuis offenſa ſit, eſt incapax recipiendi infinitatem ſimpliciter adhuc in linea morali.

71. Sed oppones aduerſus iſtam ſolutionem primò: ergo iam non ſolum influxus obiecti, ſed etiã influxus ſubiecti, & formæ moralis limitatur à principio finito, ne actui ſuam præſtet infinitatem, & conſequenter, quamuis Deus ſit ſubiectum offenſæ mortalis, non reddet illam ſimpliciter infinitam. Secunda conſequentia ex prima, & dictis colligitur: prima autem probatur Deus per modum ſubiecti capax eſt de ſe ad præſtandam infinitatem actui offenſiuo; & tamen peccans venialiter impedit ſuo influxu, ne peccato veniali infinitatem communicet: ergo influxus ſubiecti per peccatum offenſi limitatur ex limitatione principij, ne actui offenſiuo ſuam communicet infinitatem.

72. Secundo obijcies; quia namque operationes Chriſti valorantur à perſona Verbi infinita, vt à ſubiecto, & forma morali, quælibet Chriſti operatio, eſto leuiſsima ſit, euadit infinita ſimpliciter in morali æſtimatione. ergo ſi Deus leuiter offenſus non dat offenſæ infinitam grauitatem, ideò eſt, quia perſona iniuriata non dat grauitatem offenſæ, vt ſubiectum, & forma moralis, ſed tantum per modum obiecti, & conſequenter, nec peccato mortali in ratione offenſæ dabit grauitatem ſimpliciter infinitam.

73. Reſpondeo ad primam replicam negando conſequentiam; aliud enim eſt, quòd influxus ſubiecti dependeat à principio effectiuo antecedenter, vt à ponente ſubſtractum capax recipiendi influxum à ſubiecto, & aliud limitari ab illo: primum eſt verum, & ex doctrina a nobis tradita ſequitur: ſecundum autem eſt falſum, neque ex traditis a nobis colligitur, initoque in operibus Chriſti; non enim influxus perſonæ Verbi limitatur à principio effectiuo, aliàs operationes proprias media humanitate elicitas, non redderet infinitas ſimpliciter; & tamen, vt perſona Chriſti operationes humanitatis valoret, neceſſarium eſt, quòd ab humanitate efficiantur opera capacia valoris: vndè ſi humanitas Chriſti eliceret operationes neceſſarias omninò, vel actus non plenè liberos, ſed ſemiplenè, qui indeliberati dicuntur, huiuſcemodi operationes non eſſent valoris meritorij, aut ſatisfactorij ſimpliciter infiniti, idem in præſenti Nos dicimus; vt maieſtas Dei offenſa det actui offenſiuo grauitatem ſimpliciter infinitam, dependet à principio antecedenter, vt ab eliciente actum capacem infinitatis ſimendæ à perſona offenſa: ſuppoſito autem, quòd actum capacem iſtius infinitatis eliciat, non temperat, nec limitat influxum perſonæ offenſæ, ſed totam ſuam grauitatem actui offenſiuo communicat; & quia peccatum veniale, vtpotè leuis offenſa capax infinitatis non eſt, ideò illam à maieſtate offenſa non recipit, quin ex

hoc colligatur, principium suo conatu finito limitare influxum personæ offensæ.

74. Et ex his ad secundam replicam constat solutio; si namque quælibet Christi operatio accipit à persona Verbi infinitatem valoris, ideò est, quia in qualibet operatione ab humanitate elicita adsunt omnia requisita ex parte subtracti, vt infinitatem illã recipiat; quòd si opus aliquod Christus efficeret, cui requisita deessent ad valorem meritorium simplicitèr infiniti, vt si actum, vel non liberum, vel semiplenè liberum eliceret, talis actus valoris meritorij simplicitèr infiniti non esset: vndè exemplum meritorum Christi potius fauet, quam officit Nobis.

75. Sed insistes adhuc primò: peccans venialitèr non facit, quòd maiestas Dei offensa non influat in offensam venialẽ, nec illam informet, sed quòd non informet, nec influat in finitè: ergo non impedit, sed limitat influxum personæ offensæ infinitæ. Antecedens patet; nam offensa venialis, quia contra Deum est, excedit omnes offensas illatas creaturis reduplicatiuè, vt creaturis illatas: ergo moralitatem aliquam accipit à Deo offenso, & aliàs non accipit infinitatem ab illo: ergo peccans venialitèr non facit, quòd maiestas Dei offensa non influat in offensam venialem, sed quòd infinitè non influat. Consequentia autem probatur; nam impedire influxũ personæ est facere, quòd persona non influat; limitare autem est facere, quòd non influat secundũ totum, quod potest; sed peccans venialiter non facit, quòd Deus offensus non influat in offensam venialem, quandoquidem influit in illam, sed quòd non influat secundum totum, quod potest, sed limitatè, & finitè: ergo non impedit, sed limitat influxum maiestatis Dei offensæ.

76. Secundo obijcies: quia namque persona Verbi valorat operationes Christi, vt subiectum, & forma moralis, vel non valorat actum, vel illum infinitè valorat: ergo si persona offensa dat offensæ venali finitam moralitatem, non dat illam vt subiectum, & forma, sed tantum per modum obiecti: consequentia patet à paritate rationis: antecedẽs autem probatur; nã actus necessarij, & actus semiplenè liberi, si ab humanitate eliceretur, meritorij, aut satisfactorij nõ essent, nec valorẽ aliquem meritoriũ, aut satisfactorium à persona Verbi acciperent; actus autẽ deliberati accipiũt valorẽ simplicitèr infinitum: ergo verum est antecedens, quòd, nempè, operationes humanitatis, aut non informantur à persona Verbi infinita, aut si informantur ab illa, valorantur infinitè simplicitèr.

77. Explicatur, & augetur difficultas; quia namque operationes Christi moralitèr informantur à persona Verbi infinita, quæuis minima operatio cuiusvis, & si minimæ honestatis moralis sũptæ ex obiecto, est valoris personalis simplicitèr infiniti: ergo si peccatum in ratione offensæ informatur à persona offensa infinita, esto ex obieto sit minimæ inhonestatis moralis, habebit grauitatẽ personalem infinitam à persona offensa sumptã: at hoc est falsum, nam peccatum veniale nõ est grauitatis personalis simplicitèr infinitæ: ergo ideò, quia peccatum in ratione offensæ non informatur à persona offensa moralitèr.

78. Tertio insistes; ideò peccans venialitèr impedit influxum personæ, ne peccato veniali infinitatem communicet, quia ponit subtractum incapax recipiendi infinitatem; sed hoc idem contingit in peccante mortalitèr: ergo impedit, ne maiestas Dei offensa peccato mortali infinitatem in ratione offensæ communicet. Probatur minor; quia malitia peccati venialis est leuis, est incapax subtractũ grauitatis in ratione offensæ; sed malitia peccati mortalis est finita: ergo est incapax subtractum infinitatis in ratione offensæ. Probatur cõsequentia; non enim minus distant finitudo, & infinitas, quam grauitas, & leuitas moralis: ergo si leuitas malitiæ reddit incapacem actum grauitatis in ratione offensæ, limitatio malitiæ reddet actum incapacem infinita-

tis

tis moralis in ratione offenſæ.

79. Reſpondeo ad primam replicam, conceſſo antecedenti, diſtinguendo primam partem conſequentis: non impedit omnem influxum perſonæ, concedo conſequentiam: non impedit adæquatum influxum, nego conſequentiam: ex quo tantum ſequitur, limitare influxum perſonæ ponendo ſubſtractum incapax adæquati effectus illius, quod libenter fatemur; non tamen ſequitur, limitare influxum perſonæ ob ſolam limitationem principij, & conatus, & hanc limitationem influxus perſonæ negamus; & quidem ſi humanitas Chriſti eliceret actum neceſſarium, non impediret omnem influxum perſonæ Verbi elicientis, quādoquidem talis actus adorabilis, infinitèque æſtimabilis ab illa conſtitueretur, ſed aliquem impediret, nempè influxum valoris meritorij, & ſatisfactorij, quem actui neceſſario non præſtaret ob illius incapacitatem, etſi humanitas eliceret actū liberum vndequaque naturalem, non impediret omnem influxum perſonæ, redderetur namque ab illa meritorius omnis præmij poſsibilis naturalis; impediret tamen aliquem influxum perſonæ, nempè valoris meritorij præmij ſupernaturalis; nam talis actus meritorius præmij ſupernaturalis non eſſet, vt conſtabit ex dicendis *Tractatu de Gratia Chriſti*, & tamen ob hoc non dicitur, quod humanitas limitet influxum perſonæ ob limitationem principij, & conatus, ſed tantum poteſt dici, quòd limitet influxum perſonæ ponēdo ſubſtractum incapax adæquati effectus illius, id ipſum Nos aſſerimus in præſenti.

80. Ad ſecundum diſtinguo antecedens. præcisè quia per modum formæ valorat, nego antecedēs: ob hoc, & quia aliàs actus quilibet liber ab humanitate elicitus eſt capax alicuius infinitatis, concedo antecedens, & nego conſequentiam; nam peccatum veniale, eo quod leuis culpa, & leuis offenſa eſt nullius infinitatis in ratione offenſæ eſt, capax, ideoque illam non recipit à perſona offenſa infinita: actus autem humanitatis diuino Verbo coniunctæ, & ſi non ſint capaces infinitatis meritoriæ, aut ſatisfactoriæ, ſunt capaces æſtimabilitatis, ideoque infinitè æſtimabiles redderentur. Actus liberi vndequaque naturales, tametſi non ſint capaces infinitatis meritoriæ abſolutè, ſunt capaces infinitatis meritoriæ intra ordinem naturalem, & hanc à Verbo reciperent: ſicut autem actus iſti non valorantur à Verbo infinitè abſolutè, quia huius infinitudinis capaces non ſunt: ita culpa venialis nullam infinitudinem accipit à perſona offenſa infinita, quia nullius infinitatis eſt capax. Et ex his ad augmentum difficultatis dicatur, operationem quamlibet honeſtam Chriſti, etſi minimæ honeſtatis, eſſe bonam bonitate morali tali ſimplicitèr, ideoque incapacem non eſſe infinitudinis perſonalis à diuino Verbo ſumptæ; peccatum autem veniale eſt malum malitia morali, quæ eſt talis ſecundum quid, & ſecundum quid offenſa, & ideò eſt incapax recipiendi infinitatem à maieſtate infinita.

Ad vltimam inſtantiam conceſſa maiori, nego minorem, ad illius probationem nego etiam minorem, ad cuius probationem diſtinguo antecedens: diſtantia entitatiua concedo antecedens: diſtantia habitudinis nego antecedens, & conſequentiam; nam licet finitum, & infinitum plus diſtent in eſſe entis, quam graue, & leue, vel quam grauitas, & leuitas moralis, non tamen æquè diſtant diſtantia habitudinis; ex eo namque quòd actus finitus ſit in malitia, ſolum arguitur incapacitas effectiuè cauſandi infinitam grauitatem, non autem incapacitas illam recipiendi ab alio; leuis autem malitia non ſolum non poteſt grauitatem offenſæ cauſare, ſed nec poteſt ad grauitatē offenſæ aliundè capiendæ aſſurgere; quòd verò firmitudo malitiæ non obſtet infinitudini grauitatis aliundè ſumendæ patet exemplo meritorum Chriſti, quorum bonitas finita, etſi obſtet infinitati valoris, ex ipſa bonitate cauſandi, non tamen obſtat infinitati

81.

valo-

valoris à persona Verbi sumendi.

82. Sed replicabis adhuc: non minus distat leue obsequium ab infinitate valoris, quam leuis offensa ab infinitate grauitatis; sed opus, quod de se est leue obsequium, non est incapax infiniti valoris: ergo opus, quod de se est leuis offensa non erit incapax infinitæ grauitatis, si aliundè sit capax vniri personæ infinitæ, vt formæ, & consequenter si peccatum veniale in Deo, vt subiecto recipitur, & ab illo moralitèr informatur, constituitur grauitatis simplicitèr infinitæ. Maior cum consequentia tenet. minor autem probatur; actus charitatis elicitus ab humanitate Christi leue obsequium est de se, cum sit eiusdem speciei cum actu charitatis elicito à pura creatura, quem esse leue obsequiũ, & ideò inæqualem satisfactionem esse pro offensa mortali disputatione sequenti constabit; & tamen est capax recipiendi à persona Verbi infinita, à qua informatur moralitèr, valorem infinitum simplicitèr, illumque de facto recipit, vt ex infra dicendis constabit: ergo opus, quod de se est leue obsequium capax est valoris infiniti, non à se effectiuè causandi, sed aliundè recipiendi, nempè à persona Verbi infinita.

83. Respondeo, leue obsequium manens in ratione obsequij leuis, concedo maiorem; leue in ratione obsequij non manens, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego cõsequentiam; nam actus charitatis eo ipso, quòd à Verbo eliciatur, & ab humanitate illi vnita, non est leue obsequium, sed obsequij leuitatẽ amittit ob dignitatem personæ, quæ maximè in obsequij æstimatione pensatur: vndè non euadit valoris infiniti simplicitèr, leue manens in ratione obsequij: offensa autem venialis non potest in grauem offensam transire, nisi mortalis fiat, ideoque non potest infinitatem à persona offensa recipere.

***

§. V.

Quartum argumentum diluitur, & explicatur subiectum morale offensæ.

84. *Quartũ argumẽtum.*

QVARTÒ arguitur: obiectum terminans actum charitatis finitum non dat illi infinitam bonitatem, nec dignitatem moralem infinitam: ergo persona offensa, quamuis infinita sit attacta per actum finitum, & à principio finito causatum, non dat illi infinitam grauitatem: antecedẽs est certum: consequentia autem probatur; ideò namque antecedens est verum, quia infinitudo obiecti limitatur à principio, & conatu actus finito; sed nulla est assignabilis ratio, cur infinitas obiecti limitetur à principio, & conatu actus finito, nè illi suam infinitatem communicet, & infinitas personæ offensæ non limitetur ex limitatione actus, & principij elicientis actum: ergo ex infinitudine maiestatis diuinæ peccato mortali iniuriatæ, non rectè colligitur infinitas grauitatis offensæ.

Cõfirmatur. Confirmatur; etsi actus in perfectione crescat ad incrementũ obiecti, nõ sequitur, quòd si obiectum infinitũ sit, actus infinitus euadat, adhuc in linea morali. ergo etiam si offensa in genere mali augeatur ad augmentum dignitatis personæ iniuriatæ per ipsam, non sequitur, quòd si persona offensa infinitæ sit dignitatis, offensa infinita sit.

85. *Solutio.* Huic argumento responderi potest ex insinuatis supra, concesso antecedenti, negando consequentiam, & disparitatem assignando, quia nempè dignitas actus charitatis perfectio est, ideoque ex limitatione principij impeditur, nè actui charitatis ex obie

cto

cto infinito dignitas infinita communicetur; grauitas autem peccati est imperfectio in genere moris, & ideò tantum abest, vt illius infinitudini limitatio nostræ voluntatis obsistat, quòd potius conducit, vt actus in ratione offensæ infinitæ sit grauitatis, quia voluntas nostra, etsi limitata sit, & finita, est primum in genere deficientis, & consequenter est in hoc genere infinita. Ex quo vlterius fit, vt possit infinitam offensæ grauitatem causare.

86. *Reiicitur ista solutio.* Cui solutioni libenter assensum præberem, nisi hoc argumento difficilis redderetur, sequitur namque ex illa, etsi ab obiecto infinito non possit in actum infinita bonitas deriuari; posse tamen ab illo infinitam malitiam sortiri, esto actus finitus entitatiuè sit, & elicitus à principio finito, nempè à voluntate creata: cōsequēs est falsum: ergo & tradita solutio. Minor constat in actu odij Dei, cuius obiectum est bonitas infinita diuina odio habita; & tamen malitia specifica odij Dei infinita non est, vt constat ex dictis supra, & fatentur omnes Theologi: ergo nec bonitas, nec malitia infinita deriuatur ex obiecto infinito attacto per actum finitum, & elicitum à principio finito. Sequela autē probatur: obiectum infinitum, non prosecutiuè, sed auersiuè attactum, est de se potens infinitatem communicare actui recedenti ab ipso; & aliàs iuxta solutionem tradditam limitatio voluntatis creatæ impedimētum esse non potest, vt ex obiecto transfundatur infinita malitia, cum sit primum deficiens, ideòque infinita in genere deficientis: quò circa non obstat transfusioni infinitæ grauitatis ex persona offensa infinita: ergo odium Dei per modum fugæ attingens infinitum obiectum, nempè Deum, accipiet ab ipso infinitam malitiam specificam.

87. *Vera solutio.* Vndè hac prætermissa solutione, ad argumētum respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam: ratio autem discriminis habetur ex dictis inter probandam nostram conclusionem; quia nempè Deus ad actū charitatis comparatur, vt obiectum; persona verò iniuriata cōparatur ad offensam, vt illius subiectum morale, in hoc autem subiectum ab obiecto distinguitur, quòd illud totum, quod ex se potest, transfundit in actū, secus autem obiectum, sed influit per commēsurationem ad conatū actus, & influxum principij, ab illisque limitatur, & ideò Deus actui charitatis, quem terminat, infinitam dignitatē, aut perfectionem non confert: maiestas autem offensa dat offensæ grauitatem simplicitèr infinitam; quòd si rationem petas, cur subiectū non limitetur ex influxu principij, nec ex conatu finito operantis, & obiectum limitetur, illam da bimus *Disputatione tertia*, infinitatem meritorum Christi tractantes; modo namque nobis sufficit infinitatem grauitatis offensæ in peccato mortali ea probabilitate defendere, qua infinitas meritorum Christi communiter propugnatur, & ex his ad confirmationem constat solutio.

88. *Assumptum probatur primò.* Sed contra istā solutionem acriter insurgūt cōtrariæ sentētiæ Auctores, conātes multis medijs ostēdere maiestatē iniuriatam, nō vt subiectum, sed vt obiectum tātùm ad offensam comparari, quod probare tentant primò; nam ratio offensæ in peccato est modus intrinsecus actus voluntatis; sed huiusce modi actus, vtpotè formalitèr immanens, non in Deo subiectatur, sed in voluntate creata: ergo offensa non in Deo, sed in voluntate recipitur, ac percōsequēs nō respicit Deum, vt subiectum sui morale, sed tantùm vt obiectum. *Secundò.* Secundò; nam si Deus esset subiectum morale offensæ, sequeretur, Deum intrinsecè mutari, non physicè, sed moralitèr: consequens est falsum: ergo. Probatur sequela: mutari namque est transire de non esse intrinseco ad esse intrinsecum; sed Deus transiret in tempore de non esse intrinseco morali ad esse morale intrinsecum, nempè, de non esse offenso ad esse offensum in tempore: ergo mutaretur intrinsecè, etsi non physicè, benè tamen moralitèr.

Ter-

89. *Tertiò.* Tertiò, nam subiectum est in potentia intrinseca ad formam, quam intrinsecè recipit; sed Deo ratione sūmæ actualitatis repugnat esse in potentia intrinseca ad aliquam formam, & per modum potentiæ in compositionem alicuius venire: ergo repugnat Deo esse subiectum morale offensæ. *Quartò.* Quartò, nam sequeretur, omnium peccatorum offensas pro eodem tempore existētes, etsi à diuersis commissas, esse vnam numero offensam: consequens est falsum: ergo. Probatur sequela: sicut enim accidēs physicum à subiecto indiuiduatur, in quo recipitur physicè, ita accidens morale à subiecto, in quo recipitur, debet indiuiduari; sed si Deus est subiectum offensæ, omnium offensarum eodem tempore existentium, subiectum est vnum numero: ergo omnes offensæ pro eodem tempore existentes erunt vna numero offensa.

90. *Quintò.* Præterea, nam sequeretur, offensam debere adorari adoratione latriæ: consequens absurdum est: ergo. Probatur sequela; nam Deus, & omne quod est in illo, etiam vnione morali, adoratur à nobis adoratione latriæ, vt constat in meritis Christi, quæ adorantur adoratione latriæ, quia in persona Verbi moralitèr recipiūtur: ergo si offensa moralitèr afficit Deū, illumque afficit vt subiectum sui morale, adoranda erit adoratione latriæ. *Sextò.* Sextò probatur, nam peccatum Deū offendit per modum auersionis ab ipso; sed terminus à quo auersionis nequit esse illius subiectum: ergo Deus nō est subiectum offensæ. *Cōfirmatur.* Quod amplius vrgetur; nam esto ratio offensæ distinguatur à ratione auersionis, subsequitur tamen ad illam; sed quia malitia sequitur ad rationem conuersionis, nequit subiectari in aliquo, in quo non subiectetur conuersio: ergo nec offensa subiectari poterit in eo, quod non sit auersionis subiectum: cumque Deus non sit subiectum morale peccati sub ratione auersionis, nequit esse illius subiectum morale sub ratione offensæ.

91. Denique id ipsum possumus hac ratione probare: etenim maiestas diuina non nisi, vt cognita dat grauitatem offensæ: ergo non vt subiectum, sed vt obiectum cōparatur ad illam: antecedens constat; nam si aliquis putaret inuincibiliter, Deum peccato non offendi, aut peccaret ignorando inuincibiliter Deum, non offenderet ipsum peccando: ergo Deus non nisi vt cognitus dat grauitatem offensæ. Consequentia autem ostenditur primò; quia namque persona satisfaciens vt subiectum satisfactionem valorat, dignitas personæ ignorata valorat satisfactionem, vt constat in homine iusto ignorante se esse in gratia, cuius operationes sunt meritoriæ apud Deum, & consequenter valorem à gratia, etsi ignorata, recipiunt: ergo si persona offensa ignorata non dat grauitatem offensæ, ideo est, quia non vt subiectum, sed vt obiectum comparatur ad illam. Secundò, nam id, quod vt cognitum in actum voluntatis influit, vt obiectum comparatur ad illum, sicut etiam respectu cognitionis vt obiectum se habet: ergo si maiestas offensa influit in offensam vt cognita, obiectiuè in illam influit.

Denique

Hæc tamen obiectio, etsi difficilis sit, veritatem nostræ solutionis non lædit: ad illam respondeo negando assumptum, ad cuius primam probationem, respondeti potest primò, offensam considerari dupliciter, scilicet actiuè, & passiuè: & sub priore ratione non subiectari in Deo, sed in voluntate creata, illam constituendo offendentem; sub posteriori tamen in Deo subiectari moralitèr, illum constituendo offensum.

92. *Prima solutio.*

Sed non placet ista solutio primò, nam actus immanentes in eodem subiecto recipiuntur sub conceptu actionis, & sub conceptu passionis, etsi diuersum denominationis subiectum sub vna, & altera ratione sortiantur, vt constat in intellectione, volitione, & visione, quæ licet consideratæ passiuè obiectum denominent, & actiuè principium; sub vtraque tamen ratione inhærent principio agēti: ergo si actus offensiuus est immanens, tam vt actio, quam vt passio,

Reijcitur primo.

idem

idem ſubiectum inhæſionis intrinſecè reſpicit. Secundò, nam offenſa non ſolum paſsiuè ſumpta, ſed etiam inſpecta actiuè eſt infinita moraliter, cum ſit demeritoria infinitè, vt ſuperius dicebamus, meritum autem, & demeritum actibus voluntatis actiuè ſumptis conueniant; ſed iuxta hanc ſolutionem ſolum ſaluatur illius infinitas ſumptæ paſsiuè, non autem inſpectæ actiuè, cum ſolum paſsiuè ſumpta Deum vt ſubiectum, & formam reſpiciat, ex quo infinitas offenſæ probatur: ergo ſolutio tradita veritatem noſtræ concluſionis non ſaluat.

Secũdo.

93. *Secunda ſolutio.*

Secunda ſolutio eſt, offenſam duplicem eſſe, nempè actiuam, & formalem, primamq; adæquatè ſumptã tam actiuè, quam paſsiuè ſubiectari in voluntate, & nullatenus in Deo; ſicut actus charitatis ſiuè vt actio, ſiuè vt paſsio inhæret volũtati creatæ, etſi Deum extrinſecè dilectum denominet: offenſam autem formalem diſtingui ab actu offenſiuo, vt terminum ex illo cauſatum, in Deoque ſubiectari, & ab illo infinitari. Ita doctiſsimi Patres Salmanticenſes *tom. 4. de Peccatis quæſt. 71. tract. 13. diſput. 7. §. 3.* obiter ibi difficultatem verſantes longiori eius diſcuſsione ad tertiam partem remiſſa, vtinam diſcuſſa manſiſſet.

94. *Reijcitur.*

Interim contra illam difficultas inſurgit non leuis, etenim offenſa formalis non eſt ens per rationem confictum, ſed ens reale verum exiſtens à parte rei ante omnem fictionem noſtri intellectus, cum, omni fictione ſeclusa, Deus vere, & realiter offendatur per illam: ergo ſi diſtinguitur realiter ab offenſa actiua, & cauſali, tam quam terminus cauſatus ab illa, entitas aliqua realis intrinſecè inhæret Deo, illique de nouo aduenit, cum à peccatore offenditur; ſed hoc admitti non poteſt, alias Deus intrinſecè mutaretur entitatem iſtam realem in tempore in ſe recipiendo: ergo offenſa formalis non eſt terminus effectus ab offenſa actiua, & cauſali realiter ab illa diſtinctus actiuè, & paſsiuè ſumpta, & in Deo ſubiectatus.

Qua obiectione præcluſa manet ſolutio, quà prædicti Patres occurrunt primæ confirmationi ſecũdi argumenti *num.* 28. vbi docent, peccatorem ſuo actu nihil intrinſecum ponere in Deo effectiuè, & efficaciter; ponere tamen, vel auferre ab eo aliquid affectiuè, nam quicumque mortaliter peccat, quãtum eſt ex parte affectus, vel formalis, vel interpretatiui, tollit à Deo rationem vltimi finis, quæ in Deo intrinſeca eſt. Quæ doctrina ex dictis impugnata relinquitur, nam etſi ratio vltimi finis à Deo ſolum affectiuè à peccatore auferatur; formalis tamen offenſa non affectiuè ſolum, ſed effectiuè, & efficacitèr à peccatore cauſatur, cum verè in rerum natura exiſtat, & non ab alio, quam à peccatore effecta: ergo ſi eſt entitas aliqua realis realitèr ab offenſa cauſali diſtincta, in Deoque recepta intrinſecè, peccator per ſuũ actum non ſolum affectiuè, ſed etiam effectiuè, & efficacitèr ponit in Deo aliquam entitatem intrinſecam, illi intrinſecè, phyſicè, aut metaphyſicè inhærentem, & conſequenter Deum intrinſecè phyſicè, aut metaphyſicè immutantem, quod maximum inconueniens apparet.

95. *Ad cõfirmationẽ reſp. Salmãticenſes.*

Reijcitur illorum ſolutio primò.

Deindè contra eamdem ſolutionem facit: ideò iuxta iſtos Patres offenſam cauſalem, ſeu actũ offenſiuũ non poſſe eſſe in ratione offenſæ infinitum, quia ratio offenſæ actiuæ eſt identificata cum ratione malitiæ, quæ aliquid finitum eſt, & non poteſt formalitas infinita cum formalitate finita identitatem habere: ſed non minus repugnat, formalitatem infinitam à formalitate finita cauſari, quã identificari cum formalitate finita: ergo ſi offenſa formalis eſt terminus ab offenſa actiua finita cauſatus, infinita eſſe non poteſt.

96. *Secũdò.*

Denique facit contra eamdem doctrinam: vt enim vidimus ex D. Thoma, peccatum mortale, quia cõtra Deum eſt, pœnam infinitam meretur, & conſequenter eſt in ratione demeriti infinitum; ſed ratio demeriti conuenit offenſæ actiuæ, ideſt, actui offenſiuo, vt prædicti Patres fatentur:

Tertiò.

tur: ergo offensa actiua est in ratione offensæ infinita, & non solum offensa formalis, quæ in illorum sententia ab offensa actiua distinguitur, vt terminus ab illa causatus, & ad quam non sequitur ratio demeriti, nec commensuratur cum illa: quo circa, vt prædicti Patres docent, peccatum mortale in ratione demeriti infinitum non est, de quo infra.

97. *Vera solutio.* Vnde, his solutionibus in sua probabilitate relictis, ad primam probationem assumpti respondeo concessa maiori, negando minorem; nam licet actus voluntatis, vtpotè formalitèr immanens non sit inhæsiuè in Deo, sed in voluntate creata; est tamen in ratione offensæ in Deo tamquam in subiecto effectionis: & hoc est esse in Deo tamquam in subiecto morali, id est, in ordine ad æstimationem prudentum; in prudenti enim iudicio, ita se habet Deus respectu offensæ ad illam grauificandam, eo quod effectiuè illum vt subiectum respiciat, ac si re vera esset in illo formalitèr inhæsiuè.

Obijcies Sed dices: actus Deum offendens nihil efficit in Deo: ergo non respicit illum vt subiectum, nec inhæsionis, nec effectionis, & consequenter non est in illo moralitèr. *Respondetur.* Respondeo distinguendo antecedens: nihil efficit in Deo efficientia absoluta ob Dei in capacitatem ad aliquid in se recipiendum, concedo antecedens: efficientia conditionata nego antecedens, & consequentiam. Itaque licet peccator sub actu de facto nihil efficiat in Deo, quia Deus non est capax aliquid in se recipiendi; si tamen capax esset, quantum est ex affectu peccatoris, aliquid in illo efficeret lædendo in bonis intrinsecis, illumque destruendo, & auferendo ab illo rationem vltimi finis, & hoc est in Deo recipi conditionatè effectiuè.

98. *Instabis* Instabis: nam hoc modo etiam actus charitatis Deum respicit vt subiectum, & tamen abeundit moraliter infinitus: ergo modus iste respiciendi Deum vt subiectum offensæ, non sufficit, vt ex illo euadat infinita moraliter. Probatur maior; nã actus charitatis est aliqualis, etsi imperfecta satisfactio pro offensa; ergo aliquid effectiue ponit efficientia saltim conditionata in persona, cui fit satisfactio, & consequentèr Deum respicit vt subiectum effectionis, etsi non vt subiectum inhæsionis. *Respondetur.* Respondeo, prætermissa maiori, & concessa minori, negando consequentiam, quia hoc est inter offensam, & satisfactionem discrimen, quòd licet vtraque respiciat personam, cui fit, & personam facientem; offensa tamẽ crescit in grauitate ad incrementum dignitatis personæ, cui fit, & ex illa grauitatem recipit, non autem ex dignitate personæ offendentis; satisfactio verò è cõtra crescit ex dignitate personæ satisfacientis, non autem ex dignitate personæ, cui satisfactio exhibetur, esto illam vt subiectum effectionis respiciat, sed potius ex hac parte decrescit. Quæ doctrina necessario est admittenda ab illis, qui offensæ negant grauitatem infinitam simpliciter, cum saltim illi concedant superioritatem ordinis respectu satisfactionis possibilis puræ creaturæ.

99. *Instabis* Sed vrgebis: nam sequitur ex hac solutione, quòd etiam si offensa obiectiuè solum compararetur ad Deum, posset in illa saluari superioritas ordinis respectu actus charitatis: consequens est contra dicta §. 2. vbi ex eo probauimus, offensam Deum vt subiectum, & non solum vt obiectum respicere, quia aliàs non esset superioris ordinis ad actum charitatis in ratione satisfactionis: ergo solutio tradita non potest cum nostra doctrina subsistere. Probatur sequela: etiã si satisfactio, & offensa Deum vt subiectum effectionis respiciant, & consequenter in respiciendo Deum vt subiectum conueniant, saluatur in offensa superioritas ordinis respectu satisfactionis, & cum istius limitatione infinitas offensæ componitur: ergo etiam si vtraque Deum vt obiectum solum respiciat, poterit vtrumque componi.

100 *Respondetur.* Respondeo negando sequelam, ad cuius probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam: ra-

tio autem discrimnis est, nam cum conuenientia satisfactionis, & offensæ in respiciendo Deum, vt subiectum effectionis saluatur, quòd respectu offensæ subinduat rationem formæ moralis non ex se ipso deriuantis grauitatem, sed se ipso illam grauè constituentis, & consequenter infinitè grauificantis, vel ad superiorem ordinem eleuantis, quia respectu satisfactionis esto subiectum effectionis sit, nō autem rationem formæ subinduit; eo autem ipso, quòd vt obiectū solum tam ad offensam, quam ad satisfactionem compararetur, respectu nullius subinduceret rationem formæ constituentis, sed solum rationem formæ extrinsecè specificantis, & de se deriuantis dignitatem in satisfactione, & grauitatem in offensa; ideoque nulla esset ratio, cur offensam constitueret, nec grauem infinitè simpliciter, nec in ordine superiori respectu actus charitatis in ratione satisfactionis.

101. *Ad secūdā probationē assumpti.* Ad secundum medium, quo idem assumptum probatur, respondeo distinguendo consequens: mutaretur moraliter mutatione decreti, aut cōsilij, aut mutatione morali intrinsecè in Deo fundata, nego sequelam: mutatione morali fundata in creatura, & in ordine ad prudentum æstimationem, concedo sequelam, & sub eadē distinctione minoris, nego cōsequentiam; quia hoc modo mutari moraliter, nihil est aliud, quam sic se habere in ordine ad prudentum existimationem, ac si re vera physicè immutaretur, & intrinsecè læderetur: fundamentum autem huius existimationis est mutatio effectiua offensæ, non absoluta, sed conditionata; eo enim ipso quòd quis Deum grauiter offendit, ipsum lædit intrinsecè in affectu, & effectiuè conditionatè: ex quo dat fundamentum prudenti iudicio ad æstimandum sic se habere moraliter, ac si intrinsecè læderet in effectu, & Deum sic se haberead grauificandam offensam, ac si absolutè intrinsecè læderetur.

102. Nec inferas, hanc solutionem coincidere cum secunda, quam supra impugnauimus, Noīque admittere inconueniens, quod ex illa inferebamus, quādoquidem iam admittimus, Deum mutari moraliter aliquomodo intrinsecè, quod erat inconueniēs contra secūdam solutionem illatum, Hoc, inquam, nullatenus sequitur; Nos enim constituimus offensam in aliquo identificato intrinsecè cum actu offensiuo inhærente voluntati, Deoque physicè, & metaphysicè extrinseco; solutio autem secunda constituit offensam formalem in formalitate realiter ab actu offensiuo distincta, & ab illo causata inhærente intrinsecè Deo: si non physicè, quia entitas physica non est; benè tamen metaphysicè: vndè longè ab illa solutione distamus.

103. *Ad tertiam.* Et ex his ad tertiam probationem constat solutio; esse namque in potentia morali ad offensam moraliter recipiendam nihil est aliud, quam sic se habere in ordine ad æstimationē prudentum, ac si re vera illam pateretur intrinsecè, quod inconueniens non est, sicut nec inconueniens censetur à Theologis, quòd Deus rationem formæ moralis sanctificantis humanitatem, & valorantis merita Christi subinduat, cum tamen, quòd forma physica sit, non minus inconueniens, nec minus repugnans censeatur, quam quòd physicè formam intrinsecam sibi inhærentem recipiat, & sit in potentia ad illam. *Ad quartam.* Ad quartam nego sequelam; individuatio namque non sumitur à subiecto effectionis, sed à subiecto inhæsionis, & quia hoc multiplicatur, ideò multiplicatur offēsa, multiplicatis actibus offensiuis. Et quidem tres istæ probationes instantur in meritis Christi Domini, quæ personam Verbi respiciunt vt subiectum morale, quin ex hoc rectè inferatur, seu pro inconuenienti colligatur, Verbum mutari, esse in potentia, & indistinctio numerica valoris personalis, actuum, quibus Christus meruit.

104. *Ad quintam.* Ad quintam nego sequelam, ad cuius probationem dicatur, verum id esse de illis, quæ in Deo sunt, siuè physicè, siuè moraliter, si sint adora-

tionis

tionis capacia, secus autē si incapacia sint: offensa autē adorationis incapax est, ideoque etsi in Deo sit vt in subiecto morali, non sequitur, esse adorandam adoratione latriæ: & quidem si Verbum in humanitate assumpta peccaret, vt aliqui censuere possibile de potentia absoluta, esset peccati subiectum, sicut est subiectum actuum, quibus Christus meruit; & tamen peccatum adorandum non esset adoratione latriæ, quo genere adorationis merita Christi adorantur non alia ratione, nisi quia peccatum capax adorationis non est, sed adorationi repugnat. Crux etiam propter Christi cōtactum adoratur adoratione latriæ; manus autem illius, qui alapa Christum percussit talem adorationem nō terminat, & si faciem Christi contigerit ob eandem rationem discrimi-

105 *Ad sextam.*

S. Tho.

nis.

Ad sextam dicatur, rationē auersionis, & offensæ in peccato non esse formalissimè idem, vt constat ex D. Thoma *quæst. 28. de Veritate art. 2. circa principium corporis*, illis verbis: *Sunt autem tria ex parte auersionis se sè concomitantia, ratione quorum remissio peccatorum fieri non potest sine gratia, scilicet auersio, offensa, & reatus.* Vbi, vt manifestè constat, distinguit D. Thom. in peccato offensam ab auersione, ac proindè ex eo, quòd peccatum in ratione auersionis Deum habeat pro termino, à quo, non infertur sub ratione offensæ, non respicere Deum vt subiectum.

106 *Ad confirmationem.*

Ad confirmationem dicatur, ad hoc quòd in ratione offensæ possit subiectum effectionis respicere, quòd non respiciat formaliter sub ratione auersionis, sufficere distinctionem, quæ inter conceptum offensæ, & cōceptum auersionis versatur, quin obstet, rationem offensæ subsequi ad rationem auersionis, quòd si ratio malitiæ, & ratio conuersionis non possūt diuersa subiecta respicere, est, quia in ordine ad eundem terminum, eodem modo inspectum, explicatur vterque conceptus, nempè ad obiectum dissonum iegi, & rationi. & quidem ratio actionis, & ratio passionis in intellectione identificatæ inveniuntur, & tamen distincta subiecta denominationis habent, nempè intellectum, & obiectum: ita pariter, etsi ratio auersionis, & ratio offensæ identificatæ sint, possunt diversa subiecta habere, non quidē diuersa subiecta inhæsionis physicæ, benè tamen inhæsionis moralis; quia cum inhæsio moralis intrinseca physicè extrinseca sit, sequitur quoad hoc leges subiecti denominationis.

Ad vltimam probationem concesso antecedenti, nego cōsequentiā, ad primam probationē distinguo antecedens: quia valorat, vt subiectum morale moralitate fundata in subiectione physica mediata, concedo antecedens, præcisè quia vt subiectum valorat, nego antecedens, & consequentiam; quia ratio subiecti moralis offensæ in Deo non fundatur in physica subiectione mediata, vel immediata, sed in tendentia affectiua absolutè, & cōditionatè effectiua actus offensiui in Deum; cumque ad tendentiam affectiuam cognitio obiecti terminantis illam requiratur, fit cōsequens, vt subiectio moralis offensæ in Deo, cognitionem Dei in offendente requirat, secus autem moralis subiectio personæ Verbi operantis ad actus meritorios Christi, & illorum informatio moralis, quia non fundatur in cōiunctione affectiua actuum cum persona Verbi, sed in egressu effectiuo, quo a persona Verbi egrediuntur tanquam à principio *quod*, & in eo quod in illo vt in subiecto *quod* recipiuntur.

107 *Ad vltimā probationē assumpti.*

Ad secundam consequentiæ probationem dicatur, personam offensā comparari ad actum offensiuū vt obiectum affectionis, ideoque cognitionem prærequirere; ex hoc tamen non tollitur comparatio eiusdem personæ ad offensam vt subiectum effectionis, & vt subiectum morale, neque ex eo quod, vt influat, prærequirat cognitionem, sequitur, non grauificare infinitè; (vt tacitæ obiectioni occurramus) nam cognitio solum vt conditio requiritur, vt persona offensa informet: limitatio autem conditionis non impedit, vt forma infinita moralis effectum infinitum communicet,

108

vt superius arguebamus, & infra amplius ostendemus, contaretque in humanitate Christi, quæ infinitè sancta redditur sanctitate substantiali, non obstante limitatione vnionis, qua cū Deitate vnitur; quia talis vnio solum vt conditio se habet, vt Deitas humanitatem sanctificet.

§. VI.

Duobus alijs argumentis occurritur, & explicatur forma præstans grauitatem offensæ.

109 *Quintū argumentum.*

QVINTÒ ARGVITVR. Omnis effectus infinitus petit formam autem infinitatē; sed respectu offensæ mortalis non est assignabilis forma, à qua infinitas præstetur: ergo non est grauitatis simpliciter infinitæ. Quod amplius vrgetur; effectus namque infinitus petit causam efficientem infinitam physicè, si effectꝰ physicè infinitus sit, vel moraliter, si effectus in hoc genere sit infinitus; sed grauitatis offensæ nō est dabilis causa efficiens infinita, nec physicè, nec moraliter: ergo infinita non est.

110. *Prima solutio.*

Hoc argumentum petit, vt explicemus formam, à qua offensa mortalis constituitur infinita simpliciter: in qua assignāda diuiduntur inter se Auctores nostræ sententiæ. Docti Recētiores Thomistæ, docent, formam esse modum quendam purè moralem intrinsecè actum offensiuum afficientem, qui licet creatus sit, est infinitus in genere moris, & constituit offensam simpliciter infinitam in grauitate morali, & vt talem æstimabilē per ordinem ad prudentum iudicium. Ita Magister Cornejo, & Illustrissimus Araujo vbi supra.

Cornejo. Araujo.

Quorum sententiæ libentissimè adhærerem, si istius modi moraliter infiniti causam efficientem inuenirē, ab illis tamen dissentio hac ratione, nā omnis effectus infinitus petit causam efficientem infinitam, vt proximè dicebamus, & ex se manifestum videtur, eo quòd in causa finita non potest infinitum cōtineri; sed talis causa huic modo assignari non potest: ergo nec talis modus est dabilis, quo peccatum in ratione offensæ formaliter cōstituatur graue infinitè simpliciter. Probatur minor: causa efficiēs istum modum est voluntas creata, nec alia est imaginabilis; sed volūtas creata nō est infinita, nec physicè, nec moraliter: ergo non est assignabilis causa efficiens infinita, à qua iste modus causetur.

111. *Reijcitur.*

Per quod euertitur solutio Magistri Araujo asserentis, quòd licet limitatio principij impediat infinitatem physicam actus, non tamen impedit infinitatem modi purè moralis. Quæ doctrina ex dictis manet exclusa; nam infinitas effectus, siuè moralis sit, siuè physica, petit causam simili infinitate gaudentem; sed voluntas creata est in vtroque genere tam physico, quam morali finita: ergo non potest efficere modum, etiam si purè moralem, infinitū in hoc genere.

Araujo.

112. *Secunda solutio.*

Si secundo respondeatur, voluntatem creatam, esto in linea physica, & in linea bonitatis moralis sit finita, esse tamen infinitam in genere moris moralis, eo quòd est prima causa, primūque principium in genere deficiendi, cui infinitati ratio creaturæ non obstat, imò nō potest nisi enti creato eōpetere; ideoquè præcōtinere, & causare potest modum istum moraliter infinitum.

Reijcitur.

Obstat contra hanc solutionem argumentum supra factum; nam ex illa sequitur, actum attingentem obiectum infinitum esse infinitæ malitiæ: cōsequēs est falsum, vt conitat in odio Dei, cuius obiectum est infinitum; & tamen non est malitiæ specificæ infinitæ, vt fatentur omnes Theologi: ergo & tradita solutio. Sequela probatur: obiectum infinitum est, quātum est de

se

se potens infinitam malitiam trãsfundere, sicut etiam infinitam bonitatem attactum prosecutiuè, nisi aliundè limitetur: at iuxta hanc solutionem voluntas creata, quæ est principium malitiæ specificæ peccati, est infinita in genere causæ malitiæ, & consequẽtèr non potest limitare obiectum, nè infinitam malitiam trãsfundat in actum: ergo actus per modum fugæ attingẽs obiectum infinitum, erit malitiæ specificæ moralitèr infinitæ.

113. *Instatio.* Si tertio dicatur, modum istũ moralem non fieri per se primò, sed secundariò, & per resultantiam, cuius resultantiæ principium est persona offensa entitate actus peccaminosi passiuè solum se habente, & voluntate creata solum vt causante subtractum, entitatẽ scilicet actus; persona autem offensa, cum infinita sit, potest vt subiectum offensum per modum principij resultantiæ modum moralẽ moralitèr infinitum causare. In cõtrarium obstat primo: omne, quòd secũdario, & per resultantiam fit, fieri ex vi actionis aliquid causantis primariò, & à principio terminum primariũ causante; sed nullus terminus primario productus, ad quem talis modus per resultãtiam sequatur, potest in præsenti assignari, cuius causa voluntas creata nõ sit: ergo modus iste non potest ab alio, quã à voluntate creata causari.

Reijcitur primò.

114. *Reijcitur secũdo.* Secundò, & simul tacita euasio præcluditur: persona offensa non potest esse principium *quod* huius resultantiæ moralis, sed solum principium *quo*, & consequentèr debet principiũ *quod* assignari per principium *quo* cõstitutum, quod non potest esse aliud nisi entitas actus offensiui, ad quem ratione personæ offensæ, vt principij *quo* resultet modus iste moralis; sed si hoc asseratur, iam inuenitur ante talem modum forma dãs infinitam grauitatem offensæ: ergo per talem modum non constituitur primò offensa infinita simplicitèr, sed ante illum cõstituta præsupponitur. Probo minorẽ: vt principium *quo* cõstituat principium *quod* resultantiæ moralis, necessario exigitur, vt illud informet moralitèr, sicuti principium *quo* resultantiæ physicæ debet physicè principium *quod* informare: quò circa frequentior sententia docet, personalitatem Verbi non esse principium *quo* resultantiæ physicæ donorum gratiæ in anima Christi Domini, quia illam physicè nõ informat, neque informare potest; sed eo ipso, quòd persona offensa moralitèr actum offensiuum informet, illum infinitè grauificat: ergo eo ipso, quòd asseratur, modum istum resultare ad actum offensiuum ratione personæ offensæ per modum principij *quo*, admittitur forma modum istum moralem præcedens constituẽs offensam infinitè grauem simplicitèr.

115. *Alia solutio.* Si dicatur quartò, posse modum istum moralem moralitèr infinitum causari à voluntate creata, vt à principio effectiuo deficiente, quamuis nec physicè, nec moralitèr sit infinita, eo quòd tametsi causa efficiens nõ possit excedi ab effectu in eo, quod perfectionis est; in eo tamen, quòd imperfectionem dicit, potest ab effectu excedi: videlicèt actus prauus in genere mali moralis voluntatem excedat, ab illa, vt à prima causa in genere deficiẽdi causatur, vt *tractatu de Peccatis* docuimus 1. 2. *quæst.* 71. *art.* 3. vbi autem excessus non obstat, nec infinitas potest obstare. Quæ doctrina exindè constans videtur; si namque potentia excedatur ab actu à se causato in malitia, non continet malitiam, quam causat: ergo esto finita sit, poterit infinitatem in genere mali causare.

116. *Reijcitur primò.* Si, inquam, sic respondeatur, obstat contra hanc solutionem idem argumentum, quo secundam vrgebamus; si namque limitatio voluntatis non obstat, vt causet efficienter grauitatem infinitam offensæ, eo quòd est infinitas in genere imperfectionis, in quo genere inconueniens non est, vt effectus causam efficientem excedat, nec etiam obstabit, vt causet infinitã malitiam specificam derivandam ex obiecto: consequens autem est falsũ, aliàs odium Dei esset infinitæ malitiæ specificæ, quod communi sententiæ aduersatur: ergo & tradita solutio.

117. Secūdo.

Deinde reijcitur; nam ex eo, quòd effectus poſsit ſui cauſam efficientem excedere in eo, quod imperfectionis eſt, non ſequitur, poſſe effectum in genere mali infinitum à principio in eodem genere finito procedere: ergo ratio, qua præcedēs ſolutio fulcitur, eſt nulla, & conſequenter etiam ſolutio. Probatur antecedens: effectus cauſæ materialis poteſt excedere illam, & de facto multoties excedit, vt conſtat in forma ſubſtantiali comparata cū materia, & in gratia habituali, quæ in veriori, frequentiorique ſententia ex potentia animæ educitur, & ab illa materialiter cauſatur, quam tamen excedit; & tamen ex hoc nō ſequitur, poſſe effectum infinitum recipi in ſubiecto finito, & educi ex eius potentia, vt communis ſentētia tenet: ergo ex eo, quòd effectus poſsit ſui cauſam efficientem excedere in genere imperfectionis, non ſequitur, effectum in genere mali infinitum poſſe in principio in eodem genere finito contineri, & ab illo efficienter cauſari: cuius ratio eſt; nam ad minus requiritur inter cauſam, & effectū proportio: inter cauſam autem finitam, & effectum infinitum proportio non datur; ideoque malitia, aut grauitas infinita non poteſt à cauſa moraliter finita efficienter procedere.

118. Secūdus modus dicendi.

Secundus modus dicendi eſt, formam huius infinitatis eſſe diſtantiam creaturæ à creatore, quæ licet in eſſe entis finita ſit, in eſſe tamen diſtantiæ eſt infinita ſimplicitèr. Sed nec placet modus iſte dicendi primò, quia ex illo ſequitur, omne peccatum hominis excedere quodlibet peccatum Angeli in forma dante grauitatem offenſæ: conſequens falſum videtur: ergo. Probatur ſequela, nam diſtantia hominis à Deo maior eſt diſtantia Angeli, cum in perfectione homo ſit Angelo inferior, & conſequenter magis diſtet à Deo homo in perfectione, quam Angelus: ergo ſi hæc diſtantia eſt forma grauitatis offenſæ, omne hominis peccatū excedit quodlibet peccatum Angeli in forma offenſam grauificante.

Reijcitur primò.

119. Præterea, nam ſi finganus Deum diſtinctum à Deo, quem fide colimus, ipſumque offendentem, foret illius offenſa infinitæ grauitatis; & tamē inter offendentem, & offenſum infinita diſtantia non foret: ergo non conſiſtit infinita offenſæ grauitas in diſtantia creaturæ offendētis à creatore offenſo. Denique, nam maieſtas Regia dat offenſæ contra Regem commiſſæ grauitatem ad ordinem Regiū ſpectātem, ſiuè à plebeio, ſiuè ab alio Rege offendatur, eſto maior ſit, quæ à plebeio, quam illa, quæ à Rege ſibi æquali irrogatur: ergo ratio dādi grauitatem Regiam offenſæ non eſt diſtantia offendentis à Rege; ſed Regia maieſtas, & conſequenter ratio dandi grauitatem diuinam offenſæ irrogatæ Deo non erit diſtantia creaturæ à creatore, ſed maieſtas ipſa diuina per peccatum læſa.

Secūdo.

Tertiò.

120. Vera ſolutio.

Miſsis igitur his modis dicendi, & aliijs, quorum impugnatio habetur ex dictis §. 1. vbi varia motiua pro noſtra concluſione reiecimus, ad quintum argumentum reſpondeo, cōceſſa maiori, negando minorem; datur namque forma infinitæ grauitatis offenſæ mortalis, nempè maieſtas diuina per peccatum iniuriata, nam ſicut perſona Verbi, quia ſubiectum eſt actuum, qui ab humanitate eliciuntur, eſt in genere moris forma tales actus valorans, & infinitè meritorios cōſtituēs, & quia humanitas Chriſti ſuſtentatur à Verbo, ab illo etiam informatur moraliter, & adorabilis, ſancta, & infinitè æſtimabilis formaliter conſtituitur; ita quia Deus eſt ſubiectum morale offenſæ, ſubinduit rationem formæ offenſam grauificantis.

144

Ad cōfirmationem dicatur, aliud eſſe loqui de offenſa graui in concreto, & aliud de grauitate offenſæ in abſtracto, ideſt, de forma dante offenſæ grauitatem: ſi de primo loquamur, dicimus, eſſe effectum voluntatis creatæ offendentis, quia licèt formam infinitam non cauſet, cauſat tamen ſubſtractum illius, actum, ſcilicet offenſiuum, vt vnitum cum perſona offenſa. ad cauſandum autem concretum nō eſt neceſsū omnes eius partes cauſare, ſed ſufficit efficere aliquam, vel

illam

illam alteri vnire, vt constat in homine hominem generante, illumque efficiente, etsi nec materiam causet, nec formam, quia illarum vnionem efficit; si verò loquamur de grauitate offensæ in abstracto, ideſt, de forma dante offensæ grauitatem, dicimus, non esse alicuius causæ effectũ, sed aliquid increatum, scilicet, maiestatem ipsam diuinam per peccatum iniuriatã. Quæ doctrina amplius ex dicendis *Disp. 3.* constabit.

121. *Replicabis primo.* Verum contra illam obijciet aliquis primo. Offensa quatenus infinita est mala, & odio Dei digna; sed maiestas diuina mala nõ est, nec digna odio Dei esse potest: ergo nequit esse forma dans offensæ infinitam grauitatẽ. Patet consequentia: nam id, quod bonum est, & dignum amore, non potest vt forma malum, & odio dignum constituere. Deinde, nam constitutio ista est moralis consistens in fundamento prudẽtis æstimationis, qua peccatum iudicetur dignum pœna, & odio Dei; sed imprudentissimum erit iudicium, quo quispiam existimet, diuinitatem ipsam aliquid odio, & pœna dignum constituere: ergo nequit per modum formæ dare offensæ grauitatem. *Secũdò.* Præterea, nam Deus est subiectum offensæ, & grauitatis illius; sed non potest esse subiectũ sui: ergo nec forma grauitatis offensæ. *Tertiò.* Denique, nam peccatum est intrinsecè graue infinitè: ergo forma dans grauitatem debet esse intrinseca offensæ; sed maiestas diuina non est intrinseca offensæ, sed extrinsecè se habet ad illam: ergo nequit esse forma constituens offensam grauẽ infinitè simpliciter. *Quartò.*

122. *Ad primam.* Respondeo ad primam ex his obiectionibus, concessis maiori, & minori, negando consequentiam; ad illius probationem dicatur, quod licèt id, quod bonũ est, & amore dignum, nequeat prosecutiuè attactum constituere malum, & dignum odio; attactum verò contrariè, & auersiuè id potest præstare: sicut in omnium sententia obiectiuè dat malitiam attactum auersiuè, & contrariè, quam præstare nequit attactum prosecutiuè: & hoc ideò, quia odio habere bonum, illudque relinquere malum est. Et ex his *Ad secũdam.* ad secundam obiectionem constat solutio; nam licèt maiestas diuina amata non possit odium fundare; odio tamen habita, & iniuriata odium fundat, & offensam odio, & pœna digna constituit, sicut in sententia opposita obiectiuè, ita in nostra formaliter.

123. *Ad tertiam.* Ad tertiam dicatur, Deum esse subiectum offensæ, non tamen grauitatis illius sumptæ in abstracto, nec offensæ grauis in concreto adæquatè, & totaliter secundum partem formalem, & materialem, sed tantum secundum vnam partem, videlicet materialem: vndè consequenter est asserendum, grauitatem offensæ in abstracto, seu formam grauitatis offensæ non habere subiectum inhæsionis, sed tantũ constitutionis, nempè ipsa offensa, quam infinitè grauem constituit. Ad quartam dicatur, quòd licet Deus per peccatum offensus non sit forma offensæ intrinseca in genere physico; est tamen forma intrinseca in linea morali, sicut persona Verbi forma intrinseca est satisfactionis, & meriti, non physicè, sed moraliter, & sicut Deus est subiectum offensæ moraliter, & si non physicè, vt fatentur nostri Thomistæ, etiam illi, qui à nobis in forma offensæ discordant. *Ad quartam.*

124. *Iustabis.* Sed dices: datur forma extrinseca in genere moris, vt constat in valore monetæ à forma moraliter extrinseca sumpto, & in voce ad significandũ imposita, cuius forma, nempè impositio moraliter extrinseca est: & datur forma intrinseca moraliter, vt in Deitate sanctificãte humanitatem, in persona Verbi valorãte merita, & in alijs asseritur; sed nulla est ratio, cur Deus respectu offensæ inter formas in genere moris intrinsecas, & non potius inter extrinsecas computetur: ergo non est forma intrinseca, etiam in genere moris.

125. *Respondetur.* Respondeo, concessa maiori, negando minorem, nam quoties fundamentum constitutionis moralis est habitudo intrinseca constituti ad formã constituentem, vel coniunctio aliqua physica cum illa, tunc forma in morali æstimatione se habet intrinsecè, &

quia moneta ad formam valorantem non dicit intrinſecum ordinem, nec vox ad impoſitionem; ideò tales formæ ſunt extrinſecæ, etiam in conſideratione morali: actus autem offenſivus dicit intrinſecam habitudinem ad perſonam offenſam per modum ſubiecti effectionis, vt dicebamus ſupra, ideoque perſona offenſa eſt forma offenſæ intrinſeca in genere moris.

126. *Aliter argumẽto principali reſpõdetur*

Quòd ſi hæc nõ placuerint, reſpõderi poteſt ad quartam obiectionem, offenſam eſſe grauitatis infinitæ ſimpliciter in genere moris, per quod à prima ſententia recedimus; non tamẽ intrinſecè, ſed tantùm extrinſecè. Neque ex hoc ſequitur, eſſe eodem modo infinitum actum charitatis, vt potè ad obiectum infinitum terminatum; eſt enim manifeſtum diſcrimen conſiſtẽs in eo, quòd obiectum actus charitatis non ſe habet ad illum, vt forma extrinſecè denominans, & ſe ipſo in aliquo eſſe conſtituens, ſed tantùm vt obiectum terminans, ſpecificans, & ex ſe illius perfectionem, & bonitatem obiectiuè deriuans: perſona autem offenſa non vt terminans tantum, ſed vt forma denominans, & ſeipſa in aliquo eſſe conſtituens ad offenſam cõparatur; & ideò non ſolum dicitur infinita terminatiuè, ideſt terminata ad perſonam infinitam, ſed dicitur infinita abſolutè in genere moris, ſũpta denominatione à forma infinita, etſi extrinſeca.

127 *Obijcies*

Sed dices, parietem eſſe viſum extrinſecè, nihil eſt aliud, quam terminare viſionem: ergo offenſam eſſe extrinſecè grauitatis infinitæ, nihil aliud erit, quam terminari ad perſonam infinitæ dignitatis; ſed hoc etiam habet actus charitatis, terminatur namque ad obiectum infinitum: ergo non damus aliam infinitatem offenſæ in hoc modo diſcurrendi ab illa, quam actui charitatis concedimus. *Reſpondetur.* Reſpõdeo, diſtinguẽdo primum cõſequẽs: terminari ad perſonam infinitam ſolum, vt ad terminum extrinſecè ſpecificantem, nego conſequentiam: tãquam ad aliquid induens rationẽ formæ denominantis, & ſeipſa offenſam conſtituentis in aliquo eſſe in morali æſtimatione, concedo conſequentiã, & nego minorem ſubſumptam; actus enim charitatis ſolum terminatur ad obiectum, vt ad terminum ſpecificantem, non autem vt ad formam ſeipſa conſtituentem illum in aliquo eſſe, etiam in æſtimatione morali.

128 *Inſtabis*

Inſtabis: idcircò offenſa reſpiceret perſonam offenſam, vt formam prædicto modo, quia illam reſpicit non tantum vt obiectum, ſed etiam vt ſubiectum, cui irrogatur; ſed actus charitatis, non ſolum reſpicit Deum vt obiectum, ſed in ratione ſatisfactionis Deum reſpicit, vt ſubiectum, cui fit ſatisfactio: ergo reſpicit illum vt formam denominantem, & extrinſecè infinitantem ad modum ipſum infinitatis offenſæ. *Reſpondetur.* Reſpondeo, conceſſis maiori, & minori, negando conſequentiam: & ratio diſcriminis eſt, nã valor ſatisfactionis ſumitur à perſona ſatisfaciente, non autem à perſona, cui fit, ſed potius ex illius dignitate decreſcit: & ideò ſubiectum, cui fit, non reſpicit, vt formam in morali æſtimatione: cæterum offenſæ grauitas creſcit ex dignitate perſonæ, vndè perſona offenſa ingreditur illius conſtitutionẽ in genere moris, illam cõſtituẽdo ſeipſa æſtimabilem moraliter, conſequenterque eſt dicendum, quòd ſicut in ordine ad ſatisfactionem, & meritum, Deus non ſolum attendit ad opera, ſed etiam ad perſonam operãtem, ita vt penes ipſam valor meritorius, & ſatisfactorius penſetur, ita in ordine ad demeritum non ſolum attẽdit ad entitatem intrinſecam actus offenſiui, ſed etiam ad perſonam offenſam, & penes ipſam grauitas demeritoria penſatur.

129. *Secundum argumentum.*

Sexto arguitur: non ſtat, aliquid eſſe infinitum moraliter, quin ſit phyſicè infinitum; ſed offenſa phyſicè infinita non eſt: ergo nec moralitèr eſt infinita: conſequẽtia eſt bona: minor certa communiter Theologis, etſi à quodam Recentiore negetur. Maior autem oſtenditur primo, nam rem aliquam eſſe infinitam ſolum moralitèr eſt, eſſe finitam reipſa; æſtimari tamẽ prudenter infinitam, eo quòd parum

diſtat

distat à magnitudine infinita simpliciter; sed nulla res physicè, & re ipsa finita potest tam parum à magnitudine infinita distare, vt prudenter tanti æstimetur, quanti æstimaretur, si talē infinitatem haberet; etenim quod re ipsa est finitum, in infinitum distat ab infinitate in re habenda: ergo non stat aliquid esse infinitum moraliter, quin sit physicè infinitum.

130 Secundo probatur; nam id, quod re vera est finitum, non potest prudenti iudicio infinitum æstimari, nam prudens iudicium conformari debet cum re prout in se, aliàs nō prudens, sed imprudens erit; sed id, quod re vera est infinitum, physicè infinitum est: ergo id solum potest esse infinitum in ordine ad prudentem æstimationem, in quo infinitudo moralis cōsistit, quod physicè est infinitum. Denique, nō enim potest esse aliquid infinitum moraliter, nisi per aliquam formam physicè infinitam in ratione talis cōstituatur; sed eo ipso infinitum physicè constituitur, cum forma infinita physicè ingrediatur illius constitutionem: ergo non stat infinitudo moralis absque infinitudine physica.

131. *Respōdetur ad argumētum ad primam probationem maioris.* Respondeo negando maiorem, ad primam probationem nego etiam maiorem; non enim consistit infinitas moralis in æstimatione fundata super aliquid finitum reipsa, & parum distās ab infinito, sed in aliqua cōiunctione cum re infinita sufficiente ad iudicandum prudenter, sic cum illa comparari, vt ab ea valoretur, seu grauificetur, quod iudicio prudentum metiendum, & regulandum est; & quia coniunctio offensæ cum persona offensa est huiusmodi, ideò ab illa, quando infinita est, infinitatur moraliter.

Ad secūdam. Ad secundam probationem, concessa maiori, nego minorem; nō enim omne, quod re vera infinitum est, physicè est infinitum, sed solum id, quod est infinitum in ordine ad effectus physicos; id verò, quod solum est infinitū respectiuè ad prudentem existimationem, & in ordine ad effectus morales physicè infinitum non est, etsi re vera infinitum sit, hoc est infinitudine non ficta. Et quidem id, quod physicè non est actus, sed carentia physica actus, est actus moralis, eo quod est fundamentum prudenti existimationi ad iudicandum, voluntatem cū carentia actus sic se habere, ac si revera per actum physicum vellet nō agere, vt constat in sententia probabili admittente possibilem puram omissionem culpabilem absque actu physico positiuo volūtatis. Quid ergo erit mirum, vt id, quod physicè infinitum nō est, sit moraliter infinitum ob simile fundamentum ad prudentem æstimationem de illius infinitate?

132. *Ad tertiam.* Ad tertiam probationem distinguo maiorem: nisi per aliquam formam physicè infinitā, & physicè vnitam, nego maiorem: physicè infinitā, & vnitam moraliter, concedo maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: vt enim aliquid physicè infinitum sit, nō sufficit constitui in ratione talis per formam physicè infinitam, sed insuper est necessarium, quod talis forma physicè vniatur vt forma, & quia Deus dans vt forma grauitatem offensæ, non vniturilli physicè vt forma, sed solū moraliter, consequens fit, quod illam moraliter infinitam constituat, non autē physicè. Si inquiras, in quo consistat, vniri vt formam non physicè, sed moraliter? Respondeo, vniri solum moraliter, esse sic vniri, vt licèt physicè non informet, nec in ordine ad effectus physicos; præbeat tamen fundamentum prudenti existimationi ad iudicandum, taliter se habere respectu effectuum moralium, ac si physicè vniretur; sicut omissio pura dicitur actus moralis, eo quòd præbet fundamentum ad iudicandum prudenter, voluntatem purè omittētem sic se habere in ordine ad transgressionem legis; ac si per physicum, & positiuum actum vellet omittere.

133. *Offensa non est physicè infinita, vt qui-*

Ex quibus sic aduersus Recentiorem statuentem offensam mortalem esse physicè infinitam arguitur: stat actus moralis, qui actus physicus non sit, vt constat in pura omissione voluntaria, & culpabili, quam posse dari in volūtate creata, probabilissima tenet sententia: ergo stare etiam pote-

damMo dern⁹ di cebat, cō tra quā o bſtat primo.

rit infinitum morale, quod phyſicè infinitum non ſit, & cōſequenter malè prædictus Recentior infert, phyſicam offenſæ infinitudinem ex illius infinitate morali, & ex eo quòd non poſsit vna infinitas ſine alia ſubſiſtere. Deindè reijcitur; vt enim offenſa phyſicè infinita ſit, non ſufficit, perſonā offenſam phyſicè infinitam eſſe, ſed inſuper eſt neceſſarium, quòd illi phyſicè vniatur, vt forma; ſed non ſic vnitur maieſtas diuina offenſa cum noſtra offenſa mortali: ergo illam phyſicè infinitam non reddit. Minor cū conſequētia tenet: maior autēoſtēditur primò, nam effectus præſtitus ab aliqua forma petit formam, & vnionem: ergo licet forma ſit phyſica; ſi tamen vnio eſt moralis, non conſurgit phyſicus, ſed moralis effectus.

Secūdò.

134. Secundò, nam ſi ad infinitatem reſultantem ex forma, non attenderetur vnio, ſed tantum infinitas formæ, ſequeretur, ita eſſe infinitam offenſam, ac ſunt Chriſti merita infinita, & conſequenter ſatisfactionem Chriſti ſuperabundantem non fuiſſe: conſequens abſurdum eſt: ergo attendi debet vnio. Probatur ſequela: forma dans offenſæ grauitatem, eiuſdem infinitatis eſt cum forma dante valorē operibus Chriſti Domini, nempè diuinitas ipſa: ergo ſi ad infinitatem nō penſatur vnio formæ cum eo, quod infinitum conſtituitur, ſed ſolum infinitas formæ, grauitas offenſæ mortalis adæquabit valorem operū Chriſti, quod admittendum non eſt. Denique eadem maior probatur; nam ex oppoſito fieret, offenſam eſſe infinitā per eſſentiam: conſequens non admittetur, neque ab aliquo aſſertum hucuſque eſt: ergo attendi debet vnio, & non ſolum infinitas formæ, ad infinitatem phyſicam effectus præſtiti à forma infinita. Probatur ſequela: forma præſtans infinitatem offenſæ eſt, non ſolum phyſicè infinita, ſed etiam infinita per eſſentiam: ſed quia phyſicè infinita eſt, reddit offenſam phyſicè infinitam in iſtius Recentioris ſententia: ergo quia eſt infinita per eſſentiam, conſtituet offenſam per eſſentiam infinitam, niſi ad infinitatem phyſicam effectus, vltra infinitudinē formæ, vnio etiam formæ penſetur.

§. VII.

Occaſione ſeptimæ obiectionis explicatur peccatorum inæqualitas.

135. *Septimo argui-- tur, & explicatur peccatorū inæqualitas.*

Septimo arguitur: ſi peccatum eſſet in ratione offenſæ ſimpliciter infinitum, ſequeretur, vnum peccatum alio maius non eſſe; ſed ſecundum fidem Catholicam, inquit Vazquez, contra Stoicos aſſerēda eſt inæqualitas peccatorum: ergo peccatum mortale in ratione offenſæ, non eſt infinitum ſimpliciter. Probatur ſequela: etenim vnum infinitum non eſt maius alio in eo genere, in quo eſt infinitum; ergo ſi peccatum mortale in genere moris eſt infinitum ſimpliciter, vnum in hoc genere alio maius non eſt, ſed omnia ſunt in genere moris æqualia.

136. *Prima ſolutio.*

Huic argumento dupliciter reſpondetur ab Auctoribus noſtræ ſententiæ primo, negando ſequelam, ad cuius probationem diſtinguunt iſtius ſolutionis Auctores de infinito per eſſentiam, & in genere entis, & infinito determinati generis, & aſſerunt, quòd licet loquendo formaliter de infinito in ratione infiniti, vnum nō ſit maius alio, quia in negatione omnimoda termini, in qua ratio infiniti conſiſtit, vnum aliud non excedit; materialiter tamen de infinito loquēdo, licet infinitum per eſſentiam, & in genere entis petat, quòd à nullo excedatur, infinitum tamen determinati generis poteſt materialiter ab alio infinito excedi, & quia peccatum infinitum per eſſentiam non eſt, nec in genere entis, ſed in genere determinato, ſcilicet, in genere moris, fit conſequens, vt poſsit vnum peccatum alio eſſe maius, eſto quodlibet ſit

infi-

infinitum. Cui modo dicendi suffragari videtur D. Thomas *3. part. quæst. 10. art. 3. ad 3.*

S. Tho.

137. *Secunda solutio.*

Secundo alij respondent, peccata considerari posse duplicitèr, scilicèt, in ratione malitiæ, & in ratione offensæ: in priori consideratione peccatum infinitum non est, & in illa vnum aliud excedit: in secunda autem est infinitum, & in illa vnum alio maius nō est, sed omnia inter se adæquantur. Ita Cornejo vbi supra §. *Quidquid sit*, cuius sententiæ fauere videtur D. Thom. 1. 2. *quæst. 87. art. 4.* in argumento *Sed contra*, vbi ex eo probat, pœnam peccatis taxatam infinitam non esse, quia aliàs omnium peccatorum pœnæ forent æquales; non enim est infinitum infinito maius, inquit Diuus Thomas, quæ causalis non concluderet, nec conuinceret intentum, si vnum infinitum posset excedere aliud in eo genere, in quo est infinitum.

Cornejo.

S. Tho

138. *Vera solutio.*

Media tamen via incedendum existimo, ante cuius explicationem animadverto primò, errorem Stoicorum consistere in eo, quod docebant, omnia peccata sub omni ratione esse æqualia, sicut etiam omnes virtutes æquales esse asserebant, eo quòd virtus in illorum sententia consistit in indiuisibili: ex quo necessaria consequentia deducitur, virtutem in ratione virtutis non suscipere magis, nec minus, sed omnes æquales esse; sicut quia veritas consistit in indiuisibili, non datur vna veritas maior alia in ratione veritatis, sed omnes æquales sunt. Vndè Auctores, qui asserunt, peccata esse inæqualia in ratione malitiæ, æqualia tamen in ratione offensæ, longè distant ab errore Stoicorum, cum in hac sententia sit verum absolutè dicere, peccata sunt inæqualia, eo quòd secundum suas essentias specificas inæqualia sunt, etsi in ratione offensæ, consequuta ad rationem malitiæ adæquentur. Aduerto secundo, grauitatem offensæ non sumi solum à persona iniuriata, sed etiam desumi ex obiecto, ex intensione, & ex alijs capitibus, ex quibus malitia peccatorum desumitur.

Quibus præsuppositis, assero, peccata in ratione malitiæ, & in grauitate offensæ sumpta ex obiecto, & alijs circūstantijs, esse inæqualia, & vnum excedere aliud. Inæqualitatem grauitatis offensæ ex obiecto, & circunstantijs desumptæ conuincit obiectorū, & aliarum circunstantiarum inæqualitas, & insuper inæqualitas malitiæ; cum enim huiuscemodi grauitas, vel sit idē, quòd malitia, vel dimanet ab illa, infinita non est, sed maior, aut minor iuxta malitiæ augmentum, aut decrementum. Grauitas autem personalis, quæ in offensa contra Deum commissa inuenitur, æqualis est in omnibus peccatis mortalibus, quod probo paritate meritorum Christi; quia namque valor personalis à Verbi persona desumitur, & hæc infinita est, & seipsa valorat operationes Christi, est æqualis in omnibus Christi operibus, etsi valor illis competens ex obiecto, & alijs circunstantijs sit inæqualis iuxta inæqualitatem bonitatis actuum: ergo paritèr grauitas personalis comperens offensæ mortali ex maiestate offensa infinita seipsa grauificante, æqualis est in omni peccato mortali, esto grauitas ex alijs capitibus sumpta sit maior, aut minor iuxta inæqualitatem malitiæ.

139. *Explicatur, & probatur.*

Respondebis negando consequentiam, & reddes rationem discriminis; nam persona offensa non dat offensæ grauitatem, nisi vt cognita à peccatore; ideoque licet, vt forma seipsa illam æstimabilem reddat, non præstat illi totam æstimabilitatem, vel grauitatem, quam potest præstare, sed maiorem, vel minorem iuxta inæqualitatem cognitionis: persona autem Verbi non dat valorē operibus Christi, vt cognita; nam esto à Christo, vt homine ignoraretur vnio Verbi cum humanitate, actus meritorij ab humanitate eliciti infinitum valorē meritorium reciperent. Ex quo fit, vt valoret, quantum potest, & vlterius vt valor à Verbo sumptus æqualis sit in omnibus Christi meritis.

140 *Respondebis.*

Sed contra, nam etsi persona Verbi non valoret actus meritorios humanitatis, vt cognita à Christo vt

141. *Contra.*

ho-

homine, illos tamen valorat vt principium quod eliciens, non ly *vt* dicente rationem formalem valorandi, ſed aliquid neceſſarium præexactum, vt tanquam forma valoret; ſi namque illos non eliceret, illos non valoraret; & tamen ex influxu maiori, vel minori, vt principij *quod* elicientis, non redditur magis, vel minus valorans, ſed cum inæqualitate in influxu omnes valorat æqualiter: ergo quamuis maieſtas offenſa nõ grauificet offenſam, niſi vt cognita à peccatore, & cognitio ſit inæqualis, non tollitur, quòd omnes offenſas æqualiter vt forma grauificet, etſi inæqualiter cognita, & conſequenter, quòd grauitas perſonalis offenſæ ſumpta ex maieſtate offenſa æqualis ſit in omni peccato mortali.

142. *Alij ſolutio.* Reſpondebis negando iterum cõſequentiam, nam cognitio perſonæ iniuriatæ ralitèr deſideratur, vt ſi non adſit, penitus grauitas perſonalis peccati ex perſona offenſa ſumpta tollatur, et ſi minuatur, vel creſcat, creſcat, vel minuatur grauitas offenſæ ex perſona offenſa ſumpta. Quod patet ex cognitione obiecti, vel legis, quæ ita ad malitiam concurrit, vt ablata totalitèr cognitione, totalitèr auferatur malitia, & minuatur, vel augeatur ad cognitionis legis, vel obiecti augmentum, vel decrementum: ergo idem dicendum eſt de cognitione perſonæ, cui iniuria irrogatur; cæterum influxus præuius phyſicus perſonæ Verbi in opera humanitatis, etſi neceſſarius ſit, non tamen ita neceſſarius eſt, vt illo creſcente, valor perſonalis augeatur, & illo diminuto, valor perſonalis decreſcat, ſed talis valor in omnibus eſt æqualis.

143. *Contra primo.* Sed contra: nam huius diſcriminis rationem deſideramus, & inſtauro ſic argumentum: influxus phyſicus liber in actũ neceſſario prærequiritur ad influxum moralem formalem perſonæ Verbi, & vt illum valoroſum conſtituat: & tamen maior, vel minor influxus phyſicus perſonæ Verbi in opera humanitatis non auget, nec minuit influxum perſonalem formalem: ergo paritèr, licet cognitio maieſtatis offenſæ ſit prærequiſita ad influxum formalem grauificantem offenſam, maior, vel minor cognitio non augebit, nec diminuet influxum formalem perſonæ.

Quod amplius vrgetur: influxus phyſicus liber perſonæ Verbi in operationes humanitatis neceſſario prærequiritur ad influxum formalem moralem perſonæ Verbi operantis, & ad influxum obiectiuum bonitatem moralem earumdem operationum: & tamen licet maior, vel minor influxus augeat, minuat vè influxum obiectiuum obiecti, non auget, nec minuit influxum formalem perſonæ Verbi operantis: ergo paritèr, licet cognitio perſonæ offenſæ, & obiecti ſpecificantis actũ requiratur ad grauitatem ex perſona offenſa ſumptam, & ad malitiam ex obiecto deriuatam, & iſtam augeat, vel minuat maior, vel minor cognitio, non ſequitur, augere, vel diminuere grauitatem perſonalem ſumptam ex perſona offenſa. *Secundo.*

144 Maneat ergo verum, quòd ſicut valor perſonalis ſumptus formaliter ex perſona Verbi operantis operationes humanitatis æqualis eſt in omnibus Chriſti meritis, etſi valor meritorius ex obiecto, & aliis circunſtantijs proueniens inæqualis ſit in illis; ita grauitas perſonalis ſumpta ex maieſtate offenſa æqualis eſt in omni peccato mortali, etſi grauitas ex aliis capitibus ſũpta inæqualis ſit in illis iuxta inæqualitatẽ malitiæ, quæ ex obiecto, & aliis circũſtantijs deſumitur. Et ex his ad ſeptimũ argumentũ reſpondeo, diſtinguendo conſequens; ſequitur vnum peccatum alio maius non eſſe in ratione offenſæ ſecundum grauitatem perſonalem ſumptam ex perſona offenſa, concedo ſequelam: ſecundum rationem malitiæ, & grauitatem offenſæ, quæ ex obiecto, & aliis circunſtantijs deſumitur, nego ſequelam, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Quæ diſtinctio ex dictis conſtat.

145. *Contra noſtrã re* Sed oppones aduerſus iſtam reſolutionem primò: Deus magis offenditur vno peccato, quam alio: ergo vni maiorem, quam alteri grauita-

tem

solutione replicabis prima.

tem communicat, & consequenter grauitas ex persona offensa sumpta maior est in vno, quam in alio peccato. Secunda consequentia ex prima videtur colligi: prima autem probatur; quia namque Deus vt dilectus dat actui charitatis dignitatem, & bonitatem, actui, quo magis diligitur, maiorem dignitatem, seu bonitatem moralem communicat: ergo si maiestas diuina offensa dat offensæ grauitatẽ; actui, quo magis offenditur, maiorem dat grauitatem, & consequenter non solum in grauitate offensæ, ex obiecto, & alijs capitibus sumpta, sed etiam in illa, quæ sumitur à persona offensa, peccata sunt inæqualia.

Secundo.

Oppones secundò, nam sequitur ex resolutione tradita, offensam peccati mortalis non esse infinitam simpliciter: consequens conclusioni nostræ aduersatur: ergo & tradita resolutio. Probatur sequela: conflatum ex duobus, quorũ vnum est finitum, & alterum infinitum, nõ est infinitum simpliciter, sed tantum secundum quid, vt constat in corpore, cuius longitudo esset infinita, latitudo verò, aut profunditas esset finita, quod idcircò non foret infinitum simpliciter in genere quantitatis, quia ex quantitate finita, & infinita compositum esset; sed offensa peccati mortalis cõponitur ex grauitate personali infinita, & ex grauitate finita desumpta ex alijs principijs: ergo non est grauitatis in ratione offensæ simpliciter infinitæ, quod nostræ conclusioni aduersatur.

146 *Ad primã respondetur*

Respondeo ad primã ex his obiectionibus distinguendo antecedens: Deus offenditur magis vno peccato, quam alio extensiuè, concedo antecedens: intensiuè, nego antecedens, & consequentiam, ad illius probationem distinguo antecedens, ly *quia* dicente causam adæquatam, nego antecedens, inadæquatam, concedo antecedens, & nego consequentiam; causa autem adæquata est, quia Deus non dat bonitatem, aut dignitatem actui charitatis seipso vt forma, sed specificatiuè, vt obiectum: vndè sicut hac ratione limitatur, ne det actui charitatis infinitam dignitatem, aut bonitatem ex finito modo, quo attingitur, & ex principio finito ita attemperatur, vt det magis, aut minus bonitatis, vel dignitatis iuxta maiorem, vel minorem perfectionem conatus operantis: quæ ratio in peccato in ratione offensæ non militat, cum Deus se ipso, vt forma det grauitatem personalem offensæ, vt probauimus.

147 *Ad secũdam.*

Ad secundam obiectionem distinguo maiorem: si pars infinita partem finitam eminenter contineat, nego maiorem: si illam eminenter non cõtineat, concedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiam, quia grauitas ex persona offensa sumpta continet eminenter per æquiualentiam grauitatem deriuatam ex alijs capitibus; cum namque peccatum ratione grauitatis sumptæ ex maiestate offensa se ad omnem imaginabilem pœnam promerendam extendat, cõsequens fit, vt grauitates deriuatas ex alijs capitibus eminenter per æquiualentiam contineat; ideoque est in ratione offensæ infinitum simpliciter, prout simpliciter contraponitur ad secundum quid, non autem prout simpliciter idem est, quod omnibus modis.

§. VIII.

Diluitur vltimum argumentum, explicaturque, an peccatum in ratione demeriti sit infinitum simpliciter?

148 *Vltimò arguitur.*

DENIQVE arguitur: si peccatum esset in ratione offensæ simpliciter infinitum, esset etiam infinitum in ratione demeriti; sed in ratione demeriti infinitum non est: ergo nec est in ratione offensæ infi-

Minor probatur primò.

ſimpliciter. Sequela patet ex dictis, minor autem probatur; ſi namque peccatum eſſet in ratione demeriti ſimpliciter infinitum, ſequeretur, quodlibet peccatum mortale eſſe dignum omni pœna poſsibili: conſequēs eſt improbabile, inquit Arriaga *tract. 1. de Incarnatione diſput. 3. ſect. 3. dict. 6.* ergo in ratione demeriti ſimpliciter infinitum non eſt. Minorem probat dictus Auctor primò ex Scriptura *Apocalypſis* 18. illis verbis: *Quantum glorificauit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentū, & luctum.* Quæ verba ſic ponderat; nam ly *tantum, & quantum* ſignificant, vel omnimodam æqualitatem inter dolores, & meritum culpæ, vel æqualitatem moralem, vt differentia, vel inæqualitas ſit penè nulla in morali æſtimatione; ſed ſi peccatum mereretur de condigno omnē pœnā poſsibilē, inæqualitas dolorum cū demerito culpæ eſſet infinita, impropriſſimeque diceretur, peccatorem tantum, quantum per peccatum meruit, puniri: ergo non eſt in quolibet peccato mortali condignitas demeritoria omnis pœnæ poſsibilis.

Arriaga.

Apocal. cap. 18.

149 *Secūdo.*

Probat ſecundò ex cōmuni Theologorum axiomate aiente, Deum citra condignum punire, & præmiare vltra condignum; ſed ly *vltra condignum* in præmiando ſignificat parum exceſſus: ergo ly *citra condignum* in puniendo ſignificat moderatum defectum pœnæ ad dignitatem peccati: at ſi infinita pœna eſſet dignum, defectus moderatus non eſſet: ergo peccatum mortale non eſt dignum omni pœna poſsibili. Tertiò, nam furtum graue, v.c. vnius ducati mereri æternum cruciatū adeò eſt præter, vel ſupra rationē naturalem, vt niſi id fides doceret, in nullius mentem caderet; quis enim, ſecluſa fide de æternitate pœnæ, nō diceret, iniuriam in eo furto repertam ſufficienter tormentis centum, vel mille annorum puniri? Ergo cum fides nō doceat vltra æternum illum cruciatum pœnam infinitam mereri, aut omnem pœnam poſsibilem, imò id eſſe videatur contra omnes Scholaſticos hucuſque de hoc puncto agentes; irrationabiliter tale meritum cuiuis peccato mortali attribuitur. Quartò, nam ſi peccatum quodlibet mortale mereretur omnē pœnam poſsibilem, quodlibet eſſet dignum, vt Redemptore careremus: hoc autem videtur falſum, aliàs plus demereretur peccatum, quam nobis Chriſtus meruiſſet, cum Chriſtus non meruerit ſe ipſum; cuius tamen carentiam condignè promeruiſſet peccatum: ergo.

Secūdo.

Tertiò.

Quartò.

Quinto, nam ſequeretur, peccatum condignè mereri carentiam acceptationis meritorum Chriſti: conſequens videtur abſurdum: ergo peccatum non meretur omnem pœnam poſsibilem. Sequela patet; nam acceptatio meritorum Chriſti, eſt pœna poſsibilis: ergo ſi peccatum mereretur omnem pœnam poſsibilem, mereretur de condigno non acceptari pro nobis merita Chriſti. Minor autem conſtat primò; Chriſtus namque non meruit condignè, ipſius merita acceptari: ergo peccatum non meretur condignè, quòd illius merita non acceptentur, alias plus demereretur peccatum, quam meruiſſent, potuiſſentque opera Chriſti mereri. Deindè, nam ſi peccatū mereretur de condignò, vt ſatisfactio Chriſti nō acceptaretur pro illo, ſequeretur, peccatū ſuo demerito ſepelire opera Chriſti, & ſatisfactionem Chriſti non poſſe prævalere contra totum peccati demeritum: at hoc eſt falſum, aliàs ſatisfactio, & meritum Chriſti eſſent inferiora peccato, & ab illo vincerentur: ergo peccatum non meretur, vt ſatisfactio Chriſti non acceptetur pro nobis.

150 *Quintò.*

Sextò minor principalis probatur; ſi namque peccatum mortale eſſet dignum omni pœna poſsibili, ſequeretur, eſſe tantum in ratione demeriti, quantum operationes Chriſti ſunt in ratione meriti: conſequens admitti non poteſt, aliàs ſatisfactio Chriſti ſuperabundans non fuiſſet: ergo. Probatur ſequela: demereretur tantum, quantum Chriſtus meruit: ergo illius quantitas adæquaret quantitatem meriti Chriſti. Probatur an-

151 *Sextò.*

tece-

tecedens: demereretur carentiam omnis præmij debiti meritis Christi: ergo demereretur tantum, quantum Christus meruit. Probatur antecedēs: carentia omnis præmij Christo debiti est pœna possibilis: ergo si peccatū est dignum omni pœna possibili, est dignum carētia omnis præmij debiti, aut possibilis Christo. Denique probatur minor: si namque quoduis peccatū mortale mereretur omnem pœnam possibilem, sequeretur, omni peccato mortali æqualem pœnam deberi: consequens videtur absurdum, & contra D. Thomam 1. 2. *quæst.* 87. *art.* 4. ergo asserendum non est, in quolibet peccato mortali esse vim demeritoriam cuiusvis pœnæ possibilis.

Vltimò.

S. Tho.

152. *Prima solutio.*

Huic argumento responderi potest primò ex dictis §. 5. negando sequelam; nam licet offensa formalis, quæ est terminus ab actu offensiuo causatus, & in Deo, vt in subiecto moraliter receptus, sit infinita simpliciter, & ex hac parte non possit per actus puræ creaturæ pro illa ad æqualitatem satisfieri, sed necessaria sit satisfactio Dei hominis, quæ est simpliciter infinita; offensa tamen causalis, idest, actus offensiuus sub nulla ratione est infinitus moraliter, sed ex omni parte, & sub omni consideratione est finitus: & quia ratio demeriti non consequitur ad offensam formalem, sed ad offensam causalem, vel actiuam, idest, ad actum offensiuum, fit consequens, vt peccatum mortale non sit in ratione demeriti simpliciter infinitum. Ita doctissimi PP. Salmanticenses loco vbi supra allegato.

153. *Reiicitur primus.*

Hæc tamen solutio ex ibidem dictis relinquitur impugnata; ibi enim ostendimus, non posse dari offensam istam formalem distinctam ab offensa causali, quæ sit terminus ex illa relictus, & in Deo, vt in subiecto receptus; ac proindè infinitam grauitatem, quam offensæ Deo irrogatæ conuenire monstrauimus, non posse huic termino, sed offensæ actiuæ, aut causali competere; cumque ad offensam causalem consequatur ratio demeriti, consequens est, vt peccatum mortale non solum in ratione offensæ, sed etiam in ratione demeriti sit infinitum. Secundò impugnatur: vt enim §. 2. ex D. Thoma probauimus, peccato, quia contra Deum est, si secundum se illius grauitas attendatur, pœna infinitè intensa, & infinitè acerba debetur; sed si in ratione demeriti infinitum nō esset, non posset illi pœna infinitè intensa, aut infinitè acerba deberi, sicut nec merito non infinito præmium infinitè intēsum deberi potest; ergo peccatum mortale nedum in ratione offensæ, sed etiam in ratione demeriti est moraliter infinitum.

Secūdò.

154. *Secunda solutio.*

Secundò responderi potest, cōcedēdo sequelam, & negādo minorem, ad illius probationem negando sequelam; vt enim peccatum mortale in ratione demeriti sit infinitum, non requiritur, quòd mereatur omnem pœnam possibilem, sed sufficit, quòd sit dignum pœna infinitæ intensionis, infinitæque acerbitatis, nam eo ipso continet, vt causa moralis effectum moraliter infinitum, quod, vt §. 2. monstrauimus, arguit in causa infinitatem moralem, nec potest causæ moraliter finitæ competere.

155. *Reiicitur.*

Sed nec ista solutio est sufficiens; licet namque ex illa habeatur, peccatum mortale esse infinitum demeritum; non tamen habetur, quòd sit in ratione demeriti simpliciter infinitum; sed peccatū mortale est in ratione demeriti infinitum simpliciter: ergo solutione tradita non saluatur, vt debet, infinitas demeritoria peccato mortali conueniens: consequentia est bona, præmissæ autem indigent probatione: maior ostenditur primò; calor namque potens calorem infinitè intensum producere, non tamen omnem qualitatem possibilem, licet infinitus simpliciter esset in ratione caloris, & qualitas infinita, non tamen esset simpliciter infinitus in ratione, & genere qualitatis, sicut quantitas infinitæ longitudinis, non tamen infinitæ extensionis, nec infinitæ profunditatis, esset quidem in ratione lineæ infinita simpliciter, posset que dici quantitas infinita, non tamen esset infinita simpliciter in ratione, &

gene-

genere quantitatis, eo quòd non contineret omnem perfectionem ad genus quantitatis pertinentem: ergo pariter, peccatum dignum pœna infinitæ intensionis, non tamen dignũ omni pœna possibili, quamuis sit infinitum demeritum, non tamẽ erit in ratione demeriti simplicitèr infinitum. Secundò, quia namque meritũ Christi est in ratione meriti infinitum simplicitèr, inferunt communiter Theologi, esse dignum, quantum est de se omni præmio possibili, & consequenter censent ad infinitatem simplicitèr in ratione meriti non sufficere dignitatem præmij infinitæ intensionis, sed necessarium esse, vt illius vis meritoria se extẽdat ad omne præmium possibile: ergo paritèr, ad infinitatẽ simplicitèr in ratione demeriti non sufficit dignitas pœnæ infinitæ intensionis, sed insuper est necessaria vis demeritoria se extendens ad omnem pœnam possibilem.

156. Deindè probatur minor: quod enim in ratione punibilis nulla pœna possibili exequari potest, est meritorium omnis pœnæ possibilis, & consequenter est infinitum simplicitèr in ratione demeriti, sicut id, quod nullo præmio possibili potest exæquari, est meritorium omnis præmij possibilis, & in ratione meriti simplicitèr infinitum; sed peccatum mortale, quia est grauis offensa Dei, in ratione punibilis talis conditionis est, vt nulla pœna possibili possit adæquatè puniri: ergo est meritorium omnis pœnæ possibilis, & consequenter in ratione demeriti simplicitèr infinitum. Minor, cui inest difficultas, probatur: peccatum mortale, quia grauis offensa Dei, est talis conditionis in ratione satisfactibilis, vt nulla satisfactione possibili puræ creaturæ, etiam si esset infinitæ intensionis, sit exequabile: ergo ex eodem principio talis conditionis erit in ratione punibilis, vt nulla pœna possibili, etiam infinitè intẽsa, infinitæque acerbitatis, possit adæquatè puniri, ac per consequens est meritorium omnis pœnæ possibilis, & in ratione demeriti simplicitèr infinitum.

Sed oppones contra hanc doctrinam primò, sequi ex illa non rectè à Nobis fuisse ex D. Thoma ſ. 2. deductam infinitatem peccati: consequens non admittemus: ergo. Probatur sequela, nam ſ. 2. indè ex D. Thoma arguebamus infinitatem peccati in ratione offensæ, quia in ratione demeriti est infinitum, & hoc indè, quia D. Thom. docuit, esse dignum pœna infinitæ intensionis, infinitæque acerbitatis; sed ad rationem demeriti infinitam simplicitèr non sufficit dignitas pœnæ infinitæ intensionis, sed vlterius requiritur dignitas omnis pœnæ possibilis, vt arguendo contra secundam solutionem docuimus: ergo non benè ex D. Thoma deduximus infinitatẽ peccati. Patet consequentia, nam infinitas, quam probare nitebamur, est infinitas simplicitèr: ergo si hæc non infertur ex merito pœnæ infinitæ acerbitatis, quod D. Tho. agnoscit in peccato mortali, malè ex D. Thoma probatur. 157. *Obijcies cõtra dicta, primo.*

158. *Secundò.* Secundò, nam ex doctrina tradita sequitur, peccatum mortale Petri, v. c. esse dignum, quantum est de se, non solum carentia visionis Dei ipsi Petro, sed etiam mereri, quod alij Dei visione priuentur, & æternos sustineant cruciatus: consequens videtur absurdum, vtpotè à nemine hucusque assertum: ergo doctrina tradita vera non est. Minor cum consequentia tenet; sequela autem probatur; quia namque meritum Christi Domini est in ratione meriti simplicitèr infinitum, non solum est dignum omni præmio Christo possibili, sed etiam omni præmio possibili alijs à Christo, vt de Christi merito tractantes videbimus, & fatentur communiter Theologi: ergo si peccatum mortale in ratione demeriti est infinitum simplicitèr, erit dignum non solum omni pœna peccanti possibili, sed etiam omni pœna possibili alijs.

159. *Respondetur ad primam obiectionem.* Respondeo ad primam obiectionem negando sequelam, ad cuius probationem dicatur: ex merito pœnæ infinitæ intensionis, quod D. Thomas agnoscit in peccato mortali, per immediatam cõsequentiam deduci, peccatum

peccatum mortale esse infinitum demeritum; quòd autem in ratione demeriti sit infinitum simpliciter, non deducitur immediatè, sed mediatè, sic arguēdo. Quamvis peccatum mortale sit intensionis finitæ, quia est grauis offensa Dei, meretur pœnam infinitæ intensionis: ergo quāvis sit in sua specie finitum, quia tamen est grauis offesa Dei, merebitur pœnas infinitas specificè, & pœnas sine termino, in infinitum: vt autē rectè arguamus ex Angelico Doctore, sufficit primum immediatè ex ipso inferri, nempè infinitum demeritum, & secundum, scilicet infinitas simpliciter in ratione demeriti per consequentias mediatas.

160 *Ad secūdam.*

Ad secundam obiectionem distinguo consequens: attenta grauitate peccati, concedo sequelam: omnibus inspectis, quæ in peccato Petri cōcurrunt, nego sequelam, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam; si namque Petrus fieret à Deo caput morale omnium hominum, vt potuit de potentia absoluta, grauitas offensæ sumpta ex persona iniuriata nullum incrementum susciperet; & tamen, tunc casus, non solum sibi noceret, sed etiam omnibus, quorum esset caput morale, illisque de condigno mereretur carentiam visionis Dei, in qua pœna damni consistit, & quantum est de se, & non attenta taxatione diuinæ iustitiæ, etiam æternos cruciatus, vt in peccato originali contingere §. *sequenti* videbimus; quia tamen peccatum Petri modo tantum est personale, non habet condignitatem pœnæ alijs infligendæ, sed tantum proprio subiecto. Nec sequitur, non esse simpliciter infinitum in ratione demeriti personalis, nā ad hoc sufficit condignitas omnis pœnæ personæ delinquenti possibilis; sed solum infertur, quòd non sit infinitum simpliciter in ratione demeriti, vt abstrahit à personali, & capitali: & quia meritum Christi est isto modo infinitum, ideò est dignum omni præmio, non solum Christo possibili, sed etiam possibili alijs.

161.

His igitur solutionibus omissis, & in sua probabilitate relictis, ad argumentum respondeo, concedendo sequelam, & negando minorem: ad illius probationem cōcedo etiam sequelam, & nego minorem, ad cuius primam probationem dicatur, ly *tantum, & quantum* in allegatis verbis non sumi comparatiuè ad grauitatem peccati inspectam secundum se, sed prout subest taxationi diuinæ iustitiæ, & sic certum est, tantum peccatorem puniri, quantum peccatum meretur: ex hoc autem non colligitur, peccatum mortale ratione grauitatis personalis acceptæ secundum se, non esse dignum omni pœna possibili. Vel secundo respondetur, ly *tantum, & quantum* in prædicto testimonio non dicere æqualitatem absolutam, sed proportionalem, quæ attenditur non secundum comparationem pœnæ ad culpam; sed secūdum proportionem duorum peccantium ad duas pœnas, vt scilicet, qui plus peccauit, plus puniatur, & sicut in peccando excessit, sic etiam in pœna excedat. Vtramque istam solutionem dedit D. Thomas *in 4. Sentent. dist. 46. quæst. 2. art. 2. quæstiuncula 1. ad 1. argum.* sumptum ex prædicta auctoritate, fidens magis secundæ solutioni, quam primæ, monensque sic accipiendas omnes auctoritates Scripturæ, quibus indicari videtur æqualitas pœnæ ad culpam. Ex qua doctrina sic in Auctorem cōtrarium insurgo. Æqualitas proportionalis, quam prædictis verbis significari sētit Angelicus Doctor, docet, quòd non est accipienda secundum comparationem pœnæ ad culpam, sed secundum proportionē duorum peccantium ad duas pœnas: ergo iuxta D. Thomam inter pœnam de facto statutam à Deo, & culpæ grauitatem acceptam secundum se, non datur proportio, & cōsequenter grauitas culpæ secundum se inspecta, absque proportione excedit pœnam de facto taxatam, ac perconsequens infinitè, nam excessus tātùm finitus cum proportione compatitur.

Vera solutio.

Ad primā probationē.

S. Tho.

Et ex his ad secundam probationem, admisso communi axiomate, vt iacet, & concessa minori, nego con-

162. *Ad secūdam.*

sequen-

sequentiam; quia in præmiando non est possibilis infinitus excessus, in puniendo autem est possibilis infinitus defectus: & ideo ex eo, quòd ly *vltra* in præmiando moderatum excessum significet, non sequitur, quòd ly *vltra* in puniendo moderatum defectum importet: & quidem excessus in præmiando proportionalem æqualitatē præmij ad meritum non tollit in communi Theologorum sententia 1. 2. *quæst.* 114. & tamē iuxta D. Thomam ly *citra* in puniendo tollit æqualitatem proportionis pœnæ ad culpam acceptam secundum se: ergo diuersimodè accipitur ly *citra* in puniendo, atque sumitur ly *vltra* in præmiando. Quæ doctrina amplius ex D. Thoma firmatur; docet enim D. Thom. Deū citra condignum punire, verificari etiam in peccato originali, eò quod acceptum secundum se annihilationem proprij subiecti meretur, iuxta illud Threnorum tertio: *Misericordiæ Dei, quòd non sumus consumpti.* Ita expressè D. Thom. loco vbi proximè *solutione ad 4. argum.* At sic est, quòd pœna, qua de facto peccatum originale punitur, plus deficit ab annihilatione, quam secundum se meretur, quàm excedat præmium, quod Deus de facto confert præmium, ex rigore nostris actibus promeritum: ergo necessum non est, quòd ly *citra* in puniendo eodem modo accipiatur, quo sumitur ly *vltra* in præmiando; ac proindè ex eò, quòd ly *vltra* importet moderatum excessum, non sequitur ly *citra* moderatum defectum importare.

Theologi. S. Thom. *Thren. 3 cap.* S. Thom.

163. *Ad tertiam.*

Ad tertiam probationem respondeo primò, negādo antecedens; nam licet attenta malitia specifica furti, non videatur ratio naturalis dictare, mereri æternum cruciatum; attenta tamen illius grauitate sumpta ex maiestate offensa, nec præter, nec supra rationem naturalem est, sed illi valdè conforme æternam pœnam mereri. Vel secundo, præterm. isso antecedenti, nego consequentiam, nam licet fides non doceat, peccatum graue furti vltra æternitatem cruciatus mereri omnes pœnas possibiles; id tamen ex his, quæ fides docet, probabiliter satis colligitur; fide enim docemur furto graui grauiter Dei maiestatem offendi, illamque infinitam esse, infinitæque dignitatis. Ex quibus fidei dogmatibus, iuncto principio sumpto ex Angelico Doctore, nēpè crescere grauitatem iniuriæ ad incremētum dignitatis personæ iniuriatæ, maxima cum probabilitate deducitur infinitas grauitatis offensæ, & ex illa infinitum cumulum pœnarum condignè mereri. Id autem, quod prædictus Auctor addit, nempè meritum pœnæ infinitæ adscriptum peccato mortali esse contra omnes hucusque de hoc puncto scribentes, eadem facilitate, qua ab ipso asseritur, à Nobis negatur, & in primis D. Thomas, vt vidimus, meritum pœnæ intensionis infinitæ agnoscit in peccato mortali. Deindè omnes, qui in ratione offensæ simpliciter infinitum esse defendunt, vt consequenter loquantur, tenentur etiam concedere, mereri omnem pœnam possibilem; hi autē, præter illos, quos in principio pro nostra sententia allegauimus, sunt Magister Sententiarum, Magnus Albertus, Bonaventura, Alensis, Anselmus, vterque Richardus, quos plena manu refert Bernal *disput. 4. de Incarnatione sect. 3. §. 1.* Quòd si Antiquiores expressè non cōcesserunt meritum pœnæ infinitæ, omnisque pœnæ possibilis in peccato mortali, erit, quia punctum non tetigerunt, nec illis argumentum occurrit.

S. Thom. *M. Sēt. Albert. Mag. Bonau. Alens. Anselm. Ricard. Bernal.*

164

Et quidem argumentū instō manifestè, ni fallor, in puncto satisfactionis; si namque supra, vel prætèr rationem naturalem est, furtum graue condignè æternam pœnam mereri, etiam erit supra, vel præter rationem naturalem, quòd pro illo non possit pura creatura, æqualem, condignamque exhibere satisfactionem: & sicut fides non docet, esse dignum omni pœna possibili: ita nec docet, cumulum omnium actuum omnibus creaturis possibilem illi, vt satisfactibili non posse æquari; & tamen sententia docēs, omni satisfactione omni creaturæ possibili non posse fieri

satis

satis pro grauitate offensæ mortalis, est in Theologia plausibilis, & extra Scholam Scoti communis: ergo ex eo quòd prætèr, vel supra rationem naturalem sit, furtum graue condignè æternam pœnam mereri, & fides non dicter ad omnem pœnam possibilem promerendam extendi, perperam prædictus Auctor infert, esse improbabile, meritū omnis pœnæ possibilis peccato mortali attribuere.

165. *Ad quartam.* Ad quartam probationem, concedo sequelam, & nego minorem, nec sequitur, grauitatem, condignitatemque, & vim demeritoriam peccati mortalis excedere dignitatem, & vim meritoriam operationum Christi, nam quòd Christi meritum nō possit ad sui ipsius existentiam promerendam extendi; cuius tamen negationē, aut carentiam condignè peccatum mortale meretur, illius grauitate inspecta secundum se, non prouenit ex defectu valoris, neq; ex defectu æqualitatis moralis operationum Christi cum ipsius existentia, sed ex eo, quòd principium meriti non potest sub merito cadere in probabiliori, & veriori sententia; ideoque nō infertur excessus grauitatis, aut vis demeritoriæ peccati supra dignitatem, & vim meritoriam cōuenientē meritis Christi.

166 *Ad quintam.* Ad quintam probationem respondeo primò, negando sequelam, vt enim *tractat. de merito Christi*, docebimus, merita Christi non potuerunt à Deo non acceptari suppositō, quod ab ipso ad præmiū aliquod merendum dirigerentur: vndè, cum applicatione Christi suppositā, implicet illius merita non acceptari, carentia acceptationis meritorum Christi nō est pœna possibilis: ac proindè ex eo quòd non cadat sub condignitate demeritoria peccati, non sequitur, non extendi ad omnem pœnam possibilem. Vel secundo respondetur distinguendo consequens: si Christus non potuit acceptationem suorum meritorum mereri, concedo sequelam: si potuit sub distinguo consequens, suppositō, quòd Christus sua merita applicaret pro acceptatione merenda: nego sequelam; tali suppositione non facta, cōcedo sequelā, & sub eadem distinctione minoris nego cōsequentiā.

167 Nec sequitur, vim demeritoriam peccati excedere vim meritoriā operationum Christi; si namque acceptatio proprij meriti repugnat, quòd sub merito cadat, est defectus purè negatiuus, & non ortus ex defectu valoris, quòd illā Christus non potuerit mereri: vndè sicut ex eo, quòd Christus sui existentiā promereri nō potuerit, cuius tamen negationē potuisse sub demerito peccati mortalis cadere, docetur frequētius à Theologis, nō sequitur excessus vis demeritoriæ peccati supra vim meritoriam operationum Christi, ita neq; ex eo, quòd demeritū peccati extēdatur ad carentiā acceptationis meritorū Christi, & meritū Christi nō extēdatur ad acceptationē sui, talis excessus colligitur. Si autē acceptatio meritorū Christi potuit sub illius merito cadere, & Christus sua merita ad illam promerendam applicaret, non posset peccatū illius carentiam mereri, quia peccati condignitas vinceretur à maiori dignitate, & à vi meritoria maiori; quòd si Christus sua merita non applicaret, ex eo quòd carentia acceptationis caderet sub cōdignitate demeritoria peccati, nō sequeretur, meritū Christi vinci à peccato, nec ab illo sepeliri; nā Christum vinci à peccato supponit, cōtra peccatū pugnare, & suo merito cōtēdere, & ab illo superari, supponitur autem non pugnans, & cōsequenter nō potest victus, aut sepultus inferri. Et quid ē exeo, quòd vis demeritoria peccati extendatur ad carētiam Incarnationis Christi merendā, illamq; meretur de facto, & Christus sui existētiā nō meruerit, vel quia non potuit, vel quia merita nō applicuit pro illa, nō sequitur, merita Christi vinci, aut superari à peccato, aut per illud sepeliri: ergo nihil horū sequitur ex cōdignitate demeritoria peccati carētiæ acceptationis meritorū Christi pro nobis.

168 *Ad sextam.* Ad sextam probationem minoris distinguo consequens: sequeretur, esse tantam extensiuè, concedo sequelam: intensiuè, nego sequelam, & sub eadē distinctione minoris, nego [illegible]

quẽtiam, nec distinctioni traditæ obstat probatio sequelæ; nã ex eo quòd vis demeritoria peccati extẽdatur ad omnem pœnam possibilem, & negatio omnis præmij possibilis Christo, sit pœna possibilis, ac proindè possit cadere sub condignitate demeritoria peccati, sequitur quidem adæquatio extensiua cum vi meritoria operationum Christi; intensiua autem adæquatio non sequitur. Cuius ratio est, quia negatio, v.c. incarnationis patris, quæ potuit esse pœna peccati, non est tam mala, quantum incarnatio patris est bona, quæ potuit sub merito Christi cadere; alias non posset grauitati peccati de condigno respondere, cũ hæc non sit tanta, quanta est dignitas incarnationis patris; ac proindè ex eo quòd tantum extendatur vis demeritoria peccati, quantum extẽditur vis meritoria operationum Christi, non sequitur adæquatio intensiua grauitatis demeritoriæ peccati cum dignitate meritoria Christi, vel operationũ illius.

169. *Ad vltimam.* Ad vltimam probationem distinguo consequens: attenta secundum se grauitate personali peccatorum, concedo sequelam; acceptis peccatis, vt substant taxationi pœnæ constitutæ per diuinam voluntatem, nego sequelam, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Itaque peccato, quia cõtra Deum est, omnis pœna imaginabilis sine termino debetur, vt probauimus; quia tamen infinita pœna non est possibilis, nec in creatura finita ad illam reperitur capacitas, Deus pro sua misericordia decreuit peccata citra condignum punire, & non tantum, quantum illis erat debitum, sed pro sua voluntate pœnas peccatis taxauit, ita vt ratione offensæ, & ratione auersionis a Deo, omnia punirẽtur carentia visionis ipsius, in qua pœna damni quodammodo infinita consistit, & iuxta quantitatem conuersionis ad bonum commutabile quantitatem pœnæ sensus, scilicet dolorum acerbitatem substinerẽt, iuxta illud Apocalypsis 18. *Quantum glorificauit se, & in delitijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*; & illud Matthæi 7. *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* *Apocal. cap. 18.* *Matth. cap. 7.*

Sed contra hucusq; dicta adhuc superest nõ modica difficultas; sequitur enim ex dictis, nõ esse Dei misericordiæ adscribendũ, quòd peccatũ mortale citra condignum non puniat: cõsequens est falsum, & contra communem Theologorum sententiam prædicto axiomate vtentium, illoque cõmendantium misericordiam diuinam elucentem in præmiando vltra condignum, & citra condignum puniendo: ergo hucusque à Nobis dicta à veritate deficiunt. Sequela, in qua est difficultas, probatur: in eo, quod Deo necessarium est, non splendet misericordia diuina, vt omnibus est per se notum; sed si peccatum graue meretur omnem pœnam possibilem, Deo necessarium est illud citra condignũ punire, vel non punire condignè: ergo in puniendo peccatum citra condignum Dei misericordia non splendet. Prob. minor: non est Deo possibile peccatum graue punire omni possibili pœna, cum sit syncathegorematicè infinita, & implicet infinitum in actu; sed non punito peccato omni pœna possibili, citra condignũ punitur, cũ, qualibet pœna data, semper dignum sit maiori pœna puniri, vt supponitur: ergo si peccatũ graue est dignum omni pœna possibili, Deo est necessarium illud citra condignũ punire, vel non punire condignè, & consequenter in non puniẽdo peccatum condignè ad illius grauitatem, non splendet misericordia diuina. 170 *Replicabis.*

Respondeo, negando sequelam, ad illius probationem, concessa maiori, distinguo minorem: accepto adæquatè termino condignitatis demeritoriæ peccati, concedo minorem, inadæquatè sumpto, nego minorẽ, & consequentiam, nam licet non sit possibile Deo omnem pœnam possibilem, ad quam sine termino extenditur vis demeritoria peccati, reducere ad actũ; potuit tamen illud maiori pœna punire ea, quam de facto statuit, si namque taxauit dolorem intẽsum, vt duo pro peccato, v.c. furti, potuit taxare dolorem, vt octo, & hic dolor erat 171. *Respondetur.*

possi-

possibilis, contentusque intra terminum condignitatis demeritoriæ furti: ac proindè puniendo furtum graue pœna intensionis, vt duo, illud liberè citra condignum puniuit, accepto in adequatè termino condignitatis illius, etsi Deo fuerit necessarium illud non punire adæquatè ad eius condignitatem.

§. Vltimus.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

172. *Primum corollarium.*

EX dictis infero primò, peccatum originale ratione grauitatis ex persona offensa sumptæ inspectæ secundum se, esse dignum pœna infinitæ intensionis, & omni pœna possibili. Quod probo; nam peccato personali mortali debetur pœna infinita, & omnis pœna possibilis, si secundum se inspiciatur, quia est grauis offensa Dei, & in ratione offensæ simplicitèr infinitum; sed etiam peccatum originale est grauis offensa Dei, & in ratione offensæ infinitũ simplicitèr: ergo illius grauitate inspecta secũdum se est dignum omni pœna possibili. Consequentia est bona: maior cõstat ex dictis in discursu disputationis; minor autem ostenditur primo; nam peccatum, de quo loquitur D. Thomas in hac *quæstione art.* 2. est peccatum originale, vt legenti articulum manifestè constabit, illique in solutione ad secundum argumentum attribuit infinitatem, ob quam pura creatura non potest pro illo satisfacere condignè, quod accipiendũ esse de infinitate simplicitèr in discursu disputationis monstrauimus: ergo iuxta D. Thomam peccatum originale est in ratione offensæ simplicitèr infinitum. Secũdo probatur; nam peccatum mortale personale ideò est in ratione offensæ simplicitèr infinitũ, quia grauis offensa est, in Deo moraliter, vt in subiecto recepta; sed peccatum originale est etiam grauis offensa, & moraliter in Deo, vt in subiecto recipitur: ergo in ratione offensæ est simplicitèr infinitum.

Probatur primò.

S. Tho.

Secũdo

173. *Tertiò.*

Præterea, nam peccatum actuale, quo parvuli in capite peccantes denominantur, est idē peccatum actuale Adami ipsum personaliter peccantem denominans, & parvulos in ipso, vt in capite peccantes constituens: peccatum autem originale habituale intrinsecè afficiens parvulos, cum primum concipiuntur in vtero, eiusdem rationis est cum termino personali habituali in Adamo ex peccato actuali relicto; sed peccatum actuale, & habituale Adami est in ratione offensæ simplicitèr infinitum: ergo peccatum actuale, quo parvuli dicuntur peccantes in Adamo tanquam in capite, & terminus ex hoc peccato relictus intrinsecè inficiens parvulos, dum primò in vtero concipiuntur, quod est peccatũ originale, est etiã in ratione offensæ infinitũ simplicitèr.

Cõfirmatur.

Quod amplius vrgetur; nam peccatum, quod in ratione punibilis est simplicitèr infinitum, meretur omnem pœnam possibilem, sicut meritum, quod in ratione præmiabilis est infinitum simplicitèr, ad omne præmium possibile promerendum extenditur; sed peccatum originale est in ratione punibilis simplicitèr infinitum: ergo meretur omnem pœnam possibilem, illius grauitate inspecta secundum se. Consequentia est bona, maior certa, & minor probatur. Peccatum, quod nulla pœna assignata ad æqualitatem punitur, sed illa data manet dignum maiori, ac maiori pœna, est in ratione punibilis simplicitèr infinitum, sicut meritum, quod nullo præmio assignato ad æqualitatem præmiatur, sed quolibet præmio dato, manet vlteriori præmio dignum, est in ratione præmiabilis simplicitèr infinitum; sed peccatum originale huius conditionis est in ratione punibilis: ergo in hac ratione est simplicitèr infinitum. Minor, cui ineſt difficultas, probatur: peccatum originale talis conditionis

est in ratione satisfactibilis, vt nulla satisfactione puræ creaturæ assignata in tali ratione adæquetur, sed vlteriori satisfactione in infinitum sit dignum: ergo pariter in ratione punibilis, nulla pœna data ad æqualitatem punitur, sed qualibet assignata, manet vlteriori pœna dignum, & consequenter est in ratione punibilis simpliciter infinitum, ac proindè illius grauitate inspecta secundum se est dignum omni pœna possibili.

174 *Respondebis,* Respondebis, peccato originali, quia est in ratione offensæ infinitum, deberi infinitam pœnam, nec posse pœna finita sufficienter puniri, non tamen infinitam pœnam sensus, sed damni consistentem in carentia, eo quòd non in conuersione ad creaturam, sed in auersione à Deo per carentiam gratiæ, vel iustitiæ originalis consistit, pœna autem debet proportionari culpæ. Sed contra primò; vt enim docet Divus Thomas *in 4. distinctione 46. quæst. secunda artic. secundo quæstiuncul. prima ad quartum argumentum, pro peccato originali secundum rigorem iustitiæ, non solum debetur naturæ pro pœna carentia visionis diuinæ, sed etiam ipsius annihilatio, & ideò ex hoc ipso, quòd conseruantur pueris non baptizatis naturalia bona, citra condignum puniuntur*: vndè Threnorum cap. 3. *Misericordiæ Domini, quòd non sumus consumpti*: verba sunt Diui Thomæ, ex quibus apertè constat, peccato originali, illius grauitate inspecta secundum se, deberi pro pœna annihilationem naturæ; sed peccatum, quod meretur subiecti annihilationem, dignum est omni pœna lædente, affligenteque subiectum, cum pœnæ istæ positiuæ eatenus malæ sint, quatenus tendunt in subiecti destructionem: ergo peccatum originale inspectum secundum se, & non attento ordine diuinæ iustitiæ de facto statuto à Deo, non solum pœnam damni, sed etiam sensus meretur.

Reiicitur solutio primo. S. Tho.

175 *Secundò.* S. Tho. Secundò, vt enim docet idem D. Thom. *in 2. sent. distin. 42. q. 1. art. 5. ad secund. Ex hoc, quòd peccator contra infinitum peccat, debetur sibi pœna infinita*; hoc est, infinitæ intensionis, infinitæque acerbitatis, & consequentèr pœna sensus; sed peccatum originale contra infinitum est, nempè Deum, cuius est grauis offensa: ergo illius grauitate attenta secundum se, non solum pœna damni, sed etiam pœna sensus peccato originali debetur. Præterea, nam esto non in conuersione, sed in auersione consistat, non ideò amittit grauitatem simpliciter infinitã in ratione offensæ Dei: ergo sicut ex hoc capite manet in ratione satisfactibilis simpliciter infinitum, excedensque omnem satisfactionem puræ creaturæ possibilem, ex eodem capite manet in ratione punibilis simpliciter infinitum, & excedens omnem pœnam possibilem, nedum priuatiuam, & damni, sed etiam positiuam, & sensus. *Tertiò.*

176 *Quartò.* Denique tradita solutio reiicitur; nam esto peccatum originale formaliter, & ratione sui non consistat in aliquo positiuo, nec in conuersione ad creaturam, sed in aliquo priuatiuo, & in auersione à Deo: in actu, cuius est terminus, videlicet in peccato capitali, vtraque ratio inueniatur; sed hoc sufficit, vt infinitam pœnam mereatur, vt constat in peccato habituali personali, cui vtramque pœnam deberi est omnium Theologorum sententia, & si plures non in positiuo, sed in priuatione gratiæ doceant consistere, quia peccatum actuale, ex quo vt terminus relinquitur, & auersionis, & conuersionis positiuæ rationem sortitur: ergo peccato originali inspecto secundum se vtraque pœna debetur, esto in auersione consistat, & conuersionem habitualem ad creaturam non dicat.

177 *Primũ argumẽtum.* Contra doctrinam huius corollarij plura possent opponi, quæ omittimus, quia illius examen pertinet *ad primam secundæ tract. de peccato originali*, vbi fusè ostendi peccato originali, illius grauitate attenta secundum se, & non prout subest taxationi pœnæ de facto statutæ à Deo, non solum pœnam damni, sed etiã pœnam sensus deberi. Breuiter tamen obijcio primò Divum Thomam *in 2. sentent. distinct.*

S. THO. *distinctione 42. quæstione prima artic. quinto ad secundum*, Ibi: *Ad secundum dicendum, quòd ex hoc, quod contra infinitum peccat, debetur sibi pœna infinita, non autem potest esse infinita acerbitate, quia in creatura finita non potest esse qualitas infinita, sed recompensatur per durationem infinitam, quia creatura rationalis durationis infinitæ capax est; & quia actualiter peccauit, debetur sibi non solum pœna damni, sed etiam pœna sensus.* Verba sunt Diui Thomæ, quibus, vt apertè cōstat, debitum pœnæ sensus in eo, qui peccauit mortaliter, fundat Angelicus Doctor in eo, quòd actualiter peccauit, hoc est per actum propriæ voluntatis deliquit, nam peccare actualiter voluntate capitis, etiam reperitur in peccato originali: ergo sentit D. Thomas, peccato originali solam pœnam damni, nō autem pœnam sensus deberi, & consequenter dignum omni pœna nō esse. Respondeo, ly *quia actualiter peccauit*, non dicere causam condignitatis pœnæ, sed tantum congruentiæ, vt de facto pro peccato mortali pœna sensus fuerit taxata à Deo: ex quo non sequitur defectus condignitatis pœnæ sensus in peccato originali, sed tantum defectus illius congruentiæ, quæ in peccato personali inuenitur, vt pœna sensus pro illo fuerit taxata.

Respondetur.

178 *Secundo arguitur*

Obijcies secundò: stat, peccatum originale esse in ratione offensæ infinitæ grauitatis, & infinitum in ratione demeriti; & tamen non mereri, illius grauitate attēta, omnem pœnam positiuam, sed tantum pœnam priuatiuam sine termino: ergo malè à Nobis probatur condignitas omnis pœnæ possibilis in peccato originali, illius grauitate attenta secundum se. Consequentia tenet ex dictis: antecedens autem probatur: actus liber naturalis elicitus ab humanitate Christi sine imperio actus supernaturalis foret infiniti valoris, infinitèque meritorius; & tamen non esset meritum omnis præmij absolutè possibilis, sed tantum omnis præmij possibilis naturalis, vt suppono ex veriori sententia, quam dabo infra *tractatu de Gratia Christi*. ergo paritèr poterit stare in peccato originali grauitas moraliter infinita, & infinitas in ratione demeriti absque merito omnis pœnæ possibilis absolutè cum sola condignitate omnis pœnæ priuatiuæ possibilis.

Respondetur.

Respondeo, negando antecedens, ad illius probationem dicatur, actum vndequaque naturalem elicitum ab humanitate Christi non fore infinitum simplicitèr in ratione meriti, sed tantum in ratione meriti naturalis, ideoque illius vis meritoria non ad omne præmium absolutè possibile, sed solum ad omne præmium possibile ordinis naturalis se extenderet: cæterum grauitas peccati originalis ex personâ offensa sumpta est eadem cum grauitate peccati personalis Adami, ac per consequens infinita simplicitèr, sicut peccatum personale Adami est in ratione offensæ simplicitèr infinitum. Ex quo vlterius fit, vt sit infinitum simplicitèr in ratione demeriti, ac proindè quòd extendatur vis demeritoria illius ad omnem pœnam absolutè possibilem.

179 *Corollarium secūdum.*

Infero secundò ex dictis, falsam esse quorumdam Recentiorum sententiam docentium, peccatum mortale esse infinitæ grauitatis in ordine, non tamē intra ordinem, sed intra ordinem esse in ratione offensæ finitum. Cuius sententiæ falsitas ostēditur primò; non enim stare potest infinitas in ordine cum limitatione intra ordinē: ergo si peccatum mortale est grauitatis infinitæ in ordine, est etiam grauitatis infinitæ intra ordinem. Prob. antecedens: non stat aliquid esse infinitum in genere, & finitum intra genus, v. c. nequit corpus infinitum esse in genere quantitatis, & intra genus esse finitum; sed eo ipso, quòd infinitum foret in genere quantitatis, deberet cōtinere omnem illius generis perfectionem, cum quo non staret finitum esse intra genus: ergo paritèr non stabit esse aliquid infinitum in ordine, & finitum intra ordinem.

Probatur primò.

Secundò.

Secundò, & explicatur magis hoc ipsum: infinitum in genere contine-

re debet omnem perfectionem generis: ergo infinitum in ordine continere debet omnem ordinis perfectionẽ, cum quo non ſtat intra ordinem eſſe finitum. Conſequentia tenet à paritate rationis; antecedens autem probatur: corpus infinitæ extenſionis, & profunditatis finitæ, licet eſſet infinitum in ſpecie ſuperficiei, in genere quãtitatis infinitũ non eſſet, eo quòd non contineret omnem perfectionẽ cõtentam ſub genere quantitatis: paternitas etiam diuina, prout realiter à filiatione diſtincta, & ratione ab eſſentia, eſto ſit infinita in ſpecie, aut quaſi ſpecie paternitatis, in genere autem, aut quaſi genere relationis diuinæ infinita non eſt, quia omnẽ perfectionem diuinæ relationis, prout ſic diſtincta, non continet: ergo verum eſt vniuerſaliter antecedens, nempè infinitum in genere debere in ſe continere omnem perfectionem generis.

180 *Euaſio contrariorum. Reijcitur primò.*

Dices, non peti ad rationem infiniti in ordine, niſi tantum, quòd non ſit dabile maius in ordine, quod conuenit peccato mortali; non enim eſt dabilis ordo offenſæ maior ordine grauitatis offenſæ diuinæ. Sed cõtra primò, nam de ratione infiniti in genere vel in ſpecie, nõ ſolum eſt negatio exceſſus, ſed etiam continentia omnis perfectionis generis, vel ſpeciei, in qua dicitur, & eſt infinitum: ergo de ratione infiniti in ordine, nõ ſolum erit negatio exceſſus in ordine, ſed etiam cõtinentia omnis perfectionis contentæ ſub ordine.

Secũdò.

Contra ſecundò; nam ſequitur ex tradita ſolutione, odium Dei in ratione malitiæ eſſe infinitum in ordine: conſequens eſt falſum: ergo & tradita ſolutio: falſitas conſequentis conſtat; quia namque grauitas offenſæ mortalis eſt in ordine infinita, inferunt iſtius ſententiæ Auctores, non poſſe adæquari ab actu charitatis puræ creaturæ in ratione ſatisfactionis, quia tam in ordine, quam intra ordinem finitus eſt; ſed bonitas ſpecifica actus charitatis, quæ eſt finita in ordine, & intra ordinem, adæquat malitiam ſpecificam odij diuini: ergo hæc nec intra ordinem, nec in ordine eſt infinita: ſequela autem prob. non enim eſt dabilis ordo malitiæ maior ordine malitiæ odij Dei: ergo ſi ad infinitatem in ordine ſufficit negatio exceſſus in ordine, malitia ſpecifica odij Dei erit ordinis infiniti, eritque infinita in ordine, quamuis intra ordinem finita ſit, eo quòd poteſt vna alia maior eſſe intenſione.

181. *Probatur tertiò.*

Tertiò probatur: vel offenſa mortalis conſtituitur grauis a Deo offenſo, vt à forma, vel ab ordine ad perſonam offenſam formaliter, & à perſona offenſa obiectiuè, & terminatiuè, vt à termino, & obiecto extrinſeco terminante, & ſpecificante ordinem: ſi hoc ſecundum dicatur, eſt finita in ordine, & intra ordinem: ſi primum aſſeratur, tam in ordine, quam intra ordinem eſt infinita: ergo falſum eſt aſſerere, eſſe infinitam in ordine, & intra ordinem finitam. Conſequentia eſt bona: minor pro prima parte conceditur ab Auctoribus huius ſententiæ, & patet; quia namque Deus dat malitiam odio ſui obiectiuè extrinſecè tantum, & conatus odij eſt finitus, non dat odio in ratione malitiæ, nec infinitatem in ordine, nec infinitatem intra ordinem: ergo ſi perſona offenſa ſolum obiectiuè extrinſecè dat grauitatem offenſæ attacta conatu finito, non dabit illi grauitatem infinitam ordinis, nec intra ordinem. Pro ſecunda parte probatur; quia namque perſona ſatisfaciens valorat actus ſatisfactorios ſe ipſa per modum formæ, perſona infinita dat actui ſatisfactorio valorem infinitum in ordine, & intra ordinem: ergo ſi perſona iniuriata grauificat offenſam, vt forma, perſona iniuriata infinita dat offenſæ grauitatem infinitam, tam in ordine, quam intra ordinem.

182. *Reſpondebis.*

Reſpondebis, negando conſequentiam, & diſcrimen dabis; nam perſona ſatisfaciẽs valorat actus ſatisfactorios, vt forma intrinſeca illis, & non valorat vt cognita, nec vt attacta per actum; ideoque transfundit in actum ſatisfactorium totum valorem, quem poteſt: vndè, ſi eſt infinita ſimpliciter,

dat

dat actui satisfactorio valorem simpliciter infinitum: persona autem iniuriata grauificat offensam, vt forma extrinseca cognita, & attacta per actum; vnde, cum cognoscatur cognitione finita, & attingatur per actum contactu, & conatu finito, fit, vt quamvis sit infinita simpliciter; nō det actui offensiuo grauitatem simpliciter infinitam, sed tantum grauitatem ordinis infiniti. Sed contra; licet persona satisfaciens non det valorem, vt cognita, vel attacta per actum; valorat tamen vt eliciēs liberè actum, nō enim potest valorem meritorium, aut satisfactorium præstare, nisi actui liberè ab ipsa egredienti; & tamen quia valorat vt forma, quamuis finito conatu operetur, dat actui valorem infinitum simpliciter: ergo si persona offensa dat actui grauitatem vt forma, quamuis illam det vt cognita, & attacta per actum, & finito modo cognoscatur, & attingatur, dabit illi infinitatem simpliciter, hoc est ordinis, & intra ordinem.

Reiicitur solutio.

83. Respondebis, negādo consequentiam, & assignabis discrimen; nam licet persona satisfaciens valoret actū, vt eliciens illum, ly *vt* dicente conditionem antecedētem, vt præstet actui valorem, non tamen commēsuratur in valorando cum conatu influxus liberi præuiè ad valorandū exacti; ideo que non limitatur ab illo, nec impeditur, ne præstet valorem infinitum simpliciter: cæterum persona offensa dat actui grauitatem, vt cognita, & attacta per illum, ly *vt* dicēte aliquid, cum quo commensuratur persona in grauificando, & ideò si cognitio est finita, & attingitur actu finito, impeditur, ne det actui infinitatem simpliciter. Sed cōtra primò; nam ideò persona satisfaciens nō commensuratur in valorando cum conatu, quo elicit actum, quia elicientia solum est conditio antecedens, vt persona eliciens valoret; sed personam offēsam ab offendente cognosci, & per actum offēsiuum attingi non est personæ offensæ ratio formalis, vt grauificet offēsam, sed solum requisita conditio: ergo in grauificando non commensuratur cū conatu, & cognitione, & consequenter persona infinita non impeditur ab illis, vt grauificet infinitè simpliciter.

Contra primò.

Contra secundò; nam si commensuraretur in dando grauitatem cum cognitione, & conatu, etiam si vt forma se haberet, non daret infinitam grauitatem, nec in ordine, nec intra ordinem; sed in sententia, quam impugnamus, dat actui offensiuo infinitam grauitatem in ordine: ergo in dādo grauitatem non commensuratur cum cognitione, & conatu. Minor cū consequentia tenet, maior autē ostenditur primò; quia namque obiectum in dando grauitatem commensuratur cum cognitione, & conatu, quamuis infinitum sit, attactum conatu finito, & finita cognitione cognitum, nullā dat infinitatem, nec ordinis, nec intra ordinem: ergo si persona offensa in communicando grauitatem commēsuratur cognitioni, & conatui operantis, quamuis concurrat, vt forma, attacta conatu, & cognitione finitis, nullam infinitatem dabit, nec ordinis, nec intra ordinem.

184 *Secundò.*

Maior probatur primò.

Secūdo prob. maior; vel conatus, vel cognitio cōcurrūt, vt ratio formalis totalis, aut partialis ad grauitatem ex persona offēsa sumptā, vel vt cōditio tantū: si primum, limitabunt limitatione ordinis, & intra ordinem: si secundum, nec intra ordinem limitare possunt, cum ideò non limitent in ordine, quia vt cōditio se habent, & consequenter, nec possint limitare intra ordinem, quandoquidem ad grauitatem offensæ intra ordinem, vt conditio concurrunt: ergo vel limitatio conatus, & cognitionis limitat offensam in ordine, vel illam non limitat intra ordinem.

Secūdo.

Tertiò probatur; nam conatus offendentis inspectus pro priori ad hoc, quòd à persona offensa informetur, est limitatus etiam in ordine: ergo si persona vt dans grauitatē commensuratur cum illo, impeditur, vt communicet grauitatem infinitam in ordine. Consequentia patet; nā ideò nō dat actui grauitatem infinitam intra ordinem, quia commensuratur cum conatu actus, & ille est intra or-

185. *Tertiò.*

dinem finitus: ergo si conatus est etiam finitus in ordine, impeditur persona, ne illum in ordine infinitum cõstituat: antecedens autem probatur primo; nam actus offensiuus habet infinitatem ordinis à persona offensa, vt à forma: ergo inspectus pro priori ad hoc, quòd à persona offensa informetur, non est infinitus in ordine. Secundò, nam ordo ad terminum infinitum in ordine non est ratione sui infinitus infinitate ordinis, aliàs malitia specifica odij esset ordinis infiniti, vt superius arguebam; sed actus offensiuus inspectus ratione sui, vt præuenit informationem personæ, solum habet dicere ordinem ad terminum ordinis infiniti: ergo sic sumptus non est infinitus in ordine; & tamen à persona offensa accipit infinitatem ordinis: ergo etiam accipiet infinitatem simpliciter. Maneat ergo, peccatum mortale in ratione offensæ, esse grauitatis simpliciter infinitæ, quod asserit nostra sententia. Et hæc de ista disputatione applicãda litteræ Magistri *in 3. dist. 20. §. 2.* Ioi: *Sed qua iustitia Iesu Christi*, &c.

M. Sententiarũ

DISPVTATIO SECVNDA

Vtrùm homo purus de condigno satisfacere possit pro suo, vel alieno peccato mortali?

§. I.

Quibusdam præsuppositis referuntur sententiæ.

1. *Primũ notabile*

NOMINE puri hominis nõ sumimus hominem sine diuinæ gratiæ adiutorio, sic enim acceptum non posse de condigno, imò nec de congruo, imperfectèque satisfacere pro culpa mortali, siue propria, siuè aliena, ita certum est, vt oppositum defendi non possit, cum in Scriptura, Conciliis, & Patribus passim habeatur, nihil ad vitam æternam conducens posse à nobis sine Dei gratia effici: satisfactio autem siuè condigna, siuè imperfecta, & de congruo pro culpa mortali, siuè propria, siuè aliena ad vitam æternam conducit, & consequenter homo purus, puritate excludente diuinæ gratiæ adiutorium, non potest pro peccato mortali aliquatenus satisfacere. Loquimur ergo de homine puro per exclusionem vnionis ad esse personale diuinum, hoc est, de homine non Deo, quamvis gratus sit, & ad Dei amicitiam euectus, & inquirimus, an homo sic acceptus possit condignè, & ad æqualitatem pro peccato mortali satisfacere, siuè proprium sit, siuè alienum?

In quo tanquam certum supponimus primò, posse de condigno, & ad æqualitatem satisfacere pro peccato veniali, quod ex dicendis constabit, & fatentur Theologi communiter; cum enim peccatum veniale infinitum in ratione offensæ non sit, vtpotè leuis offensa, non est, cur obsequium à pura creatura exhibitum diuino adiutorio munita non possit cum ipso in morali æstimatione adæquari. Secundò, vt certum supponimus, posse pro peccato mortali satisfacere imperfectè, quod Magister Araujo in præsenti *dub. 2. circa articulum 2.* asserit, esse communem doctrinam contra Scotum, Sotum, Medinam, & alios asserentes oppositum. Sed quia huius resolutio spectat *ad 3. part. quæst. 85.* ideò supponen-

2. *Secundũ.*

Araujo.

ponenda eſt in præſenti, & ex dicendis inter probandam noſtram ſententiam manifeſtè conſtabit. Quod igitur in dubium vertitur eſt, an poſsit homo purus ſatisfactionem perfectam, hoc eſt, æqualem in morali æſtimatione pro mortali culpa propria, vel aliena exhibere? Qua in re tres reperio Theologorum ſententias. Prima docet, pro culpa mortali, ſiuè propria ſit, ſiuè aliena, poſſe hominem non Deum condignè, & ad æqualitatem ſatisfacere. Secunda diſtinguens inter propriam, & alienam culpam negat puræ creaturæ vim condignè, & æqualitèr ſatisfactiuam pro prima; pro culpa autem mortali aliena concedit, poſſe condignè, & æqualitèr ſatisfacere. Tertia, & vera ſententia defendit, nec pro vna, nec pro alia poſſe condignã, æqualemque ſatisfactionem præſtare. Auctores dabimus noſtram explicantes ſententiam.

Prima ſentẽtia

Secũda ſentẽtia

Tertia ſentẽtia

§. II.

Statuitur prima concluſio, & examinantur aliquorum rationes.

3. *Prima cõcluſio*

Anſelm. Bonau. Ricard. Durãd. Capreol. Ferrar.

Suarez. Vaz. Scot.

PRIMA CONCLVSIO ſit: nõ poteſt pura creatura quantacumque gratia exornata exhibere pro ſuo peccato mortali condignam ſatisfactionem. Ita communiter Theologi. Anſelmus *lib. 1. cur Deus homo? cap. 1.* Bonauentura *in 3. diſt. 20. quæſt. 3. & 4.* Richardus *quæſt. 4.* Durandus *quæſt. 2.* Capreolus *in 4. diſt. 15. quæſt. 1. artic. 1. concluſ. prima,* Ferrarienſis *quarto Contra gentes cap. 54.* Quos, omnes Thomiſtæ ſequuntur cũ Angelico Doctore in præſenti *quæſt. 1. art. 2.* Tenent etiam ex Patribus Societatis Suarez *tom. 1. in 3. part. diſp. 4. ſect. 7.* Vazquez *diſp. 2.* & communiter Recentiores ex eadem familia, & alij ab ipſis relati inter quos cõnumerandum Scotum cenſet Vazquez diſputatione relata *cap. 2.*

4.

Licet autem hi Auctores in ſententia conueniant, in ratione illius reddenda diſcrepant: & prætermiſsis pluribus, quæ vel nihil probant, vel ſolum conuincunt impotentiam puræ creaturæ ad ſatisfaciendum ex toto rigore iuſtitiæ, nõ autem ad æqualem, & condignam ſatisfactionem, aliquas ſolum referemus, & refellemus, antequam efficacem rationem pro communi ſententia tradamus. Vazquez igitur poſtquam per tria capita varias retulit, & refellit rationes, indè ad impotentiam iſtam defendendam mouetur; quia ſatisfactio illa, quæ non compenſat totum debitum, ſed partem debiti gratis condonatam ſupponit, ſatisfactio perfecta non eſt. at ſatisfactio quælibet puro homini poſsibilis talis conditionis eſt, vt neceſſariò partem debiti gratis condonatam ſupponat: ergo omnis ſatisfactio poſsibilis puro homini deficit à ratione perfectæ ſatisfactionis. Maiorem non probat, ſed vt notam relinquit: minorem autem oſtendit ex doctrina Celeſtini *in epiſtol. 1. cap. 4.* Proſperi ad capitula Gallorum *reſponſione 8.* & ad excepta Genuenſium *reſponſione 3.* Fulgentij *lib. de Incarnatione, & Gratia cap. 12.* & Bernardi *lib. de libero arbitrio circa medium.* Qui Patres docent, per peccatum primi parentis omnes nos contraxiſſe debitum carendi perpetuò omni ſancta cogitatione; ac proindè idem dicendum eſt de quolibet peccato mortali, ſcilicet peccatorem ratione illius cõtrahere debitum carendi perpetuò omni auxilio ad reſurgendum, & ad conuerſionem in Deum. Sed omnis actus ſatisfactorius noſter hoc debitum extinctum ſupponit, cũ per collationem auxilij debitum illo carendi tollatur: talis autem collatio neceſſariò omnem noſtrum actum præcedat: ergo omnis ſatisfactio puro homini pro peccato proprio poſsibilis partem debiti gratis condonatam neceſſario ſupponit, & conſequenter ſatisfactio perfecta non eſt.

Ratio P. Vaz.

Celeſt. Proſp. Genuenſ. Fulgen. Bernar.

Ratio tamen iſta, quæ ſola potuit Gabrieli Vazquez placere, diſplicet 5.

commu-

communiter Theologis, non solum exteris, sed etiã domesticis, illamque reijciunt primò, nam Auctores disputantes, an pura creatura possit pro peccato mortali æqualiter, & condignè satisfacere, non loquuntur de omni pœna peccato mortali debita, sed de peccato mortali secundum rationem culpæ, & offensæ: at ratio istius Auctoris non probat impotentiam puri hominis ad satisfaciendum perfectè pro culpa, sed solum ad satisfaciendum pro aliqua pœna peccato mortali debita, nempè pro carentia auxilij, quæ per auxilij exhibitionem ablata, gratisque remissa supponitur: ergo in sensu, in quo præsens difficultas communiter controuertitur, nihil ratio ista conuincit, sed totum intentum contrariæ sententiæ concedit: vndè merito adiungi poterit Vazquez Auctoribus sententiæ contrariæ. Probo minorem: carentia diuini auxilij iuvantis ad contritionem non est culpa, nec pars culpæ, sed solum obtinet rationem pœnæ, cum adhuc, huiusmodi carentia ablata per collationem auxilij, tota essentia peccati mortalis integra perseueret: at quidquid est in peccato mortali præter carentiam prædictam sufficienter tollitur per actum contritionis, vt per condignam, & æqualem satisfactionem in sententia istius Auctoris: ergo illius ratio non probat insufficientiam puræ creaturæ ad satisfaciendum perfectè pro peccato mortali secundum rationem culpæ, sed solum impotentiam ad satisfaciendum perfectè pro pœna peccato mortali debita.

Vazq. Reijcitur primo.

6. *Reijcitur secundò.*

Secundo reijcitur: si nãque de ratione satisfactionis perfectæ pro culpa esset extinctio omnis debiti, & exclusio omnis pœnæ illi debitæ, sequeretur, satisfactionem Christi perfectam pro hominum peccatis nõ fuisse: consequens absurdum est: ergo & falsa doctrina, cui prædicta ratio innititur. Probatur sequela: homo per peccatum non solum contraxit debitum carendi omni auxilio intrinseco, sed etiam extrinseco: ergo contraxit debitum carendi Redemptore, & carendi actionis satisfactorijs pro ipso, & carendi auxilijs Christo ad satisfactionem istam cõcelsis; quæ omnia auxilia extrinseca sunt, & gratiæ hominibus factæ: at huiusmodi debita per satisfactionem Christi non fuerunt extincta, cum Christus non meruerit suam Incarnationẽ, nec actus, quibus satisfecit pro nobis, nec auxilia data ad illos: ergo si ad perfectam satisfactionem pro culpa necessarium est, quòd totum debitum per illam cõtractum extinguat, & omnem pœnam illi debitam excludat, satisfactio Christi pro peccato hominum perfecta non fuit, quod absurdum est asserere.

Denique reijcitur ad hominem contra Vazquez arguẽndo quantum ad id, quod asserit, contritionem esse satisfactoriam pro culpa: vt enim fatetur Vazquez *cap. 6. num. 60.* contritio non est meritoria condignè gratiæ habitualis: ergo nec est satisfactio condigna pro offensa. Probo consequentiam; ideò namque asserit, contritionem non mereri de cõdigno infusionem gratiæ habitualis, quia illam infusam supponit ex parte causæ efficientis, sed etiam præsupponit culpam remissam, vt expresse idem Auctor fatetur loco nuper allegato: ergo non est satisfactoria pro offensa, quæ iam remissa supponitur. Nec respondere sufficit cum contrario Auctore, de ratione satisfactionis non esse, quòd virtute illius debitum remittatur, sed potest post debiti remissionem exhiberi, & ideò satisfactio dicitur, quia ex parte exhibentis illam satis est factum pro debito, esto remissum præsupponatur; de ratione autem meriti est, non subsequi, sed antecedere exhibitionem præmij: ideoque potest dici contritio satisfactio sufficiens pro culpa, quæ remissa præsupponitur, non autem meritum gratiæ habitualis præcedentis ex parte causæ efficientis.

7. *Reijcitur tertiò.*

Respondet P. Vazq.

Non, inquam, hæc solutio est sufficiens primo; nam ideò meritum petit, non subsequi, sed antecedere præmium, quia meritum est via, per quã itur ad mercedem; sed etiam satisfa-

8. *Reijcitur primò.*

ctio

ctio eſt via, per quam itur ad extinguẽdum debitum: ergo petit anteuertere remiſsionem illius, & eiuſdem extinctionem. Secundò, nam vel Vazquez loquitur de ſatisfactione quoad exercitium, vel ſolum quoad ſufficiẽtiam: ſi primum falſum eſt, poſſe ſupponere extinctionem debiti, nam remiſſa offenſa, non eſt locus exercitio ſatisfactionis, ſicut neque exercitio ſolutionis eſt locus, debito iam remiſſo, vel ſoluto, aliàs pretio ſemel exhibito, poſſet quis dici actualiter debitum ſoluens, ſi quantitatem ſimilem iterum daret: ſi ſecundum dicatur, nullum eſt diſcrimen inter ſatisfactionem, & meritum quoad hoc, quod eſt ſubſequi, vel antecedere; ſicut enim actus adæquans offenſam dici poteſt ſatisfactio per modũ actus primi, & quoad ſufficientiam pro offenſa iam condonata, eo quòd illi in morali æſtimatione adæquatur: ita actus ex ſe adæquans præmium in morali æſtimatione dici poteſt meritum condignum quoad ſufficiẽtiam illius, & per modum actus primi, eſto præmium exhibitum iam ſupponatur: ergo non ſubſiſtit diſcrimẽ inter meritum, & ſatisfactionem à prædicto Auctore ſtatutum.

Secundò.

9. Ratio Patris Suarez.

Suarez *diſput. 4. ſect. 7.* poſtquam impugnauit infinitatem offenſæ ſimpliciter, ea ratione ducitur, vt probet, non poſſe puram creaturam pro peccato mortali ad æqualitatem ſatisfacere; nam res ordinis inferioris quantumcumque multitudine, perfectione, aut intenſione creſcant, non poſſunt adæquare id, quod exiſtit in ordine ſuperiori; quo circa iniuria in vita, vel fama, per pecunias, quæ inferioris ordinis ſunt, ad æqualitatem compenſari non poteſt, & peccata venialia, etſi in infinitum multiplicẽtur, adæquare nequeunt grauitatem vnius peccati mortalis; ſed peccatum mortale in ratione offenſæ, etſi non ſit grauitatis infinitæ ſimpliciter; eſt tamen grauitatis ſuperioris ordinis ad quam libet ſatisfactionem puræ creaturæ poſsibilem: ergo nullius entis creati, aut creabilis ſatisfactio compenſare poteſt ad æqualitatem offenſam peccati mortalis. Probat minorem: nam offenſa creſcit in grauitate ad incrementum dignitatis perſonæ, cui irrogatur: ſatisfactio vero ad incrementum dignitatis perſonæ ſatisfacientis, non verò ad incrementum dignitatis perſonæ, cui ſatisfactio exhibetur, quin potius ex iſtius incremento decreſcit; ſed Deus per peccatum mortale grauiter offenſus ſuperioris ordinis eſt ad omnem creaturam poſsibilem quãtacumque gratia exornatam: ergo grauitas offenſæ illi factæ ſuperioris ordinis eſt ad dignitatem ſatisfactionis omnis creaturæ poſsibilis. Hac ratione vtitur Suarez *ſection. illa 7.* vt probet, non poſſe puram creaturam pro peccatis alienis ſatisfacere condignè, ad quam etiam ſe remittit *ſect. 9.* vbi tractat. de ſatisfactione pro peccatis proprijs puræ creaturæ poſsibili.

Suarez.

10. Reijcitur primò.

Contra quam plura opponunt Recentiores etiam domeſtici, ſed breuiter reijcitur primò ex dictis diſputatione præcedenti; etenim ex eo, quòd Dei maieſtas iniuriata per peccatum mortale ſit infinita ſimpliciter, non ſequitur in ſententia Suarez, quòd offenſa ſit infinita, quia cognitio, & modus tendendi actus offenſiui in obiectum aliquid finitum ſunt; ſed cognitio, & modus tendẽdi actus offenſiui in obiectum ſuperioris ordinis non ſunt ad modũ tendendi actus ſatisfactorij, & ad cognitionem illum regulantem: ergo ex eo, quòd perſona offenſa ſuperioris ordinis ſit ad perſonam ſatisfacientem, non rectè colligitur, offenſam peccati mortalis, aut peccatum mortale in ratione offenſæ eſſe ordinis ſuperioris ad omnem ſatisfactionem poſsibilẽ puræ creaturæ.

11. Secundò.

Secundò, nam grauitas iſta offenſæ, vel ſumitur à perſona offenſa, vt à forma, vel eſt aliqua realitas phyſica, vel moralis identificata cum actu offenſiuo, vel ad illum ſubſequuta: ſi primum, cum Deus offenſus infinitus ſit, offenſa erit grauitatis, non ſolum ordinis ſuperioris, ſed etiam infinita ſimpliciter: ſi ſecundum, eadem ratio eſt, vt ſit, vel non ſit infinita, atque

que vt sit, vel non sit ordinis superioris: ergo vel adstruenda est grauitas offensæ simpliciter infinita, vel negãda est illi superioritas ordinis, ob quã sit incompensabilis condignè à pura creatura. Minor pro prima parte cõstat ex dictis disputatione præcedenti, nec ab illo Auctore negatur. Pro secunda autem parte in hunc modum ostenditur: nam vel grauitas ista moralis commensuratur cum principio efficiente, ita vt non possit illud excedere, vel non commensuratur cum illo: si primum, non potest esse ordinis superioris ad dignitatem satisfactionis elicitæ à pura creatura, cum voluntas creata, quæ illius principium est, ordinis superioris non sit ad personam satisfacientem, sed potius ordinis inferioris ad illam, vt donis gratiæ exornatam, qualiter sumpta est principium satisfaciendi: si secũdum, non solum potest esse ordinis superioris, sed etiam potest esse infinita; si nãque potest a principio ordinis inferioris, vel non superioris ordinis, aliquid superioris ordinis effectiuè causari, cur à principio finito aliquid infinitum causari non poterit? Ergo constituta grauitate offensæ in modo aliquo physico, vel morali identificato cum actu offensiuo, vel ad illum subsequuto, eadem ratione, qua adstruitur superioris ordinis ad dignitatem omnis satisfactionis puræ creaturæ possibilis, constitui debet infinita simpliciter.

12. *Tertiò.* Tertio, & efficacius reijcitur: licet offensa contra Deum commissa superioris ordinis sit ad omnes offensas irrogatas creaturis; non tamen esse potest superioris ordinis ad omnes actus satisfactorios puræ creaturæ possibiles, nisi offensa constituatur simpliciter infinita: ergo hoc negato, vt prædictus Auctor negat, non potest incompensabilis condignè à pura creatura defendi ratione superioritatis in ordine ad dignitatem omnis satisfactionis possibilis puræ creaturæ. Consequentia probatione non eget: antecedens autem probo; nam offensa peccati mortalis non est ordinis diuini per essentiam, nec per communicationem diuinitatis, vt formæ seipsa grauitatem offensæ præstantis, alias esset infinita simpliciter, vt sæpè iam vidimus: ergo solum est ordinis diuini obiectiuè, quatenus terminatur ad Deum, & participatiuè, seu deriuatiuè intrinsecè, grauitate deriuata à maiestate diuina iniuriata per peccatum; sed etiam actus charitatis est ordinis diuini obiectiuè, terminatur nãque ad Deum vt ad obiectum, participatiuèque, & deriuatiuè intrinsecè; perfectio namque, & dignitas actus charitatis ordinis diuini per participationem est: ergo nisi offensa mortalis constituatur infinita simpliciter, constitui non potest grauitatis ordinis superioris, ob quam sit incompensabilis per satisfactionem puræ creaturæ condignè, & ad æqualitatem.

13. *Euasio Patris Suarij.* Respondebis, conuinci hoc argumento actum charitatis, & odium Dei, v.c. comparatione facta secundum rationes specificas eiusdem ordinis esse, quia vtrumque ad Deum tãquam ad obiectum terminatur, & à Deo, vt obiecto suum esse specificum sumit; illo tamẽ non probari esse eiusdem ordinis, si comparentur in ratione satisfactionis, & offensæ, nam sub hac consideratione valor satisfactorius actui charitatis competens non à Deo, cui fit satisfactio, sed à creatura satisfaciente sumitur: grauitas autem offensæ sumitur à Deo, cui offensa irrogatur, ac proindè comparatus actus charitatis, & quiuis alius puræ creaturæ possibilis in ratione satisfactionis cum peccato mortali, vt offensa, inferioris ordinis sunt.

14. *Præcluditur primò.* Sed contra hanc solutionem, cui tota probabilitas sententiæ oppositæ fidit, obijcio in hunc modum primò; nam valor satisfactorius, non solum sumitur à persona satisfaciente, sed etiam ab obiecto, & alijs circunstantijs concurrẽtibus ad bonitatẽ actus, sicut de grauitate offensæ præcedenti disputatione diximus, etiam ex obiecto, & circunstantijs desumi, penès quæ malitia peccati pensatur: at licet persona eliciens actum charitatis ordinis diuini non sit; obiectum

tamen

tamen actus charitatis ordinis diuini eſt: ergo valor ſatisfactorius dilectionis diuinæ illi competens ex obiecto ordinis diuini eſt, & conſequenter in eodem ordine cum grauitate offenſæ ſumpta à perſona iniuriata. Dices, valorem dilectionis ex obiecto eſſe eiuſdem ordinis cum grauitate peccati ex obiecto; quia tamen in peccato eſt alia grauitas deſumpta à perſona offenſa, quæ ſuperioris ordinis eſt ad valorem perſonalem omnis ſatisfactionis puræ creaturæ poſsibilis, conſequens fit, quòd maneat ſemper offenſa in ordine ſuperiori ad omnem ſatisfactionem puræ creaturæ poſsibilem. Sed contra; licet grauitas offenſæ ſumpta ex perſona iniuriata ſit ordinis ſuperioris ad valorem perſonalem ſatisfactionis præſtabilis ab omni pura creatura; non tamen eſt ſuperioris ordinis ad valorem ſatisfactorium actui charitatis ex obiecto deriuatũ: ergo poteſt valor iſte ita creſcere, vt adæquet grauitatem offenſæ à perſona offenſa ſumptam. Patet conſequentia; quia non poſſe compenſari per incrementum valoris ſatisfactorij, ad ſummum poteſt cõpeteregrauitati ordinis ſuperioris reſpectu valoris ordinis inferioris: ergo reſpectu valoris eiuſdem ordinis, non poteſt iſta incompenſabilitas aliqua ratione ſuaderi.

Reſpondebis.

Contra.

15. *Secundò principalis ſolutio reijcitur.*

Secundò principalis ſolutio reijcitur; nam licet perſona creata ſumpta ſecundum ſibi debita ordinis inferioris ſit ad offenſam diuinã, vt tamẽ habituali gratia exornata ordinis diuini eſt, & conſequenter eiuſdem ordinis cum offenſa: ergo non ſolum valor ſatisfactorius conueniens actui charitatis ex obiecto, ſed etiam valor ex perſona ſatisfaciente illi competens eſt eiuſdem ordinis cum grauitate offenſæ ſumpta ex perſona iniuriata. Conſequentia negari non poteſt: antecedens autem probo; nam grauitas offenſæ non eſt ordinis diuini per eſſentiam, nec per communicationem, ſed tantum per deriuationem, cum non conſtituatur per Deitatem vt formam, ſed per modum obiectiuè ſpecificatum abipſa; ſed homo gratus ratione gratiæ habitualis eſt in ordine diuino per participationem, cum gratia habitualis ſit formalis participatio diuinæ naturæ, & eiuſdem ordinis participatiuè cũ Deo: ergo perſona creata quatenus ſatisfaciens eſt eiuſdem ordinis cum offenſa diuina.

Dices, quòd vt valor perſonalis ſatisfactionis adæquet in ordine grauitatem perſonalem offenſæ, requiritur, quòd perſona ſatisfaciẽs ſit eiuſdem ordinis cum perſona offenſa, & quia pura creatura, etiã ad dona gratiæ eleuata, non eſt eiuſdem ordinis cum Deo, qui per eſſentiam eſt talis, conſequens fit, nullius puræ creaturæ ſatisfactionem poſſe eſſe eiuſdem ordinis cum offenſa Deo irrogata. Sed contra: ad ſatisfactionem æqualem non eſt neceſſaria æqualitas perſonæ ſatisfacientis cũ perſona offenſa, ſed ſufficit æqualitas inter ſatisfactionẽ, & offenſam, aliàs pro peccato veniali non poſſet pura creatura condignè, & ad æqualitatem ſatisfacere, cuius contrarium docet Suarez *diſput. citat. ſect.* 11. ſecutus cõmunem Theologorum ſententiam: ergo nec requiritur, quòd perſona ſatisfaciẽs ſit eiuſdem ordinis cum perſona offenſa, ſed ſufficit, ſi eiuſdem ordinis ſit cum offenſa ipſi irrogata: at licet homo habituali gratia exornatus non ſit eiuſdem ordinis cum Deo offenſo; eſt tamen eiuſdem ordinis cum offenſa, vt probaui: ergo dare poteſt valorem ſatisfactorium, qui eiuſdem ordinis ſit cum grauitate perſonali offenſæ. Et vrgeri poteſt amplius: nam valor ſatisfactorius perſonalis actus charitatis eſt ordinis diuini participatiuè, etſi non per eſſentiam; ſed grauitas perſonalis offenſæ irrogatæ Deo non eſt ordinis diuini per eſſentiam, aut communicationem, ſed tantum deriuatiuè: ergo valor perſonalis actus charitatis eiuſdem ordinis eſt cum grauitate perſonali offenſæ irrogatæ Deo.

16. *Reſpondebis.*

Reijcitur iſta ſolutio.

Mitto aliorum fundamẽtum, qui ex eo ad communem ſententiam defenſandam mouentur, quia offenſa Dei ex ſe poſtulat, non poſſe compenſari per actus puræ creaturæ, vt ſic à ſui perpetratione deterreat. Ita Car-

17.

dina-

Ratio Cardinalis Lug. reiicitur primo.

dinalis Lugo *disput. 5. sect. 4.* docens, esse communem rationem, & explicationem præcedentis, mitto, inquam, istorum fundamentum primò, quia est petitio manifesta principij; idem enim est, puram creaturam non posse condignè pro mortali offensa satisfacere, ac mortalem offensam esse incõpensabilem per satisfactionem puræ creaturæ: ergo asserere, non posse à pura creatura satisfieri pro offensa mortali, quia talis naturæ est, vt petat, non posse per actus puræ creaturæ condignè compensari, est probare idem per idem, & inanis petitio principij.

Secũdò.

Deindè, nam hæc incompensabilitas non est primus diuinæ offensæ conceptus, sed aliquid consequutum ad illum, offensæ essentiam, & illius quantitatem supponens: ergo supponenda non est, sed probãda per cõceptum priorem essentiæ offensæ, & grauitatis illius, ac proindè non est in incompensabilitate sistendum, sed ascendendum altius ad venandam incompensabilitatis radicem.

Tertiò.

Denique, nam peccatum veniale est condignè compensabile per actus puræ creaturæ, quia leuis offensa est, & grauitate infinita non gaudet: ergo ratio, cur mortale est incompensabile condignè per actus puræ creaturæ, ex grauitate, seu infinitate offensæ est petenda, non verò ex ipsa incompensabilitate: vndè sicut interroganti cur pura creatura potest pro culpa veniali satisfacere condignè, non nisi irrisoriè respondere quis posset, quia talis naturæ est, vt petat, posse per actus puræ creaturæ condignè compensari: ita dum rationem inquirimus, cur pura creatura non potest pro mortali culpa satisfacere, ridicula videtur responsio, qua asseritur, hoc indè venire, quia talis naturæ est, vt petat non posse per actus puræ creaturæ condignè compensari, vt per hoc homines a sui perpetratione deterreat.

18. *Quarta aliorum probatio.*

Mitto etiam fundamentum aliorum sumptum, ex eo quòd satisfactio perfecta fieri petit per actus alijs titulis non debitos; omnis autem actus puræ creaturæ possibilis alijs titulis est debitus Deo, nempè creationis, conseruationis, gubernationis, & supremi dominij, & consequenter nullus actus possibilis puræ creaturæ esse potest pro peccato mortali perfecta, æqualis, & condigna satisfactio. Cæterum hæc ratio displicet primo, quia alijs titulis nõ deberi ad summum requiritur ad satisfactionem de rigore iustitiæ, non verò ad satisfactionem condignam, & æqualem: ergo quòd omnes actus puræ creaturæ possibiles Deo alijs titulis sint debiti, etsi probet, nõ posse puram creaturam Deo, pro culpa mortali satisfacere de toto rigore iustitiæ; non tamen conuincit, non posse pro ea condignam, æqualemque satisfactionem præstare.

Reijcitur primò.

Secũdò.

Secundò, quia ex illa sequitur, nec pro veniali peccato posse puram creaturam satisfacere condignè: cõsequens est falsum, & communi sententiæ cõtrarium: ergo ratio facta est nulla. Patet sequela; nam etiam actus, quibus homo satisfacit pro peccato veniali sunt Deo alijs titulis debiti: ergo si hoc obstat satisfactioni cõdignæ, non poterit pura creatura condignam, æqualemque pro peccato veniali satisfactionem præstare.

§. III.

Nostra conclusio duplici argumento suadetur.

19. *Probatur ergo cõclusio primo.*

MIssis igitur his argumentandi modis pro communi sententia, suadenda est primò ex infinitate offensæ, & finitudine valoris satisfactorij cuiusvis puræ creaturæ, quam rationem conclusione sequenti prosequemur. Deindè suadetur ratione specialiter militante in ordine ad peccatum proprium satisfacientis, etenim satisfactio condigna essentialitèr supponit culpam remissam subiecto satisfacien

ti; ſed opus conſequens remiſsionem culpæ, eamque eſſentialitèr præſupponens nequit eſſe condigna ſatisfactio pro culpa iam remiſſa: ergo nullus actus puræ creaturæ poteſt condignè ſatisfacere pro peccato proprio mortali. Illatio eſt legitima, minor conſtat ex iis, quæ contra Vazquez dicebamus ſupra, & probatur paritate meriti; id enim, quod ad meritum eſſentialitèr præſupponitur, non poteſt ſub eodē merito cadere, eo quòd meritum eſt via, qua itur ad mercedē, & præmium; ſed ſatisfactio eſt via, qua itur ad extinguendum debitum, & deſtruēdam iniuriam: ergo nequit terminari ad culpam, cuius remiſsionem neceſſariò ſupponit: maior autem probatur primò à paritate meriti de condigno, quod ſubiectum merens in ſtatu amicitiæ diuinæ, & remiſsionem culpæ neceſſariò ſuppone re, eſt conſtans Theologorum ſententia 1. 2. *quæſt.* 114. ergo etiam ſatisfactio condigna neceſſariò præſupponit ſubiectum ſatisfaciēs in ſtatu amicitiæ cum Deo, & mortalem culpam remiſſam.

Secundo probatur.

Secundò probatur; nam valor ſatisfactionis præcipuè ſumitur ex dignitate perſonæ ſatisfacientis, ſicut offenſæ grauitas ex dignitate perſonæ, cui irrogatur, deſumitur, in quo Theologi omnes conueniunt, & diſputatione ſeq. conſtabit; ſed hominis in peccato mortali exiſtentis nulla eſt dignitas apud Deum in ordine ad ea, quæ ſpectant ad ordinem ſupernaturalem, qualis eſt remiſsio offenſæ: ergo, niſi ſupponatur culpa mortalis remiſſa, nulli actui ab homine, vel alia creatura elicito poteſt valor condignus ad ſatisfaciendum competere, & conſequenter, ſatisfactio condigna eſſentialiter ſupponit culpam mortalem remiſſam ſubiecto ſatisfacienti.

2O. *Tertio probatur.*

Tertiò ab inconuenienti probatur; ſi namque ad ſatisfactionem condignā non præſupponeretur remiſsio culpæ mortalis, & ſtatus amicitiæ in ſubiecto ſatisfaciente, ſequeretur de facto, motum contritionis, quo impius ad iuſtificationem extra Sacramentum diſponitur, eſſe condignam ſatisfactionem pro culpa mortali in ſententia aſſerente, non eſſe in ratione offenſæ moralitèr infinitam, nec grauitatis ordinis ſuperioris ad dignitatem ſatisfactionis præſtabilis à pura creatura, quod plures Theologi cum Scoto tuentur: cōſequens eſt falſum: ergo ſatisfactio condigna eſſentialiter ſupponit culpam mortalem remiſſam ſubiecto ſatisfacienti. Sequela exindè manifeſtè colligitur; nam contritio, vel non procedit à gratia habituali, vt plures probabiliter docent, etiam inter noſtros Thomiſtas, vel ſi procedit à gratia habituali, vt alij non minus probabilitèr ſentiunt, non procedit ab illa, vt iuſtificante, ſed ſub conceptu auxiliantis: ergo ſicut eſt ſatisfactio imperfecta pro offenſa mortali in ſententia communi, quia à gratia habituali, vt excludente offenſam non procedit, ſed ad illam ſubiſto cōceptu, & munere præſupponitur, ita & eadem de cauſa erit ſatisfactio condigna de facto pro offenſa mortali, ſi condignitas ſatisfactionis culpam expulſam, & mortalis offenſæ remiſsionem non ſupponit neceſſariò. Falſitas autem conſequentis probatur: etenim remiſsio culpæ fit gratis à Deo, vt diffinit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. de iuſtificat. cap. 7. & cap. 8. & 9. Ideo*, inquit, *nos dici gratis iuſtificari, quia nihil eorum, quæ iuſtificationem præcedunt, ſiue fides, ſiue opera ipſam iuſtificationis gratiam promerentur.* Ex quibus Concilij verbis inferunt cōmunitèr Theologi, opera iuſtificationem antecedentia, ſiuè tempore, ſiuè natura non eſſe merita condigna gratiæ remiſsiuæ peccatorum, quia alias gratia remiſsiua peccati non eſſet gratia, ſed corona iuſtitiæ; ſed non minus opponitur conditioni gratiæ ſatisfactio condigna, quam meritum condigni, cum non minus ex iuſtitia extinguatur debitum condigna ſatisfactione, quam tribuatur præmiū merito condigno: ergo motus contritionis à peccatore extra Sacramentum elicitus, non eſt condigna ſatisfactio pro offenſa mortali propria, aliàs remiſsio offenſæ mortalis non fieret gratis à

Concil. Triden.

Deo,

Deo, quod eſt contra Concilium Tridentinum.

21. *Reſpondebis.* Reſpondebis fortè ad paritatem factam de merito, ſatisfactionem eſſe viam ad recõciliandam amicitiam, vt inter homines cõſtat, inter quos vnus alteri ſatisfacit, vt perdita amicitia reſtituatur; ideoque non præſuppone re neceſſariò ſubiectum in ſtatu amicitiæ; benè tamen meritum, quod quidem via ad amicitiam non eſt, ſed ad præmium cõſequendum: ideoque, vt homo de condigno aliquid mereatur à Deo, neceſſariò præſupponitur ſtatus amicitiæ cum ipſo, non autem vt homo condignè Deo ſatisfaciat pro offenſa mortali.

Reiicitur ſolutio. Sed contra; nam licet inter homines ſatisfactio non ſupponat amicitiam, ſed ſit via ad illam, & ideo ab inimico poteſt condigna ſatisfactio pro iniuria præſtari; reſpectu tamen Dei id contingere non poteſt, & ratio differentiæ eſt; nam inter homines poteſt eſſe perſonalis dignitas ſatisfactionem valorans, abſque eo, quòd vnus alterius amicus ſit; cæterũ reſpectu Dei nulla eſt dignitas in homine exiſtẽte in ſtatu inimicitiæ cum ipſo: ergo cum valor ſatisfactionis ex dignitate ſubiecti ſatisfacientis præcipuè ſumatur, eſto inter homines ſit dabilis ſatisfactio cõdigna abſque præuia amicitia inter ipſos, & abſque præuia remiſsione iniuriæ; hominis tamẽ ad Deum nequit eſſe condigna ſatisfactio, quin mortalis culpa ſupponatur remiſſa, ſed ſolum ſatisfactio imperfecta, qualem eſſe motum contritionis libentèr fatemur.

Corollarium. Ex dictis, licet obitèr, colligo, quòd etiam ſi cõcedamus, poſſe de potẽtia abſoluta gratiam habitualem cadere ſub merito noſtro condigno; non tamen eſt cõcedendum, poſſe adhuc de potentia abſoluta per noſtros actus condignè ſatisfieri pro culpa mortali propria. *Probatur.* Cuius ratio eſt; nam vt opus ſit meritorium de condigno, non ſupponitur eſſentialitèr gratia habitualis iuſtificans in ſubiecto merente, ſed ſolum præexigitur eſſentialitèr eſſe in ſtatu ſanctitatis, quæ in aliquorũ ſentẽtia poteſt ab extrinſeca acceptatione præſtari, & in communi ſententia poteſt præſtari à perſonalitate Verbi ſine gratia habituali, & de facto præuiè ad illam præſtatur humanitati aſſumptæ; culpæ autem remiſsionem eſſentialitèr ſupponit ſatisfactio condigna, ac proindè, eſto concedamus, poſſe de potentia abſoluta gratiam habitualem iuſtificantem cadere ſub merito noſtro condigno, negandũ eſt conſequentèr ad dicta, poſſe culpam mortalem propriam per condignam ſatisfactionem peccatoris extingui; ſupponimus enim modò veriorem Theologorum cum D. Thoma ſentẽtiam, quæ docet, principium meriti non poſſe, etiam de potentia abſoluta, cadere ſub merito operis, cuius eſt principium, & conſequentèr, nec remiſsio offenſæ mortalis, quæ ad ſatisfactionem condignã eſſentialitèr præ ſupponitur, poteſt, etiam de potentia abſoluta, cadere ſub cauſalitate ſatisfactoria condigna operis illam eſſentialitèr ſupponentis ad ipſamque ſubſecuti.

§. IIII.

Tribus argumentis occurritur.

23. *Scotus. Caietan. Araujo. Palud. Soto. Ricard. Medin. Granados.* PRo contraria ſententia noſtræ concluſioni referũtur Scotus *in 4. diſt. 15. q. 1.* Caietanus in præſenti *art. 2. dub. circa ſolutionem ad 2.* quem tamen ab ea liberat Illuſtriſsimus Araujo vbi ſupra *num. 24.* Paludanus *in 3. diſt. 20. q. 2.* Soto *in 4. diſt. 19. q. 1. art. 2. ad 1.* Ricardus *art. 6.* & Medina in præſenti *art. 2. difficultate 1. ad 2. argum. Scoti.* Quibus adhæſiſſe videtur Granados in præſenti *controuerſia 1. tract. 2. diſp. 1. ſect. 3.* vbi docet, poſſe hominem condignè ſatisfacere pro culpa mortali propria, negat autem poſſe offerre æquiualen-

Primũ argumẽtum.

ualentem ſatisfactionem pro illa. In quorum fauorem arguitur primò ex D. Thoma *in 4. diſt. 15. q. 1. art. 2. ad 1. argum.* vbi, cum ſibi oppoſuiſſet, quòd ſatisfactio debet adæquari offenſæ, actio autem hominis nõ poteſt æquari offenſæ diuinæ, quæ infinita eſt, ac perconſequens eſſe nequit ſatisfactio pro illa, reſpondet his verbis: *Ad primum dicendum, quòd ſicut offenſa habuit quandam infinitatem ex infinitate diuinæ maieſtatis, ita & ſatisfactio accipit quandam infinitatem ex infinitate diuinæ miſericordiæ, prout eſt gratia informata, per quam acceptum redditur, quod homo reddere poteſt.* Ergo iuxta D. Thomam ſatisfactio puræ creaturæ adæquatur cum grauitate offenſæ mortalis propriæ. Probatur conſequẽtia primò; ſi namque D. Thomas non ſentiret, ſatisfactionem elicitam ab homine grato adæquari cum grauitate offenſæ, neceſſarium non eſſet recurrere ad vtriuſque infinitatem; ſed D. Thomas, vt argumentum ſoluat, ad vtriuſque infinitatem recurrit: ergo ſentit, ſatisfactionem à nobis elicitam æquari offenſæ mortali. Secundò, nam maior argumenti eſt, debere inter ſe æquari ſatisfactionẽ, & offenſam; ſed D. Thomas maiorem argumenti nõ negat, ſed, illa conceſſa, ait, ſatisfactionem noſtram, etiam habere quandam infinitatem: ergo quia ſentit ſatisfactionẽ cum offenſa adæquari debere, & hanc æqualitatem inter ſatisfactionem noſtram, & Dei offenſam inueniri.

S. Tho.

24. *Reſpondetur.*

Reſpondeo de mente D. Thom. in hoc puncto dubitari non poſſe, vt conſtat ex corpore articuli in argumẽto relati, quod ita cõcludit: *Vnde non poteſt homo ſatisfacere, ſi ly ſatis æqualitatem quantitatis importet, contingit autem, ſi importet æqualitatem proportionis, vt dictum eſt, & hoc ſicut ſufficit ad rationem iuſtitiæ, ita ſufficit ad rationem ſatisfactionis.* Quod etiam docet 4. *ad Annibaldum dict. 15. q. vnic. art. 1. in corpore*: ſentit ergo manifeſtè D. Thomas, ſatisfactionem noſtram non æquari offenſæ mortali ſecundũ quantitatem, ſed ſecũdum proportionem, & ſecundum Dei acceptationem, qui ſua miſericordia ſic eam acceptat, ac ſi eſſet offenſæ æquiualens, & vt hanc æqualitatem ſecundum acceptationem ſaluet Angelicus Doctor recurrit ad infinitatem noſtræ ſatisfactionis ex miſericordia diuina acceptante. Vndè ad argumentum, tota auctoritate admiſſa, nego conſequentiam, ad cuius primam probationẽ nego maiorem; quia licet non adæquentur ſecundũ æqualitatem quantitatis; adæquantur tamen ſecundum diuinam acceptationem, ad quod neceſſarium eſt, quod ſatisfactio noſtra habeat quãdam infinitatem ex miſericordia acceptante, infinitatem, inquam, non intrinſecam, & ſecundũ quantitatẽ, ſed ſecũdum Dei extrinſecam acceptationem.

25. *Replicabis.*

Ad ſecundam probationem dicatur, maiorem argumenti intelligẽdam eſſe de æqualitate, quã D. Thomas explicat in corpore articuli, nẽpè de æqualitate proportionis, & ſecundum acceptationem; prima in eo conſiſtit, quòd homo faciat, quod poteſt per gratiam, quia ſicut ſe habet, quod Deo debetur ad Deum, ita ſe habet, quod homo poteſt ad hominem, vt explicat D. Thomas *artic. citato* in corpore: ſecunda in eo conſiſtit, quòd à Deo acceptetur, ac ſi æquiualens eſſet offenſæ, & huiuſmodi æqualitatem non negat D. Thom. noſtræ ſatisfactioni reſpectu culpæ mortalis; negat autem illi, vt vidimus, æqualitatem quantitatiuam, vel ſecundum quantitatem, quam negat noſtra concluſio.

Obijcies D. Thomam in *eodem artic. ſolutione ad vltimum*, vbi, cum ſibi oppoſuiſſet, quòd peccatum actuale eſt grauius originali; ſed pro originali nullus, niſi Deus ſatisfacere potuit: ergo neque pro actuali, reſpondet his verbis: *Ad quintum dicendum, quòd, etſi originale peccatum minus habeat de ratione peccati, quam actuale; tamen eſt grauius, quia eſt ipſius humanæ naturæ infectio, ideo per vnius hominis puri ſatisfactionem expiari non potuit, ſicut actuale.* Ex quibus verbis tale argumẽtum contra ſolutionẽ conſurgit: eam ſatisfactionẽ concedit D. Thom. pu-

S. Tho.

ro homini pro culpa mortali propria, quam puro homini posſibilem negat pro peccato originali; ſed ſatisfactio inæqualis pro peccato originali poſſibilis eſt puro homini, & ſolum eſt ei impoſsibilis cõdigna, & æqualis ſatisfactio: ergo iſtam fatetur D. Thom. poſsibilẽ puro homini pro culpa mortali propria, & conſequenter poteſt homo purus condignè, & ad æqualitatem ſatisfacere pro ſuo peccato mortali.

26. *Reſpondetur.* Reſpondeo, D. Thom. duplicem æqualitatem diſtinxiſſe in corpore illius articuli, alteram quantitatiuam, alteram ſecundum proportionẽ in eo conſiſtentẽ, quòd ſicut ſe habet, quod Deo eſt debitum ad Deum, ita ſe habet ad hominem, quod homo reddere poteſt: primam expreſsè negauit Angelicus Doctor in corpore articuli ſatisfactioni puræ creaturæ reſpectu diuinæ offenſæ: ſecundam autem illi conceſsit: vndè quando in ſolutione ad vltimum argumentũ concedit puræ creaturæ vim ſatisfaciendi pro culpa mortali propria, & negat illi vim ſatisfactiuam pro peccato originali, loquitur de ſatisfactione æquali, non ſecundum quantitatem, ſed ſecundũ proportionem, quam negat poſsibilẽ reſpectu culpæ originalis, quia non eſt proportio inter debitum Deo à tota natura ratione culpæ originalis, & id, quod poteſt pura creatura præſtare; benè tamen inter id, quod Deo ratione propriæ culpæ debetur, & id, quod homo præſtare poteſt per gratiam. Ex quo non ſequitur, poſſe purum hominem pro culpa mortali propria ſatisfactionem condignam, & æqualem exhibere æqualitate quantitatiua.

27. *Secunda argumentum.* Secundo arguitur. homo faciens totum, quod poteſt, ad æqualitatem ſatisfacit; ſed homo virtute gratiæ actum charitatis eliciens, & de peccato per actum contritionis dolens facit totum, quod poteſt in ordine ad ſatisfaciendum pro illo: ergo his actibus ad æqualitatem ſatisfacit pro culpa mortali propria. Minor cum conſequentia tenet: maior autem probatur; qui enim pro ſoluendo debito facit totum, quod debet, videtur ad æqualitatem ſatisfacere pro debito, cum amplius non debeat; ſed faciens totum, quod poteſt in ordine ad debiti ſolutionem, facit totum, quod debet; nemo enim poteſt ad id, quod ſibi impoſsibile eſt, obligari: ergo faciens totum, quod poteſt in ordine ad ſatisfaciendum pro culpa mortali, facit ſatis pro debito culpæ, & conſequenter ſatisfacit ad æqualitatem pro illo.

28. *Reſpondetur.* Reſpondeo ex D. Thoma *loco ſuperius allegato in corpore*, facientem totum, quod poteſt ex viribus gratiæ, ſatisfacere pro culpa mortali æqualiter æqualitate proportionis, non autem ſatisfacere æqualiter æqualitate quantitatiua, vel ſecundum quantitatem; nam ad hoc ſecundum exigitur, quod id, quod præſtare poteſt, æquetur iniuriæ illatæ in morali æſtimatione, & licet homo nõ poſsit à Deo obligari ad exhibendam ſatisfactionem æqualis valoris cum grauitate culpæ mortalis, quia hoc eſt illi impoſsibile, & conſequenter non peccet, quia nõ præſtat æqualem ſatisfactionem; ex hoc tamen non colligitur, hominem elicientem actus charitatis, & contritionis facere ſatis pro culpa mortali adæquanda, ſed ſolum facere ſatis cõparatiuè ad ſuum poſſe, aliàs qui debens centum, & non potens ſoluere, niſi quinquaginta, illa daret, debitum ad æqualitatem ſoluiſſet, quod falſum omninò eſt, imò & quod eſt magis falſum, ſi nihil potens, nihil ſolueret, diceretur ad æqualitatem ſoluiſſe: ſicut ergo in his caſibus dicendum eſt, hominem ſatisfacere ſuæ obligationi, vel nihil ſoluendo, quando nihil ſoluere poteſt, vel ſoluendo quinquaginta, quia non poteſt plura ſoluere; non tamen eſt dicendum, ſoluere ad æqualitatem pro debito: ita dicendum eſt in ordine ad offenſam mortalem, hominem facientem totum, quod poteſt ex viribus gratiæ, & conſequenter totum, quod debet, quia ſupra id, quod poteſt, obligari non poteſt, ſatisfacere ſuæ obligationi, non tamen dicendum eſt, quod præſtet ſatisfactionem æqualem.

29. *Tertium argumentum.*

Tertio arguitur instando contra hanc solutionem fundamento principali contrariæ sententiæ, nam reddēs personæ offensæ totum, quod abstulit per offensam, ad æqualitatem pro illa satisfacit, præstatque æqualem satisfactionem, non solum æqualitate proportionis, sed etiam æqualitate quantitatiua, vel secundum quantitatem, vt constat in eo, qui centum abstulit, qui centum reddens omninò æqualiter satisfacit, debitūque ad æqualitatem extinguit; sed eliciens actum charitatis reddit Deo totum, quod ab illo abstulit per peccatum mortale: ergo satisfacit pro offensa mortali per actū charitatis elicitum satisfactione æquali æqualitate quantitatiua, vel secundum quantitatem. Maior cum cōsequentia tenet, minor autē probatur: homo namque per peccatum mortale abstulit à Deo rationem vltimi finis solum quoad affectum, illamque affectiuè in creatura cōstituit; sed eliciēs actum charitatis reddit quoad affectū Deo rationem vltimi finis, illamque aufert à creatura: ergo reddit per talem actum Deo totum, quod ab illo abstulit per peccatum mortale.

30. *Respondetur.*

Respondeo, duplicem esse satisfactionem, alteram pro re ablata, quæ vocari potest restitutio, alteram pro illata iniuria, quæ vocatur propriè satisfactio: ad primam sufficit redditio æquiualentis, v.c. vt ille, qui centum abstulit, centum reddat: ad secundam requiritur æqualitas valoris obsequij ad grauitatem iniuriæ in morali æstimatione: vndè si plebeius centum per rapinam auferret à Rege, centum restituens Regi satisfaceret pro re ablata; non tamē pro iniuria Regi per rapinam irrogata, quantumcumque se Regi humiliaret; quia illius humiliatio, & subiectio in ratione obsequij non adæquat grauitatē iniuriæ, quam Regi per rapinam irrogauit in morali æstimatione. Quia ergo etsi actus charitatis affectiuè reddat Deo totū, quod affectiuè ab illo abstulit peccatum mortale; non tamen est valoris æqualis in ratione satisfactionis, & obsequij actus affectiuè dans cum grauitate actus affectiuè tollentis, fit consequens, quod licet actus charitatis fortè possit dici veluti sufficiens restitutio, non tamē queat dici sufficiens, & æqualis satisfactio. Et ex his in forma ad argumētum respondeo, distinguendo maiorem: si reddat totum, quod abstulit actu adæquante in valore grauitatem offensæ, concedo maiorem: actu non adæquante offensæ grauitatem, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: cur autem valor actus charitatis non adæquet in morali æstimatione grauitatem offensæ mortalis, constat ex dictis disputatione præcedenti, & amplius ex dicendis constabit.

§. V.

Cætera argumenta diluuntur, & explicatur, an ad satisfactionem condignam prærequiratur status amicitiæ in subiecto satisfaciente?

31. *Quartū argumentum.*

QVARTÒ ARGVITVR. Causans efficienter formam incompossibilē essentialitèr cum peccato condignè pro peccato satisfacit; sed homo eliciens actum dilectionis Dei super omnia causat efficientèr formam incompossibilem cum peccato mortali essentialitèr: ergo ad æqualitatem pro peccato mortali satisfacit. Consequutio est legitima, minor exindè constat; nā dilectio efficax Dei, vel est forma ad iustificandum sufficiens, vt contendit Vazquez, quem aliqui ex Thomistis sequuntur, vel saltem cōuertit hominem efficacitèr ad vltimum finem, & volūtarium peccati efficacitèr retractat, quam conuersionem, & retractationem efficacem non posse cū pecca

to mortali componi docuimus 1.2. q. 109. art. 3: maiorem Thomistarū partem sequuti: ergo eliciens actum charitatis, & contritionis perfectæ causat efficienter aliquid cum mortali culpa essentialiter incompossibile. Maior autem probatur; nullus enim potest Deum necessitare ad remissionē iniuriæ sibi irrogatæ, nisi condignè satisfaciendo pro illa; sed causans efficienter formam incompatibilem essentialiter cū peccato mortali, Deū necessitat ad remissionem offensæ mortalis: nō enim potest destrui peccatū, nisi iniuria remittatur: ergo causans efficienter formam cū peccato incompatibilem condignè pro peccato satisfacit.

32. *Prima solutio.* Huic argumento respondeti solet primò, per actū charitatis destrui voluntariam conuersionē ad bonū creatum, voluntariamque auersionem à Deo, quæ in peccato mortali inuenitur, non autem destrui maculam, nec rationem offensæ: solus autē ille condignè satisfacit, qui ponit formā destruentem offensam, & ideò eliciens actum charitatis, quatenus causat efficienter formam essentialiter incōpossibilem cū peccato mortali sub prædictis cōsiderationib⁹, nō satisfacit pro offensa mortali cōdignè, & ad æqualitatem. Cæterum contra hanc solutionem grauiter obstat, quòd destructo peccato in subiecto, non potest ratio offensæ manere; offensa namque, vel est idem cum peccato, vel supra essentiam peccati fundatur: destructo autem fundamento, nequit formalitas fundata subsistere; sed destructa per actum charitatis conuersione habituali ad creaturam, & auersione habituali a Deo, non potest non destrui peccatum; est enim huiusmodi auersio, & conuersio aliquid essentiale peccato: destructo autem aliquo prædicato essentiali, essentia nequit perseuerare, vt per se notum videtur: ergo nō fiat, per actum charitatis destrui conuersionem habitualem ad creaturam, & auersionem habitualem à Deo, & non destrui rationem offensæ.

Reiicitur prima.

Secundo. Quod amplius vrgetur: non enim fiat, Deum odio habere hominē, nisi fiat peccatū, solū enim peccatū est, quod in peccatore Deus odio habet, & ratione illius peccatore odit odio inimicitiæ, iuxta illud: *Odio est Deo impius, & impietas eius*; & illud: *Nihil odisti eorū, quæ fecisti*; sed eo ipso, quod offensa perseueret, Deus odit hominem, cum ratione offensæ sit illi infensus, & inimicus: ergo, stante offensa, nō potest non stare peccatum quoad propriam essentiam, & è contra, peccato destructo, nō potest offensa nō destrui. *Sap. 14. vers. 9. & c. 11. vers. 25.*

33. *Secunda solutio.* Secundo alij respondent, actum charitatis, cum non sit, nec possit esse forma iustificans iuxta veriorē Theologorum sententiam, non opponi cū peccato essentialiter, ac proindè actū charitatis eliciens, non causat efficienter formam cum peccato mortali essentialiter incompatibilem. Sed quātumuis negemus actui charitatis vim iustificatiuam formaliter, vt revera negamus, non possumus consequenter ad dicta *tract. de Gratia Dei, tract. de Beatitudine, & tract. de Gratia Christi*, ei negare cum peccato mortali incompatibilitatem essentialē: vnde ob hāc causam, & quia ad solutionem argumenti parum, aut nihil refert, quòd actus charitatis possit esse forma iustificans. *Reiicitur.*

Vera solutio. Aliter ad illud respondeo distinguendo maiorem: si forma efficienter causata sit incompatibilis cum peccato ratione valoris moralis, concedo maiorem: si non ratione valoris, sed ratione entitatis directè, vel indirectè cum illo incompatibilis, nego maiorem, & distinguo minorem: eliciens actum charitatis causat efficienter formam incompossibilem cum peccato mortali essentialiter ratione physicæ entitatis, non attento valore morali, concedo minorem: ratione dignitatis, & valoris moralis, nego minorem, & consequentiam. Itaque, vt aliquis dicatur pro peccato condignè satisfaciens, non sufficit causare efficienter formam essentialiter incōpatibilem cum illo, nisi hæc incompatibilitas sit ratione valoris moralis. Vnde si aliquis efficienter gratiam habitualem in aliquo subiecto causaret, effectiuè peccatum destrueret, cum efficeret formam formaliter expellentem pec-

catum; & tamen non ideò diceretur cõdignè pro peccato ſatisfacere, quia oppoſitio gratiæ cum peccato non eſt ratione valoris moralis ſatisfactorij, ſed ratione phyſicæ entitatis: actus autẽ dilectionis Dei ſuper omnia non eſt incompatibilis cum peccato mortali ratione valoris moralis ſatisfactorij, ſed ratione phyſicæ entitatis. Quod patet, nam eamdem oppoſitionem habet cũ peccato mortali amor patriæ, quam habet amor viæ, & tamen amor beatificus valore, aut dignitate ſatisfactoria nõ gaudet, cũ non ſit actus liber, ſed neceſſarius in communi ſententia Theologorum cum D. Thoma: valor autem moralis ſatisfactorius, ſicuti & meritorius neceſſariò libertatem ſupponat in ſententia omnium Theologorum; ideoque, etſi eliciens actum charitatis caſet efficienter formam cum peccato mortali eſſentialiter incompatibilẽ, non ſequitur indè, pro peccato mortali condignè ſatisfacere.

Ad probationẽ maioris, quatenus huic doctrinæ obſtare poteſt, dicatur; quòd licet demus, nullũ poſſe Deũ obligare ex iuſtitia ad remiſſionẽ offenſæ, niſi cõdignè ſatisfacientẽ pro illa; obligatione autẽ ſeu neceſsitate proueniente ex ſuppoſitione aliqua libera Deo, benè poteſt Deus obligari, ſeu neceſsitari a non ſatisfaciente condignè ad remittendam offenſam, ſi adiutus diuino auxilio, quod adiutoriũ liberè confertur à Deo, cauſet formã incompatibilem cum eſſentia peccati, & ex conſequenti cum ratione offenſæ ſupra peccati eſſentiam fundata; & ſic in præſenti contingit. Et quidem ſi creatura pura poſſet gratiam habitualem iuſtificantem efficienter phyſicè principaliter cauſare, ſiuè in ſe ipſa, ſiuè in alieno ſubiecto, vt plures cenſent poſsibile, & Deus cum illa vellet ad iſtam efficientiam concurrere, creatura cauſans gratiam habitualem (quam cum veriori ſententia ſupono eſſentialiter cum peccato pugnare) Deum obligaret ad remittendam iniuriam, non quidem obligatione iuſtitiæ, ſed neceſsitatis, ortæ ex decreto libero Dei concurrendi cũ creatura ad gratiam habitualem cauſandam; & tamen non diceretur tunc caſus, ſatisfacere condignè pro offenſa mortali illius ſubiecti, in quo gratiam efficeret, & à quo peccatum efficienter expelleret: idem dicimus in præſenti, & eadem ratione.

34. *Vltimũ argumẽtum.*

Denique arguitur: etſi ad meritũ condignum prærequiratur ſtatus amicitiæ in ſubiecto merente, ad ſatisfactionem cõdignam talis ſtatus prærequiſitus neceſsario nõ eſt: ergo actus charitatis, ſeu perfectæ contritionis, prout præcedit gratiam iuſtificãtem, poteſt eſſe cõdigna ſatisfactio pro offenſa mortali: conſequentia tenet iuxta modum, quo noſtram concluſionẽ probauimus, nempè ex eo, quòd condigna ſatisfactio culpam mortalẽ remiſſam neceſsariò præſupponit. Antecedens autem probatur: etenim meritum congruum, quod imperfectum meritum eſt, ſtatum gratiæ in ſubiecto merente neceſsariò requirit: quo circa maior pars Thomiſtarum 1. 2. q. 114. negat homini in peccato mortali exiſtenti meritum congruum gratiæ iuſtificantis: & tamen ſatisfactio congrua, ſeu imperfecta ſtatum gratiæ in ſubiecto ſatisfaciẽte non poſtulat: ergo à merito ad ſatisfactionẽ efficax argumẽtum non fit, & conſequẽter, ex eo, quòd meritum condignum ſtatum amicitiæ, & mortalem culpã remiſſam ſupponat, perperam intulimus, ſatisfactionem condignam neceſsariò præſupponere ſtatum amicitiæ in ſubiecto, & culpam mortalẽ remiſſam. Minor, in qua eſt difficultas, probatur; vt enim in principio diſputationis ſuppoſuimus cũ cõmuni ſententia, peccator per actum contritionis, vt antecedit gratiam habitualem, ſatisfacit imperfectè pro culpa mortali propria; ſed cõtritio, vt antecedit gratiam habitualem, nõ ſupponit gratum ſubiectum, nec amicum Deo, cũ effectus iſtos præſtet gratia, vt eſt forma ſanctificans; actus autem contritionis pro illo priori nõ ſupponat gratiam vt iuſtificantem, ſed ad ſummum vt auxiliantem: ergo ſatisfactio congrua, ſiuè imperfecta, non prærequirit ſtatum amicitiæ in ſubiecto.

35. *Respondetur.* S. Tho. *S. Aug.* *Capreol.* S. Tho.

Hoc argumentum nihil difficultatis habet, si teneamus, hominē in peccato mortali existentem posse de cōgruo aliquid mereri à Deo: quæ sententia insinuatur à D. Thomā *in 2. sent. dist. 27. q. 1. art. 4. ad 4. argum.* Fundaturque in Augustino *lib. de spiritu, & littera c. 29. & c. 33. lib. 3. de Doctrin. Christian. in regulis Tyconij, epist. 89. & 90. epist. 105. & 106. de Prædestinatione Sanctorum cap. 3. & 7.* in quibus locis, & alijs Parēs Augustinus meritum fidei in peccatore respectu gratiæ remissiuæ peccatorū videtur cognoscere, illāque tenet Princeps Thomistarum Capreolus *in 4. sent. dist. 14. q. 2. art. 3. in solutione ad argumenta Henrici.* Quia tamen sententia opposita probabilis est, & inter Thomistas frequentior fundata in D. Thoma 1. 2. q. 114. *art. 5 & 7.* ideò ad argumentum factum hanc sententiam sustinendo respondeo, negādo antecedens, ad illius probationem, concessa maiori, nego minorem: ad cuius probationē dicatur, actum contritionis considerari posse, prout sequitur ad gratiā sub conceptu auxiliantis, & antecedit illam sub cōceptu iustificantis, sub quā consideratione, nec meretur de congruo gratiam iustificantem, nec pro offensa mortali adhuc imperfectè satisfacit: potest insuper considerari, prout sequitur ad gratiam vt dantem effectum positiuum participationis diuinæ naturæ, & effectum priuativū exclusionis mortalis culpæ à subiecto, vt est macula, & malum illius; antecedit tamen eamdem gratiam, vt excludentem peccatum sub ratione offensæ, & contritio sic considerata, & meretur de congruo remissionem offensæ, & pro illa in ratione offensæ imperfectè satisfacit; quia licet supponat gratiam vt dātem illos duos effectus, & cōsequēter supponat inchoatiuè gratum subiectum (quod sicut sufficit ad satisfactionem imperfectā, ita etiā sufficit ad meritum congruū, quod est imperfectum meritum) non tamen supponit gratiam habitualem, vt dantem vltimum effectum, nempè remissionis peccati, vt habet rationē offensæ: & ideirco potest mereri de congruo remissionem iniuriæ, & pro illa imperfectè satisfacere. Vide in omnibus æquiparamus meritum, & satisfactionem quoad hoc, quòd est supponere statum amicitiæ in subiecto, siquidem meritum condignum, & condigna satisfactio statum amicitiæ consummatum supponunt; meritū autem cōgruum, & satisfactio imperfecta amicitiam nō consummatam, sed inchoatam, quatenus supponunt gratiā, vt excludētē peccatū sub ratione maculæ, non autem sub ratione offensæ. Videatur Illustrissim⁹ Araujo vbi supra *num. 22. dicto 3.*, cui tamen non assentior quatenus inter satisfactionem, & meritum statuit discrimen quoad suppositionem status amicitiæ in subiecto, quod nullum esse, constat ex dictis in solutione argumenti. An autem disparitas aliqua inter meritū, & satisfactionem inueniatur quoad suppositionē remissionis offensæ disputatione seq. videbimus. *Araujo.*

36. *Replicabis.*

Sed contra solutionem oppones: nō stat, destrui per gratiam peccatum in ratione maculæ, quin etiā destruatur in ratione offensæ, & iniuriæ: ergo si actus cōtritionis supponit gratiam, vt destruentem maculam peccati, supponit etiam destructam, seu remissam offensam: consequentia videtur bona, antecedens autem probatur, nam ratio maculæ, vel est idem cum ratione offensæ, vel est fundamentum illius: ergo non stat, destrui peccatum sub ratione maculæ, quin destruatur sub ratione offensæ: destructo enim fundamento, & fundatum destrui est necessarium.

37. *Respondetur.*

Respondeo, distinguendo antecedens: quin etiam destruatur in eodē temporis instanti, cōcedo antecedēs: pro eodem priori naturæ, nego antecedens, & consequentiam, quia per hoc solum, quòd destructio offensæ sit posterior natura destructione maculæ, adest locus, vt contritio quatenus satisfactio subsequatur gratiam, vt destruentem maculam, & antecedat illam, vt remittentem offensam.

Nec obstat dictæ prioritati, & posteioritati identitas formiæ præstantis vtrumque, scilicet gratiæ, nam

etiam inter gratiam ſub conceptu auxiliantis, & eamdem ſub conceptu iuſtificantis datur identitas; & tamen prius concipitur gratia ſub conceptu auxiliantis, quam ſub conceptu formæ iuſtificantis, & contritio quatenus diſpoſitio ſubſequitur ad gratiam ſub conceptu auxiliantis, & illam antecedit ſub conceptu iuſtificantis.

Obiter tamen aduerto, inconſequenter loquutos doctos Recentiores ex noſtris, qui admittẽtes prioritatem, & poſterioritatem dictam inter gratiam, vt excludentem maculam, & remittentem offenſam, & actum contritionis, vt eſt ſatisfactio, inter vtrumque conceptum, vel munus mediare, illam poſtea negantes inter gratiam, vt auxiliantem, & vt iuſtificantem, & actum contritionis, quatenus diſpoſitio, aſſeruere, contritionem, vt vltimo diſponentem ad gratiam habitualem, non poſſe ab eadem gratia procedere; ſi namque ſatisfactio poteſt ſubſequi ad gratiam, vt excludentem maculam, & eamdem gratiã antecedere, vt remittentem offenſam, cur diſpoſitio vltima ad gratiam non poterit illam ſubſequi, quatenus auxiliantem, & eamdem vt iuſtificantem præcedere?

38. *Inſtabis.* Sed inſtabis: prius intelligitur in gratia remittere offenſam, quam expellere maculam: ergo contritio non poteſt ſubſequi ad gratiam vt expellẽtem maculam, & eamdem gratiam antecedere vt remittentem offenſam. Conſequentia eſt bona; antecedẽs autem oſtenditur primò: id primum per gratiam excluditur, quod prius eſt in peccato; ſed prior eſt in peccato ratio offenſæ, quam ratio maculæ; nõ enim ideo offendit peccatum Deum, quia maculat animam, ſed e contra ideo maculat animam, & nitore gratiæ illam priuat, quia Deum offendit: ergo prius intelligitur peccatum per gratiam excluſum ſub ratione offenſæ, quam ſub ratione maculæ. Secundò probatur: Deus namque intelligitur remittens peccatori offenſam, quatenus illum diligit volens ei gratiam habitualem; macula, verò expellitur per gratiam quatenus in nobis receptam; ſed prius intelligitur, Deum velle dare gratiam, quam gratiam in nobis recipi; nam Deum illam velle dare eſt cauſa, vt in nobis recipiatur, & conſequenter eſt prius: ergo per gratiam prius offenſa remittitur, quam per illam macula peccati excludatur.

39. *Reſpondetur.* Reſpondeo, negando antecedens, ad primam probationem quidquid ſit de veritate minoris, nego maiorem; multi enim eſſentiã peccati habitualis cõſtituunt in aliquo poſitiuo, vel phyſico, vel morali exiſtẽte in voluntate, vt in ſubiecto immediato, & cõſequẽter tale poſitiuũ prius eſt in peccato, quam ratio maculæ, quæ eſt aliquid ſubſecutum ad eſſentiam peccati immediatè in anima reſidens, & in priuatione nitoris gratiæ conſiſtens; & tamen per gratiam habitualem non prius expellitur poſitiuum illud, quã macula, ſed prius macula excluditur, cum qua gratia habitualis immediatiorem habet oppoſitionem. In ſubiecto etiam ignito prior eſt eſſentia ignis, quam calor vt octo, qui eſt ignis proprietas; & tamen prius prioritate à quo calor, vt octo deſtruitur, quam forma ignis deſtruatur, ac proindè ex eo, quòd admittamus, rationẽ offenſæ priorem eſſe in peccato habituali, quã ratio maculæ, non ſequitur, prius per gratiam offenſam remitti, quam macula à ſubiecto excludatur. Ad ſecundam probationem diſtinguo maiorem: ita vt gratia offenſam remittat, prout eſt à Deo tanquam ab efficiente, nego maiorem: prout eſt à Deo in nobis recepta, concedo maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam; gratia namque non excludit offenſam per immediatam oppoſitionem cum illa, ſed per mediatam: vndè deſtruit rationem offenſæ, quia deſtruit rationem maculæ, cui immediatius opponitur, & quia hãc deſtruit vt recepta in anima, etiam offenſam deſtruit, vt in anima recepta, prius expulſa ratione maculæ, cum qua immediatiorem habet oppoſitionem: & quidem ſi hæc probatio aliquid ſuaderet, conuinceret, peccatum ſub ratione offenſæ deſtrui de facto formaliter, nõ per gratiam habitualem; ſed

per

per voluntatem extrinsecam Dei, qua vult peccatori gratiam, cum prius sit, Deum velle peccatori infundere gratiam, quam quòd gratia recipiatur in illo.

§. VI.

Quid sit de peccato aliena dicendum.

40. *Secũda cõclusio.*

SECVNDA CONCLVSIO. Nulla pura creatura potest cõdignè, & ad æqualitatem satisfacere pro culpa mortali aliena. Ita Auctores omnes pro prima conclusione relati, excepto Suarez. Tenent etiam præiactam conclusionem Alexander 3. *part. quæst.* 1. *membro* 6. *art.* 1. Bonauẽtura *in* 2. *sent. dist.* 20. *quæst.* 3. Durandus *quæst.* 2. & communiter Theologi Recentiores cum Angelico Præceptore in præsenti. Quæ probari solet argumentis secũdo, tertio, & quarto præcedenti conclusione reiectis: vndè suadenda est primò auctoritate Patrum ex insufficientia puræ creaturæ ad satisfaciendum condignè pro peccato humani generis inferentium ad hunc finem necessitatem incarnationis. Ita ex Græcis Athanasius in Euãgelium de Passione, & Cruce Domini. Basilius in illud *Psalmi* 28. *redimit homo.* Cyrillus *epistol.* 1. *de Incarnatione Verbi*, quæ habetur *tom.* 6. *Concilij Ephesini cap.* 17. Proclus *in homilia de Christi Natiuitate*, quæ est in eodem tomo Cõcilij Ephesini *cap.* 7. Ex Latinis Cyprianus *serm. de Passione Christi*, non longè à medio. Leo Papa Primus *sermone* 1. *de Natiuitate.* Hyrenæus *lib.* 3. *aduersus hæreses cap.* 20. Fulgentius *libro de Incarnatione, & Gratia Domini nostri cap.* 4. Quorum verba refert, & benè ad nostrum intentum expendit Pater Vazquez in præsenti *disput.* 4. *cap.* 3.

Alex.

Bonau. Durãd.

Proba-tur primò au-ctoritate Sãctorũ PP.

Basil. Cyrill.

Proclus

Cypr. Leo P.

Hyren. Fulgen.

Vazq.

41. *Secundo*

Deindè probatur ratione huic, & præcedenti conclusioni cõmani; etenim satisfactio condigna adæquari debet cum grauitate offensæ in morali æstimatione, cum per hoc distinguatur à satisfactione imperfecta, sicut meritum condignum distinguitur à merito congruo per æqualitatem in morali æstimatione cum præmio, quæ merito congruo non competit, benè tamen merito cõdigno; sed nullus actus hominis iusti quantacumq; gratia exornati potest adæquare in valore, & morali æstimatione grauitatem offensæ mortalis, siuè propria sit, siuè aliena: ergo nulla pura creatura potest pro offensa mortali cõdignam offerre satisfactionem. Consecutio cũ maiori tenet: minor autem probatur: satisfactio cuiuscumque creaturæ est valoris, & æstimabilitatis finitæ; sed grauitas offensæ mortalis est infinita simpliciter, vt disputatione præcedenti monstrauimus: ergo nullus actus puræ creaturæ possibilis potest adæquare in valore, & æstimatione morali grauitatem offensæ mortalis. Et augetur difficultas primò: nam leue obsequium nequit esse satisfactio condigna, & æqualis pro iniuria, & offensa graui; sed omnis actus puræ creaturæ possibilis est leue obsequium comparatum ad Deum; peccatum autem mortale est grauis offensa illius: ergo nullus actus puræ creaturæ esse potest cõdigna satisfactio pro offensa mortali.

probatur ratione.

Cõfirmatur primo.

Explicatur, & vrgetur secundo: nulla offensa irrogata creaturæ potest in ratione offensæ adæquare grauitatem offensæ diuinæ propter infinitam distantiam inter Deum, & creaturam repertam; sed inter personam satisfacientem creatam, & maiestatem diuinam offensam intercedit distantia infinita: ergo nullus actus satisfactorius præstitus à pura creatura potest adæquare in valore, & morali æstimatione grauitatem offensæ diuinæ. Explicatur, & vrgetur tertiò: nullius puræ creaturæ satisfactio potest adæquare in valore, & morali æstimatione satisfactionem præstitam ab homine Deo, quia inter puram creaturam, & Deum hominem est infinita distantia: ergo propter infinitam distantiam inter personam creatam,

Cõfirmatur secũdo.

Tertiò.

aut

aut creabilem satisfacientem, & maiestatem diuinam per peccatum grauiter offensam, nullius creaturæ possibilis satisfactio adæquare poterit in valore, & morali æstimatione grauitatem offensæ diuinæ.

42. *Tertio probatur contra Patrè Suarium.* Tertio probatur ad hominem cõtra Suarez, qui, vt vidimus conclusione præcedenti, ex eo quòd offensa cõtra Deum commissa est superioris ordinis ad omnem satisfactionem possibilem puræ creaturæ, & ex infinita distantia inter Deum per peccatum offensum, & creaturam satisfacientem, infert, non posse puram creaturam, aut creatam, aut creabilem pro peccato mortali proprio satisfacere condignè: at hæc ratio pari efficacia militat respectu peccati alieni, ac in ordine ad proprium peccatum, cum etiam peccatum mortale alienum in ratione offensæ superioris ordinis sit ad omnem satisfactionem puræ creaturæ possibilem, & æqualis distantia inter puram creaturam satisfacientem, & maiestatẽ diuinam offensam intercedat: ergo, vt consequenter loquatur, fateri tenetur, non posse puram creaturam existentem, vel possibilem pro culpa mortali aliena satisfacere condignè.

43. *Euasio.* Dices, conuinci hoc argumento satisfactionem nullius creaturæ possibilis esse perfectè cõdignam pro offensa mortali alterius, non autẽ quòd non sit quasi condigna, eo quòd à persona per gratiam adoptionis dignificata procedit, quod non habet satisfactio, qua homo satisfacit pro offensa mortali propria, quæ nõ supponit statum amicitiæ in subiecto, nec gratiam habitualem subiectum dignificãtem; auctor autem contrarius non primã condignitatem, sed secundam concedit satisfactioni, qua vnus homo potest satisfacere pro culpa mortali alterius, vt constat ex ipso, vbi infra *conclusione* 1. & 2.

44. *Præcluditur primò.* Sed contra hanc solutionem obstat primò; nam satisfactio vnius hominis pro culpa mortali alterius, vel dicitur non perfectè condigna, solum quia deficit à rigore iustitiæ, vel quia non adæquat in æstimatione morali grauitatem offensæ mortalis alienæ: non primum, quia, vt ipse fatetur in principio disputationis, in hoc nõ est aliqua controuersia inter Theologos; si autem dicatur secundum: ergo non est apellanda satisfactio condigna, sed congrua, esto gaudeat aliqua maiori congruitate, quam illa, qua homo satisfacit pro culpa mortali propria; quare nõ impericrò contradictionis, & inconsequentiæ à pluribus notatur Suarez, cum ex vna parte asserat, satisfactionem vnius hominis pro culpa mortali alterius esse satisfactionẽ condignam, & ex alia doceat, non esse satisfactionem æqualem. Consequentia patet primò, nam satisfactio condigna pro eadẽ vsurpatur à Theologis, atque satisfactio æqualis, sicut meritum cõdignũ id est, quod cũ præmio in morali æstimatione adæquatur. Secundò, nam gratia, quæ in subiecto præsupponitur, esto illud in ordine ad gloriam dignificet, non tamẽ potest satisfactionem condignam cõstituere, nisi illam cum offensa adæquando, sicut nec constitueret meritum cõdignum gloriæ, nisi illud cum gloria adæquaret in morali æstimatione; sed, vt fatetur Suarez, gratia in subiecto supposita non adæquat satisfactionem in morali æstimatione cum offensa mortali aliena: ergo nec constituit satisfactionem condignam, sed solum imperfectam, & congruam.

45. *Secũdò.* Obstat secundò, quòd Suarez ad satisfactionem istam condignam statuendam in vno homine pro culpa mortali alterius exindè mouetur, quòd si primus parens potuit à Deo constitui caput morale totius posteritatis eo pacto, vt, ipso peccante, condignè illius posteri priuarentur iustitia originali, cur etiam non potuit constitui caput morale posteritatis in ordine ad meritum, ita vt posteris gratiam iustificationis, & consequenter remissionem culpæ condignè mereretur? At hoc argumentum, vel nihil conuincit, vel probat, posse hominem constitutum caput cæterorum condignitate, & æqualitate perfecta gratiæ habitualis infusionem illis mereri, & condignè perfectè satisfacere

pro

pro culpa mortali illorum: ergo vel tenetur satisfactionem illam veluti condignam pro peccatis aliorum negare, vel satisfactionem perfectè condignam, & æqualem fateri pro culpa mortali aliena. Prob. minor. Adamus constitutus caput posteritatis non imperfectè, sed perfectè de condigno demeruit posteris priuationem iustitiæ originalis: ergo si ex demerito priuationis iustitiæ pro alijs efficaci illatione colligitur possibilitas meriti condigni iustitiæ alijs conferendæ, & satisfactionis condignæ pro culpa mortali aliena, debet colligi possibilitas satisfactionis pro alijs perfectè condignæ, & non solum veluti condignæ.

46. *Tertiò.* Denique obstat; nam iuxta istum Auctorem maior condignitas est in satisfactione possibili puræ creaturæ pro culpa originali, quam in satisfactione hominis peccatoris pro suo peccato mortali: at iuxta D. Thomã oppositum est asserẽdum: ergo istius Auctoris positio menti Diui Thomæ aduersatur. Probo minorem ex Diuo Thoma S. Tho. *in 4. sent. dist. 15. quæst. 1. art. 2. ad vltim.* vbi, cũ sibi obiecisset, quòd peccatum actuale est grauius originali, pro hoc autem nullus, nisi homo Deus satisfacere potuit, & consequẽter, nec pro actuali, in hunc modum respondet: *Ad quintum dicẽdum, quòd etsi originale peccatum, minus habeat de ratione peccati, quam actuale; tamen est grauius, quia est ipsius humanæ naturæ infectio, ideò per vnius hominis puri satisfactionem expiari non potuit, sicut actuale*: ergo ex mente Diui Thomæ maior condignitas in satisfactione hominis pro peccato proprio inuenitur, quam reperiatur, vel reperiri possit in satisfactione hominis puri pro culpa originali, & non è conuerso, vt contendit Suarez.

§. VII.

Contraria sententia cum suis fundamentis proponitur.

CONTRARIVM nostræ conclusionis tenet Suarez *disp. 4. citat. sect. 7.* pro illa plures referens, quos tamẽ Vazquez ad oppositam trahit sentẽtiam. Eam tenet Granados *controuers. 1. de Incarnation. tract. 2. disput. 1. sect. 3.* sine discrimine affirmans, posse de potentia absoluta vnũ hominem caput morale aliorũ constitutũ quoad influxum interiorẽ gratiæ, sibi, & alijs condignè mereri gratiam remissiuã peccati, & consequenter condignè pro peccato mortali proprio, vel alieno satisfacere; negat autem posse pro illo æquiualentem offerre satisfactionem, quod an consequenter dubito, cum condigna satisfactio idem sit, quòd satisfactio æquiualens offensæ in morali æstimatione? Argumenta quibus præfati Auctores ad suam sententiam mouentur, sumuntur, ex eo quòd purus homo potest aliorum caput in ordine gratiæ constitui, illisque gratiam remissiuam peccati merito condigno mereri: ergo etiam potest pro alijs satisfacere condignè. Cuius consequentiæ vim examinabimus infra contra tertiam conclusionem arguentes. Modò contra nostrã conclusionem arguitur primò fundamento insinuato à Suarez: etenim satisfactio puri hominis pro culpa mortali propria ex eo deficit à ratione condignæ satisfactionis, quia non est à subiecto iustificato per gratiam, & consequenter ab illo non potest dignitatem accipere: at satisfactio vnius hominis pro alio est à subiecto grato, & dignificato per gratiã: ergo potest esse condigna satisfactio pro culpa

47. *Suarez Vazq. Granados.*

Arguitur primo.

Respon-detur.

mortali aliena. Respondeo distinguēdo maiorem: ly ex eo dicente causam sufficientem, concedo maiorem, causam necessariam, & vnicam negationis condignitatis in satisfactione pro culpa mortali propria, nego maiorē, & concessa minori, nego consequentiam; nam licet ad deficiendum à ratione condignæ satisfactionis sit causa sufficiens defectus gratiæ, & amicitiæ diuinæ in subiecto satisfaciēte pro suo peccato mortali, non tamen est causa vnica, & adæquata deficiendi à cōdignitate, nam esto præsupponatur status amicitiæ, & gratia habitualis iustificans in subiecto satisfaciente, quia dignitas, & valor gratiæ non adæquat grauitatem offensæ mortalis, stat sufficiēs ratio, vt homini gratioso, & dignificato per gratiā negetur sufficiēs virtus ad condignè satisfaciēdū pro illa.

48. *Replicabis.*

Dices: respectu peccati proprij non est in satisfactione valor desumptus ex gratia habituali, & ex amicitia diuina, benè verò respectu peccati alieni: ergo aliqua maior condignitas reperitur in satisfactione puri hominis pro culpa mortali aliena, quam in satisfactione pro culpa mortali propria, quod & nihil amplius intendere videtur Suarez. Respondeo, concesso antecedenti, negando suppositum consequentis; cum namque valor desumptus ex gratia habituali iustificante, & statu amicitiæ cum Deo non sit condignus respectu offensæ mortalis, vtpotè non illi æqualis, consequens sit, quòd ratione istius valoris nulla sit condignitas in satisfactione vnius hominis pro culpa mortali alterius; ac proindè nequeat esse maior condignitas, quam in satisfactione hominis pro culpa mortali propria; comparativum namque absolutam contientiam formæ, in qua cōparatio fit extremis comparationis necessariò præsupponit, sed ad summum potest ex antecedenti colligi aliqua maior congruitas, cum defectu verò æqualitatis proportionis, quæ in satisfactione pro peccato proprio inuenitur; non autē in satisfactione puri hominis pro peccato originali, vt ex D. Thoma iam vidimus.

Respōdetur.

Secundò argui potest: ratio namque probatiua nostræ conclusionis desumitur ex grauitate offensæ mortalis, quam satisfactio puræ creaturæ adæquare non potest in morali æstimatione; at hæc ratio non conuinceret de omni peccato mortali possibili: ergo fatum pro aliquo mortali peccato poterit homo purus satisfacere condignè, & consequenter nostra cōclusio non est vniuersaliter vera. Probatur minor: est possibile peccatū mortale commissum cum ignorantia inuincibili, quòd Deus grauiter, imò & quòd vllo modo offendatur per illud, cum in tali ignorantia nulla repugnantia inueniatur; sed tale peccatum infinitæ grauitatis in ratione offensæ non erit, cum nec sit offensa Dei, vtpotè ad quam exigitur voluntariè Deo irrogari; cum tali autem ignorantia offensa Dei voluntaria non esset: ergo pro illo peccato poterit esse condigna satisfactio à pura creatura exhibita, & cōsequenter ratio nostram cōclusionem probans non conuincit impotētiam puræ creaturæ ad satisfaciendum condignè pro omni peccato mortali.

49. *Secūdo arguitur.*

Respondeo, negādo minorem, ad probationem dicatur, casum esse implicatorium; nam esto admittamus, posse ab aliquo committi peccatum aduertendo ad legis prohibitionem, quin sit Dei offensa ob ignorantiam inuincibilem, quòd Deus offendatur per illud, de quo agitur 1. 2. *quæst* 71. *art.* 6. in eo tamen casu non erit peccatum mortale, nec veniale, hoc enim à primo non differt specificè ex terminis, cum plura dentur peccata venialia ex obiecto, quæ conueniunt in malitia specifica cum peccatis mortalibus, quæ erga idem obiectum versantur, & peccata venialia ex inaduertentia cum mortalibus deliberatè commissis erga idem obiectum conuenientiam specificam habent. Differt ergo peccatum veniale à mortali ex parte auersionis à Deo, ratione cuius peccans mortaliter Deum postponit creaturæ, & creaturam præfert Deo, illiusque amicitiam contemnit: ex quo prouenit, quòd mortem ani-

50. *R. spōdetur primò.*

mæ, infert destruendo amicitiam diuinam, & gratiam habitualem; per quam anima spiritualitèr viuit radicalitèr in ordine supernaturali: est autem omninò impossibile, hæc omnia in peccato reperiri cum ignorantia inuincibili offensionis diuinæ; ac proindè omninò implicans videtur in terminis, peccatum esse mortale, & cum prædicta ignorantia committi.

§ 1. *Secundò.*

Admissa autem facta hypotesi, quamuis impossibili, duplicitèr respondetur à Theologis: primò admittendo, pro tali peccato posse à puro homine condignam satisfactionem exhiberi: vndè conclusionem nostram, communemque sententiam limitandam existimant ad peccata mortalia contra Deum commissa, cum aduertentia, vel sinè ignorantia vincibili, quòd Deus per illa offendatur. Ita Puente Hurtado *tom. 1. in 3. par. disp. 10. sect. 4. sub sectione 2. §. 42.* Aliorum solutio est pro tali peccato mortali, nec condignam, & æqualem, nec congruam, & imperfectam posse offerri satisfactionem, eo quòd satisfactio in quantum talis respicit iniuriã illatam, tenditque ad illius destructionem: cum autem peccatum illud offensa Dei non sit in suppositione admissa, consequens sit, vt pro illo satisfieri nullatenus possit. Iuxta quam doctrinam ad argumentum factum respondeo, distinguendo minorẽ: non conuincit de omni peccato mortali, quod satisfactibile sit, & materia satisfactionis, nego minorem: quòd nõ sit satisfactibile, nec satisfactionis materia, concedo minorem, & nego cõsequentiam; peccatum namque mortale in suppositione facta commissum satisfactionis materia non est; ac proindè nihil mirum, quod de illo ratio pro conclusione facta non probet, cum de illo non procedat.

Puente Hurtado. Tertiò.

§. VIII.

De merito gratiæ aliorum etiam remissiuæ peccati.

§ 2. *Tertia cõclusio*

TERTIA CONCLVSIO. Potest de potentia absoluta homo purus constitui aliorum caput in ordine gratiæ, & illis mereri condignè gratiam iustificantem, & mundantem à peccato mortali. Ita Auctores præcedenti conclusione relati pro contraria sententia: tenent etiam eandem conclusionem ex Thomistis Recentioribus Illustrissimus Arauio *1. 2. quæst. 114. art. 6. in solutionib⁹ argumentor.* se referẽs ad illa, quæ fusiùs docuerat *3. p. quæst. 1. art. 2. dub. 3. & q. 8. art. 6. dub. vnic.* Marcus de la Serra *1. 2. q. 114. circa art. 6.* Et Magister Sancto Thoma *2. tom. in 1. 2. disput. 31. art. 2. & in præsenti q. 1. disput. 1. art. 2. in solutione ad 6. argum.* pro illa referens Magistrum Sotum, Vegam, Gabrielem, Durandum, Scotum, & Lorcam in præsenti *disput. 6.* Et ostẽditur primo ex D. Thoma infra *quæst. 64. art. 4. in corpore*, vbi distinguens duplicem potestatem in Christo auctoritatis, nempè conuenientem illi secũdum quod Deus, & excellentiæ, quæ Christo cõuenit secundum quod homo, negansque primam posse communicari puræ creaturæ, de secunda loquens sic ait: *Et talem potestatem potuit ministris communicare, dando, scilicèt eis tantam gratiæ plenitudinem, vt eorum meritum operaretur ad Sacramentorum effectus, & cætera.* Ex quibus verbis tale argumentum pro nostra conclusione conficitur: D. Thomas concedit, potuisse Deum cõmunicare ministris Ecclesiæ potestatem excellentiæ, quæ Christo, vt homini cõuenit, ita vt mererentur hominibus effectus

Araujo.

Serra. M.S.T.

Probatur primò auctoritate D. T.

S. Tho.

Sacra-

Sacramentorum, inter quos præcipuus eſt gratia remiſsiua peccati mortalis; ſed non loquitur D. Thomas de merito congruo, ſed de merito condigno: ergo homo purus valet de potentia abſoluta alijs condignè mereri gratiam iuſtificantem, & à mortali culpa mundantem. Minor, in quâ eſt difficultas, oſtenditur primò: ad promerendum de congruo alijs gratiam remiſsiuam peccati tanta gratiæ plenitudo neceſsaria non eſt, cum multi de facto gratiam remiſsiuam alijs de congruo meruerint abſque eâ gratiæ plenitudine; ſed ad meritum de poſsibili admiſsum, ad magnam plenitudinẽ gratiæ nulli de facto conceſsam recurrit Angelicus Doctor: ergo explicari non poteſt, quòd loquatur de merito congruo, ſed de merito condigno eſt neceſsariò accipiẽdus. Secundò, nam loquitur D. Thom. de merito gratiæ aliorum nulli de facto conceſſo; ſed meritum congruum effectuum Sacramentorum, & gratiæ remiſsiuæ peccati non ſolum huic, vel illi homini in particulari, ſed omnibus generaliter fuit de facto puræ creaturæ conceſsum, nempè Beatiſsimæ Virgini, vt plures Theologi docent, & matris decet dignitatem: ergo non de merito congruo, ſed de merito condigno loquitur Angelicus Doctor. Denique eadem minor probatur; nam Chriſtus Dominus ratione poteſtatis excellentiæ condignè hominibus meruit gratiam remiſsiuam peccati; ſed hæc poteſtas potuit iuxta D. Thomam puræ creaturæ competere: ergo in caſu de potentia abſoluta poteſt homo purus condignè alijs promereri gratiam iuſtificantem, & mundantem à peccato mortali.

53. *Reſpondebis.* Dices, poteſtatem excellentiæ Chriſti communicari poſſe puræ creaturæ de potentia abſoluta ſecundum conuenientiam analogam, non autẽ ſecundum cõuenientiam vniuocam, & ad primum modum conuenientiæ ſufficit, quòd homo purus alijs de congruo mereatur, vel mereri poſsit Sacramentorum effectus. Sed contra, nam ſecundum conuenientiam analogam, etiam poteſtas auctoritatis Chriſto competens, vt eſt Deus, potuit puro homini communicari; etenim poteſtas excellentiæ cum poteſtate auctoritatis Chriſti analogicè conuenit, & conſequenter poteſtate excellentiæ communicata, poteſtas auctoritatis communicaretur ſecundum conuenientiam analogam; ſed concedit D. Thomas, poteſtatem excellentiæ eſſe communicabilem puræ creaturæ, & negat, eſſe illi communicabilem poteſtatem auctoritatis: ergo loquitur de communicatione poteſtatis excellẽtiæ poſsibili puræ creaturæ, non ſecundum conuenientiam analogam, ſed ſecundum conuenientiam vniuocam. Scio, huic argumento poſſe aliqualiter occurri: cæterum cum in D. Thoma aliquam auctoritatem pro oppoſita ſententia non videam, quæ faciliorem ſolutionem nõ habeat, nec vnquam ſe loqui de potentia abſoluta, vel leuiter inſinuauerit; idcircò noſtram concluſionem, vt de illius mente defenſandam exiſtimo.

Contrà.

54. *Secundo probatur ratione.* Quam probo ſecundò hac ratione; potuit enim Deus cum homine puro paciſci, vt pro illius merito condigno augmẽti gratiæ, & gloriæ, aliàs ipſi merenti conferendi, non hoc augmentum, ſed prima gratia iuſtificans homini exiſtenti in peccato mortali infundatur; in hoc enim pacto nulla repugnantia inuenitur; ſed, tali pacto ſuppoſito, meritum iſtius hominis eſſet condignum gratiæ remittentis alterius peccatum, illudque à ſubiecto expellentis: ergo in caſu de potentia abſoluta poteſt vnus homo alteri cõdignè mereri gratiam iuſtificantem, & à peccato mortali mundantẽ. Minor, cui ineſt difficultas, probatur: gratia conferenda extraneo ſubiecto, nõ excedit augmentum gratiæ, & gloriæ conferendum ſubiecto merenti, niſi pactum intercederet; ſed meritum huius hominis eſſet æquale augmento gratiæ, & gloriæ ipſi conferendo in morali æſtimatione: ergo etiam adæquaret in æſtimatione morali primã gratiam conferendam extraneo ſubiecto, & conſequenter illam mereretur condignè.

Reſ-

55. *Prima solutio.*

Respondebis primò, actum vnius hominis dignificatum per gratiam, & si in esse entis tantam habeat æqualitatem cum gratia alteri conferenda, ac haber cum augmento propriæ gratiæ, in ratione tamen causæ, & effectus non ita adæquatur, nec proportionatur cum gratia alijs conferenda, atque cum augmento gratiæ conferendo subiecto merēti; continet enim in genere causæ efficientis principalis moralis augmentum gratiæ conferendum subiecto merenti; non tamen primam gratiam conferendam alijs, eo quòd cum gratia habitualis dignificet opera meritoria ratione virtualis continentiæ gloriæ per modum seminis, & solum sit semen respectu gloriæ conferendæ proprio subiecto, solum in ordine ad illam, & ad ea, quæ ad ipsam ordinātur, potest opera dignificare: & quia gratia conferēda alijs ad gloriam merentis non ordinatur, benè tamen augmentum gratiæ subiecti, in quo est, fit consequens, vt hoc augmentum contineat in genere causæ moralis; secus verò gratiam, vel augmentum gratiæ conferendum alijs.

56. *Reijcitur primò.*

Sed contra primò; nam esto gratia habitualis physicè solum seminet fructus in subiecto proprio; nulla tamē ratio est, cur moraliter etiam subiecto extraneo seminare non possit: ergo solutio tradita est voluntaria.

Secūdò.

Deindè, nam etiam gratia vnionis in Christo est semen gloriæ, cum detius, etsi non primum ad illam; & tamen potest dignificare merita Christi in ordine ad præmium alijs conferendum: ergo, quamvis gratia habitualis semen sit gloriæ, poterit dignificare merita puri hominis in ordine ad præmium conferendum extraneo subiecto. Nec respondere sufficit, gratiam vnionis, per quam dignificantur merita Christi, esse in genere morali infinitam, ideoque posse dignificare opera Christi Domini, non solum in ordine ad præmium ipsi conferendum, sed etiam in ordine ad præmium conferendum alijs: gratia autem habitualis finita est, & ideo eius vis dignificatiua limitatur ad proprium subiectū.

Euasio quædā præcluditur.

Non, inquam, sufficit; nam in contrarium obstat, ex limitatione gratiæ habitualis tantum inferri, quòd nequeat dignificare merita in ordine ad infinitum præmium, non autem quòd illa dignificare non possit respectu præmij finiti; sed gratia alijs conferenda præmium infinitū nō est. ergo, quamuis gratia habitualis finita sit, dignificare poterit merita puri hominis in ordine ad gratiam conferendam alijs.

Tertiò Reijcitur solutio.

Præterea, nam vt actus vnius hominis contineat in genere causæ moralis præmium alijs conferendum, solum exigitur, vt tanti æstimetur, quanti habetur præmium conferendum alijs, &, pacto præsuppositio, ad illud promerendum ordinetur; sed totum hoc in prædicto casu saluatur: ergo adest æqualitas non solum in esse entis, sed etiam in ratione causæ, & effectus moralis.

Quartò.

Denique, nam si ideò non potest vnus homo alijs condignè mereri gratiam iustificātem, & mundantem à peccato mortali, quia gratia, vtpotè semen gloriæ est proprio subiecto alligata, nedū in genere causæ formalis, sed etiam in genere causæ efficiētis moralis, & in genere causæ significantis merita, sequitur, non posse vnum hominem alteri condignè mereri remissionem peccati venialis, aut gratiam illud remittētem, nec pro peccato veniali alterius satisfacere condignè: consequens communi sententiæ aduersatur: ergo solutio tradita est nulla.

57. *Secūda solutio.*

Respondebis secundo, actum meritorium puri hominis dignificatum per gratiam, etsi adæquetur in morali æstimatione cum prima gratia iustificante conferenda subiecto non existenti in peccato mortali, nec in statu inimicitiæ diuinæ, non autem posse adæquari cum gratia conferenda homini in peccato mortali existenti, & in statu inimicitiæ cum Deo; nā cum maius beneficium sit gratiam inimico conferre, quam illam non inimico dare, consequens sit, quòd licet actus a puro homine elicitus informatus gratia adoptionis sit condignè meritorius primæ gratiæ in subiecto non inimico; non tamen sit condignum

meri-

meritum primæ gratiæ conferendæ homini existenti in peccato, & in statu inimicitiæ diuinæ.

58. *Rejicitur primò.*

Sed contra primò; nam esto gratiam inimico conferre maius beneficium sit, quam illam dare subiecto nõ inimico, non tamẽ est beneficium infinitè maius, sed finitum beneficium est, nec gratia expellens peccatum est in genere morali infinita: ergo poterunt actus à puro homine eliciti informati gratia adoptionis adeò in dignitate crescere, vt adæquent in morali æstimatione, & cõsequenter de condigno mereantur primam gratiam conferendam homini existenti in peccato, & in statu inimicitiæ cum Deo.

Secũdò.

Secundò, nam vt gratia habitualis expellat peccatũ mortale per modum formæ incompossibilis in eodẽ subiecto cum ipso, infinitas vires non petit: ergo vt actus aliquis sit condignum meritum gratiæ expellentis peccatum, non oportet, vel non est necessarium, quòd sit in genere morali infinitus, & consequentèr actus à pura creatura elicitus informatus gratia adoptionis poterit condignè mereri primam gratiam conferendam subiecto in peccato mortali existenti, & in statu inimicitiæ diuinæ. Et ex his sumitur ratio à priori pro nostra sententia; nam omne id, quod contradictionem non implicat, concedendum est omnipotentiæ Dei; sed purum hominem condignè alijs promereri gratiam remissiuam peccati mortalis, nullam contradictionem involuit, vt constat ex dictis, ampliusque ex argumentorum solutione constabit; ergo potest fieri de potentia absoluta, vt homo purus alijs condignè mereatur gratiam habitualem remissiuam peccati, illudque remittentem de facto.

***

****
****
******
****
**

§. IX.

Contraria sententia cum suis fundamentis proponitur.

59. *Vazq. Cornejo. Gregor. Martinez.*

OPPOSITAM nostræ conclusioni sententiam tenet Vazquez *tom.* 1. *in* 3. *p. disp.* 4. *c.* 5. Illam sequuntur Cornejo *disp.* 4. *dub.* 1. Gregorius Martinez 1. 2. *q.* 114. *art.* 6. & frequentius alij Recentiores Thomistæ. Pro qua arguitur primò ex Pontifice Adriano Primo in epistola ad Episcopos Hispaniæ *colum.* 4. vbi de Christo loquens sic ait: *Sicut peccata non tolleret, si ipse peccata haberet, ita adoptionis gratiam nobis non tribueret, si ipse propter hominem, quem assumpsit sine sorde peccati, necessariam habuerit, vt gratiam adoptionis acciperet.* Ergo ex mente Pontificis indigens gratia adoptionis, non potest alijs gratiam adoptionis conferre, illam condignè merendo; sed omnis pura creatura adoptionis gratia indiget: ergo nulla pura creatura potest alijs huiusce modi gratiam merito condigno mereri.

Contra nostram cõclusionẽ arguitur primò.

Adrian. Papa.

Cõfirmatur.

Confirmatur: sicut peccatum habens non potest peccatum tollere cõdignè pro illo satisfaciẽdo, ita ex mẽte Adriani indigens gratia adoptionis non potest gratiam adoptionis dare condignè illam promerendo; sed habens peccatum, nec de potentia absoluta, potest tollere peccatum condigna satisfactione: ergo indigens gratia adoptionis (quæ indigentia omni puræ creaturæ est communis) non potest, etiam de potentia absoluta, gratiam adoptionis merito condigno dare, ac per consequens nulla pura creatura potest alijs merito condigno gratiam iustificantem mereri.

60. *Solutio argumẽti.*

Respondeo, gratiam adoptionis dupliciter posse alijs dari: primò per obsequia adæquantia, aut excedentia,

tia grauitatē offensæ mortalis per gratiam adoptionis tollendæ: secundò per opera adæquantia in morali æstimatione ipsam gratiā adoptionis, & ad illam promerēdam ordinata, quæ quia incompossibilis est ab intrinseco cū peccato mortali, illam merens ex cōsequenti peccati mortalis expulsionē meretur: primo modo nobis cōtulit gratiam adoptionis Christus, & tali modo illā non posset cōferre, si gratia adoptionis egeret. Ex quo tantū sequitur, indigentem gratia adoptionis, & consequenter purā creaturam non posse illam dare per viam condignæ satisfactionis, qualiter à Christo est data, quòd libenter fatemur, & cōclusione secunda, cum cōmuni sentētia docuimus, & ita est accipiendus Adrianus. Non autē non posse de potentia absoluta purā creaturam indigētem gratia adoptionis illā dare via meriti condigni nō adæquantis offensam, sed terminum cum offensa incompossibilem, nempè gratiam iustificantem, & mundantem à peccato mortali: quæ distinctio, & doctrina amplius ex dicendis constabit, ex quibus ad confirmationem constat solutio.

61. *Secundi argumentum.*

Secundò arguitur: meritum condignum gratiæ remissiuæ peccati, nō potest homini puro ex proprijs viribus conuenire, sed si illi conuenit, debet esse ex viribus gratiæ, & ex dignitate à gratia habituali desumpta; sed nulla gratia puræ creaturæ possibilis dignificare potest in ordine ad præmiū conferendū alijs, sed solum in ordine ad præmiū proprio conferendū subiecto: ergo nullus actus puræ creaturæ possibilis potest cōdignè mereri gratiā conferendā alijs. Minorē, in qua est difficultas, probat Vazquez vbi supra in hunc modū: omnis gratia adoptionis possibilis est eiusdē rationis cum gratia, quæ datur de facto; sed gratia adoptionis, quæ de facto datur, non est principiū merendi alijs, sed tantu proprio subiecto, aliàs Beatissima Virgo hominibus meruisset cōdignè gratiā remissiuā peccati: ergo nulla gratia puræ creaturæ possibilis esse potest principiū merendi alijs, sed solū proprio subiecto. Secundò probatur ab alijs: gratia nāque habitualis dignificat opera meritoria in genere causæ formalis; sed quia subiectū propriū in genere causæ formalis sanctificat, non potest aliud à proprio subiecto sanctificare: ergo quia præstat valorem meritoriū operibus in genere causæ formalis, non potest illa valorare, vt sint merita condigna alteri, quam proprio subiecto. *Secundò.*

62. *Tertiò.*

Tertiò ab alijs sic probatur: implicat enim, quòd vnū, & idem opus sit meritoriū condignè duplicis præmij eiusdē rationis, cū ad æqualitatē vno ex illis illius dignitas cōpensetur; sed omne opus puræ creaturæ possibile valoratū gratia adoptionis est condignè meritoriū augmenti gratiæ, & gloriæ conferēdi proprio subiecto, illoq; eius condignitas sufficienter cōpensatur: ergo non potest ita per gratiam adoptionis valorari, vt sit cōdignum meritū gratiæ cōferēdæ alijs. Quartò alij sic probant: nā præmiū alijs conferri est quid maius in morali æstimatione, quam conferri subiecto merenti; sed opus puræ creaturæ valoratum gratia adoptionis adæquatur cū augmento gratiæ, & gloriæ conferendo subiecto merenti: ergo adæquare non potest gratiam alijs conferendam, & consequenter, nec potest illam condignè mereri. Denique probari solet à nostris Thomistis: nam gratia adoptionis dignificat opera meritoria ratione virtualis continentiæ per modum seminis termini conferendi; sed nulla gratia adoptionis possibilis potest per modum seminis continere gloriam, vel gratiam conferendam alijs, sed solum illam gloriam continet per modum seminis, quæ proprio subiecto confertur, & ea, quæ ad talem gloriam consequendam conducunt, sicut semē arboris solum in proprio subiecto fructificare potest: ergo nulla gratia adoptionis possibilis esse potest principium meriti condigni gratiæ conferendæ alijs, nec dignificare opera puræ creaturæ in ordine ad illam merendam. *Quartò.* *Quintò.*

Respondeo, concessa maiori, negando minorem, ad primam proba-

tionem Vazquez, cōcessa etiam maiori, distinguo minorē, ex defectu promissionis, & ordinationis diuinæ, concedo minorē: ex defectu sufficientiæ, & dignitatis intrinsecæ, nego minorem, & consequentiam; nam potuit Deus cū homine puro pacisci de gratia alijs conferenda in præmium suorum operum, & cum solum ex defectu huiusmodi pacti gratia, quæ datur de facto non extendatur ad merendum præmium alijs, quam proprio subiecto, fit consequens, vt in casu talis pacti nihil ad promerendum alijs deficeret operibus ab homine puro elicitis, & valoratis gratia adoptionis.

Ad primā probationē minoris.

Nec quid refert, quòd Vazquez opponit, nempè ordinationem, seu promissionem diuinam, nō dare operibus meritorijs valorem; ac proindè si opera ante promissionē, ordinationē, vel pactū non præsupponātur cōdigna, non posse condigna constitui per diuinā promissionem, pactū, vel ordinationem, nō, inquam, refert; nā licet promissio diuina non det cōdignitatem quoad sufficientiā, dat efficaciam condignitatis operi meritorio: operibus autē à pura creatura elicitis, & valoratis per adoptionis gratiā non deest sufficientia cōdignitatis in ordine ad gratiam conferendā alijs, sed solum illis deest efficacia, vt de facto illam mereantur, & cōsequentèr si accedat diuina promissio, sortientur ex illa non sufficiētiam, quam habent de se, sed efficaciam ad Deum obligandum, qua sine illius promissione non gaudent.

64. *Ad secundam.*

Ad secundā minoris probationē, concessis maiori, & minori, nego cōsequentiam; quia ex præmissis solum sequitur, non posse gratiam adoptionis in vno homine existentem dignificare opera elicita ab alio homine, quod libēter fatemur: nō verò quòd dignificare non possit opera proprij subiecti, vt sint alijs meritoria, sicut ex eo quòd gratia vnionis per modū formæ opera Christi dignificet, & vt forma sanctificās totā humanitatem vniram queat sanctificare, tantum infertur, non posse per modum formæ dignificare opera extranei subiecti, non autē quòd opera Christi valorare non possit, vt præmiū alijs cōferendū mereantur. Ad tertiam probationem dicatur, verā esse maiorē de duplici præmio copulatiuè, secus autē de duplici præmio disiūctim, vel disiunctiuè: ex quo solum sequitur, non posse puram creaturā merito cōdigno mereri, vt sibi detur augmentum gratiæ, & gloriæ suo operi correspondēs, & simul alijs in præmiū sui operis, conferatur prima gratia iustificās: non autē sequitur, quòd opus à pura creatura elicitū, & valoratum gratia adoptionis sufficientē cōdignitatem non habeat, vt vel sibi detur propriæ gratiæ, & gloriæ augmentū, vel alijs prima gratia conferatur, & consequēter, quod si accedat ordinatio, seu diuina promissio dandi in præmiū operum vnius hominis gratiā alios iustificantem, & non augmentum gratiæ subiecti operantis, talis gratia alios iustificans sit vltra sufficientiam, & condignitatem operis à pura creatura eliciti, & adoptionis gratia valorati.

Ad tertiam.

65. *Ad quartam.*

Ad quartam probationem respondeo, concessis maiori, & minori, distinguendo consequens: in eadem intensione cum augmento, quod proprio subiecto meretur, concedo consequentiam: in minori intensione, nego consequentiam; quia per diminutionem intensionis refarcitur excessus proueniens ex hoc, quòd est præmium alijs conferri, & non subiecto merenti: vndè siquis per actum intēsionis, vt octo, mereatur sibi gratiam intensam, vt octo, merebitur alijs condignè gratiam intensam, vt quatuor, vt per hoc refarciatur excessus proueniens, ex eo quòd præmium non subiecto merenti, sed alteri conferatur; cum enim excessus iste infinitus non sit, vt superius dicebamus, non est assignabilis ratio, cur non possit cadere sub condignitate meritoria operis quantumvis finiti.

Ad quintam.

Ad vltimam probationē dicatur, quòd licet gratia adoptionis nō possit gratiā aliorū cōtinere per modū semi-

nis physici; potest tamē illā cōtinere, vt principiū *quo* effectivū moraliter, quod sufficit, vt opera proprij subiecti dignificare possit, vt alijs condignè mereantur abstrahendo à quæstione de nomine, an scilicet ob hanc continentiā sit appellanda semen gloriæ aliorū, necne? Et quidē, vt superius arguebā, etiā gratia vnionis potest dici semē gloriæ cōferēdæ animæ Christi, cū illi ratione gratiæ vnionis debeatur; & tamē ex hoc nō colligitur, non posse per gratiam vnionis dignificari opera ab humanitate elicita, vt cōdignè alijs gratiā mereātur, & gloriam.

66. *Tertiò arguitur.*

Tertiò arguitur: meritū condignū gratiæ remittētis peccatū est cōdigna satisfactio pro illo; sed iuxta nostrā, & verā sentētiam opera à puro homine elicita nequeunt de potētia absoluta condignè satisfacere pro culpa mortali aliena: ergo nec esse possunt merita cōdigna gratiæ remittētis culpam mortalē aliorū. *Maior proba-tur primo.* Maior, in qua est difficultas, ostenditur primò; Christus namque non alia ratione, nec aliter pro peccatis nostris satisfecit, quā nobis condignè merendo gratiam iustificātem, & nostra remittentē peccata: ergo meritum cōdignū gratiæ remittentis peccatū, idem est ac condigna satisfactio pro illo. *Secundò.* Secūdò, nam satisfacere condignè pro offensa est debitum ex offensa cōtractū extinguere; sed merens condignè alijs gratiā remissiuā peccati debitū ex illorum offensa contractum extinguit: ergo satisfacit cōdignè pro offensa, & consequēter idem est meritum condignum gratiæ remittentis peccatum, ac condigna satisfactio pro illo. *Tertiò.* Tertiò, sola cōdigna satisfactione oblata potest creditor obligari ex iustitia ad remissionem offensæ; sed merens cōdignè gratiam remissiuā peccati obligat Deum ex iustitia ad offensæ remissionem: ergo satisfacit pro offensa condignè. *Quartò.* Quartò, satisfactio, & restitutio seruant eadem leges in materia diuersa; quod enim est restitutio in pecunijs, est satisfactio in honore; sed si quis cōdignè mereretur cōdonationem pecuniæ, ad æqualitatem restitueret, quia redderet æquale formaliter, aut æquivalenter intercurrente pacto: ergo merens cōdignè remissionē offensæ cōdignè, & ad æqualitatē satisfacit.

67. *Respōdetur ad primam probationē maioris.*

Respondeo, negando maiorē, ad primam probationē distinguo antecedēs: merēdo cōdignè gratiā remissiuā per obsequia adæquantia, imò & excedentia grauitatē offensæ mortalis, concedo antecedēs: per opera inferioris valoris ad offensæ grauitatem, nego antecedens, & consequentiam; nā opera condignè meritoria gratiæ remissiuæ peccati mortalis à puro homine elicita non sunt æqualis valoris cum grauitate offensæ mortalis, & ideò non sunt satisfactoria condignè, & ad æqualitatē pro illa: opera autem Christi Dñi adæquant, imò excedunt in morali æstimatione grauitatē offensæ mortalis, ideoq; non solum sunt merita condigna gratiæ remittentis peccatum, sed etiam condignè, imò & superabūdāter satisfaciūt pro illo.

68. *Ad secūdam.*

Ad secūdā probationē distinguo maiorē: satisfacere condignè est extinguere debitū ex offensa contractū ratione obsequij adæquātis in valore grauitatē iniuriæ, cōcedo maiorē: ratione physicæ oppositionis termini cadētis sub merito cū offēsa, vel iniuria, nego maiorē, & sub eadē distinctione minoris, nego cōsequētiā; nā meritū cōdignū elicitū à pura creatura non extinguit debitum ex offensa Dei cōtractū ratione valoris æqualis cū grauitate offensæ, sed cōdignè meritoriè causando terminū physicè cū peccato mortali pugnantē, videlicet gratiā habitualē, quæ primariò pugnat cūpeccato sub ratione malitiæ, et ex cōsequēti, & secūdario pugnat cū eodem peccato sub ratione offensæ; ideoq; satisfactio cōdigna nō est pro peccato mortali, etsi debitum ex illo contractum extinguat effectiuè moraliter.

69. *Ad tertiam.*

Ad tertiam probationem distinguo maiorem, sola condigna satisfactione oblata potest creditor obligari ex iustitia ad remissionem offensæ per viam satisfactionis, & solutionis, concedo maiorem: per viam incompossibilitatis, nego maiorē, & omissa minori, nego consequentiam; nam

meritum à pura creatura elicitum, & adoptionis gratia formatum, ac valoratum non obligat Deum ex iuſtitia ad remiſsionem offenſæ mortalis per viam ſolutionis, aut condignæ ſatisfactionis, vt conſtat ex dictis, ſed ratione incompoſsibilitatis phyſicæ termini, quem condignè meretur, & quem moralitèr cauſat, nempè gratiæ habitualis cum peccato mortali ſubiecti, cui gratiam meretur: & ideò ſatisfactio condigna non eſt, neque eſſe poteſt pro peccato mortali, eſto eſſe poſsit meritum condignum remiſsionis illius.

70. *Ad quartam.*

Ad vltimam probationem prætermiſsis maiori, & minori, nego conſequentiam; ſinamque reſpectu debiti pecuniarij non eſt dabile meritum condignum cõdonationis abſque reſtitutione æquali formalitèr, aut æquiualentèr, ideò eſt; quia non datur terminus aliquis incompatibilis cum debito pecuniarum, non æquiualens ſolutioni debiti, quòd ſi daretur, poſſet ſtare meritum condignum condonationis debiti pecuniarũ abſque reſtitutione æquali formalitèr, aut æquiualentèr, merendo, ſcilicet condignè illum terminum: in noſtro autem caſu datur forma finita cum iniuria infinita Deo irrogata intrinſecè incompoſsibilis, nempè gratia habitualis, quam cum veriori ſententia ſupponimus eſſentialitèr cum peccato pugnare, de quo 1. 2. q. 113. ideoque poteſt dari meritum non equiualens condignè ſatisfactioni, quod ſit condignum remiſsionis iniuriæ, per hoc quòd condignè mereatur formam illam finitam, nempè gratiam habitualem ab intrinſeco incompatibilem cum offenſa, & cõſequentèr cõnexam cum illius remiſsione. Quomodò autem componatur cum limitatione gratiæ, quod offenſam, eſto infinitam excludat ſinè indigẽtia nouæ condonationis, loco vbi proximè fusè à Thomiſtis diſcutitur, nec de hoc in præſenti eſt diſputandum, ſed ſupponẽdum. Nobis enim pro nunc ſufficit, quòd, illa ſentẽtia ſuppoſita, poſsit in pura creatura dari meritum condignum gratiæ excludẽtis peccatum, quod tamen non ſit condigna ſatisfactio pro illo.

71. *Tertium argumẽtum, & eſt replica cõtra dicta.*

Tertio arguitur, & impugnatur præcedentis argumẽti ſolutio: meritũ condignum remiſsionis offenſæ diuinæ petit eſſe æquale in valore, & morali æſtimatione cũ grauitate offenſæ, cuius remiſsionẽ meretur: ergo non poteſt eſſe meritũ condignũ remiſsionis offenſæ, quin ſit ſatisfactio condigna pro illa: conſequentia tenet ex dictis, antecedens autẽ probatur; nam meritũ cõdignum remiſsionis peccati æſtimatur æqualitèr cũ remiſsione, & non eſſe peccati: at remiſsio, & non eſſe peccati eſt tam bona, & æſtimabilis, ac malũ, & odibile eſt peccatum: ergo meritum condignũ remiſsionis peccati petit illius grauitatem adæquare in valore, & æſtimatione morali. Quo argumento, & præcedenti conuicti nonnulli Recentiores exiſtimãt, quòd licet homo purus poſsit condignè mereri primam gratiam iuſtificantẽ homini non exiſtenti in ſtatu peccati mortalis, & in ſtatu inimicitiæ diuinæ; ſecus autem homini in hoc ſtatu exiſtẽti. Ita Puente Hurtado *diſp. 10. ſect. 4. ſub ſection. 1. §. 38. & diſp. 52. ſect. 6. ſub ſect. 4. §. 47.* Cæterum cum præcipuum fundamentum pro noſtra concluſione ſumatur ex D. Thoma infra *q. 64. art. 4.* vbi manifeſtè loquitur de gratia, quæ eſt effectus omnium Sacramẽtorum, & conſequentèr de gratia remittẽte peccatum, quæ per Sacramenta mortuorũ confertur per ſe, & peraccidẽs per Sacramẽta viuorũ, ideo præfatæ ſententiæ non poſſumus aſſentiri.

Solutio recentiorum.

Puente Hurt.

Reijcitur.

72. *Vera ſolutio.*

Vndè illa omiſſa, & in ſua probabilitate relicta, ad argumentũ reſpondeo negando antecedẽs, ad illius probationẽ diſtinguo maiorẽ: ſi tale meritũ per ſe primò terminetur ad nõ eſſe peccati, concedo maiorẽ: ſi nõ per ſe primò terminetur ad illud, ſed ad formã poſitiuam finitã cum peccato incõpatibilem, illudq; à ſubiecto excludentẽ, nego maiorẽ: & prætermiſſa minori, nego cõſequentiã; nã meritũ condignũ à pura creatura elicitũ, non terminatur per ſe primò ad non eſſe peccati, ſed ad effectũ poſitiuum

gratiæ

gratiæ habitualis, qui effectus infinitus nō est in morali æstimatione, sicut nec ipsa gratia, aliàs posset opera puri hominis infinitè dignificare; quia tamen positivus gratiæ effectus est in cōpotsibilis in eodē subiecto cum peccato mortali per se primò sub ratione maculæ, & ex cōsequenti sub ratione offensæ; fit consequēs, quòd meritū effectus positiui gratiæ secundariò extendatur ad merēdū effectū negativum, nēpè destructionē maculæ, & offensæ: & sicut in gratia secundario expellente rationē offensæ, vt illā secundariò, & ex cōsequenti excludat, necessariū non est, quòd in valore, & morali æstimatione æquetur grauitati offensæ, nec bonitati caritæ illius, ita vt meritū condignū gratiæ iustificantis secundario extendatur ad non esse offensæ, illiusq; remissionē necessariū non est, quòd valor prædicti meriti in morali æstimatione cum grauitate offensæ adæquetur.

73. *Vltimū argumētum.* Denique argumentari possumus contra nostrā cōclusionē ex D. Tho. 1. 2. q. 114. art. 6. vbi docet, non posse vnū hominē alteri promereri primā gratiā cōdignè, benè tamē merito de congruo: ergo iuxta D. Thom. repugnat omnino, puram creaturā aliorū caput in ordine gratiæ constitui per influxū meritorij condignum gratiæ iustificantis in illis: *& in hac 3. p. infra q. 8. art. 6. in corpore*, vbi docet, interiorē influxum gratiæ in mēbra Ecclesiæ soli Christo conuenire: S. Tho. *Cuius humanitas*, inquit D. Tho. *ex hoc quòd est diuinitati coniuncta habet virtutem iustificandi.* Sed quod conuenit humanitati Christi ratione coniunctionis ad Verbū, nulli puræ creaturæ potest cōuenire: ergo influere gratiam iustificantē in alios per condignū meritū illius, nec de potentia absoluta puro homini conuenire potest.

74. *Respōdetur.* Respondeo, in primo testimonio non loqui D. Thom. de potentia absoluta, sed solū de lege ordinaria, & de potentia ordinata; quādo enim ratio D. Thomæ ex implicatione non sumitur, vel non vtitur terminis illam indicantibus, dicendo, v. g. non potest intelligi, nullū est fundamentū vrgens ad aliter dicendū, loqui de potentia absoluta: in primo autē testimonio nihil horum inuenitur; & ideo accipiendus est, & interpretandus D. Thomas de impossibili secundū legē ordinariam Dei, secundū quam omnibus hominibus præmiū ipsis conferendū pro suis meritis promisit, non verò secundū potentiam absolutā, secundū quā potuit aliter disponere statuendo, & ordinando, vt loco præmij cōferēdi subiecto merenti subrogaretur gratia cōferenda alijs, & de hoc cū homine paciscēdo. Ad secundū testimoniū dicatur, cōiunctione humanitatis ad Verbū esse rationē sufficientē vt Christus quatenus homo influat meritoriē cōdignè gratiā in Ecclesiæ mēbra, & necessariā ad satisfaciendū cōdignè pro illis; non tamē esse causam necessariā ad merēdū alijs gratiam de cōdigno: ex quo solū sequitur, nō posse purum hominē, quia caret coniunctione ad Verbū satisfacere condignè pro alijs quantū ad culpā mortalē, non autem quòd non possit merito cōdigno illis gratiā promereri, nam ex negatione causæ, quæ licet sufficiens sit, necessaria tamen non est ad aliquem effectū, negatio effectus non sequitur.

§. Vltimus.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

75. *Primū corollarium.* EX dictis colligo primo, hominem iustū, etiam vt membrum Christi, non posse pro culpa mortali satisfacere cōdignè: quod patet; nam hominis satisfactio, ex hoc quod ab illo fit, quatenus est membrū Christi, nō valoratur à persona Verbi, sicut nec mēbrū ipsum sanctificatur, ex hoc quod membrū sit Christi sanctitate personali illius, nec talis satisfactio ab aliqua alia forma infinita valoratur, sicut nec persona satisfaciēs, ex hoc quòd mē-

brum sit Christi, sanctificatur aliqua forma infinita; sed vt satisfactio elicita à puro homine, quatenus est membrũ Christi, esset pro peccato mortali cõdigna, necessarium erat, vt valoraretur aliqua forma infinita, infiniteq; æstimabilis constitueretur per illam, alias semper remanebit inferior offensa in morali æstimatione: ergo satisfactio puri hominis, etiam vt est membrum Christi, pro mortali culpa condigna non est.

76. *Obiicies* S. THO. Si opponas D. Thom. *in 2. Sent. dist. 9. q. 1. art. 8. ad 2.* vbi inter alias rationes, quas D. Thom. assignat, vt meritũ hominis efficacius sit, quã meritũ Angeli, vna est: *In quantũ merita nostra efficaciã habent ex merito Christi, cuius gratia est quodãmodo infinita; nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ.* Ergo sẽtit D. Thom. merita hominũ, ex eo quòd sunt mẽbra Christi, dignitatẽ aliquã habere ex gratia Christi infinita, etiam si ipsi homines, ex eo quòd sunt mẽbra Christi, nõ sanctificentur per gratiã substãtialẽ vnionis.

Respondetur. Respondeo, D. Thom. sic esse accipiendũ, non quòd merita nostra efficaciã habeant ex merito Christi formaliter, sed effectiuè, ideſt, non quia merita nostra meritis Christi informẽtur, illisq; dignificentur formaliter, sed quia virtute meritorum Christi vberiora, & intensiora auxilia hominibus cõceduntur, quã Angelis, quibus homines adiuti intensiores actus meritorios eliciẽtes, quandoq; supra Angelos in gloria euehuntur: ex quo non sequitur, actus à puro homine elicitos, ex eo quòd est mẽbrũ Christi, valorem aliquem moralem infinitum recipere, ratione cuius possint pro culpa mortali satisfacere condignè.

77. *Secũdũ corollarium.* Infero secundo ex dictis, etiam si esset dabilis gratia infinitæ intẽsionis, & actus ab illa eliciti infinita intẽsione gaudẽtes, adhuc per tales actus nõ posse pro offensa mortali satisfieri cõdignè. Quod patet, nã etsi illi actus essent infiniti intẽsiuè, illorũ tamen infinitas esset inferioris ordinis ad infinitatẽ offensæ mortalis: ergo illius grauitatẽ non adæquarẽt in morali æstimatione, & cõsequẽtèr pro illa satisfactio cõdigna nõ esset. Prob. antecedens: nã infinitas offensæ mortalis est ordinis per cõmunicationẽ diuini, vtpotè ab ipsa Dei maiestate præstita immediatè formaliter; sed infinitas intẽsiua, quã in gratia habituali, & in actibus ab illa procedentibus disputationis causa supponimus, istius ordinis non est; nõ enim est per cõmunicationẽ diuinitatis diuina, sed tãtũ per participationem illius: ergo talis infinitas esset inferioris ordinis ad infinitudinem offensæ mortalis.

78. Explicatur, & vrgetur: etsi gratia infinitæ intensionis per impossibile in anima Christi residens illã infinitè sanctã redderet; non tamen æquè sanctã constitueret, ac est sancta per gratiam substãtialẽ vnionis, eo quòd infinitas à gratia vnionis proueniens est diuina per cõmunicationẽ, quia ab ipsa Deitate, vel ab alio prædicato diuino, tanquã à forma præstatur; quæ tamen à gratia habituali infinitè intensa daretur, non esset per cõmunicationẽ diuinã, sed tantũ per participationẽ: at infinitas offensæ est ordinis diuini cõmunicatiuè, scilicet per communicationẽ immediatã diuinitatis, seipsa vt forma offensã grauificantis: infinitas autẽ illis actibus permissa non est diuini ordinis per cõmunicationẽ, sed tantum per participationẽ: ergo huiusce modi infinitas esset inferioris ordinis ad infinitatẽ offensæ: ex quo vlterius fit, vt grauitatẽ offẽsæ nõ adæquaret, ac proindè tales actus, quãuis infinitè intensi, pro mortali offensa condigna satisfactio non essent.

Tacitæ obiectioni occurritur. Nec sequitur, vt tacitæ obiectioni occurramus, vnum infinitum esse maius alio quantitatiuè, sed solũ vnũ infinitũ aliud excedere in qualitate, & in ordine, quod inconueniens non est, sed necessariò asserendũ, si infinitũ in actu possibile esse admittatur; hoc namque admisso à nullo posset negari aurũ infinitum excedere infinitũ argentũ in perfectione essentiali, quãuis nõ in numero, aut quãtitate: & de facto infinitas valoris satisfactorij actibus Christi cõueniens excedit in ordine, & qualitate infinitatẽ offẽsæ mortalis, alias satisfactio Christi superabũ

dans

dans pro hominum peccatis no fuisset, quod esse falsum *dis. p. 4.* constabit.

79. *Tertium corollarium.*

Tertio colligo, si asseratur, peccatū mortale in ratione offensæ non esse infinitum simpliciter, nec superioris ordinis ad satisfactionē à pura creatura elicita, adoptionis gratia formatā, & valoratam, non posse consequēter negari puræ creaturæ sufficientes vires ad cōdignè satisfaciendū pro illo. Quod pater; nā offerens in satisfactionem pro offensa obsequium illius gratitatem adæquans in morali æstimatione cōdignè pro illa satisfacit, & ad omnimodam æqualitatem; sed illa sententia admissa, opus à pura creatura elicitu, & adoptionis gratia informata esset in ratione obsequij æquale offensæ mortali in morali æstimatione: ergo condignè, & omninò æqualitèr satisfaceret pro illa. Consequētia probatione non indiget: minor constat; nam in sententia suppositā, offensa irrogata Deo, nec est infinita moralitèr, nec est superioris ordinis in morali æstimatione ad actum, v.g. charitatis, ergo ille actus Deo oblatus in satisfactionem pro offensa irrogata ipsi adæquabit in ratione obsequij offensam Deo irrogatam in morali æstimatione. Maior autē ostenditur primo; nam satisfactio cōdigna idē est, quod obsequium adæquans gravitatem offensæ in æstimatione morali: ergo offerens in recōpensationē offensæ obsequium ipsi adæquatū in morali æstimatione, satisfacit condignè, & omninò æqualitèr pro illa. Deindè; non enim alia ratione Christus condignè satisfecit pro nobis, nisi quia obtulit Deo actus, & obsequia adæquantia in morali æstimatione offensam mortalem Deo à nobis irrogatam: ergo est vniuersalitèr verū, condignè satisfacere pro offensa illi, qui in offensæ recompēsationem offert personæ iniuriatæ obsequium offensæ grauitatem adæquans in æstimatione morali. Denique; nō enim alia de causa potest in communi sententia homo purus cōdigne satisfacere pro peccato veniali, nisi quia opus ab homine puro elicitū, & gratia adoptionis formatū offensā venialē adæquat in valore, & æstimatione morali: ergo in vniuersū est verū, offerentem in recōpensationē offensæ obsequium illi adæquatū in morali æstimatione pro tali offensa cōdignē, & omninò æqualitèr satisfacere.

Patet 2. illius.

80. *Solutio aliquorum.*

Dices in sententia præsuppositā, actum charitatis, v.c. esse æqualē cum offensa mortali in morali æstimatione in esse entis, & æqualitate entitatiua; non autē esse illi æqualē in ratione causæ, & effectus moralis, eò quòd ex sola formatione per gratiam habituali non continet moralitèr ratione sui remissionē offensæ mortalis, nec gratia remissiuam illius, sicut si Deus mediāte Angelo produceret hominem, etsi Angelus, vt instrumentū assumptus ad hominis productionem hominem productū entitatiuè, & in esse entis excederet; in ratione tamē causæ illi nō adæquaretur, quia non continet hominem ratione propriæ entitatis, sed ratione virtutis trāseuntèr illi cōmunicatæ à Deo: vt autē actus charitatis ab vno homine elicitus esset cōdignum meritum remissionis offensæ mortalis, necessū erat, quòd illius gratitatē adæquaret, non solū æqualitate entitatiua morali, sed etiā in ratione causæ, & effectus, ita vt illius remissionem contineret ab intrinseco, & ratione propriæ virtutis.

81. *Reijcitur primò.*

Sed contra primò ex iam dictis, nam continere moralitèr remissionē offensæ est continere obsequium moralitèr adæquās grauitatem illius; sed eliciens actum charitatis continet, & de facto exhibet obsequium adæquās moralitèr grauitatem offensæ mortalis: ergo continet ratione sui, vt causa principalis moralis remissionem offensæ, & condignè pro illa satisfacit.

Secūdò.

Deindè, nō enim alia ratione Christus per gratiam vnionis continet, vt causa principalis moralis remissionē offensæ, nisi quia opus gratia vnionis valoratum adæquat offensam in morali æstimatione; sed opus à pura creatura elicitum valoratum gratia adoptionis adæquat in morali æstimatione grauitatem offensæ mortalis: ergo homo purus ratione gratiæ adoptionis continet, vt causa efficiens principalis remissionem illius.

82. *Reſpondebis.*

Dices, non ideò ſolum, quia opus gratia vnionis valoratum adæquat entitatiuè grauitatem offenſæ, Chriſtus ratione gratiæ vnionis continet, vt cauſa principalis moralis remiſsionem illius, & condignè pro illa ſatisfacit, ſed quia adæquat in ratione cauſæ, & effectus, & hoc ideò, quia cum gratia vnionis ſit infinita moraliter, dicit deſe, & ab intrinſeco ordinem, non ſolum ad præmium proprio conferendum ſubiecto, ſed etiam ad præmia alijs conferenda, & ad gratiam remiſsiuam peccati in alijs ſubiectis; opus autem gratia adoptionis formatum, quia hæc gratia limitata eſt, & finita, non dicit de ſe ordinem ad gratiam conferendam alijs, ſed ſolum ad augmentum gratiæ in proprio ſubiecto: vndè, ſi à Deo ordinatur, vt propter illud alijs conferatur gratia, & remittatur peccatum, ordinatio hæc eſt extrinſeca illius virtutem excedens; ideoque non principaliter, ſed tantum inſtrumentaliter poteſt concurrere ad remiſsionem offenſæ mortalis alienæ, & ad ſatisfaciendum pro illa, cum quo non ſtat, eſſe meritum condignum remiſsionis offenſæ, & condignam pro illa ſatisfactionem.

83. *Negatur primo ſolutio.*

Sed contra primò ex dictis §. 3. nam ex eo, quòd gratia vnionis infinita ſit, & gratia adoptionis finita, ſolum ſequitur, opus valoratum gratia adoptionis non poſſe ratione illius intrinſecè continere præmium moraliter infinitum, benè autē opus à Chriſto Domino elicitum gratia vnionis valoratum, quod quia ab illa infinitū recipit valorem, poteſt ratione illius continere effectum moraliter infinitum, & extendi ad merendum condignè præmium infinitum moraliter. Sed in ſententia præſuppoſita remiſſio offenſæ mortalis effectus moraliter infinitus non eſt, nec ſatisfactio pro illa infinita eſt in morali æſtimatione: ergo ex limitatione gratiæ adoptionis non ſequitur, opus illa valoratum non poſſe ratione illius intrinſecè continere remiſsionē offenſæ mortalis, & condignè ſatisfacere pro illa.

84.

Contra ſecundò, & vrgentius; nam quidquid ſit de doctrina ſolutionis, & de illius veritate, ſaltim ſequitur ex illa, rationem, cur homo purus non poteſt pro offenſa mortali ſatisfacere condignè, non eſſe, quia eſt infinita: at hoc eſt expreſsè contra Diuū Thomam in præſenti *q. 1. art. 2. in corpore, & in ſolutione ad 2. argum.* vbi ex eo probat inſufficientiam puri hominis ad ſatisfaciendum condignè pro offenſa irrogata Deo, quia hæc ex maieſtate iniuriata habet quandam infinitatem: ergo, etiam ſi doctrina ſolutionis ſit vera, ad mentem D. Thomæ non eſt, nec iuxta eius mētem hac via defenditur impotentia puri hominis ad ſatisfaciendum condignè pro peccato originali, aut quouis peccato mortali. Minor cum conſequentia tenet: ſequelam autem probo primò; nam ratio, cui ſolutio tradita nititur, eſt, quia gratia adoptionis, vtpotè limitata, & finita proprio ſubiecto alligatur, ideoque ad præmium alijs conferendum nō dicit ordinem ad intrinſeco, ſed ſolum ad præmium conferendum proprio ſubiecto: at hæc ratio omninò militat, etiam ſi offenſa irrogata Deo nullam habeat infinitatem: ergo ſequitur ex tradita ſolutione, rationem, cur homo purus non poteſt pro offenſa graui ſatisfacere condignè, non eſſe, quia talis offenſa habet aliquam infinitatem.

Secūdò.

S. Tho.

Deindè, nam iuxta ſolutionis doctrinam non poteſt homo purus alijs condignè gratiam habitualem mereri, etiam ſi in peccato mortali nō ſint; ſed gratia habitualis collata ſubiecto non exiſtenti in peccato mortali, nec in ſtatu inimicitiæ diuinæ nullam habet infinitatem: ergo iuxta ſolutionis doctrinam, etiam ſi offenſa mortalis nullam infinitatem, nec ſimpliciter, nec ſecundum quid haberet, non poſſet homo purus pro illa ſatisfacere cō dignè, & conſequenter ratio inſufficientiæ puri hominis ad ſatisfaciendum condignè pro offenſa irrogata Deo, non eſt ex aliqua offenſæ infinitate petenda.

Denique, nam iuxta doctrinam ſolutionis, non ſolum non poteſt homo ratione gratiæ adoptionis, & va-

loris præstiti ab illa satisfacere condignè pro culpa mortali aliena, sed nec etiam pro peccato veniali aliorũ potest condignam præstare satisfactionem; sed peccatum veniale nulla gaudet infinitate: ergo vt iuxta doctrinã traditæ solutionis defendatur, nõ posse puram creaturam pro culpa mortali aliena satisfacere condignè, non est necessum recurrere ad aliquam infinitatem, quæ in offensa mortali inueniatur.

85. Tertio. Et ex his tertiò tradita solutio, & doctrina reijcitur; sequitur namque ex illa, non posse purum hominem ratione gratiæ adoptionis pro culpa veniali aliena satisfacere condignè: cõsequens est falsum, & communi sententiæ contrarium: ergo & tradita solutio. Minor cum consequentia tenet, sequela autem probatur; nam ratio, cui solutio tradita nititur, est, quia gratia adoptionis, vt potè limitata, & finita est proprio subiecto alligata, ideoque opus dignificatum ab illa nõ potest ab intrinseco respicere præmiũ in alieno subiecto, sed solum potest extrinsecè ad illud promerendum ordinari: ex quo nascitur, vt non principalitèr, sed instrumentalitèr concurrat ad merendam gratiam remittentem alienum peccatum, & ad satisfaciendum pro illo; sed etiam peccatũ veniale est alienum, & gratia illud remittens est extraneo subiecto conferenda: ergo opus à puro homine elicitum gratia adoptionis formatũ non dicit ab intrinseco ordinem ad merendum alijs gratiam remissiuam peccati venialis, nec ad satisfaciendum pro illo, sed solum potest ab extrinseco ad id ordinari: ex quo vlterius fiet, vt nõ principalitèr, sed instrumentalitèr solum concurrat ad remissionem culpæ venialis alienæ, & ad satisfaciendum pro illa.

86. Quarto. Quod amplius vrgetur; nã quòd opus puri hominis adoptionis gratia formatum non contineat principaliter remissionẽ alienæ culpæ mortalis, & sit satisfactio condigna pro illa, nõ est ex defectu æqualitatis entitatiuæ cum grauitate culpæ mortalis, sed ex defectu ordinationis intrinsecæ ad illius remissionem; sed defectus iste, si dãtur, non solum conuenit operi à puro homine elicito, & gratia adoptionis formato respectu culpæ mortalis, sed etiam respectu culpæ venialis alienæ: ergo neutrius remissionem principalitèr continet, sed tantum instrumentalitèr, & consequenter, non solum non potest pro culpa mortali aliena esse satisfactio condigna, sed nec etiam potest satisfacere cõdignè pro peccato alieno veniali; quòd si totum hoc concedatur, ridicula quæstio redditur, & vanus totus Theologorum labor in indaganda necessitate Incarnationis ad satisfaciendum condignè non pro peccato veniali, sed pro peccato mortali, vel pro culpa originali propter insufficientiam puri hominis ad condignè satisfaciendum pro illa: non autem propter insufficientiam ad satisfaciendum condignè pro peccato veniali.

87. Quintò. Denique tradita solutio reijcitur: etenim hominem purum non posse satisfacere cõdignè, hoc est ad æqualitatẽ perfectã pro culpa mortali aliena, est sententia extra Scholam Scoti communis, quam omnes Thomistæ, & omnes Patres Societatis nullo, quẽ viderim, discrepante, sequuntur; sed quòd homo purus possit de potentia absoluta per opus gratia adoptionis formatum mereri alijs de condigno primam gratiam iustificantem, etiam à peccato mortali mundãtem, plures discipuli D. Thomæ defendunt, nec potest, nisi proteruè negari, quòd sit sententia in via D. Thomæ probabilis: ergo nullus ex discipulis D. Thomæ potest præfata ratione, vt vnico medio, vti ad probandam, & defendẽdam insufficientiam puri hominis ad satisfaciendum condignè pro peccato originali, aut peccato alieno mortali; sed negata offensæ mortali, non solum morali infinitate, sed etiam superioritate ordinis ad satisfactionem puræ creaturæ illa sola ratio extat ad tuendam prædictam insufficientiam: ergo hoc non potest ab aliquo Thomista negari.

Sexto, & vlti- Præterquamquòd si vt defendatur, offensam mortalem non esse simplici-

mo reiicitur solutio.

plicitèr infinitam, necessarium est negare, quòd sit superioris ordinis ad satisfactionem à pura creatura exhibitam, ita vt paritas desumpta à superioritate ordinis, & ex illa inferens infinitatem simplicitèr, non possit aliter solui, quam superioritate ordinis mortali offensæ negata actum est pro infinitate simplicitèr, cum offensam mortalem esse ad minus ordinis superioris ad omnem satisfactionem possibilem puræ creaturæ, sit sententia Theologis extra Scholam Scoti communis.

88. *Quartũ corollarium.*

Quarto ex dictis colligitur, purũ hominem existẽtem in gratia, & amicitia diuina posse per actus ex viribus gratiæ elicitos, & adoptionis gratia formatos satisfacere condignè pro peccato proprio veniali. Quod probo; nam pro peccato mortali proprio ideirco satisfacere non potest condignè, quia opus satisfacientis pro peccato proprio mortali non supponit dignitatem in subiecto satisfaciente, & quia peccatum mortale est in ratione offensæ simplicitèr infinitum, vel saltem superioris ordinis ad actus à pura creatura elicitos, & adoptionis gratia formatos; sed opus satisfactorium pro peccato proprio veniali dignitatem gratiæ, & amicitiæ diuinæ in subiecto satisfaciente supponit, & peccatum veniale infinitæ grauitatis non est, nec ordinis superioris ad actus satisfactorios à pura creatura elicitos, & adoptionis gratia formatos, vtpotè leuis offensa: ergo opus hominis iusti potest esse condigna satisfactio pro illo. Si autem homo existens in peccato mortali supponatur, nec pro culpa veniali poterit condignam offerre satisfactionem; cum enim valor satisfactionis ex dignitate satisfacientis sumatur, & homo existens in peccato mortali dignitate personali non gaudeat, imò summa indignitate apud Deũ, cõsequens fit, vt opus abillo elicitum esse nequeat condignè satisfactorium pro peccato proprio veniali, fiat nec esse potest condignè meritorium alicuius præmij supernaturalis.

89.

Colligo quinto, posse purum hominem de potentia absoluta condignè satisfacere pro peccato veniali alieno, & pro pœna illi debita. Quod patet; nam ratio, cur nequit homo purus condignè, & ad æqualitatem satisfacere pro culpa mortali aliena, est infinitas grauitatis offensæ mortalis: at hæc ratio in culpa veniali non militat: ergo pro culpa veniali aliena, & pro pœna illi debita potest homo purus satisfacere condignè. Quod amplius confirmò; nam meritum condignũ primæ gratiæ remittentis peccatũ mortale alienũ, ideò pro tali peccato satisfactio condigna non est, quia valor operis illius grauitatem non adæquat in morali æstimatione; sed potest vnus homo alteri cõdignè mereri gratiam requisitam ad remissionem culpæ venialis per actum æqualis, imò, & maioris valoris, quam sit grauitas offensæ: ergo potest condignè satisfacere pro culpa veniali aliena, & consequentèr etiam pro pœna, quæ tali culpæ debetur.

Sextum corollarium.

90. *S. Thom.*

Quòd si inquiras, an de facto vnus homo condignè satisfaciat pro peccato veniali alterius? Respõdeo, satisfacere de facto pro pœna, non autem pro culpa veniali, & rationem sumo ex doctrina D. Thomæ *in 4. Sentent. dist. 20. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 3. ad 1. & 2. argum.* Quia, nempè culpa de facto remittitur iuxta dispositionem subiecti, & consequentèr de facto solũ fit satisfactio pro culpa per actus, qui simul subiectum, cui culpa remittitur, disponunt: & quia actus vnius alterius dispositio esse nequit, hinc fit, vt de facto vnus homo pro peccato veniali alterius non satisfaciat quoad culpam; pœna autem temporalis pro peccato debita post remissionem culpæ non taxatur iuxta dispositionem subiecti, cum quandoque ille, qui melior, & sanctior est, habeat maioris pœnæ reatum; & ideò actus vnius hominis, etsi alium non disponat, pro pœna temporali illius peccato debita de facto multoties satisfacit.

91. *Vltimum corollarium.*

Denique infero, qualitèr Incarnatio fuerit necessaria; non enim necessaria fuit absolutè, cum opera ad

extra

extra libera sint, & non necessaria Deo. Incarnatio autem est opus ad extra toti Trinitati, vt efficienti causæ commune. Nec fuit necessaria ex suppositione vniuersi conditi, nullam enim cum conditione vniuersi necessariam habet connexionem, & consequenter potuit Deus decernere conditionem vniuersi, illudque de facto condere, absque eo quòd Verbum assumeret carnem. Nec fuit necessaria simpliciter ad reparandum hominem à peccato; potuit enim Deus aliter hominem à peccato liberare, quam interuentu Christi Redemptoris, scilicèt purè misericorditèr illud condonando, nullam exigendo satisfactionem, nec fuit necessaria ad merendum condignè remissionem peccati mortalis, nec ad condignè satisfaciẽdum pro peccato venitali; vtrũque enim horum posse à puro homine de potentia absoluta præstari probauimus: ergo Deus homo necessarius non erat.

92. Fuit ergo necessaria Incarnatio ad satisfaciendum condignè pro peccato humani generis, ad quod ratione grauitatis offensæ in prædicto peccato repertæ nulla creatura est sufficiẽs, & hoc est intelligendum sumpta Incarnatione largè, non strictè. Quod patet; nam Incarnatio strictè accepta est carnis à Verbo assumptio; sed absque assumptione carnis potuit Verbum diuinum, vel alia persona Trinitatis satisfacere condignè pro peccato humani generis, assumendo, nempè naturam Angelicam, vel animam rationalem absque materia, seu carne, cum tali assumptione facta, posset actus meritorios elicere, illosque infinitè valorare: ergo Incarnatio strictè sumpta ad satisfactionem istam condignam necessaria non est; benè tamẽ largè accepta, scilicet pro vnione naturæ creatæ, & diuinæ in supposito increato, vt sic ratione naturæ creatæ se posset subijcere, & ratione increati suppositi actus proprios infinitè æstimabiles, valorososque constituere, quod necessarium erat, vt essent condigna satisfactio pro offensa irrogata Deo. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in 3. Sent. dist. 1. §. 1.* ad illa verba: *Vt eos, qui sub lege erant, redimeret, & dist. 20. §. 1.* ad illa verba: *Si verò quæritur, vtrum alio modo, &c.* Et *in 4. Sent. dist. 15. §. 1.* vbi à D. Thoma tractatur, an homo possit satisfacere Deo? *M. Sententiarũ*

DISPVTATIO TERTIA.

An satisfactio Christi sit valoris simpliciter infiniti?

§. I.

Referuntur sententiæ; vera eligitur, & auctoritate probatur.

1. EXAMINATA iam in præcedentibus insufficiētia creaturæ ad satisfaciēdum cōdignè pro peccato humani generis ob infinitam grauitatē offensæ, ex quo Incarnationis necessitatem ad condignè satisfaciēdum intulimus, explicanda restat sufficientia satisfactionis Christi, ad quod maximè conducit infinitudo illius, ideoque illam ad examen in præsenti vocamus. In quo duæ extremæ oppositæ versantur sententiæ. Prima, etsi cōcedat, operationes Christi esse summi valoris, ita vt ab actionibus elicitis à pura creatura in valore adæquari non possint; negat tamen esse valoris simpliciter infiniti, etiam in genere moris. Hanc tenent Gabriel *in 3. Sentent. dist. 19. q. vnic. art. 1.* Almainus q. 1. Ioannes de Medina *codic. de satisfactione* q. 1. Tenent etiam ex Recentioribus Scotistis Rada *3. part. controuers. 13. art. 2.* Philippus Faber *in 3. Sentent. disput. 45. cap. 2. & 3.* Et Fraciscus del Castillo in præsenti *disput. 3. q. 2.* sequuti Scotum *in 3. dist. 19. q. vnic. §. in ista quæstione, & §. ad primum principale, & in 4. Sentent. dist. 15. q. 1. §. de secundo dicitur.*

Prima sententia

Gabriel. Almainus. Ioan. de Medin. Rada.

Faber.

Castillo. Scot.

2. Secunda, & vera sententia docet, actus Christi satisfactorios, etsi in esse entitatiuo, & physico limitati sint, & finiti, vt potè eiusdem rationis cum actibus à puro homine elicitis; in morali tamē æstimatione esse valoris simpliciter infiniti. Ita antiquiores Thomistæ, Caietanus in præsenti *art. 2. responsione ad 3. dub.* Ferrariensis 4. *Contra gentes cap. 55. §. ad euidentiam eius.* Magister Soto *in 4. Sentent. dist. 1. q. 3. art. 5. & lib. 3. de natura, & gratia cap. 6.* Tenent etiam Recentiores Thomistæ in præsenti *art. 2.* Magister Luna *dub. 4.* Aluarez *disput. 4. concl. 3.* Cornejo *disput. 5. dub. 5.* Et Illustrissimus Araujo *dub. 5. concl. 1.* Vincentius *relectione de gratia Christi q. 5. in 2. part. relectionis pag. 116.* Eamdem

2. Secūda, & vera sententia.

Caiet. Ferrar. M. Soto

M. Luna. Aluar. Cornejo. Araujo. Vincen.

ex

Valent. Suarez. Vazq. Merat. Puente-Hurt.

ex Patribus Societatis sequuntur Valentia *disp. 1. q. 1. punct. 5. quæstiunc. 5.* Suarez *disp. 4. sect. 4.* Vazquez *disp. 6.* Meratius *tractat. de Incarnatione disp. 6. sect. 3.* Puente-Hurtado *disput. 11. sect. 3.* & alij Recentiores frequenter.

3. *Referuntur vary modi defendēdi veram sententiam.*

Licet autem in sententia præfati Auctores conueniant, in explicanda radice huius infinitatis, & forma illa tribuente, in plures dicendi modos inter se diuiduntur. Quidam, quos sine nomine refert Vincentius, ex re oblata per actus satisfactorios Christi, illorum infinitatem deriuari defendunt: ex quo clarè infertur, non omnibus Christi operationibus, etiam satisfactorijs infinitum valorem concedere, sed solum illis, quibus Christus se offerebat; ipse autem Vincentius, non ex re oblata, sed ex eo quòd per satisfactionē Christus seipsum subijciebat, infinitatem desumendam existimat. Alij, quia operationes Christi erant personæ infinitæ dignitatis. Ita Suarez, quem plures sequuntur; Vazquez autem non ex infinita dignitate personæ operantis, sed ex Deitate infinitè sanctificante immediatè humanitatem, & mediatè illius operationes, infinitatē satisfactionis Christi venatur. Alij denique ex vtroque capite valorem infinitum satisfactionis Christi desumendum existimant. In forma etiam dante infinitatē istam variant Auctores. Quibusdam asserentibus, esse modum quendam moralem finitum physicè, & in genere moris infinitum. Alijs docentibus, esse modum, non realem, sed rationis. Alij tenent, esse personalitatem extrinsecè denominantem actus. Alij denique, esse Deitatem per modum formæ extrinsecæ ipsos valorantem.

4. *Prima cōclusio.*

Sit prima conclusio. Satisfactio Christi Domini fuit infinita simpliciter in valore, & morali æstimatione. Ita omnes Auctores pro secunda sententia relati, sequuti D. Thomam *in 2. Sent. dist. 9. q. 1. art. 8. ad 2. argum. in 4. Sen. dist. 14. q. 2. art. 1. quæstiunc. 1. ad 4. dist. 15. q. 1. art. 2. ad 1. & dist. 20. quæst. vnic. art. 2. quæstiunc. 3. ad 1. q. 29. de Veritate art. 3. ad 4. & 8. argum. & art. 5. ad 4. 4. Contra gentes cap. 54. in hac 3. p. q. 48. art. 2. ad 3.* illis verbis: *Dicendum, quòd dignitas carnis Christi non est æstimanda solum secundum carnis naturam, sed secundū personam assumentem, in quantum scilicet erat caro Dei, ex quo habebat dignitatem infinitam.* Hæc D. Thom. loquendo de carne Christi. Quod ex consequenti de illius operationibus est accipiendum, vbi cum Angelicus Doctor sine vllo addito diminuente loquatur, non est, cur ad infinitatem secundum quid illius verba coarcentur, nec vbi particula *quodammodo*, aut particula *quamdam* est vsus explicando infinitatem operationū Christi, denotatur defectus ab infinitate simpliciter in ratione valoris satisfactorij, sed ab infinitate in genere physico, & ab infinitate in ratione bonitatis moralis ex obiecto, & alijs circunstantijs desumptæ, vt disputatione prima expendebam. Id ipsum docuit D. Thomas *quodlibeto 2. q. 1. art. 2. in hac quæst. art. 2. in corpore, & in solut. ad 2.* & pluribus alijs in locis. S. Tho.

Cōclusio proposita probatur à Recentioribus multis testimonijs Scripturæ, quæ apud ipsos possunt videri. Suadetur ergo primò ex Clemēte Sexto *in Extranag. vnigenitus de pœnit. & remiss.* vbi tria docet, quæ doctè ad præsens intentū ponderat noster Vincentius *loco vbi supra pag. 123.* Primum est, quòd non solum Christus, quia Deus erat, sufficiens fuit ad satisfaciendum pro vniuersis hominum peccatis, sed quòd vnica gutta sanguinis eius propter coniunctionem ad Verbum ad hoc ipsum erat sufficientissima. Secundum, quòd Thesaurus Ecclesiæ ex meritis, & Christi satisfactionibus infinitus est, ob quam causā peccatorū multitudine exhauriri minimè potest. Tertium, quòd merita Christi fuere infinita. Verba Pontificis sunt: *De cuius consumptione, scilicet, Thesauri Ecclesiæ, aut diminutione, nō est aliquatenus formidandum propter infinita merita Christi.* Ergo meritum, & satisfactio Christi fuit valoris satisfactorij, & meritorij infiniti simpliciter. Patet consequentia primò, quia si merita Christi non 5. *Probatur primo conclusio auctorita-te Pōtif.* Clem. 6.

fuissent

fuiſſent infinita ſimpliciter, non vocarentur à Pontifice abſolutè infinita. Secundò, quia ſi infiniti valoris non eſſent, formidari poſſet, nè Theſaurus Eccleſiæ peccatorum multitudine tandem extingueretur, & conſumeretur, vt ratione arguētes ponderabimus. Nec reſpondere ſufficit, merita Chriſti dici infinita, non quia ex natura rei ſint talia, ſed ex acceptatione diuina; quia nempè fuerunt acceptata à Deo pro infinita multitudine peccatorum, non, inquam, ſufficit, primò, quia Pontifex ad infinitatem meritorum Chriſti probandam, non ad acceptationem extrinſecam, ſed ad intrinſecam coniunctionem ad Verbum recurrit: at ſi ſolum ex acceptatione Dei extrinſeca eſſent infinita, recurſus iſte neceſſarius non eſſet, cum etiam merita puri hominis poſſent huiuſmodi infinitatem habere, ſi Deus illa pro multitudine infinita peccatorum acceptaret, vt potuit. Ergo ſolutio tradita Pontificis menti non cōgruit. Deindè, quia de facto pro infinitis peccatis acceptata non fuerunt, ſed tantùm pro peccatis futuris, quæ numero ſunt finita: ergo ſi ex ſe non habent infinitatem, non recipiunt illam ex acceptatione extrinſeca, & conſequentèr nullatenus ſunt infinita.

§. II.

Probatur eadem concluſio rationibus.

6. *Secundo probatur ratione.*

SECVNDÒ probatur concluſio ratione ex præcedenti auctoritate deſumpta. Vis ſatisfactoria pro culpis ſyncathegorematicè infinitis, non poteſt competere ſatisfactioni, quæ non ſit valoris infiniti ſimpliciter. at ſatisfactio Chriſti gaudet vi ſatisfactiua ſufficienti pro peccatis ſyncathegorematicè infinitis: ergo in ratione valoris ſatisfactorij eſt infinita ſimpliciter. Illatio eſt in forma: minor ex indè conſtat; nam ſi tali vi non gauderet, terminaretur eius ſufficientia ad determinatum numerum peccatorum, & conſequentèr poſſet timeri, nè in tantum multiplicarentur peccata, vt terminum præfixum excederent, & extingueretur ſatisfactio Chriſti, conſumereturque Theſaurus Eccleſiæ ex meritis, & ſatisfactionibus Chriſti coaleſcens, quòd Clementi Sexto aduerſatur. Maior autem oſtenditur primò; nam idem eſt merita Chriſti, nō poſſe peccatorum multitudine extingui, ac habere vim ſatisfactoriā ſyncathegorematicè infinitam; ſed Clemens Sextus ad iſtam inextinguibilitatem ſalvandam recurrit ad meritorum Chriſti infinitudinem, vt proximè vidimus. Ergo huiuſmodi infinitas neceſſaria eſt, vt gaudeant actiones Chriſti vi ſatisfactoria pro culpis ſyncathegorematicè infinitis, nec poteſt huiuſmodi ſufficientia competere ſatisfactioni, cuius valor ſimpliciter infinitas non ſit.

Secundò, nam vis effectiua phyſica effectuum in perfectione inæqualium ſine termino in infinitum, nō poteſt cauſæ non infinitæ phyſicè conuenire, vndè omnipotentiæ infinitatem colligimus, & à poſteriori probamus, quia ad effectus ſyncathegorematicè infinitos inæqualis perfectionis extenditur. Ergo vis effectiua moralis effectuum inæqualium ſinè termino conuenire non poteſt actioni, quæ in genere moris ſimpliciter infinita non ſit, & conſequentèr, cum vis ſatisfactoria pro culpis ſyncathegorematicè infinitis contineat moraliter effectus inæquales ſine termino, actus gaudens tali virtute, non poterit non eſſe ſimpliciter infinitus in valore, & morali æſtimatione. Tertiò, & à priori probatur; nam effectus nequit ſuæ cauſæ perfectionem excedere: ergo effectus infinitus nequit in cauſa limitata contineri, & conſequentèr vt aliqua cauſa gaudeat vi cauſatiua effectuū multiplicabilium in infinitum, habere debet infinitatem moralem, ſi conti-

nentia

nentia moralis sit; vel physicam, si continentia sit physica.

7. *Prima solutio Scoti.* Respondebis primò ex Scotistis, veram esse maiorem, si satisfactio ex se, & secluſa Dei acceptatione sit cõdigna pro culpis syncathegorematicè infinitis; secus autem si ex natura ſua tali condignitate non gaudeat, ſed illi competat ex diuina acceptatione, quia nempè ſic acceptatur à Deo, ac ſi eſſet infinita; tunc namque neceſſarium non eſt, vt infinita ſit in morali æſtimatione, & hoc ſecundo modo, non primo, fuiſſe condignam, & ſufficientem Chriſti ſatisfactionẽ; ac proindè vis ſatisfactoria illi competens pro culpis ſyncathegorematicè infinitis non arguit in illa valorem ſimpliciter infinitum. Cæterum falſitas huius ſolutionis, & quantum deprimat dignitatem ſatisfactionis, & meritorum Chriſti diſputatione ſequenti conſtabit.

Reijcitur.

8. *Secũda ſolutio aliorum* Respondebis ſecundò, quòd vt ſatisfactio Chriſti ſit intrinſecè condigna pro peccatis ſyncathegorematicè infinitis, ſufficit, quòd ſit ſuperioris ordinis ad offenſam; eo enim ipſo infinita ordinis inferioris illam adæquare non poterunt, & conſequẽtèr poterit pro infinitis peccatis eſſe cõdigna, imò & ſuperabundans in ratione ſatisfactionis, eſto non ſit valoris moralis ſimpliciter infiniti. Sed contra primò; nam eſto infinita ordinis inferioris nequeant phyſicè adæquare rem aliquam ordinis ſuperioris; in illa tamen, niſi phyſicè ſit infinita, phyſicè efficienter cõtineri nõ poſſunt, aliàs ex cõtinẽtia effectuũ ſine termino in omnipotẽtia diuina nõ colligeretur eius infinitas, ſed ſolum quòd eſſet in ſuperiori ordine ad omnem rem creabilem conſtituta. Ergo eſto infinita ordinis inferioris in genere moris nequeat adæquare id, quod exiſtit in ordine ſuperiori; in illo tamen moraliter effectiuè contineri non poterunt, niſi in tali genere ſit infinitum. Sed ſatisfactio condigna pro culpis mortalibus ſyncathegorematicè infinitis continet effectiuè moraliter remiſſiones peccatorum ſine termino in infinitum: ergo nõ ſolum eſt ordinis ſuperioris ad offenſa mortalem, ſed etiam eſt in genere moris ſimpliciter infinita.

Reijcitur primò.

9. *Secũdò.* Deindè, nam ſequitur ex hac ſolutione, quòd etiam ſi peccatũ mortale ſit in ratione offenſæ moraliter infinitum, non requiratur in ſatisfactione condigna pro illo, quòd infinita ſit in genere moris, ſed ſolũ quòd in ſuperiori ordine ſit conſtituta. Cõſequens eſt contra omnium Theologorum ſententiam, nullo excepto, quem viderim: ergo ſolutio tradita eſt inſufficiens. Patet ſequela: res ordinis inferioris, etiam ſi infinita ſit, non poteſt in perfectione conſtitutũ in ordine ſuperiori, quamvis finitum ſit, adæquare, v.c. albedo, eſto infinitè intendatur, ſi hoc ſit poſsibile, non adæquabit perfectionem gratiæ finitæ, quia gratia in ſuperiori ordine eſt: ergo etiam, ſi offenſa mortalis ſit moraliter infinita, non adæquabit dignitatem ſatisfactionis Chriſti finitam, ſemèl dato, quòd in ſuperiori ordine ſit, & conſequentèr ſi ex eo quòd res ordinis inferioris nõ adæquet perfectionem rei ordinis ſuperioris, infertur, poſſe in illa contineri ſatisfactoriè moraliter, eſto offenſa infinitæ ſit grauitatis, poterit ſatisfactio Chriſti eſſe condigna pro illa, quamvis finita ſit in morali æſtimatione, per hoc ſolum quòd in ſuperiori ordine collocetur.

10. *Tertiò.* Præterea reijcitur; nam etiam ſi actus ſupernaturales ſint ordinis ſuperioris ad omnem entitatem naturalem, & ad omne præmium naturale entitatiuè, non ſequitur, vnum actum ſupernaturalem eſſe condignum meritum præmij naturalis ſine termino: ergo ſola ſuperioritas ordinis non ſufficit ad continentiam moralem ſyncathegorematicè infinitam rerum exiſtentium in ordine inferiori.

Quartò, nam vt actio aliqua ſit ex ſe, & ex natura ſua condigna ſatisfactio pro iniuria, debet tanti æſtimari, & amari, quãti odio habetur iniuria; ſed peccata ſyncathegorematicè infinita ſunt digna odio ſine termino, & ſyncathegorematicè infinito:

ergo

ergo ſolum illud opus erit de ſe, & ab intrinſeco ſatisfactio condigna pro culpis tyncathegorematicè infinitis, quod de ſe, & ab intrinſeco ſit infinito amore dignum, & æſtimatione infinita, & conſequenter quòd ſit infinitum in morali æſtimatione.

11. *Quartò.* Denique tradita ſolutio reijcitur; nam eſto in phyſicis res ordinis inferioris nequeat adæquare id, quod in ſuperiori ordine conſtitutum exiſtit, in moralibus autem hoc vniuerſaliter verum non eſt: ergo dummodo valor ſatisfactorius operationũ Chriſti infinitus ſimpliciter non conſtituatur, poterit offenſarum multitudine, quamvis inferioris ordinis ſint, moraliter adæquari, & conſequenter extingui. Probo antecedens, nam licet in phyſicis ſpecies inferior adæquare nequeat ſpeciem ſuperiorem, in moralibus autem id poteſt contingere quantum ad valorem, & æſtimationem moralem, vt conſtat in actibus miſericordiæ, & iuſtitiæ, qui ſpecificè inferiores ſunt ad actum charitatis; & tamen plures actus repetiti miſericordiæ, & iuſtitiæ, vel actus intenſi, vt viginti adæquare, imò & excedere poſſunt in valore meritorio vnum actum charitatis; peccatũ etiam charitati oppoſitum eſt grauius ſpecificè peccatis oppoſitis alijs virtutibus; & tamen peccata alijs virtutibus à charitate oppoſita ſæpius repetita, vel intenſiſſimo conatu patrata adæquare, & excedere poſſunt in grauitate de meritoria vnum peccatum contra charitatem commiſſum: ergo licet res ordinis inferioris in phyſicis nequeat phyſicè adæquare rem ordinis ſuperioris; in moralibus autem poterit id, quod eſt in ordine inferiori, vel ratione multitudinis, vel ratione maioris intẽſionis, vel ex alijs capitibus adæquare in valore, ſeu morali æſtimatione cõſtitutũ in ordine ſuperiori, dummodo infinitum non ſit. Obiter tamen aduerto, Patrem Suarez, qui vt vidimus diſputatione præcedenti, ex ſola ſuperioritate ordinis offenſæ irrogatæ Deo, intulit inſufficientiam puræ creaturæ ad condignè, & ad æqualitatem ſatisfaciendũ pro illa, parùm cõſequenter vti ſubſtantia huius argumenti, vt probet, ſatisfactionem Chriſti fuiſſe valoris ſimpliciter infiniti.

12. *Prima obiectio contraria.* Sed oppones primò: vnum infinitum ordinis ſuperioris excedit plura infinita ordinis inferioris, imò & infinita ordinis inferioris ſine termino in infinitum: ergo pariter vnum finitum ſuperioris ordinis excedere poterit plura finita ordinis inferioris, & omnia in tali ordine contenta ſine termino in infinitum, & conſequenter quamvis ſatisfactio Chriſti ſit moraliter finita, per hoc ſolum quòd ſuperioris ordinis ſit ad offenſam mortalẽ, poterit excedere in morali æſtimatione multitudinem peccatorum mortalium ſine termino in infinitum; ac proindè tali multitudine exhauriri numquam poterit. Conſequentia tenere videtur à paritate rationis: antecedẽs autem probatur; etenim in noſtra ſententia offenſa irrogata Deo, eſt infinita moraliter; & tamẽ quia ſatisfactio Chriſti eſt in ſuperiori ordine, & in illo infinita ſimpliciter, vna actio Chriſti Domini eſt ſuperabundans ſatisfactio pro omnibus peccatis hominum, etſi in infinitum multiplicentur: ergo vnum infinitum ordinis ſuperioris excedit infinita ordinis inferioris ſine termino in infinitum.

13. *Solutio.* Reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam: ratio autem diſcriminis eſt; nam eo ipſo quòd actio aliqua ſit infinita ſimpliciter in ratione meriti, & in ratione ſatisfactionis, debet habere virtutem meritoriam omnis præmij poſsibilis, & ſatisfactoriam pro omni poſsibili offenſa, aliàs non erit infinita ſimpliciter, ſed ſolum ſecundum quid, vt *diſputatione prima* docuimus. Cum ergo ſatisfactio Chriſti ſit in ratione ſatisfactionis ſimpliciter infinita, fit conſequens, vt æquiualeat infinities infinitæ multitudini peccatorũ, quod autem finitum eſt, eſto in ſuperiori ordine conſtituatur, non poteſt non habere virtutem meritoriam, & ſatisfactoriam finitam: vndè ſicut hac ratione nõ poteſt extendi ad præmia

ſine

sine termino promerenda, etiam si inferioris ordinis sint, ita nec extendi potest ad satisfaciendum pro offensis sine termino in infinitum, nec illis æquiualere in morali æstimatione, quamuis offensæ inferioris ordinis sint.

14. *Secũda obiectio*

Obijcies secundò; quia peccatum mortale est in ordine superiori ad peccatum veniale, non possunt peccata venialia, etiam si infinitè multiplicentur, adæquare grauitatem vnius peccati mortalis: ergo eo ipso quòd offensa mortalis sit in ordine inferiori ad satisfactionem Christi, non poterunt omnes offensæ mortales, etsi in infinitum augeantur, adæquare in grauitate dignitatem vnius actus satisfactorij Christi, & consequentèr, vt vna gutta sanguinis Christi, & vna Christi operatio æquiualeat offensis mortalibus sine termino in infinitũ, & vt multitudine peccatorum exhauriri numquam possit, non est necessarium, quòd satisfactio Christi sit infinita simpliciter, sed sufficit, quòd in superiori ordine sit constituta respectu offensæ mortalis.

15. *Prima solutio.*

Huic obiectioni respondeti potest primò, negando causalem maioris, sed ideo non possunt omnia peccata venialia adæquare grauitatem vnius peccati mortalis, quia peccatum mortale est in ratione offensæ grauitatis simpliciter infinitæ: vndè si satisfactio Christi non est infinita simpliciter, quamuis offensa mortalis sit ordinis inferioris ad satisfactionem Christi, poterit exhauriri peccatorum multitudine. Cæterum cõtra hanc solutionem obstat primò, esse omnium Theologorum sententiam, nec plura peccata venialia, nec omnia simul sumpta æquiualere posse vnico peccato mortali; quòd autem peccatum mortale sit grauitatis infinitæ simpliciter, est tantùm sententia probabilis, cui plures Theologi, etiam ex Schola Thomistica, non assentiuntur. Ergo sententia negans æquiualẽtiam omnium peccatorum venialium in morali æstimatione vnico peccato mortali alliganda non est illius inuentati simpliciter.

Reijcitur primo.

Deindè, nam esto peccatum mortale infinitæ grauitatis non esset, esset condignum demeritum carẽtiæ gratiæ iustificantis, & pœnæ æternæ, tam damni, quam sensus, quandoquidem opus à pura creatura elicitum, & adoptionis gratia formatum, illaque dignificatum, quamuis infinitum nõ sit, est condignum meritum augmenti gratiæ, & æternæ beatitudinis; & tamen omnia peccata venialia, etiam collectiuè sumpta, nequeunt huiusce modi pœnas mereri, aliàs ex collectione venialium consurgeret peccatum mortale, quod ideò tale dicitur, quia mortem animæ infert per exclusionem gratiæ habitualis animam viuificantis vita supernaturali. Ergo etiã si peccatum mortale infinitæ grauitatis non esset, non possent omnia peccata venialia vnicum peccatum mortale in vi demeritoria adæquare, & consequenter, nec in æstimatione morali.

16. *Secũdò.*

Quare prætermissa hac solutione, respondeo ad secundam obiectionem, negando causalem maioris, vt adæquatam; nam bonum famæ superioris ordinis est ad bona fortunæ; & tamen possunt bona fortunæ adeò crescere, adeoque multiplicari, vt excedant in morali æstimatione bonum famæ vnius hominis, & vt superius arguebam, actus misericordiæ, vel iustitiæ respectu actus charitatis inferior est specificè; & tamen potest actus misericordiæ adeo intendi, vt in ratione meriti actum charitatis excedat in sententia non alligante præmiũ essentialis beatitudinis solis actibus charitatis, & furtum, v.c. quod respectu odij Dei est inferius specificè, potest adeò ex alijs capitibus crescere, vt odium Dei in ratione demeriti excedat: quòd ergo omnia peccata venialia nequeant adæquare in morali æstimatione vnicum peccatum mortale, non est præcisè, quia peccatum mortale est in ordine superiori, sed quia peccatum veniale, vtpotè leuis offensa non potest adeò crescere intensione, aut multitudine, vt Deo displiceat simpliciter, sed tantum secundum quid, & consequen-

17. *Secũda, & vera solutio.*

tèr remanens intra limites peccati venialis, non poteſt tollere gratiam, nec amicitiam diuinam, aliàs tranſiret ad rationem peccati mortalis; peccatum autē mortale ſimplicitèr diſplicet Deo, & peccata mortalia ſine termino in infinitum diſplicent infinitè ſimplicitèr, ideoque obſequium infinitè ſimplicitèr non placens, & non placens ſine termino, non poteſt æquiualere offenſis mortalibus ſine termino in infinitum. Ex quo fit, vt niſi ſatisfactio Chriſti Domini ſit placens Deo infinitè ſimplicitèr, & conſequentèr ſimpliciter infinita in morali æſtimatione, eſſe non poſsit condigna pro culpis mortalibus ſine termino in infinitū, nec illis æquiualere.

18. *Secundò probatur concluſio ratione D. Thomæ*

Denique principalitèr ſuadetur cōcluſio ratione, qua vſus eſt D. Thomas *quodlibet. 2. q. 2. ar. 2.* creſcit enim ſatisfactionis dignitas ad incrementū dignitatis perſonæ ſatisfacientis; quo circa diſcoopertio capitis à Rege facta in recompenſationem iniuriæ alicui irrogatæ pluris æſtimatur, quam genuflexio viri nobilis regiam dignitatem non attingentis, & iſtius humiliatio pluris habetur humiliatione plebeij, quia Rex equitem, & eques plebeium ſuperant in perſonali dignitate. Cuius ratio eſt; nam licet perſona operans non ſit principium *quo* operationum; eas tamen operatur vt *quod*, quidquid in oppoſitum contendat Vazquez contra communem Phyloſophorum ſententiam aſſerentium, actiones eſſe ſuppoſitorum, ſeu ſubſiſtentium, non ſolum denominatiuè, ſed etiam effectiuè, & elicitiuè, vt *quod*; ſed dignitas perſonæ Chriſti ſatisfacientis eſt ſimplicitèr infinita: ergo ſatisfactio Chriſti accipit ab illa infinitam dignitatem ſimplicitèr, & valorem ſatisfactorium ſimplicitèr infinitum.

19. *Solutio Scoti.*

Hæc eſt ratio à priori pro noſtra, & communi ſententia, cui Scoti diſcipuli occurrunt, conceſsis maiori, & minori, negando conſequentiam. Eo quòd ſatisfactio nō creſcit arithmeticè ad incrementum dignitatis perſonæ ſatisfacientis, hoc eſt, æqualem eū illa dignitatem participando, ſed geometricè, & ſecūdum proportionem, hoc eſt, talitèr quòd ſi perſona ſatisfaciens ſuperior ſit, illius etiam ſatisfactio perſonæ inferioris ſatisfactionem excedere debeat. Vndè ex hoc quòd perſona Chriſti ſatisfaciens ſit infinita, non ſequitur illius ſatisfactionem eſſe infiniti valoris, ſeu infinitæ acceptabilitatis, vel æſtimabilitatis, ſed ad ſummū colligitur, quòd omnis perſonæ creatæ ſatisfactionem excedat, & rationem à priori huius doctrinæ deſumunt, ex eo quòd perſona ſatisfaciens non influit in operationes immediatè ſeipſa, ſed medio principio *quo* operatiuo: vndè quando hoc eſt finitum qualitèr in Chriſto euenit, qui media humanitate, & gratia habituali finitis influit in operationes, nequit illis infinitatem ſuam communicare.

20. *Reijcitur primò.*

Verùm contra hanc ſolutionem inſurgo primò ad hominem contra præfatos Auctores, qui ex eo quòd offenſa nō creſcit arithmeticè ad incrementum dignitatis perſonæ offenſæ, ſed ſolum geometricè inferunt, offenſam contra Deum commiſſam tantæ grauitatis non eſſe, vt pro illa à puro homine non poſsit condigna ſatisfactio præſtari: ergo ſatisfactio à pura creatura exhibita poteſt adæquare grauitatem offenſæ diuinæ, quia hæc non creſcit arithmeticè ad exceſſum dignitatis perſonæ iniuriatæ per ipſam. Tunc ſic: ergo ſi ſatisfactio non creſcit arithmeticè, ſed tantum geometricè ad incrementum dignitatis perſonæ ſatisfacientis, poterit adeò creſcere ſatisfactio puræ creaturæ, vt in valore, & dignitate adæquet ſatisfactionem Chriſti, quod præfati Auctores negāt. Probo hanc conſequentiam; nam ſi diſtantia perſonæ offenſæ à perſona creata ſatisfaciente non obſtat, quo minus ſatisfactio adæquare poſsit offenſæ grauitatem, quia perſona, cui irrogatur, illi infinitatem non præſtat: ergo nec diſtantia perſonæ Chriſti ſatisfacientis à perſona ſatisfaciente creata poterit impedire, quo minus ſatisfactio creaturæ adæquare valeat Chriſti ſatisfactionem, quandoquidem

dem persona Christi infinita satisfaciens satisfactioni à se exhibitæ infinitum valorem non præstat.

21. *Secundo*

Deindè reijcitur: nam vel persona Christi satisfaciens præstat seipsa immediatè dignitatem, aut valorem satisfactioni à se exhibitæ, vel non: si primum, præstat illi infinitum valorem: si secundum, dare nequit valorem inexequabilem à satisfactione à pura creatura exhibita: ergo vel fateri debent, opera Christi Domini esse valoris satisfactorij simplicitèr infiniti, vel negare tenentur, quòd gaudeant valore inadæquabili à satisfactione præstita à pura creatura. Minor pro prima parte patet; indè namque inferunt cõtrarij Auctores, personam, esto infinita sit, non valorare infinitè operationes, quia in illas immediatè non influit, sed medio principio finito *quo*: ergo si aliquam dignitatem, vel valorem seipsa immediatè communicat operi satisfactorio, cessat ratio limitationis, & consequentèr communicabit illi dignitatem infinitam, & infinitum valorem. Deindè eadem minor pro secunda parte probatur; nam principium *quo* mediante persona Christi influit dignitatem in opera, est eiusdem rationis cum principio *quo* satisfactionis præstitæ à pura creatura, nempè gratia habitualis, quæ licet in gradu intensiori communicata fuerit humanitati Christi, quam alijs; potuit tamen de potentia absoluta in eadem intẽsione, & in maiori creaturæ communicari: ergo si persona Christi nullum valorem præstat operibus humanitatis immediatè seipsa, sed omnem communicat mediante principio *quo* limitato, & finito, nullus valor reperietur in illis, quem opus à pura creatura elicitum adæquare non possit de potentia Dei absoluta: si vt potest, Deus communicet puræ creaturæ gratiã æquè intensam cũ illa, quam de facto præstitit humanitati Christi.

22. *Dices.*

Si fortè dicatur, personam Verbi influere dignitatem media humanitate, vt à se significata, quæ significatio nulli personæ creatæ potest communicari, & ideò dare illis valorem, seu dignitatem à nullius creaturæ satisfactione adæquabilem. In contrarium obstat, quòd si persona Verbi significat humanitatem, illam infinitè significat; nam ratio, cur operibus ab humanitate elicitis persona Verbi, non præstat infinitam dignitatem, iuxta contrarios Auctores est, quia influit in operationes mediante principio *quo* limitato, & finito, quæ ratio respectu humanitatis significatæ à Verbo non militat, cum illam non significet medio aliquo principio *quo* radicalitèr, vel proximè influente dignitatem, quòd finitum, & limitatum sit, sed immediatè seipso: ergo si influit suppositum Verbi valorem satisfactorium, & meritorium in operationes Christi mediante humanitate, vt a Verbo significata, dabit illis dignitatem, & valorem meritorium simplicitèr infinitum. Patet consequentia; nõ enim influit talem dignitatem mediante principio finito, vt finito, sed mediante principio finito, vt infinitè significato, nempè media humanitate, vt infinitè significata à Verbo: ergo præstat operationibus media humanitate elicitis dignitatem infinitam, valoremque meritorium, & satisfactorium simplicitèr infinitum.

Contra.

23. *Tertio reijcitur solutio Scoti.*

Denique tradita solutio reijcitur; etenim persona operans significat proprias operationes, & maximè illas, in quibus se humiliat, & subijcit; quo circa operationes Regis regiam ab ipso capiunt dignitatem; & operationes Christi theandricæ, & Dei viriles à Patribus appellãtur: ergo cum persona operans fuerit infinita, infinitam dignitatem illis communicabit, si vndè limitetur, non habeat, nec vndè impediatur infinitas, quam de se potest præstare; sed persona Verbi non habet à quo limitetur, & aliàs est infinita: ergo præstat operibus à se media humanitate elicitis infinitam dignitatem, valoremque meritorium, & satisfactorium simplicitèr infinitum. Minor, in qua est difficultas, ostenditur; nam triplex limitationis caput excogitari potest, videlicet

principium *quo* elicitiuum operationum, vnio talium operationum cum persona satisfaciente, vel operationes ipsæ, quæ recepturæ sunt dignitatem; sed limitatio principij *quo* elicientis operationes non limitat influxum personæ; quia principium *quo*, etsi eliciat entitatem operationum; dignitatem verò a persona operante sumendam non elicit, nec efficienter causat, vt ex argumentorum solutione constabit, nec vnio operationum ad suppositum Verbi illius influxum limitare potest; tùm quia solum est conditio, non autem ratio formalis, vt dignitatem recipiant; ac proindè nequit impedire infinitatem à Verbo, vt formæ morali præstãdam. Tùm etiam quia vnio humanitatis ad Verbum, esto finita, & limitata sit, non obstat, quin humanitas à Deitate, aut à personalitate Verbi infinitam sanctitatem, dignitatemque recipiat: ergo pariter vnio operationum cum persona Verbi valorante, etsi limitata sit, & finita, obstaculum esse non potest, vt operationes diuino Verbo coniunctæ infinitè valorentur.

Tùm denique, nam etiam vnio ipsa dignificatur à supposito Verbi: ergo dignificatur infinitè, & consequenter, licèt physicè finita sit, erit infinita moraliter: ex quo vlterius sequitur, vt licet impediat, nè operationes perfectionem physicè infinitam à supposito Verbo recipiant; impedire tamen non potest, vt ab illo capiant dignitatem infinitam moraliter, & vt à Verbo infinitè simpliciter valorentur in morali æstimatione. Nec limitatio operationum, quæ recepturæ sunt dignitatem, & valorem meritorium, esse potest impedimentum, vt infinitam dignitatem recipiant; tùm quia limitatio humanitatis Verbo hypostaticè vnitæ non impedit, quin humanitas infinitè sancta, & infinitè digna reddatur à Verbo: ergo limitatio physica operationum, quæ recepturæ sunt dignitatem, non impedit, vt à Verbo infinitam dignitatem recipiant, infinitumque valorem: tùm etiam, nam limitatio subiecti solum potest limitare formam educendam ex illo, aut in illo intrinsecè recipiendam; non vero illam, quæ per eductionem, ex illius potentia non fit, nec in illo intrinsecè physicè recipitur; sed forma dignificans, & valorans operationes Christi, scilicet persona Verbi, ex illarum potentia non educitur, neque in illis recipitur intrinsecè physicè: ergo limitatio talium operationum impedire non potest infinitam dignitatem à persona Verbi sumendam; ac proindè ex nullo capite limitatur influxus personæ Verbi operantis, vt actibus à se media humanitate elicitis infinitam dignitatem, infinitum valorem, & æstimabilitatem infinitam communicet.

§. III.

Diluuntur tria argumenta contrariæ sententiæ.

CONTRA istam conclusionem arguitur primò. Conflatum ex duobus, quorum vnum est finitum, etsi alterum sit infinitum, non est infinitum simpliciter, vt constat in corpore, cuius longitudo esset infinita, profunditas verò, siuè latitudo finita, quod ideò non esset infinitum simpliciter in genere quantitatis, quia licet haberet vnam partem infinitam, ex alia tamen parte finita coalesceret; sed satisfactio Christi constat ex valore sumpto ex gratia habituali, ex obiecto, & alijs circunstantijs, qui valor finitus, & limitatus est: ergo licet valor à persona Verbi sumptus sit infinitus simpliciter, ipsa simpliciter infinita non est, sed solum secundum quid in ratione valoris satisfactorij. Et augetur difficultas

24. *Primũ argumẽtum contra nostram cõclusionẽ.*

Cõfirmatur primo.

cultas primò: id, quod depẽdet ex pluribus causis, quarum aliqua finita est, non est infinitum simpliciter, etiam si aliæ sint infinitæ; sed valor satisfactorius operationum Christi dependet à pluribus causis finitis, nempè ab humanitate, à gratia habituali, & virtutibus, ab obiecto, & intensione actus: ergo etiam si persona satisfaciẽs, quæ etiam ad valorandum actum concurrit, infinita sit, non est infinitus simpliciter. *Cõfirmatur secundo.* Confirmatur, & vrgetur secundo: infinito simpliciter in aliquo genere, non potest in eodem genere dari maius; sed vnus actus meritorius, & satisfactorius Christi est maioris valoris meritorij, & satisfactorij, quam alius: ergo nullus est simpliciter infinitus. Minor probatur; nam actus charitatis à Christo media humanitate elicitus adæquatur cum actu humilitatis in valore personali, & illum excedit in valore sumpto ex obiecto, sicuti excederet, si vterque à persona creata, & finita eliceretur: ergo actus charitatis in Christo excedit in valore meritorio, & satisfactorio actum humilitatis. Et idem est de quouis actu aliarum virtutum dicendum; nam charitas omnes virtutes excedit.

25. *Solutio Patris Vazq.*

Ad hoc argumentum Vazquez vbi supra *num.* 21. respondet, quòd licet aliæ circunstantiæ necessariæ sint, vt actus sit meritorius, aut satisfactorius apud Deum; vltimo tamen ratio meriti, aut satisfactionis completur per statum sanctitatis personæ, vt autem infinitus sit in genere satisfactionis, & meriti sufficit infinitas vltimi complementi, per quam actus eleuatur ad statum infinitæ æstimationis, & ferè in idem venit, quod respondet Suarez *loco allegato solutione ad 3.* Cõtra quam doctrinam, & solutionẽ obstat exemplum in argumento adductum de corpore; nam si corpus, quod ex trina dimensione componitur, nẽpè longitudine, latitudine, & profunditate esset infinitum secundum profunditatem, finitæ verò longitudinis, & latitudinis, non esset infinitum simpliciter in genere quantitatis, sed sõlum secundum quid; & tamen vltimum, quo completur, & in ratione corporis constituitur, est dimensio secundum profunditatem: ergo infinitas vltimi complementi non sufficit ad infinitatem simpliciter in eo, quod conflatur ex pluribus, quorum aliqua sunt finita.

Reijcitur

Vndè quidquid sit de huius solutionis veritate, ad argumentum respondeo distinguendo maiorem: si pars infinita ingrediens constitutionem eminenter partes finitas contineat, nego maiorem: si non contineat illas eminenter, transeat maior; & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam; nam valor à persona Verbi sumptus eminenter continet alios valores, qui in actu satisfactorio Christi sumuntur ex alijs capitibus: vndè sicut hoc complexum *Deus homo* infinitum simpliciter est, etsi humanitas sit quid finitũ, quia Deus ex quo simul cum humanitate coaluit eminenter continet illam, ita satisfactio Christi est valoris satisfactorij, & meritorij simpliciter infiniti; quia valor personalis eminenter continet valores ex alijs capitibus sumptos. Et ratio est manifesta, quia si vnum ex componentibus est infinitum simpliciter, non potest ex consortio alterius componentis finiti suam amittere infinitatem, nec illam consecuto à se non præstare.

26. *Vera solutio.*

Ad primam confirmationem dicatur, valorem operationum Christi sumptum ex gratia habituali, ex obiecto, & alijs circunstantijs finitis ratione sui infinitum non esse, sed finitum, & limitatum: valor autem desumptus ex dignitate personæ operantis, quem Nos infinitum adstruimus, non dependet à gratia, nec ab alijs principijs concurrentibus ad actum, nisi solum antecedenter, & præsuppositiuè, vt scilicèt ponatur subiectum recepturum infinitatem non causans formam infinitantem; hæc autem dependentia præsuppositiua, & antecedens infinitati valoris sumpti à persona Verbi non obstat, vt constat ex dictis, & amplius ex dicendis constabit.

27. *Ad primã confirmationem.*

Ad secundam cõfirmationem dicatur, veram esse maiorem de maiori

Ad secũdam.

tate intensiua, secus autem de extensiua, nam hoc cõplexũ *Deus homo*, quid maius est extensiuè, quam Deus solus, non verò intensiuè, eo quòd humanitas eminentèr cõtinetur in Deo. Quia ergo valor meritorius, aut satisfactorius actui charitatis à Christo elicito ex obiecto conueniens cõtinetur eminentèr in valore actus humilitatis Christi sumpto à persona operante, consequens sit, quòd actus charitatis à Christo media humanitate elicitus extẽsiuè, solum excedat actum humilitatis, non autem intensiuè.

28. *Replicabis.* Sed dices: id eminentèr continet aliud, quod illud in se cõtinet per modum causæ, sed valor personalis operationum Christi, non continet in se per modum causæ valorem sumptum ex alijs capitibus, quandoquidem illum causare non potest: ergo illum eminẽtèr non continet.

Respondetur. Respondeo, continentiam eminentialem duplicem esse, aliam causalitatis, & aliam æquiualentiæ, & licet valor personalis, operum Christi Domini, non contineat eminentèr valorem ex alijs capitibus sumptum eminentia causalitatis; continet tamẽ illum eminentia æquiualentiæ, quatenus ad nullũ præmium promerendũ extendi potest actus elicitus ab humanitate Christi ratione valoris ex alijs capitibus sumpti, ad quod non extendatur, & quod meritoriè non contineat ratione valoris personalis sumpti à persona operante, sicut gratia vnionis hoc secũdo genere eminentiæ continet gratiam habitualem, quia licet illam efficientèr non causet; ei tamen æquiualet, in quacumque intensione in ratione constituendi obiectum congruum diuinæ dilectionis.

29. *Secũdũ argumẽtum.* Secundo arguitur: licet obiectum infinitum possit quantũ est de se actui ipsum attingenti communicare infinitam perfectionem, si principium *quo* elicitiuum actus finitum, & limitatũ sit, limitat influxum obiecti, impeditque, vt actui suam infinitatem cõmunicet. ergo licet persona infinita satisfaciens possit, quantum est de se dare infinitum valorem actui satisfactorio; si tamẽ operetur medio principio *quo* limitato, & finito, impeditur ab illo, nè actui infinitum valorem communicet, & cõsequẽtèr satisfactio Christi infinitæ dignitatis, aut infiniti valoris non erit, quamvis persona operans sit infinita, quandoquidem principiũ *quo* illius, nempè humanitas exornata donis gratiæ limitatum, & finitum est. Patet consequentia; ideò namque obiectum, quamvis infinitum sit, limitatur à principio finito, quia finito modo tendit in ipsum; sed etiã actus personæ infinitæ operantis elicitus ab illa medio principio *quo* limitato, & finito, modo finito egreditur, & vnitur cum persona influente; ergo limitatur influxus personæ infinitæ à principio *quo* finito, nè actui à se elicito infinitum valorem, vel infinitam dignitatem communicet.

30. *Solutio.* Respondeo, à nullo negari posse plus ad dignitatẽ satisfactionis personam satisfacientem, quam obiectum conducere: vndè obsequium à Rege exhibitum regium censetur, & est, nõ autem obsequium Regi exhibitũ ab alio, & operationes Christi theandricæ, & Dei virtles appellantur à Patribus, cum tamen operationes illæ, quæ Christum, vt obiectum respiciũt, nec Dei virtles, nec theandricæ dicantur; non ergo ex obiecto ad personam satisfacientem efficax fit argumentum, neque ex eo quòd obiectum infinitũ nõ det actui à se specificato infinitam perfectionem, efficaci illatione colligitur, personam operantẽ infinitam non dare operibus à se elicitis infinitã dignitatem, quamuis ab illa egrediantur mediãte principio finito. In qua sola ratione discriminis doctos Theologos quiescentes reperio, sed adhuc plenè satisfactum, non video ad paritatem propositam, nec adæquatè explicatum, cur principium *quo* limitatum eliciens operationẽ, non limitet influxum personæ infinitæ, cum tamẽ limitet infiniti obiecti cõcursum. Vndè aliquid est addendum ad pleniorẽ solutionem, concesso ergo antecedẽti, nego consequentiam; rationem autem discriminis sæpè *disputatione prima* insinuaui inter soluenda argumenta,

tæ, & in hac disputatione nostram conclusionē suadens consistentem in eo, quòd obiectum nō dat se ipso per modum formæ actui à se specificato perfectionem, vel dignitatem, sed solum concurrit specificatiuè ad illam sumēdam effectiuè à principio operante, & efficiente actum: vndè si hoc sit limitatum, & finitum, nequit actui dignitas, vel perfectio infinita ex obiecto deriuari, cum omnis dignitas, vel perfectio specificatiuè deriuata ex obiecto debeat in principio *quo* præcōtinere effectiuè: dignitas autem, seu valor suptus à persona operante prouenit ab illa, vt à forma, cūque principium *quo* elicitivum, non influat in talem formam, necillà effectiuè contineat, consequens fit, vt in valorem personalem à tali forma desumptum effectiuè non influat, sed solum cōcurrat præuiè, & antecedētèr causando subſtractum, actum scilicet valorandum. Ex quo viterius fit, quòd cum non debeat principium *quo* elicitivum actus præcontinere effectiuè valorem formaliterèr à persona operante præstandum: non impediat eius limitatio infinitatem valoris sumpti à persona operante infinita.

31. *Replica bis primo.*

Sed instabis aduersus istam solutionem primò: nō minus est sufficiēs limitatio subſtracti ad limitandum influxum formalem formè, quam limitatio principij *quo* elicitiui ad limitandum influxum specificativum obiecti; sed eo ipso quòd principium *quo* elicitivum finitum, & limitatum sit, actus ab illo egrediens, qui est subſtractum valorandum à persona, finitus, & limitatus est: ergo ita limitat principium *quo* finitum influxum formalem personæ, ac limitat influxum specificativum obiecti. Maior, in qua est difficultas, probatur; non enim possumus aliūdè colligere, principium *quo* effectivum limitare influxum moralem obiecti, nisi quia in physicis, ita contingit, quòd principium limitat influxum obiecti, vt dantis physicam perfectionem; sed limitatio subſtracti limitat influxum formalē physicum formæ, quò circa in subiecto finitæ capacitatis nequit recipi forma physicè infinita, nec illi effectum formalem physicè infinitum præstare; qua ratione inferius *q. 7. ar. 11.* docet Angelicus Doctor, gratiam habitualem in anima Christi receptam physicè infinitam non esse; quia nempè capacitas animæ Christi physicè finita est: ergo etiam limitatio subſtracti impedit influxum formalem moralem, & cōsequentèr quamvis forma præstitura valorem sit moralitèr infinita, si subſtractum est finitum, vt est quilibet actus elicitus ab humanitate Christi, non poterit illi valorem infinitū præstare, nec infinitè æstimabilem, valorosumque constituere.

32. *Secūdò.*

Secundo instabis; nam esto obiectum non sit forma physica actus à se specificati; poterit tamen esse forma illius in genere moris; & tamen limitatur à principio *quo* finito, ne actum specificatum constituat in aliquo esse infinitum, etiam in genere moris: ergo quòd persona operans se ipsa, vt forma det valorem moralem operibus à se elicitis, non arguit, non limitari, impedirique à principio *quo* finito, vt operibus à se elicitis præstet infinitum valorem, illaque infinita in genere moris cōstituat. Prob. maior; nam persona operans, non est forma physica operationum, quas elicit, & quibus operans constituitur; & tamē est forma illarum in genere moris, vt diximus proximè in solutione argumēti, & infra amplius explicabimus: ergo quamuis obiectū non sit in genere physico forma actus ab ipso specificati, poterit esse forma illius in genere moris, illumq; formaliterèr in hoc genere cōstituere in aliquo esse. Tertio instabis: dignitas hominis grati, & amici Dei per gratiam habitualē cōcurrit ad valorem meritorium vt forma; & tamen limitatur à principio *quo* proximo, nam etiam si dignitas gratiæ habitualis sit intensionis, vt octo, si principium *quo* proximum sit solum intensum, vt quatuor, non significat gratia habitualis actum meritorium vt octo, sed infra: ergo dignitas personæ, esto satisfactionem, vt forma valoret, limitatur à principio *quo* elicitiuo actus satisfactorij.

Tertiò.

33. *Respondetur ad primam replicã.*

Respõdeo ad primam instantiam, negando maiorem, ad illius probationem, nego etiam maiorem; non enim ex physicis per formalem consequentiam ad moralia argumentamur: contingit enim, vt id, quod physicè subiectum est, sit forma in genere moris; ratio autem, ob quam limitatio obiecti à principio, non solum cõtingit in genere physico; sed etiam ad genus moris extenditur; secus autem limitatio formæ à subſtracto, ea est; nam militat idem argumentum in vtroque genere ad limitationem obiecti à principio; etenim ratio, cur principium *quo* limitat concursum obiecti, est; quia quòd ab ipso datur obiectiuè, debet effectiuè in principio *quo* contineri, quod in vtroque genere est verum: & ideò limitatio obiecti à principio ad vtrumque genus pertinet, non sic limitatio formæ à subſtracto finito; nã ratio, quæ probat, formam physicam limitari à subiecto, est, quia ex illius potentia educitur, vel quia intrinsecè in illo recipitur: & quia vnumquodque recipitur ad modum recipientis: consequẽs est, quòd forma physicè infinita nequeat in subſtracto finito inueniri: cæterum forma moralis, cum physicè sit extrinseca subſtracto denominato, sequitur leges formæ extrinsecæ, quoad non limitari ab illo, & quia forma purè extrinseca à subiecto non limitatur, quia in illo non recipitur, neque educitur ex eius potentia: vndè entitas creata, & finita cognoscitur, & amatur à Deo cognitione, & amore infinitis, fit consequens, quòd forma moralis infinita non limitetur quoad suum influxum formalem à subſtracto limitato, & finito.

34. *Oppones.*

Si opponas: personalitas Verbi in creata nõ dat humanitati assumptæ, quòd infinitè subsistat, eo quòd humanitas finita est, & diuina essentia vnita mentibus beatorum, vt species, & forma, non vnitur illis modo infinito, nec infinitè videntes constituit, quia intellectus illustratus lumine gloriæ, cui suum præstat effectum, vel quasi effectum formalem, aliquid finitũ est; & tamen, nec subsistentia Verbi intrinsecè in humanite recipitur, aut ex eius potentia educitur, nec similiter diuina essentia, vt species recipitur intrinsecè in mente beati, neque educitur ex potentia illius: ergo forma infinita intrinsecè non recepta in aliquo subſtracto, neque educta ex illius potentia limitatur à subſtracto finito, nè illi præstet effectum formalem infinitum: ac proindè quòd forma moralis non recipiatur intrinsecè in subiecto à se denominato, neque ex illius potentia educatur, non probat, non limitari ab illo quoad suum influxum formalem.

35. *Respondetur.* *Prima.*

Respondeo, prætermissa prima parte maioris, & concessa secunda, concessa etiam minori, & prima cõsequentia loquendo in aliquo casu, negando secundam consequentiam. Ratio autem discriminis duplex est; nam subsistentia Verbi vnitur humanitati suo instituendo vices subsistentiæ creatæ propriæ humanitatis, quia illam continet eminentèr, ideoque nõ constituit illam subsistentem, ita perfectè, ac subsistentem redderet naturam Angelicam; quia subsistentia naturæ Angelicæ, cuius vices gereret subsistentia Verbi, si naturam Angeli redderet subsistẽtem, perfectior est subsistentia propria humanitatis; & indè fit, vt humanitas, etsi per infinitam subsistentiam subsistat, non dicatur subsistere infinitè per illam. Diuina etiam essentia vnita per modum speciei gerit vices obiecti determinantis ex parte principij, & vnitur, non dando virtutem, sed illam in intellectu supponendo: vndè commensurari debet cũ virtute principij proximi effectiui, & quia hæc finita est in intellectu creato, nequit essentia diuina, vt species illum constituere potentem infinitè videre, nec cum illo ad intellectionem infinitam concurrere. Quæ rationes in persona Verbi, vt, valorante actus humanitatis nõ militant; non enim valorat illos substituendo vices valoris finiti, nec vnitur, vt comprincipium non dans, sed supponens virtutem, sed vt adæquata forma dignificans, & valorans in ordine ad satisfaciendum, & merendum;

dum; ideoque non limitatur ex limitatione physica actuum, vt illis infinitum præstet valorem, eosque infinitè valorosos constituat. Secunda ratio differentiæ est, quòd subsistentia vnitur humanitati, & diuina essentia, vt species mentibus beatorum modo physicè finito, ideoque limitantur à subtractis quoad influxum suum formalem, nè illis præbeant effectum formalem infinitum: persona autem Verbi, vt forma vnitur actibus meritorijs, & satisfactorijs modo infinito moraliter, vt inferius declarabimus, ideoque non limitatur ab illis quoad influxum formalem valoris, nec impeditur, vt illos infinitè meritorios, & satisfactorios constituat.

Secunda

36. *Ad secundam replicam respondetur*

Ad secundam instantiam respondeo, negando maiorem, ad cuius probationem, concessa maiori, & minori, nego consequentiam. Ratio autem, cur obiectum in genere moris, non comparatur ad actum, vt forma ipsum in aliquo esse constituens, non est, quia physicè non sit forma, sed quia omninò extrinsecè comparatur ad ipsum, quod autem sic se habet, nõ gerit in prudenti æstimatione munus formæ se ipso informantis, & denominantis, sed munus termini, à quo specificatio desumitur; subiectum autẽ actus satisfacientis non se habet omninò extrinsecè ad illum, etsi in ratione formæ non se habeat intrinsecè physicè; ideoque in prudentum iudicio concipitur, vt forma se ipso valorans, & informans actum, quod non aliundè, quam ex communi prudentum conceptione potest probari; dicuntur enim communiter actiones Regis regiæ, & actiones Christi Dei viriles vocantur: ergo denominationem à persona operante desumunt, & cõsequenter persona operans respectu illarum se habet, vt forma, etsi non intrinseca physicè; intrinseca tamen moraliter, cu tamen actiones ab illis specificatæ, vt obiectis, denominationes istas nõ subeãt. Ad tertiam instantiã cõcessa maiori, & minori, distinguo cõsequens: dignitas personæ sumpta ab habitu accidentali, concedo consequentiam: dignitas subsistentialis personæ, nego consequentiam ob discrimen dandum inferius.

Ad tertiam.

37. *Tertium argumentum.*

Tertio arguitur, & principalis solutio impugnatur: principium *quo* elicitivum actus satisfactorij comparatur ad valorem personalem talis actus, non solum passiuè, sed etiam actiuè; sed quia ad dignitatem sumptam ab obiecto actiuè comparatur principium *quo* elicitivum, limitat concursum obiecti, nè actui infinitam dignitatem communicet, quia nullus obiectum infinitum sit, & potens, quantum est de se illam communicare: ergo eadem ratione limitat concursum valorantem personæ. & consequenter quamvis infinita sit, non præstabit actui satisfactorio infinitũ valorem. Consequentia est bona: minorem docuimus argumẽtum soluendo. Maior autem, cui soli difficultas inest, ostenditur primò; nam valor ille, cum moralis sit, debet esse liber merenti, & satisfacienti; moralitas enim siuè bona, siuè mala supra libertatem fundatur, illamque necessariò præsupponit, vt docet communis sententia 1.2.q.18. Ergo etiam debet esse vitalis; vitalitas enim ad libertatem saltem positiuam supponitur: ex quo vlterius fit, vt debeat esse à principio *quo* actiuo, & non solùm passiuo; quòd enim vitale est, debet cõuenire viuenti ab intrinseco egressiuè, & actiuè. Secundo probatur; nam principium *quo* elicitivum actus satisfactorij non se habet mortuo modo respectu valoris personalis præstiti à persona operante, & satisfaciente: ergo viuit per talem valorem, & consequenter effectiuè *vt quo* illum causat; in hoc enim viuens à non viuente distinguitur, quod viuens habet perfectionem, qua viuit à se effectiuè: secus autem non viuens, sed illam aliundè recipit.

Maior probatur primo.

Secũdo

Tertiò

Tertiò, nam per valorem personalem meriti, principium merens tẽdit ad præmium: ergo vitaliter, & liberè se habet respectu illius, ac proindè illum effectiuè causat iuxta proximè dicta. Præterea, nam subiectum satisfaciens viuit per actum satisfactorium; sed actus satisfactorius constitutur

Quartò.

tuitur per ſuam entitatem, & per valorem perſonalem: ergo per valorem perſonalem viuit, & conſequentèr illum cauſat effectiuè vt *quod*: ex quo vlterius fit, vt principium *quo* elicitivum debeat eumdem valorem effecti-
Quintò. uè vt *quo* cauſare. Denique probatur maior; nam valor perſonalis actus ſatisfactorij à Chriſto media humanitate eliciti, vtpotè incipiens eſſe de nouo, non eſt aliquid increatum, cui inceptio temporanea repugnat: ergo eſt aliquid creatũ, & cõſequentèr cauſatũ ab aliqua cauſa efficienti; ſed Verbum non cauſat efficientèr prædictũ valorem ratione diuinitatis, niſi vt cauſa prima ſimul cum alijs perſonis Trinitatis, præterquam alia cauſa ſecunda efficiens debet aſsignari: ergo principium *quo* elicitivum actus ſatisfactorij effectiuè ad valorem perſonalem talis actus concurrit; non enim alia cauſa efficiens prædicti valoris poteſt reperiri.

38. *Reſpondetur ad argumẽtum, & ad primã probationẽ maioris.*

Reſpondeo, negando maiorem, ad primam probationem dicatur, duplicem eſſe moralitatem, aliam deſumptam penes ordinem ad regulas morum, legem, ſcilicet, vel cõſilium, quæ conſiſtit in bonitate, vel malitia morali, & hæc petit eſſe libera, & voluntaria, etſi poſitiua ſit petit eſſe vitalis; aliam deſumptam penès ordinẽ ad iudicium prudẽtum, vt valor monetæ; & hæc non petit eſſe formalitèr libera, nec voluntaria: valor autẽ perſonalis ſatisfactorius Chriſti, non eſt moralis in prima, ſed in ſecunda acceptione moralitatis, ideoque nõ petit eſſe formalitèr liber, nec voluntarius, nec vitalis, & conſequentèr non petit à principio *quo* elicitiuo actus ſatisfactorij efficientèr procedere. Ad ſecundam probationem dicatur, quòd vt principium *quo* elicitiuum actus ſatisfactorij, non ſe habeat mortuo modo reſpectu valoris perſonalis, ſufficit, quòd viuat, vt *quo* per actum, qui eſt ſubſtractum talis valoris, etſi per valorem ipſum perſonalem, & per formam illum præſtantem non viuat formalitèr.

Ad ſecũdam.

39. *Ad tertiam.*

Ad tertiam dicatur, principium merens, non tendere ad meritum per valorem perſonalem, ſed per actum valoratum, nec per valorem meretur, ſed per actum illo dignificatum, ad quod ſufficit, actum ipſum valoratum eſſe liberum, & vitalem merenti, etſi valor perſonalis, nec liber, nec vitalis ſit. Ad quartam probationem dicatur, meritum Chriſti in concreto importare entitatem phyſicã actus meritorij bonitatem moralem, & valorem ex obiecto, & alijs circunſtantijs deſumptum, & inſuper valorem infinitum perſonalẽ ſumptum à perſona Verbi: viuit ergo Chriſtus phyſicè per entitatem phyſicam actus ſatisfactorij, & per bonitatem moralem, & valorẽ ex alijs capitibus ſumptum viuit moralitèr; quia hæc omnia ab illo ſunt egreſsiuè ratione principij *quo* elicitiui: non autem viuit, nec phyſicè, nec moralitèr per valorem perſonalem, nec per totum actum meritorium ſyncathegorematicè, ſed per totum meritum cathegorematicè, ideſt, viuit per totum meritum, nõ ratione omnium partium, ex quibus meritum conflatur, ſed ſolum ratione aliquorum ingredientium eius cõſtitutionem.

Ad quartam.

Ad vltimam probationem dicatur, valorem perſonalem actus ſatisfactorij Chriſti ſumptum in abſtracto eſſe aliquid increatum, ſcilicet, perſonalitas, ſeu diuinitas Verbi, ſeipſa, vt forma talem actum valorans: ſumptum verò concretiuè eſſe aliquid creatum, non ex parte formæ, ſed ex parte ſubſtracti, ſcilicet actus, & iſte à principio *quo vitali* procedit; quod ſufficit, vt concretum aliquid creatum dicatur, & poſsit de nouo incipere eſſe; quia vt aliquid incipiat de nouo, ſufficit, vnam illius partem incipere in tempore, vt conſtat in concreto reſultante ex Verbo, & humanitate, quod de nouo in tempore incœpit, etiam ſi vni ex componẽtibus ipſum, nempè Verbum, temporalis incœptio repugnet; quia humanitas, ex qua ſimul cum Verbo componitur, in tẽpore incœpit, vel in tempore fuit vnita perſonæ Verbi.

Ad quintam.

40. *Replica bis pri-*

Sed dices: ſatisfactio valorata à Chriſto Domino elicita eſt concre-

tum ma-

tùm causatum à principio *quo* finito, vt in hac solutione concedimus: ergo nequit esse infinitum, & consequenter satisfactio Christi æstimabilis infinitè non est, nec valorosa infinitè. Probatur cõsequẽtia: vt enim sæpè iam diximus, effectus causæ efficientis in illa debet præcontineri; ideoque non potest illam excedere: ergo si hoc cõcretum infinitum est, non potest in principio *quo* finito effectiuè contineri, etsi in illo continetur, concretum infinitum non est. Et vrgetur hac paritate, quâ suprà vtebamur; etenim quia causa efficiens finita in genere physico præcontinere, nec causare potest formam physicè infinitam, inferebamus suprà, non posse causam efficientem finitam in genere moris continere, aut effectiuè causare formam infinitam moraliter; sed causa efficiens finita in genere physico præcontinere, aut causare non potest cõcretum physicè infinitum: ergo principium *quo* finitum in genere moris, non potest efficienter causare concretum infinitum moraliter.

Secũdo.

41. *Ad primam replicam respõdetur.*

Respondeo distinguendo antecedens: est effectus causatus totus, & totaliter, nego antecedẽs: totus non totaliter, concedo antecedens, & nego consequentiam; quando namque effectus, licet totus causetur, non causatur totaliter, non petit ex omni parte in principio contineri, ideoque ex ea parte, qua in principio non continetur, poterit esse infinitus, quamuis principium finitũ sit, & sic in præsenti contingit; nam concretum resultans ex actu satisfactorio media humanitate elicito, & valore sumpto à persona Verbi formaliter non continetur in principio *quo* finito ex parte formæ, quæ infinita est, & infinitatem præstat, sed ex parte subtracti, scilicet ex parte entitatis actus satisfactorij, quæ aliquid finitum est.

Ad secũdam.

Ad confirmationem, concessa maiori, nego minorem; nam concretum hoc *homo Deus* est aliquid infinitum; & tamen potuit instrumentaliter causari à causa limitata, & finita; quòd si concretum ex forma infinita physicè nequit à principio *quo* finito efficienter principaliter procedere, ideo est, quia agens physicum intendit assimilare sibi effectum in forma, qua agit: vnde quando forma est finita, nequit ratione illius producere effectum ex parte formæ infinitum, quæ ratio in concreto moraliter infinito ratione valoris personalis non vrget, quia agens non intendit tale concretum sibi assimilare in valore, qui actu posito, necessariò consequitur, sed in bonitate morali, quæ finita à nobis constituitur.

§. IIII.

Tribus alijs argumentis occurritur.

42. *Quartũ argumẽtum.*

QVARTÒ arguitur: bonitas moralis operationũ Christi finita, & limitata erat in genere moris, tũ quia multoties versabantur erga obiecta finita; tùm etiam, quia etsi aliquæ haberent infinitum obiectum, nempè illæ, quæ obiectiuè tendebant in Deum, quia tamen modus tendendi, & conatus operãtis finitus, & limitatus erat, non poterant ab ipso infinitam bonitatem recipere, vt habetur ex dictis; sed valor satisfactorij, nõ potest actionis bonitatem excedere, tùm quia ad illam sequitur, sicut & rationem meriti consequi bonitatem actionis, docet Angelicus Doctor 1. 2. *q.* 21. *art.* 4. tùm etiam quia nihil suprà bonitatem propriam æstimari potest prudenter: valor autem operis, in illius æstimabilitate consistit: ergo valor satisfactorius operationum Christi, non est infinitus simpliciter in genere moris, nec in æstimatione morali.

S. THO.

43. *Solutio M. Lunæ.*

Huic argumento Magister Luna vbi suprà *solut. ad* 2. *§. libet autem*, respondet, bonitatem moralem operationum Christi esse in suo genere infinitam, ea ductus ratione; nam bonitas actus, non solùm sumitur ex conformi-

formitate ad rationem, & ex obiecto, ſed etiam ex alijs circunſtantijs, ita vt actus meliorius circunſtantijs veſtitus melior ſit cæteris paribus, & plus habeat bonitatis. Quod adeò verum eſt, inquit ſapientiſsimus, & ingenioſiſſimus iſte Magiſter, vt non egeat probatione. Sed vna, & præcipua ex circunſtantijs actus humani, & moralis eſt perſonæ operans: ergo bonitas moralis operationis etiam ſumitur ex dignitate perſonæ operantis, & penès illam penſatur, & conſequenter quãdo hæc fuerit infinita, qualis eſt perſona Chriſti, bonitas operationum ſumpta ex illa erit ſimpliciter infinita.

44. *Reijcitur.* Hæc tamen ſolutio ex dictis impugnata relinquitur; circunſtantia enim perſonæ non dat actui bonitatem ſeipſa per modum formæ conſtituentis actum in aliquo eſſe formaliter, ſed per modum obiecti deriuantis ex ſe bonitatem; ſed ex obiecto, quamuis infinitum ſit, ſi finito mõdo, & conatu attingatur, non transfunditur ad actum bonitas, aut perfectio infinita, nec phyſica, nec moralis ratione ſuperius tradita, conſtatque in amore, quo nos diligimus Deum, qui ex Deo dilecto infinitam bonitatem, aut perfectionem non recipit, nec phyſicam, nec moralem, quamuis Deus obiectum infinitum ſit, quia erga illum finito modo verſatur, illumque conatu finito tangit: ergo ex perſona infinita dante bonitatem per modum circunſtantiæ obiectiuæ non tranſit in actum bonitas infinita, nec phyſica, nec moralis, & conſequenter operationes Chriſti ex perſona infinita operante bonitatem infinitam non capiunt. Ex quo patet ad rationem, qua ingenioſiſsimus Magiſter conuincitur; licet enim creſcat bonitas actus moralis ex circunſtantia perſonæ; indè tamen non licet per calculationem colligere infinitam bonitatem in actu ex infinitate perſonæ circunſtantis ipſum; ſicut nec licet illam ex obiecti infinitate argumentari, vt ſæpè iam vidimus.

45. *Vera ſolutio.* Ad argumentum ergo reſpondeo, concedo maiori, negando minorem, quam non conuincit prima probatio; nam licet valor meritorius, & ſatisfactorius ſupponat bonitatem in opere; non tamen conſequitur adæquatè ad illam, ſed etiam dignitatem operantis, vt ſæpè diximus. Vndè quando hæc fuerit infinita, valor meritorius, & ſatisfactorius infinitus erit, quamuis actionis bonitas finita ſit, tam phyſicè, quam moraliter. Et ex his ad ſecundam probationem, nego antecedens; actus enim idem inuariatus manens in bonitate morali poteſt de non valoroſo ad meritum in valoroſum tranſire, vt conſtat in ſententia aſſerente, vltimam diſpoſitionem ad gratiam iuſtificantem pro priori, quo gratiam præcedit, non eſſe meritoriam gloriæ; benè tamen pro alio poſteriori, & ſigno, pro quo intelligitur valorata per gratiam, & formata per illam, cum tamen pro tali poſteriori nouã bonitatem, etiam moralem non habeat, maximè in ſententia, quæ docet, non poſſe bonitatem moralem variari abſque variatione phyſica actus; nam contritio ex formatione per gratiam habitualem, quam pro illo poſteriori intelligitur habere, nullam phyſicam variationem recipit, nec phyſicam nouitatem. Iam ergo poteſt actus ſupra propriam bonitatem moralem æſtimari ratione bonitatis, vel dignitatis perſonæ operantis illum valorantis, & formantis.

46. *Replicabis.* Si opponas: valor iſte moralis, cũ aliquid ſit, & non malum, neceſſariò bonum eſt, non phyſicum, ſed morale: ergo ſi actus à perſona operante infinita infinitum valorem recipiunt, capiunt ex ipſa infinitam bonitatem moralem, & conſequenter valor ſatisfactorius, aut meritorius, non excedit operis bonitatem, nec poteſt actus æſtimari ſupra propriam bonitatem moralem, cuius contrarium in noſtra ſolutione aſſeruimus. *Reſpõdetur.* Reſpondeo, valorem iſtum eſſe bonum morale, non moralitate ſumpta penès conformitatem ad legem, conſilium, aut rationem, de qua hactenus ſumus loquuti, ſed moralitate sũpta penès ordinẽ ad æſtimationem prudentem:

ex quo

ex quo solum sequitur, valorem non excedere bonitatem actus moralem hac secunda moralitate, quod idem est, ac se ipsum non superare; non verò quòd non excedat bonitatem moralem actionis cum illa idẽtificatam, sumptamque penès ordinem ad regulas operantis, nempè rationem, aut legem. Quòd si Magister Luna hoc tantum in sua solutione contendit, ab ipso non dissentiemus, nisi solum in modo loquendi; nam bonitas ista, seu valor moralis actionis non est à persona operante per modum circunstãtiæ: vt enim communiter docetur à Theologis 1-2. *quæst.* 18. *art.* 3. vt circunstantia præstet actui bonitatem, vel malitiam, debet esse cognita, & volita ab operante: vndè si quis oblitus inuincibiliter status coniugalis, aut clericalis, quo gaudet, concupiscat inhonestè mulierem, talis actus, nec sacrilegij, nec adulterij malitia vitiabitur: vt autem persona satisfaciens, vel merens actum satisfactorium, aut meritorium à se elicitum valoret, non est necessum, vt personalis dignitas operanti sit nota: vndè ignorans statum gratiæ, & amicitiæ diuinæ, in quo existit, opera meritoria à se elicita valorat, & condignè meritoria constituit, aliàs cum homines communiter talem statum ignorẽt, nec sine speciali reuelatione possint illum certò scire, non mererentur condignè apud Deum: non ergo bonitas moralis moralitate sumpta penès ordinem ad prudentem æstimationem sumitur à persona satisfaciente, & operante tanquam à circunstantia, sed tanquam à forma seipsa dignificante, & valorante actum. Nec refert, circunstantiam dici à circunstando, quia nempè circunstat, & circumornat actum: persona autem valorans actum, circunstat illum; ac proindè videtur debere circunstantia dici; non, inquam, obstat: vt enim circunstantia dicatur debet circunstare obiectiuè, & non solum subiectiuè: persona autem operans merens, vel satisfaciens, actumque dignificans non circunstat obiectiuè, sed tantum subiectiuè; ideoque circunstantia propriè non dicitur in modo, quo Theologi communiter de circunstantijs loquuntur.

Theologi.

47. *Quintũ argumẽtum.*

Quinto arguitur: vt subiectum à forma recipiat infinitatem, non sufficit infinitas formæ, sed insuper est necessarium, vt infinito modo vniatur cum illa; vndè, quia intellectus beati non vnitur cum essentia Dei, vt specie modo infinito, quamuis essentia vnita infinita sit, non determinatur per illam, nec potens constituitur ad videnda obiecta infinita: & quia natura humana à Verbo hypostaticè assumpta modo finito vnitur subsistẽtiæ Verbi, non redditur per illam subsistens infinitè, quamuis subsistentia Verbi, cui vnitur, sit infinita: sed actus satisfactorij, & meritorij à Christo media humanitate eliciti nõ vniũtur personæ Verbi modo infinito, sed finito, cum modus vnionis prædictorum actuum cum Verbo non sit alius à modo, quo humanitas eidem Verbo vnitur, qui modus finitus, & limitatus est: ergo quamuis persona Verbi operans, & satisfaciẽs infinita sit, & seipsa, vt forma det actibus satisfactorijs dignitatem, non dat illis dignitatem infinitam, nec infinitum valorem.

48. *Solutio recentiorum.*

Huic argumento docti Recentiores respondent præter modum vnionis, quo operationes Christi cum humanitate, & cum supposito Verbi physicè vniuntur, constituendum esse modum quemdam moralem infinitum in hoc genere, quo vniantur cum persona Verbi moralitèr: vndè etsi physicè modo finito vniantur cum Verbo; moralitèr tamen infinito modo ei vniuntur: ac proindè ex ipso infinitatem moralem recipiunt, etsi non physicam. Ad modum autem istum moralem vnionis distinctum ab vnione physica multiplicandum ducuntur primò, quia vt vniantur physicè cum Verbo, & cum humanitate, indigent modo physico vnionis ab extremis vnitis distincto, vt *infra quæst.* 2. videbimus: ergo vt vniãtur cum Verbo moralitèr, indigent modo vnionis morali distincto ab extremis vnitis. Deindè, nam persona

Motiua quibus ducitur Primũ.

Secundum.

Verbi

Verbi operans, & satisfaciens non vnitur physicè actibus satisfactorijs immediatè, & vt forma, sed tantum, vt suppositum, & mediatè: moraliter autem vt forma, & immediatè actibus satisfactorijs, & meritorijs vnitur: ergo vt ipsis vniatur moraliter, non sufficit physica vnio, qua immediatè humanitati vnitur, & mediatè eũ actibus, sed præterillam necessarius est modus vnionis moralis realiter ab vnione physica distinctus. *Tertium.* Præterea, nam ratio cõstituendi modum physicum vnionis distinctum ab extremis vnitis est, quia extrema non sunt se ipsis essentialiter vnita: at hæc ratio pari efficacia militat de modo vnionis morali, cum extrema non vniantur seipsis essentialiter moraliter, sicut nec physicè seipsis essentialiter vniuntur: ergo necessariò super addendus est modus iste moralis vnionis.

Quartũ. Denique argumento facto; nam esto vnio conditio sit solum, & non ratio formalis, vt forma præstet subiecto suum effectum formalem; si tamen limitata sit, necessariò limitat influxum formalem formæ: sicut licet applicatio agentis, vt agat, solum sit conditio ad agendum; si tamen agens modo limitato, & finito applicetur, nõ causat infinitum effectum: ergo vt persona Christi satisfaciens, & merens non limitetur in valorando opera meritoria, & satisfactoria ex vnione cum illis, oportet constituere modum vnionis moralem infinitum in genere moris, & consequenter distinctum à modo vnionis physico, quo prædicta opera cum persona Verbi vniuntur.

Sed non placet ista solutio, eo quòd modus iste moralis ab vnione physica distinctus in persona Verbi subiectari non potest: tùm quia præfati Auctores ex eo dicunt, Deum esse non posse subiectum morale offensæ, quia mutaretur moraliter, esset que in potentia intrinseca ad entitatem moralem. Quæ rationes æquè probant modum istum vnionis moralis in persona Verbi subiectari immediatè non posse: tùm etiam, nam

49. *Reiicitur primo solutio.* *Secũdò.* *Tertiò.*

cito daremus, modum vnionis moralem immediatè subiectatũ in Verbo, alium etiam receptum in operationibus satisfactorijs deberemus constituere, cum ad illum ponendum rationes fortius instent, quam vt ex parte Verbi cõstituatur: ergo si adstruitur modus iste moralis, debet in operationibus satisfactorijs intrinsecè recipi: at eo ipso quòd in illis recipiatur, non potest infinitus esse moraliter: ergo repugnat iste modus vnionis moralis infinitus in genere moris. Probo minorem; etenim Auctores prædicti ex eo constituunt modum istum moralem infinitum, quia cum in ordine ad effectus physicos forma aliàs infinita limitetur ex modo finito vnionis, etiam in ordine ad effectus morales debet limitari, nisi vniatur modo infinito moraliter; sed in genere physico, etiam limitatio subiecti obstat illimitationi formæ, quã intrinsecè recipit, & quæ educitur ex eius potentia: ergo si paritas, qua mouentur, est efficax, limitatio actuum, qui recipiunt intrinsecè modũ istum vnionis, limitat illum; ac proindè non stabit recipi intrinsecè in actibus satisfactorijs, & esse infinitum moraliter. Non ergo admittendus est modus iste moralis à modo vnionis physico realiter distinctus moraliter infinitus.

Nec motiua in oppositũ vrgẽt: ad primum respondeo, quòd sicut moralitas actuum identificatur realiter entitati physicæ illorum, ita vnio, qua moralitas actuum vnitur cum subiecto operante, identificari debet cum vnione, qua illorum physica entitas eidem subiecto vnitur; ac proindè etsi demus, modum vnionis existentem in genere moris distinctum à moralitate actuum; non tamen tenemur concedere modum vnionis moralem distinctum realiter à modo vnionis physico: indistinctum autem ab illo concedere inconueniens non est; qui tamen finitus sit ob rationem proximè datam. Ad secundum dicatur, quòd quando vnum, & idem est, quod in vno genere exercet munus suppositi, & in alio munus for-

50. *Ad primũ motiuum respõdetur.* *Ad secũdum.*

mæ,

mæ, non est necessarius duplex modus vnionis realitèr distinctus, sed vnus sufficit in vtroque genere existēs, qui in vno genere, nempè moralitèr immediatè vniet, per exclusionem alicuius mediantis, vt forma, & in alio mediatè, nempè in genere physico, quia humanitas medians est immediatum operationum subiectum, sicuti & immediatum illarum principium; non tamen est forma operationes dignificans.

Ad tertium. Ad tertium dicatur, quòd si ratio illa conuincit constituendum esse modum physicum vnionis distinctū realitèr ab extremis vnitis, quod disputari solet in physica, & quæstione sequenti examinabimus, conuincit, etiam constituendum esse modum vnionis moralem distinctum realitèr à moralitate intrinseca actuum; non tamen realitèr distinctum à modo physico vnionis, quo entitas physica actuum subiecto operanti vnitur.

§ 1. *Ad quartum.* Ad vltimam rationem dicatur, quòd vt forma non limitetur à modo vnionis sufficit, modū istū infinitū esse moralitèr, non ratione moralitatis sibi identificatæ, sed ratione valoris sumpti à persona, quam vnit, vt forma; nam eo ipso quòd vnio sit infinitè æstimabilis, obstare non potest, vt actui, cui persona vnitur vt forma, præstet æstimabilitatē infinitam. Hac autem ratione vnionem operationū cum supposito Verbi infinitam esse moralitèr, non negamus; si namque actibus vnitis dat infinitum valorem, etiam vnioni illorum dabit quòd infinitè æstimetur: sicut Verbum humanitati vniri infinitè æstimatur: & per hoc ad quintum argumentū constat solutio. *Vera solutio.* Vel secundo responderi potest, quòd licet vnio personæ, vt valorantis actus sit finita vt *quod*; est tamen infinita vt *quo*, quia vnit formam infinitam cum illis summo modo possibili. Vel denique respondetur, quòd sicut forma infinita non limitatur ex limitatione subtracti ratione superius data, quia nempè cum non sit physicè intrinseca, non recipitur ad modum recipientis, sed ad modum proprium; neque educitur ex potentia subiecti, ita similitèr non limitatur ex modo vnionis finito, nec quantum ad hoc sequitur leges formæ physicè intrinsecæ. Ad exemplū de applicatione agentis dicatur, quod si finita sit, tam vt *quod*, quam vt *quo*, quia videlicet per illam non applicatur tota virtus agentis infiniti obstabit infinitati effectus; si tamen licet esset finita, vt *quod*, esset infinita vt *quo*, quia scilicet per illam applicaretur tota virtus agentis infiniti; non impediret, quod agens infinitum effectum produceret.

§ 2. *Sextum argumētum.* Sexto arguitur: si Deus esset capax merēdi in se ipso, illius meritum esset maioris valoris meritorij, quam meritum Christi, vtpotè cum illi valor meritorius à se, & per essentiam competeret; merito autem Christi non à se, & per essentiam, sed per cōmunicationem cōueniat: sicut etiam anima Christi non à se, & per essentiam, sed per communicationem est sancta: ergo meritū Christi non est valoris simplicitèr infiniti. Probatur cōsequentia; illud namque est infinitum simplicitèr in linea valoris meritorij, quo maius in tali linea, nec dari, nec concipi potest: ergo si in hypothesi facta aliquid concipitur maius merito Christi in valore meritorio, aut satisfactorio, meritum Christi non est valoris meritorij, & satisfactorij simplicitèr infiniti.

§ 3. *Solutio.* Respōdeo, in illa hypothesi actus Dei meritorios fore perfectiores in genere physico, & in bonitate morali, quia forent sub tractu quōrationē infiniti; actus autem Christi physicè finiti sunt, & etiam in bonitate morali: quòad valorē autē meritorium, & satisfactoriū fore perfectiores in modo habendi illum; quia merita Dei à se, & per essentiam valorem meritorium, & satisfactorium haberēt; ōpera autem Christi non à se, & per essentiam, sed per communicationem, & ab alio illum habent; quoad substantiam autem valoris meritorij, & satisfactorij dicunt aliqui, non excessuros, quia ab eadem forma, videlicet Deitate operibus Dei, & Christi va-

lor meritorius competeret, & conſequenter quoad ſubſtantiam eſſet idē, etſi operibus Dei per eſſentiam, & operibus Chriſti per communicationem conueniret. Sed hoc falſiſſimum iudico, nam ad valorem meritorium modus habēdi formam multum conducit, vt *diſputatione ſeq.* conſtabit, cum de ſuperabundantia ſatisfactionis Chriſti tractemus: vndē merita Dei eſſent in caſu admiſſo cōdigna ipſius eſſe Dei, prout in ſe ipſo, ſuppoſito per impoſsibile, quòd prout ſic cadere poſſet ſub merito: quā condignitatem non concedimus meritis Chriſti, neque ex hoc ſequitur, non eſſe valoris moraliter infiniti; etenim infinitas valoris non per eſſentiam, ſed per communicationem non petit extēdi ad præmium infinitum per eſſentiam, ſed tantùm ad præmium per communicationem infinitum, vt ſic inter infinitatem meriti, & infinitatem præmij ſeruetur proportio. Et ex his ad argumentum reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, ad cuius probationem dicatur, de ratione meriti infiniti valoris non per eſſentiam, ſed per communicationem non eſſe, quòd non excedatur à merito valoris infiniti per eſſentiam, ſed ſolum quòd non excedatur à merito infiniti valoris in finitate ſui generis, ſcilicet per communicationem.

§. V.

Cætera argumenta ſolvuntur.

54. *Septimum argumētū.*

SEPTIMO arguitur. Humanitas Verbo vnita non ſanctificatur infinitè ab illo: ergo actus ſatisfactorij à Chriſto media humanitate eliciti non valorantur à perſona Verbi infinite ſimpliciter. Conſequētia tenet à paritate rationis: antecedens autem, in quo eſt difficultas, oſtenditur primò: nam humanitas ratione ſanctificationis à Verbo, & ratione Deitatis ſibi vnitæ non placet æquè Deo, ac placet perſona Verbi ſecundum ſe ipſam ratione Deitatis ſibi identificatæ: ergo non eſt æquè ſancta, ac perſona Verbi in ſeipſa, & conſequenter infinitè ſancta non eſt. Secundò, nam diuinitas in ſanctificando nō exhauritur ab humanitate: ergo nō ſanctificat illam infinitè. Probatur antecedēs: etſi perſonalitas Verbi in terminando exhauriatur à diuina natura, quam ad intra terminat; non tamen in terminando exhauritur à natura humana: ergo nec ab illa in ſanctificando Deitas exhauritur. Patet conſequentia primò; nam ſanctificat Deitas humanitatem media terminatione perſonalitatis: ergo ſi hæc non exhauritur in terminando, nec Deitas in ſanctificando exhauritur. Secundò, nam ideò non exhauritur perſonalitas ab humanitate in terminando; quia poteſt alias naturas terminare; ſed etiam Deitas ſanctificare poteſt alias naturas: ergo non exhauritur ab humanitate in ſanctificando. Denique primum antecedēs probatur; nam Deitas non conſtituit humanitatem diligibilem ſuper omnia: ergo non conſtituit illam infinitè diligibilem, & conſequenter, neque infinitè bonam, nec ſanctam infinitè.

55. *Solutio recentiorum.*

Reſpondeo, negando antecedēs, ad primam probationem quidam Recentiores reſpondent, negando antecedens; dicunt enim, quòd cum perſona Verbi ex vnione ad humanitatem non inferioretur, neque aliquid amabilitatis deperdat, æquè amabilē illam conſtituit, ac eſt Verbum in ſe ipſo. Sed non ſatisfaciunt; nam aliud eſt perſonam Verbi humanitati coniunctam æquè placere Deo, & æqualiter à Deo amari, ac placet, & amatur in ſeipſa; aliud verò, quòd humanitas ratione coniunctionis ad Verbum æquè ametur, & placeat, ac Verbū in ſeipſo placet, & amatur à Deo. Primum eſt verum, cò quòd Verbum ex coniunctione ad humanitatem nihil bonitatis, & amabilitatis deperdit, ſed omnem ſuam retinet perfectio-

Reiicitur primò.

ctionem: secundum autem est falsum: Tùm ratione modi, quo humanitati conuenit Deitas, scilicet non per essentiam, sicut Verbo, sed per communicationem, nō autem æquè amatur, cui diuina bonitas per communicationem conuenit, ac ille, cui conuenit per essentiam. Tùm etiam, quia aliàs humanitas, *vt quod*, ratione Deitatis sanctificantis ipsam deberet super omnia diligi, cùm persona Verbi super omnia diligatur. Consequens falsissimum est: ergo non amatur humanitas ratione Deitatis sibi vnitæ æquè, atque amatur Verbum in se ipso ratione Deitatis sibi identificatæ, illique per essentiam conuenientis.

56. *Secùdo.* Denique id ipsum probatur; nam aliàs humanitas ratione Deitatis sibi communicatæ esset æquè bona, ac Verbum bonum est in se ipso: consequens absurdum est: ergo solutio tradita est nulla. Consequentia tenet, Minor constat; nam bonum sequitur ad ens: ergo non stat æqualitas in ratione boni absque æqualitate in ratione entis: absurdum autem est, humanitatem ratione Deitatis sibi communicatæ cum Verbo in se ipso in ratione entis adæquare, aliàs sicut Verbum est Deus, ita humanitas Dea esset: ergo non minus absurdum est, quòd humanitas ratione Deitatis cum Verbo in se ipso in ratione boni adæquetur. Sequela autem etiam constat; nam amabilitas sequitur bonitatem: ergo non stat æqualitas in amabilitate absque æqualitate in bonitate, & consequenter, si humanitas ratione Deitatis sibi vnitæ æquè amatur à Deo, & æquè placet ipsi, ac Verbum in se ipso amatur, & placet Deo, adæquatur in bonitate cum Verbo.

Cōfirmatur primo. Quod amplius vrgetur; nam licet forma humanitatem bonam constituens sit eadem cum forma constituēte Verbum in se ipso bonū, videlicet Deitas; quia tamen modus conueniēdi est diuersus, Verbo scilicet per essentiam, & humanitati per gratiosam communicationem, non reddit æquè bonam humanitatem, ac Verbum: ergo licet forma sanctificans humanitatem, & Verbum sit eadem, nempè diuinitas; quia tamen modus, quo illis cōuenit, est diuersus Verbo per essentiam, & humanitati per communicationem, non reddit æquè sanctam humanitatem ac Verbum. Patet consequentia; non enim potest apparens ratio discriminis assignari, cur nempè inferioritas in modo conueniendi bonitatem, inferioritatem in ratione boni constituat, quamuis bonitas conueniàs sit eadem, & inferioritas in modo cōueniendi sanctitatem non inferat inferioritatem in ratione sancti, quamuis forma sanctitatis sit eadem.

Cōfirmatur secùdo. Confirmatur, & vrgetur secundò; nam Verbo ratione Deitatis sibi identificatæ debetur beatitudo consistens in visione comprehensiua Dei, humanitati verò ratione Deitatis, sibi communicatæ non debetur visio comprehensiua Dei, sed tantum quid ditatiua: ergo non æquè sanctificatur humanitas à Deitate sibi communicata, ac Verbum à Deitate sibi identificata. Sed de his plura *infra quæst. 7.*

57. *Vera solutio.* Hac ergo solutione omissa ad primam antecedentis probationem, concesso antecedēti, & prima consequentia, nego secundam; vt enim humanitas sanctificetur infinitè à Verbo, non est necessarium, quòd æquè sanctificetur, ac sanctificatur Verbum, quod sanctum est per essentiam, sed sufficit, æquè sanctificari cum omni sanctificabili per communicationem, & sine termino sanctificari, eo quòd humanitas ratione Deitatis non est infinitè sancta in linea sancti per essentiam, sed in linea sancti per communicationem.

Ad secundam probationem, nego antecedens; ad cuius probationē dicatur: in terminando physicè non exhauriri: benè tamen in terminando moralitèr. Et ratio differentiæ est; nam licet possit alias sanctificare naturas; non tamen potest illas magis sanctificare, quam humanitatem sanctificat, nec perfectiori modo. Cæterum potest perfectiori modo subsistentes alias naturas reddere, quam humanitatē. Et huius ratio est, quia in dando subsistentiam vnitur ratione continentiæ subsistentiæ creatæ, &

vices eius gerendo: & quia vniri potest naturæ Angelicæ gerendo vices perfectioris subsistentiæ, potest illam perfectiori modo subsistẽtem constituere: at verò in ordine ad sanctificandum non vnitur vices sanctitatis creatæ eminenter contentæ gerẽdo, sed vices sui ipsius, & quia sine termino quam libet naturam sanctificat, nõ sanctificat vnam perfectiori modo, quam aliam. Per quod ad primam consequentiæ probationem constat solutio. Ad secundam dicatur, sanctificare media terminatione; hæc tamẽ duplex est, nempè physica, & moralis, & licet in physica termination non exhauriatur; exhauritur tamen intensiuè ab humanitate in terminatione morali ob rationem discriminis assignatam.

Ad tertiam antecedentis probationem, concesso antecedenti, distinguo consequens: infinita diligibilitate per essentiam, cõcedo consequentiam: per communicationem, nego consequentiam, & primum requirebatur, vt humanitas à Deitate redderetur super omnia diligibilis: secundum autem sufficit, vt infinitè sancta constituatur infinitate, non per essentiam, sed per communicationem.

58. *Octauũ argumẽtum.* Octauò arguitur: si esset possibile præmium infinitum purè creatũ, non extenderetur ad illud efficacia meritorum Christi, nec illorum sufficientia: ergo valor meritorius operum Christi Domini non est infinitus simpliciter, & consequenter, nec illorum valor satisfactorius infinitus simpliciter est. Consequentia est bona, antecedens autem probatur; nam si extenderetur efficacia meritorum Christi ad præmium infinitum creatum, si esset possibile, modò haberet meritum Christi Domini efficaciam meritoriam talis præmij absolutam subiectiuè, & cõditionatã obiectiuè, sub conditione, scilicet possibilitatis illius; sed hanc efficaciam subiectiuè absoluram, & conditionatam obiectiuè non habet: ergo efficacia meritorum Christi non extẽderetur ad præmium infinitum purè creatum, casu, quo possibile esset. Probatur minor ex communi Thomistarum doctrina 1. *p. q.* 14. *q.* 25. *& q.* 34. vbi asserunt, non dari in omnipotentia virtutem productiuam chimeræ subiectiuè absoluram, & cõditionatam obiectiuè, scilicèt sub conditione, quòd chimera esset possibilis; si namque huiusmodi virtus omnipotentiæ diuinæ competeret, omninò inuariata subsisteret, etiam si creaturæ possibiles repugnantes redderẽtur, quod à discipulis Diui Thomæ *locis allegatis* communi consensu negatur: ergo etiam dicẽdũ est, repugnare in meritis Christi vim, aut efficaciam meritoriam subiectiuè absoluram, & conditionatam obiectiuè, sub conditione, scilicet possibilitatis præmij purè creati infiniti.

59. *Solutio.* Respondeo casu, in quo possibilẽ esset præmium creatum infinitum, ad illud fore extendendam efficaciã meritorum Christi: cæterum hanc efficaciam, tunc casus non futuram entitatiuè eandem, sed diuersam entitatiuè, nam sicut in tali casu omnipotentia diuina eadem entitatiuè non esset, ita nec esset eadem entitatiuè personalitas Verbi diuini, nec Deitas: ac proindè, nec valor moralis sumptus à persõna Verbi idem entitatiuè maneret. Ex quo non sequitur, conuenire meritis Christi vim meritoriam absolutam subiectiuè præmij creati infiniti sub conditione possibilitatis illius, sed solum dari in illis vim meritoriam talis præmij subiectiuè conditionatam, ita vt conditio, non solum supra terminum cadat, sed etiam supra valorem in tali casu variãdum entitatiuè, nec, vt in eis saluetur infinitas meritoria, virtus subiectiuè absoluta præmij infiniti creati sub conditione possibilitatis illius necessaria est; nam sicut omnipotentia est in ratione potentiæ simpliciter infinita, quia licet non habeat potentiam subiectiuè absolutam ad producẽdũ effectum cathegorematicè infinitum; habet tamen vim productiuam ad extra in infinitum syncathegorematicè, ideſt, quia potest producere non tot, quin plura: ita similiter infinitas simpliciter talis in virtute meritoria operationum Christi saluatur per

hoc,

hoc, quòd se extendat in infinitum syncathegorematicè, ideſt, quòd nullo præmio dato exhauriatur, ſed in amplius vſque in infinitum extendatur. Ex quibus obiter colliges, non plus potuiſſe Chriſtum mereri, quam Deus poteſt præmiare; ſi namque loquamur de merito, vt in actu ſecundò inducente obligationem, non extenditur magis meritū Chriſti in merendo, quā omnipotētia in producendo; nam omne, quòd Chriſtus ſuis meritis meruit de facto, Deus per omnipotētiā de facto produxit. Si verò loquamur de vi meritoria operationis Chriſti, prout in actu primò, omnipotentiæ limites nō excedit, cū vtriuſq; virtus extendatur vſque in infinitum ſyncathegorematicè, & neutrius vis infinitū cathegorematicè attingat.

Corollarium.

60. *Nonum argumentum, & eſt replica contra datam ſolutionem.* Nono arguitur, & inſtatur contra hanc ſolutionē: in merito Chriſti Domini non eſt vis meritoria in infinitū ſyncathegorematicè: ergo ex iſto capite non rectè probatur infinitas eius ſimplicitèr: probatur antecedens: vis meritoria ſyncathegorematicè infinita ea eſt, quæ nullo præmio dato exhauritur, ſed vlterius præmiabilis manet, & ad vlterius præmium extenditur; ſed vis meritoria operationum Chriſti huius conditionis non eſt: ergo non eſt ſyncathegorematicè infinita. Probatur minor: ſi Pater, aut Spiritus Sanctus carnem aſſumeret intuitu alicuius operis Chriſti, vis meritoria talis operis exhauſta maneret; tunc enim meritum exhauritur, quādo ei correſpondet præmium æqualis valoris. Incarnatio autem Patris, aut Spiritus Sancti æqualis æſtimationis eſſet, ac principium dignificans opera Chriſti, conſequentèrque adæquaret valorem cuiuſvis operis meritorij à Chriſto Domino eliciti: ergo valor meritorius operationum Chriſti talis conditionis non eſt, vt quovis præmio dato inexhauſtæ ſubſiſtant, & vlterius præmiabiles perſeuerent.

61. *Solutio huius.* Huic argumento reſponderi ſolet, incarnationem Patris, aut Spiritus Sancti non fore in ratione præmij ſimplicitèr infinitam, eoquod perſonalitas Patris, aut Spiritus Sancti, eſto in ſe infinita ſit, nō veniret in præmiū, niſi vt nobis bona, nec eſſet nobis bona, niſi quatenus humanitati vnita; cum autem vnio cum humanitate finita eſſet, conſequens eſt, quòd Incarnatio Patris, aut Spiritus Sancti in ratione præmij non eſſet infinita ſimpliciter: ac proindè nō adæquaret opus meritorium à Chriſto Dño elicitum, quod in ratione meriti eſt infinitū ſimpliciter. Ex quo vlterius fit, vt quamuis Deus in præmium alicuius operis Chriſti, Patris, aut Spiritus Sancti incarnationem decerneret, tale opus in exhauſtū ſubſiſteret, & vlteriori præmio dignum perſeueraret; meritum enim in ratione meriti ſimplicitèr infinitum non poteſt exhauriri, niſi præmio, quod ſit in ratione præmij infinitum ſimplicitèr.

62. *Reijcitur primò.* Cæterum contra hanc ſolutionē obijcio ſic primo: perſonalitas Patris, aut Spiritus Sancti, non ſolū eſſet præmium meritorum Chriſti, vt vnita humanitati aſſūptæ in genere phyſico, ſed etiam vt eidē vnita moralitèr in ratione formæ ſanctificantis, & quatenus prout ſic illi bona: at hoc ſecundo modo infinitè bona eſſet humanitati aſſumptæ, aliàs illam non conſtitueret obiectum congruū dilectionis amicabilis infinitæ ſimplicitèr, & conſequētèr, nec infinitè ſimplicitèr illā dignificaret, aut ſāctificaret, cuius cōtrariū ab Auctoribus iſtius ſolutionis ſupponitur: ergo incarnatio Patris, aut Spiritus Sācti eſſet in ratione præmij infinita, & æſtimationis infinitæ ſimplicitèr. *Secūdò.* Secūdò, nā ſicut perſonalitas Patris non eſſet præmium, niſi vt vnita humanitati aſſumptæ, ita perſonalitas Verbi nō eſt principiū valorās opera Chriſti, niſi vt humanitati vnitā immediatè, & mediatè operibus meritorijs: at vtriuſq; vnio eſt eodē modo finita, vel infinita: ergo eadē infinitas, aut limitatio eſt in perſonalitate Patris, vt præmio, atq; in perſonalitate Verbi, vt valoráte, & dignificāte meritū, & cōſequētèr Incarnatio Patris, vel Spiritus Sancti in ratione præmij adæquaret opꝰ meritoriū Chriſti.

Huic obiectioni reſpondent præfatæ ſolutionis Auctores, vnionem

63.

Respondent Autores illius solutionis.

personalitatis Patris ad humanitatē non esse conditionem, sed rationem formalem ex parte personalitatis, vt præmij: vnionem autem Verbi cum humanitate esse ex parte Verbi, vt valoris antis merita conditionem tantùm, ideoque incarnationem Patris, vt præmium esse finitā; personalitas autem Verbi, vt valorās merita est infinita simpliciter, ac per cōsequens incarnatio Patris, vt premium non adæquaret opus meritorium Christi. Et rationem huius discriminis reddunt; quia personalitas Patris nequit inducere rationem præmij, nisi vt est obiectum spei, prout sic autem consideratur, quatenus bona humanitati assumptæ, & quia in ratione bonæ humanitati constituitur per vnionem formaliter, consequēs fit, quòd in ratione præmij constituatur per vnionem tanquam per rationē formalē: cæterū personalitas Verbi valorat operationes Christi, vt est obiectum amoris amicabilis Dei præmiantis, ad quam rationem vnio cū humanitate, & operibus meritorijs, non tanquā ratio formalis, sed vt conditio se habet.

64.

Illorum solutio. Reijcitur primò.

Sed contra primò: nam personalitas Verbi non dignificat operationes Christi, vt est obiectum amoris amicabilis necessarij, quo se diligunt ad inuicem tres diuinæ personæ, sed prout est obiectum dilectionis amicabilis liberæ, qua Deus diligit humanitatem illam ad suum esse trahendo, & vniendo; sed personalitas Verbi nō est istius dilectionis obiectum, nisi vt humanitati vnita: ergo par ratio est de subsistentia Verbi, & illius vnione cum humanitate ad dignificandum operationes Christi per modum principij, ac de subsistentia Patris, & illius vnione cum humanitate ad constituendum præmium in ratione præmij, & consequenter, vel ex parte vtriusque, vt ratio formalis se habet, vel vt conditio tantum ingreditur vnio.

Secundò.

Secundò, nam ratio formalis, qua Patris personalitas constitueretur bona humanitati, non esset vnio, sed intrinseca illius perfectio vnita humanitati vnione tanquam cōditione ingrediente: ergo ex eò quòd ratione præmij subinduceret, quatenus esset humanitati bona, non rectè colligitur constitui in ratione præmij per vnionem, vt per rationem formalem.

Tertiò.

Tertiò, nam sequitur ex hac solutione, posse incarnationem Patris cadere sub condignitate meritoria operis à pura creatura eliciti, & gratia adoptionis formati. Consequēs est falsum, & contra communem Theologorū sententiam: ergo & tradita solutio. Probatur sequela primò; nam iuxta solutionis doctrinam personalitas Patris humanitati vnita infinitū præmiū non esset: ergo posset cadere sub condignitate meritoria operis valoris finiti. Secundò; quia namque diuina essentia vnita per modum speciei mētibus beatorum præmium infinitum non est, de facto cadit sub merito condigno iustorum: ergo si incarnatio Patris in ratione præmij infinita non esset, posset cadere sub condignitate meritoria operis à pura creatura eliciti, & adoptionis gratia formati, quod in communi Theologorum sententia falsissimum reputatur.

65.

Duplex & vera solutio. Prima.

Relicta igitur hac solutione ad nonum argumentum respondeo dupliciter: primò in tali casu non fore exhaurienda merita Christi extensiuè, sed tantum intensiuè; quia licet haberent præmium sibi intensiuè adæquatum, non autem haberent præmium extensiuè illa terminans. Nec obstat, præmium illud fore infinitum simpliciter; nam hoc solum probat, nō posse opus Christi meritorium tali præmio remuneratum extendi ad aliud præmium non contentū quoad æquiualentiam in ipso; non autem quòd non extenderetur ad alia præmia in illo eminentèr contenta, qualia sunt omnia præmia creata, quæ in Patris incarnatione æquialētèr cōtinentèr. Vel secundò dicatur, de ratione meriti infiniti non esse, quòd per infinitum præmium exhauriri nō possit, sed solum quòd nullo præmio finito exhauriatur: cum autem incarnatio Patris sit præmium simpliciter infinitum, vt manet probatum, non obstat infinitati meritorum Christi tali præmio exæquari, & exhauriri.

Secūda.

66. *Decimus argumentum.*

Decimo arguitur: dignitas satisfactionis, seu valor meriti non crescit arithmeticè ad incrementum dignitatis personæ satisfacientis, aut merentis: ergo ex infinita dignitate personæ Christi operantis non rectè probatur infinitas satisfactionis, aut meriti. Consequētia est bona iuxta modum: quo nostram conclusionem probauimus: antecedens autem probatur; si namque valor meritorius crescceret arithmeticè ad incrementum dignitatis personæ merentis, sequeretur, quo iustus intensiori gratia polleret, eò magis mereri cæteris paribus. Consequens est falsum, aliàs si gratia vnius esset, vt octo, & gratia alterius, vt quatuor, & actus ab vtroque elicitus intensionis vt quatuor, actus hominis iustioris esset meritorius, vt octo, iuxta intensionem gratiæ, qua gaudet, quod falsum videtur, & contrà illud: *Qui reddit vnicuique iuxta opera sua:* ergo valor operis meritorij, aut satisfactorij non crescit arithmeticè ad incrementum dignitatis personæ merentis, vel satisfaciētis, quandoquidem dignitas personæ proueniens à gratia, vt octo, est vt octo, & opus à tali persona elicitum meritorium vt octo non est.

Matth. cap. 16. vers. 27.

67. *Prima solutio aliquorum.*

Huic argumento responderi solet primò: actum meritorium hominis iustioris, & in maiori gratia existētis, cæteris paribus, magis meritorium esse, quam opus elicitum ab homine minus iusto, & minus amico Dei; negant tamen istius solutionis Auctores, augeri opus meritorium adæquatè ad incrementum gratiæ; nam licet omnes gradus intensioris gratiæ actū meritorium dignificent; non tamen ita, quod crescat actus adæquatè ad intensionem illius. Ita ex nostris Victoria, & Peña relati à Medina *prima secundæ quæst. 114.* & ex Patribus Societatis Suarez in præsenti *disputatione quarta sectione quarta, §. ad primum, & prima secundæ libro 12. de merito cap. 22.* Granadus *tractat. 11. de Gratia disputat. secunda sectione secunda.* Egidius, Valentia, Salas, & alij ab ipsis relati.

Victoria. Medina. Suarez. Granados. Egidius. Valentia. Salas.

68. Contra quam solutionem non-nulli Recentiores opponunt; Deus namque vnicuique reddit præmium, vel mercedem iuxta opera sua; sed si habenti gratiam intensiorem, & remissius altero operanti, maius præmium redderetur ob maiorem gratiæ dignitatem, & intensionem, verum non esset, Deum vnicuique præmium reddere iuxta opera sua, sed iuxta dignitatem subiecti operantis: ergo ex maiori gratia non crescit meritum, cæteris paribus. Hæc tamen obiectio non vrget; instatur namque manifestè in operibus Christi Domini, de quo etiam est verum, Deum illi iuxta sua opera reddidisse mercedem, etsi non gloriam animæ, quam de facto non meruit; & tamen dubitari non potest, quòd etsi Christus Dominus opus aliquod eliceret æqualis intensionis cum opere puri hominis, maius præmium Christo correspōderet: ergo ex eo quòd ex maiori dignitate gratiæ habitualis crescat meritum, cæteris paribus, & maius illi præmium respōdeat, perperam infertur, Deum nō redditurum mercedem, & præmium iuxta opera sua. Cuius ratio est; nam cōmensuratio præmij cū merito, non tam est attendenda iuxta perfectionem physicam actus, quam iuxta illius valorem moralem: cumq; iste crescat, in doctrina solutionis, ex maiori dignitate subiecti, nō sequitur, ex eo quòd maius præmium correspōdeat operi facto ab homine magis grato, non esse vnicuique iuxta opera sua præmium reddendum à Deo.

Aliorū impugnatio insufficiēs

Alitèr ergo impugnanda est tradita solutio. Primò; nam si paritate desumpta ex persona infinita infinitè valorante, & dignificante meritum, mouentur istius soltionis Auctores, vt asserant ex maiori sanctitate, & dignitate præditā à gratia iustificante creata, cæteris paribus, meritum esse augescendum, tenentur asserere, quòd crescat valor meritorius adæquatè ad intensionem gratiæ: at hoc non concedunt, vt vidimus: ergo nec debent concedere, quòd crescat valor operis meritorij ad incrementum gratiæ habitualis, cæteris paribus.

69. *Reicitur solutio primò.*

Probatur maior: valor meritorius operis eliciti à persona infinita crescit arithmeticè ad incrementum dignitatis personæ, hoc est, talitèr quòd infinitum valorem recipiat ab illa: ergo si argumentum ex dignitate personali infinita efficax censetur, vt inferat augmentum valoris meritorij æqualis intensionis cum dignitate illius. Deindè, nam disparitas, quæ ab his Auctoribus necessariò est constituenda, vt ex persona infinita crescat arithmeticè meritum, & non ex dignitate gratiæ habitualis creatæ, probabit ex illa crescere; secus autem ex ista: ergo vel tenētur asserere crescere ex vtraque arithmeticè, vel ex vna crescere, non autem ex alia. Denique, nam si augmentum gratiæ habitualis inducit excessum in merito, sequitur, per vnum actum meritorium gratiam habitualem crescere in infinitum. Consequens est falsum: ergo ex maiori gratia meritum nō crescit. Probatur sequela; est namque sententia probabilis, augmentum gratiæ debitum actibus remissis statim conferri: ergo actus meritorius, vt duo ex sanctitate vt quatuor præexistente habet vnum gradum, v. c. valoris meritorij, ratione cuius statim dabitur augmētum gratiæ in præmium. Rursus: hoc augmentum gratiæ magis significat opus: ergo plus augmenti statim confertur, & sic de alijs vsque in infinitum, & consequenter per vnū actum meritorium infinitè gratia augebitur.

Secūdò.

Tertio.

70. *Respondent Auctores illius solutionis.*

Respondent præfatæ solutionis Auctores, negādo sequelam, eo quòd augmentum, quod datur in præmiū concomitanter se habet ad actum, & ideo non communicat illi valoris excessum. Quòd si opponas, ideò augmentum gratiæ concomitanter se haberet ad actum meritorium, quia non influit physicè in illum; sed iuxta solutionis doctrinam influxus physicus necessarius non est: ergo augmentum datum in præmium nō se habet concomitanter respectu actus meritorij. Respondent, negando antecedens; non enim ideò concomitanter se habet, quia nō influit physicè in actum, sed quia nec moralitèr influit in illū, eo quòd cum non antecedat ex parte principij pro priori ad elicientiam actus, materialitèr se habet, ideoque nec moralitèr adhuc valorat.

Sed contra primò; nam huius rei rationem inquirimus, cur nempè, si influxus physicus necessarius non est, materialitèr se habet ad influxum moralem augmentū gratiæ, quod actum consequitur, & in eodem instanti cōfertur in præmium. Secundò, nam est sententia satis probabilis, actus disponentes ad gratiam, etsi illam non promereantur; mereri tamen de condigno gloriam ex informatione per gratiam iustificantē in eodem instanti collatā, & ad ipsos actus subsequutam: ergo quòd augmentum gratiæ sequatur ad actum, illumque nō præcedat, non tollit, quo minus ex prædicto augmento crescat in actu valor meritorius moralis. Explicatur, & vrgetur: etsi gratia iustificans cadat sub merito congruo vltimæ dispositionis, & ad illam subsequatur, dignificat vltimam dispositionem, vt mereatur de condigno gloriam. ergo licet augmentum gratiæ cadat sub merito condigno actus ipsum præcedentis, poterit dignificare actum in eodem instanti, & illius valorem meritorium augere.

Reijcitur primo solutio.

Secūdò.

Tertiò.

71. *Vera solutio ad decimū argumētum.* *Medin.* *Cano.* *Zumel.* *Vazq.* *Cabrera*

Aliorum solutio est: non quòd maior est gratia sanctificans, eo maiorem esse valorem meritorium in operibus hominis iusti; quando gratia, eito intensior sit, non tamen influit in actū meritorium secundū intensionis excessum. Ita Magister Medina 1. 2. q. 114. *art.* 8. pro se referens eruditissimum, paritèr ac sapiētissimum Magistrum Cano, Zumel *in eodem artic. disp.* 3. Vazquez in præsenti *disp.* 6. *cap.* 4 Cabrera *disp.* 4. *num.* 40. quos docti Recentiores sequuntur, iuxta quam doctrinam ad argumentum factum respondetur, distinguendo antecedens, ex dignitate personæ se habente formalitèr ad actum satisfactorium, & meritorium, nego antecedens. ex dignitate personæ concomitantèr

tantèr se habente, concedo antecedens, & nego consequentiam: nam dignitas infinita personæ Christi operantis non se habet concomitanter, sed per se comparatur ad actus satisfactorios, & meritorios media humanitate elicitos. Si autem rationem petas, cur excessus gratiæ habitualis non se habeat formalitèr in ordine ad omnem actum à pura creatura elicitum, dignitas autè infinita personæ Christi operantis formalitèr comparetur ad omnes actus media humanitate elicitos, diuersimodè respondetur ab Auctoribus huius doctrinæ.

72. *Primo dicendi. Ratio P. Vazq.*

Vazquez eam reddit rationem, quia nempè gratia adoptionis solum requiritur, vt dignificet opera quatenus, quæ aliàs, quia non erant in ordine filij, & amici Dei, ideoque solum erant meritoria præmij temporalis, aut laudis, constituta in ordine filij, & amici Dei per gratiam iustificationis sint digna, vt remunerentur præmio supernaturali amicabili: vndè solum reddũtur tali præmio digna iuxta eam graduationem, qua essent digna laudis, & præmij temporalis, si extra statum filiationis essent elicita, & ideò gratia habitualis iustificans non dignificat quoad excessum gradualem, quo gaudet, sed solum quatenus constituit in ordine amicabili opera.

Reijcitur primò.

Cæterum cum gratia iustificans, & excessum ordinis habeat, & excessum gradualem, restat huic Auctori assignare rationem, cur operibus ab homine iusto elicitis præstet excessum ordinis, & non præstet gradualem excessum. Secundò, cur gratia substantialis vnionis, non solum constituat opera Christi in statu filij naturalis, sed etiam illis communicet infinitam dignitatem, qua gaudet; gratia verò habitualis opera ab homine iusto elicita solum constituat in ordine filij adoptiui, & illis non præstet totam suam intensiuam dignitatem.

Secundò.

73. *Alia ratio.*

Alij respondent, rationem, cur gratia habitualis non dignificet opera ab homine iusto elicita secundum totam intensionem, quam habet, esse, quia gratia iustificans non dignificat opera secundum gradus intensionis, sed solum secundum essentiam, cuius signum à posteriori est, quod gratia in quacumque minima intensione præcedat, dignificat opera, quãtumvis intensa sint, illaque meritoria constituit. Sed obstat contra istam rationem, quòd gratia habitualis iustificans dignificat subiectum, cui inest in ordine ad gloriam vt hæreditatem, non solum secundum essentiam, sed etiam secundum suam gradualem intensionem: vndè subiecto intensiorem gratiam habenti, & in maiori gratia existenti maior, & intensior gloria per modum hæreditatis debetur: ergo opera, quibus vnitur vt forma in genere moris, non solum valorabit respectu gloriæ, vt coronæ secundum essentiam gratiæ, sed etiam secundum gradualem intensionem, ita vt operi intensiori gratia formato intensior gloria per modum coronæ debeatur, nisi huius discriminis ratio assignetur.

Reijcitur.

74. *Alij aliã rationẽ discriminis reddunt.*

Alij, vt rationem discriminis reddant, supponunt primò, nõ esse idem personam esse constitutam in dignitate, & esse in statu amicitiæ, cum possit primum separari à secundò; Rex enim dignitatem habet etiam apud illos, quibus est invisus, & quandoque aliquis acceptus est illi, apud quẽ nulla pollet dignitate, vt servus nullam dignitatem habens potest acceptus esse domino suo. Secundò supponunt, amicitiam ex proprio conceptu non esse formam valorantem satisfactionem, aut meritum, nec per se ad illorum quantitatem conferre; non enim actio æstimabilior, aut valorosior est, quia à magis amico procedit, sed tantum esse conditionem, sine qua non, quatenus inimici nullum est meritum: dignitas autem personæ nequit esse conditio, sine qua non, cum sine dignitate meritum esse possit, & licet non sit necessaria, vt aliquis apud alium mereatur, vel ei satisfaciat; si tamen adsit, informat moralitèr opus, & maximè ad illius valorem, & æstimabilitatem cõducit.

75. Tertiò supponunt, gratiam iustificantem, quamuis sit diuinæ naturæ participatio, tamen per se loquendo non tam dari, vt personam in dignitate spirituali constituat, quam vt amicitia: quare non dignitas appellatur, sed gratia, & amicitia: & quâmis quis in gratia existit, eo ipso sit honoratione dignus, nō tamē datur tā vt propter se honoretur, qui vt honoretur propter Deum, cuius est amicus: sicut seruus Regis ab illo dilectus dignus est, vt honoretur propter Regem, non propter se. Denique supponunt, quod licet gratia iustificans possit vtrumque præstare, nempè constituere hominē gratum, & dignum propria honoratione ex vi adoptionis in filium Dei, non tamen datur in hac vita, vt præstet vtrumque, sed vnum tantum, scilicet amicitiam, cuius signū est, quòd existens in gratia, etiam si de illa esset certus, non minorem reuerentiam daret his, quibus debetur, quam in peccato existens, nec alij, etsi de illius gratia certi essent, ei maiorem reuerentiam deberent, alias peccarent Reges, & Prælati homines iustos, vt quosvis alios tractantes. Quibus præsuppositis ratio discriminis inter personam Verbi, & gratiam habitualem, vt illa infinitè dignificet opera media humanitate elicita; ista verò non conferat gradualem excessum operibus hominis iusti facilè deprehenditur; etenim cum gratia iustificans non per se comparetur ad valorem meriti, aut dignitatem satisfactionis, sed solum tanquā conditio: augmentum autem, seu decrementum conditionis non minuat, nec augeat operis dignitatem, consequens fit, quòd opus elicitum à sanctiori persona, nō ideò valoriosius sit: persona autem Verbi per se comparatur ad valorem operis, vt partialis forma saltim, & ideò auget valorem operis meritorij, & satisfactorij, illumque infinitum reddit, quando infinita est.

76. *Reijcitur primò.* Cæterum contra istam rationē discriminis obstat in primis apertū testimonium D. Thomæ 1. 2. q. 114. art. 3. ad finem corporis, quod ita concludit: *Attenditur etiam pretium operis secundum dignitatem gratiæ, per quam homo consors factus diuinæ naturæ adoptatur in filium Dei, cui debetur hæreditas ex ipso iure adoptionis, secundum illud Roman. 8. Si filij, & hæredes.* Vbi, vt clarè constat, duo docet D. Thomas cum doctrina solutionis traditæ apertè pugnantia. Primum est, attendi precium operis, quod est idem, atque illius dignitas secundum dignitatem gratiæ iustificantis, hominemque filium Dei adoptiuum constituentis. Secundum est, gratiam in statu viæ hominem, cui inest, non solum Dei amicum, filiumque constituere, sed etiam illi dignitatem præstare: si autem personam, non solum in statu amicitiæ, sed etiam in dignitate filij constituit, non est, cur non per se ad operis dignitatem, & valorem comparetur, vt forma, vt fatentur istius solutionis Auctores: ergo gratia habitualis iustificans, non solum vt conditio, sine qua non, sed vt forma saltim partialis comparatur ad valorem, & dignitatem operis meritorij, & satisfactorij.

S. Tho.

77. *Secundò.* Deindè obstat, falsum esse, gratiam in statu viæ non præstare iustis dignitatem, sed tantum amicitiam cum Deo, cuius falsitas probatur primò. Quia aliàs nulla hominis satisfactio in hac vita esset vndequaque digna, seu condigna, quod inconuenies videtur. Patet sequela, nam dignitas personæ operantis necessaria est ad dignitatem satisfactionis; sed nullus homo in hac vita dignitatem personalem habet, cum antè gratiam iustificantem dignitate personali non gaudeat, nec post illam, aut ratione illius, vt fatentur istius solutionis Auctores: ergo homo in hac vita nullam condignam satisfactionem potest elicere. Deindè falsitas eiusdem doctrinæ probatur, nam homo per gratiam habitualem fit dignus vita æterna per modum hæreditatis, eiquè ratione gratiæ debetur, gloria, vt hæreditas iuxta illud Roman. 8. *Si filij, & hæredes*; hæredes quidē Dei, cohæredes autem Christi: ergo gratia adoptionis ratione sui aliquam dignitatem præstat in hac vita subiecto, cui inest.

Rom. 8.

Denique

78. Tertiò. Vazq.

Denique obstat, fatuum etiam esse sanctis in hac vita specialem reuerentiam non deberi; nam licet specialis veneratio ciuilis non debeatur eis; specialis tamen veneratio maior, quã ciuilis, debetur, vt recte notauit Pater Vazquez *lib. 1. de adoratione disp. 5. cap. 2. ad finem.* Et probatur primò, honor enim debetur, & exhibetur alicui ratione propriæ excellentiæ; sed homo iustus speciali gaudet excellentia spirituali per gratiam habitualem: ergo ratione illius, si eius sanctitas nota sit, illi specialis honor debetur. Secundò ab experientia, qua constat, homines, quorum virtus, & gratia, vel miraculis confirmatur, vel alijs indicijs patescit, à viris timoratis valdè æstimari, apud Reges magni haberi, & illorum preces ad Deum, etiam à peccatoribus vitijs maximè deditis postulari, quod honoris, & æstimationis signum manifestum est, nec istæ hororationes viris sanctis prohibentur exhiberi, etiam quandiu sunt in hac vita, sed aliæ, quæ auctoritate publica fiunt, & solis canonizatis, aut beatificatis debentur. Nec obstat, eos aliquando malè tractari; hoc enim ad illorum humilitatem exercendam, quandoque fit à Prælatis; nè exterioribus signis honoris in superbiam elati sanctitatem, & gratiam amittant, quod non tollit maximam æstimationẽ interiorem, quam habent de illis, quos virtute præditos censent, & amicos Dei prudenter existimant.

79. Veratri, dicit Iunius à Tornamira tractatur.

Prætermissis igitur his, & alijs modis dicendi, quorum exactius examen pertinet ad 1. 2. *q.* 114. *art.* 8. veriorem iudico, quem frequentèr tradunt nostri Thomistæ consistentem in eo, quòd gratia, cum habitus sit subditur volutati nostræ quoad vsũ, & solum dignificat opera iuxta influxum physicum, quem præstat in illa, & quo ad illorum elicientiam concurrit. Vndè sicut nullatenus dignificat opus, si nullatenus influat in illud, vt contingit, quando homo iustus influxu gratiæ non vtitur, sed in actum merè naturalem prorumpit, ita cum influit, non dignificat opus nisi iuxta quantitatem influxus, quem præstat: ac proindè si quãuis gratia iustificans sit intensionis gradualis, vt octo; non influat, nisi vt quatuor, solum præstat operi meritorio dignitatem, vt quatuor, materialitèr omninò se habente maiori intensione illius: persona autem Verbi non subditur vsui libero voluntatis, cum substantialis sit, & non possit voluntas vnita Verbo sine illius concursu operari; ideoque dignificat opera secundum totum, quod potest, ac perconsequens infinitè.

Cæterum contra istam rationem discriminis obstat primo, quòd licet gratia subdatur voluntati nostræ quoad vsum in influxu effectiuo; non tamen illi subditur in influxu formali, sed valorem meritorium tribuit operibus in genere causæ formalis: ergo in præstando valorem meritorium voluntati nostræ non subditur: & cõsequenter opera in quacumque intensione elicita dignificabit secundum totam intensionem, quam habet. Secundò, quia namque suppositum dignificat in genere causæ formalis, supposito quòd inhæreat subiecto, secundùm se totam dignificat illud, esto in existendo in subiecto à voluntate nostra dependeat; sed etiã dignificat opera in genere causæ formalis: ergo supposito, quòd illis vniatur, secundùm se totam illa dignificat. Tertiò, nam licet Regia dignitas non substantialis, sed accidentalis sit, & libertati voluntatis subdatur, vt eliciat opera valoris Regij capacia, semel tamen elicitis, non est in potestate voluntatis, vt Regia dignitas, plus, vel minus illa valoret, sed omnibus præstat æqualem dignitatem personalem: ergo quamuis gratia habitualis accidẽtalis dignitas sit, non subdetur vsui libero voluntatis quoad quantitatẽ valoris, quem præstat, esto subordinetur illi quoad hoc, quod est ponere subiectum capax recipiendi valorem.

80. Replicatur primo.

Secundò.

Tertiò.

81. Respõdetur ad primam replicã.

Respondeo ad primam instantiã, quòd licet gratia in genere causæ formalis præstet valorem meritorium, quia tamen illum præstat media physica

ſica coniunctione cum actibus, & illis coniungitur phyſicè, vt principium effectivum, in quo influxu vſui libero voluntatis ſubijcitur, conſequens ſit, quòd licet non ſubdatur voluntati proximè, & formaliter, vt dignificans opera; ſubditur tamen illi præſuppoſitiuè, & radicaliter, ideoque non dignificat illa ſecundum totam intenſionem, quam habet, ſed iuxta quantitatē influxus, quem præſtat. ac proindè, ſi quamuis ſit intenſionis vt octo, non influat, vt octo, ſed tantum vt quatuor; ſolum præſtat dignitatem, & valorem vt quatuor.

Ad ſecūdam. Ad ſecundam dicatur, ſubiecto ſemper ſecundum totam ſuam gradualem intenſionem vniri, ideoque illud ſecundum ſe totam dignificare; operibus autē meritorijs vnitur moraliter vt forma, præſuppoſita vnione phyſica effectiua cū illis: cumque non ſemper vniatur phyſicè cum operibus ſecundum totam ſuam intenſionem: fit, vt nec ſemper moraliter ſecundum totam illam vniatur, ideoque non ſemper ſecundum ſe totam illa dignificat. *Ad tertiam.* Ad tertiam dicatur, quòd cum Regia dignitas omninò extrinſecè cōparetur ad opera Regia, non requirit phyſicam vnionem cum illis, vt ad ea comparetur tanquam cauſa formalis valorans; & ideò nec formaliter, nec præſuppoſitiuè limitari poteſt ex influxu libero voluntatis: gratia verò habitualis nō ita extrinſecè comparatur ad opera meritoria, quòd non ſit illis intrinſeca in genere moris, phyſicamque vnionē mediatam cum eiſdem expoſcens, & quia in hac vnione ſubditur vſui libero voluntatis, hinc fit, quòd mediatè ſaltem, & præſuppoſitiuè ſubijciatur illi quoad præſtandam dignificationem moralem.

82. *Inſtabis* Inſtabis: gratia habitualis vt vnū exiſtens in ſubiecto operante cum intenſione vt octo, dignificat opus vt octo; & tamen non influit phyſicè vt octo, cum hac intenſione non gaudeat: ergo influxus gratiæ moralis formalis non commenſuratur cum influxu effectiuo, & conſequenter ab illo non limitatur, aut modificatur. Et cōfirmabis; nam actus vltimò diſponentes ad gratiam non cauſantur phyſicè ab illa; & tamen dignificantur à gratia in ordine ad gloriam, ſuntque merita condigna illius: ergo dignificatio gratiæ formalis moralis phyſicum influxum effectivum non præſupponit, & conſequentèr ruit totus noſter diſcurſus, & ratio aſſignata diſcriminis inter gratiam ſubſtantialem vnionis, & gratiam habitualem, vt illa ſecundum ſe totam dignificet opera ab humanitate elicita; ita verò opera hominis iuſti non dignificet ſecundum ſe totam, ſed iuxta quantitatem influxus phyſici præſuppoſiti.

83. *Reſpōdetur.* Reſpondeo, quòd licet dignitas perſonæ operantis ſit forma valorans meritum; non tamen eſt forma adæquata, ſed inadæquata, & partialis, cum valor operis meritorij ex alijs capitibus etiam ſumatur, vt conſtat ex dictis in ſolutione ad primum argumentum. Vndè quamuis actus in prædicto caſu ſit meritorius, vt octo, non eſt neceſſarium, quòd totum illum valorem à gratia recipiat, ſed vel ex intenſione, vel obiecto, vel ex alijs capitibus concurrentibus ad valorandum actum poteſt deſumi. Ad confirmationem iuxta iſtam doctrinam, nego maiorem; nec enim cum his principijs poteſt illa ſententia cōponi, quamuis in ſe, & abſolutè probabilis ſit. Vel ſecūdò dicatur, quòd licet actus diſponentes ad gratiam nō procedant efficientèr ab illa; procedunt tamen ab aliquo vices eius gerente, videlicet ab auxilio actuali, quod loco gratiæ habitualis ſubrogatur, & hoc ſufficit, vt gratia iuſtificans in eodem inſtanti ſuperueniens valoret actum, & meritorium conſtituat pro ſigno ſequenti. Si opponas: ergo augmentum gratiæ ſubſecutum ad actum meritorium, vt præmium valorabit actum, & meritorium conſtituet pro ſigno ſequenti, quod falſum videtur. Conſequentia probatur; elicitur namque ab auxilio vices augmenti gratiæ gerēte, & aliàs quòd poſterius ſit actu, non tollit, quo minus illum in eodem inſtāti dignificet: ergo augmentum gratiæ datum in

præ-

præmium, valorabit actum in instanti, in quo datur, si vera est nostræ solutionis doctrina. Respondeo distinguendo consequens: valorabit actum in eodem instanti, vt sit meritum ipsius augmenti, nego consequentiam, in ordine ad gloriam, quando augmẽtum gratiæ statim confertur, concedo consequentiam.

84. *Vltimo arguitur ab inconuenientibus.*

Denique arguitur ex triplici inconuenienti, quod sequitur ex nostra sentẽtia. Primo ex illa sequitur, actus Dei liberos infinita æstimabilitate gaudere: consequens falsum videtur: ergo. Sequela est manifesta; nã actus liberi Dei, in veriori sententia, non in extrinseca denominatione, sed in formalitate Deo intrinseca, ipsique identificata consistunt: ergo si operationes Christi, quia à persona infinita procedunt, & in illa recipiuntur mediatè, sunt æstimabilitatis infinitæ, à fortiori actus liberi Dei sunt infinitè æstimabiles. *Primũ est.* Minor autem probatur; non enim potest homo cõdignè mereri donum aliquod à diuina voluntate causandum, quin mereatur condignè decretum liberum executivum Dei, *vt tractat. de prædestinat. art. 5.* docuimus. Sed si actus Dei liberi infinita æstimabilitate gauderent, hoc verum esse non posset, cum iusti suis bonis operibus condignè mereantur gloriam; decretum autem executivum Dei, si infinitæ esset æstimabilitatis, condignè mereri non possent: ergo actus Dei liberi infinita æstimabilitate non gaudent.

85. *Secundũ inconueniens.*

Secundo sequitur, operationes Christi, æquè, ac ipsum Verbum placere Deo: consequens est falsum: ergo. Probatur sequela, quod non æquè placet ac Verbum, non placet infinitè Deo, ac proindè infinitæ æstimabilitatis non est: ergo si operationes Christi sunt æstimabilitatis infinitæ, æquè Deo placent, ac Verbum.

Tertium inconueniens.

Tertio sequitur, operationes satisfactorias, & meritorias Christi necessariò à Deo acceptari ad remissionem offensæ, & ad præmium, quod merentur. Consequens est falsum, cum secluso omni pacto potuisset Deus illas irremuneratas relinquere: ergo. Sequela probatur, si operationes Christi essent infiniti valoris, essent infinitè acceptabiles; sed opus infinitè acceptabile, necessariò acceptatur, sicut obiectum infinitè amabile necessariò amatur à Deo: ergo si operationes satisfactoriæ, & meritoriæ Christi sunt valoris simpliciter infiniti, necessariò acceptantur à Deo ad remissionẽ offensæ, & ad præmium, quod merentur.

86. *Respondetur ad primũ.*

Respondeo ad primum inconueniens, concedendo sequelam, & negando minorem: ad illius probationem, concessa maiori, nego minorẽ. Ad cuius probationem dicatur, quòd vt homo iustus mereatur de condigno donũ creatum à Deo liberè causandum, sufficit, mereri decretum liberum Dei secundum id, quod in illo per se exigitur à dono creato, & quatenus est mediũ ad illius productionem: licet autem decreta libera Dei gaudeant infinitate morali, sintque infinitè æstimabilia; hæc tamen infinitas per se exacta à dono creato non est; ideoque vt homo iustus de condigno tale donum mereatur, necessarium non est, quòd mereatur condignè valorem moralem infinitum decreti liberi Dei, aut illius moralem æstimabilitatem, sicut licet Trinitas personarum Deo per se conueniat in esse entis, quia tamẽ ab effectibus creatis Deus vt trinus non exigitur per se, possunt cõprehensiuè cognosci creaturæ, quin ex vi illarum personarum Trinitas cognoscatur.

Ad secũdum.

Ad secundum inconueniens, nego sequelam, ad illius probationem, distinguo antecedens, non placet infinitè per essentiam, concedo antecedens: infinitè per communicationem, nego antecedens, & consequentiam; cum enim Verbum in se ipso placeat Deo infinitè per essentiam, ex eo quòd operationes Christi non adæquentur cum Verbo in terminando amorem, & complacentiam diuinam, solum sequitur, Deo infinitè per essentiam non placere, non autem, quòd non placeant Deo infinitè per communicationem, quæ infinitas inferioris ordinis est respectu infinitatis per essentiam.

tiam. Recolantur dicta in ſolutione ſexti argumenti. Ad tertium inconueniens coſtabit infra *tractatu de merito Chriſti*, vbi neceſsitatem pacti examinabimus.

Ad tertium.

§. VI.

Explicatur forma operationes Chriſti dignificans.

87. *Secũda cõcluſio.*

SECVNDA CONCLVSIO. Forma immediatè valorans, & dignificãs operationes Chriſti, no eſt aliquid rationis, nec modus realis moralis creatus, ſed ipſa perſona Verbi. Concluſionem iſtam, etſi non ita explicatam docent Capreolus vbi ſupra, & Nazarius in præſenti *art. 2. controuerſ. 1. in 4. notabil. §. ex his intelligi facile poteſt.* Et quantum ad primam partem oſtenditur primò; etenim modus rationis non exiſtit, niſi intellectu conſiderante, & confingente: at ſecluſa omni confictione intellectus opera Chriſti Domini ſunt valoroſa in ratione meriti, & ſatisfactionis: ergo non ſunt valoroſa, neque in ratione talium conſtituuntur per entitatem, vel modum rationis. Deindè, nam ens rationis eſt illud, quod verè non eſt; ab intellectu tamen concipitur, ac ſi eſſet; ſed valor operationum Chriſti verè illis conuenit, vereque, & non fictè exiſtit: ergo à forma non ficta, ſed vera debet præſtari. Denique, nam valor iſte habet effectus reales per modum ſatisfactionis, redemptionis, ſacrificij, & meriti: ergo realis eſt, & conſequenter à forma reali præſtatur.

Capreol. Nazar.

Prima pars probatur.

88. *Secũda pars poteratprobari à paritate modi offenſæ.*

Quoad ſecundam partem videtur poſſe probari argumento, quo *diſputatione prima*, vſi ſumus contra modum intrinſecum grauificantem offenſam, quia nempè iſtius modi infiniti non poteſt cauſa efficiens infinita aſsignari, cum autem omnis effectus infinitus habere debeat cauſam efficientem infinitam: cõſequens ſit, quod repugnet modus iſte moralis infinitus creatus valorans, & dignificãs operationes Chriſti, illaſque meritorias, & ſatisfactorias conſtituens. Hoc tamen argumentum in præſenti non vrget; nam Auctores modum iſtum conſtituentes pro forma valorante operationes Chriſti facilè reſpondebunt, omnia talis modi principia ſimili infinitate gaudere; virtutes namque animam Chriſti exornantes, quæ ſunt principia proxima illius, recipiunt ex coniunctione ad Verbum infinitum modum moralem: gratia habitualis, quæ eſt principium radicale, ex eadem coniunctione modum infinitum moraliter recipit: humanitas etiam, quæ immediatè eſt Verbo cõiuncta, & remotè in modum prædictum influit, etiam recipit modum infinitum moralem; ac proindè cum nec virtutes, nec gratia habitualis, nec humanitas Chriſti ſint principia modi valorantis ipſius operationes, ratione ſuæ phyſicæ entitatis, ſed ratione modi moralis, quem in illis infinitum eſſe, docet contraria ſententia, parum, aut nihil poſſunt illius defenſores vrgeri facto argumento.

Talis paritas eſt inſufficiens.

89. *Obiectio*

Nec refert, ſi obiſcias, quòd vt virtutes, quæ ſunt principia proxima, gratia habitualis, quæ eſt principium radicale, & humanitas Chriſti, quæ eſt principium mediatum, & remotum tales modos infinitos reciperent, conſtitui debet aliqua efficiens cauſa illos cauſans; ſed huiuſmodi cauſa efficiens non datur: ergo nec modi infinitantis virtutes, gratiam habitualẽ, & humanitatẽ. Probatur minor: ſi aliqua cauſa efficiens eſſet, maximè perſona Verbi; at hæc nihil poteſt effectiuè cauſare, niſi ſimul aliæ perſonæ Trinitatis concurrant, cũ opera Trinitatis ad extra, ſint indiuiſa, & toti Trinitati communia: ergo vel aſſerendum eſt, modos iſtos à tota Trinitate cauſari efficienter, quòd huius ſententiæ Auctores reculant, aut Verbum cauſam efficiẽtem illorum non eſſe, ac perconſequens non dari cauſam efficientem infinitam, à qua tales modi proueniant.

Non,

90. Solutio.

Non, inquam, multum premit huiusmodi obiectio, cui Auctores oppositi facilè occurrere poterunt asserendo, modi istius causam efficientem specialem per modum principij dimanationis esse personam Verbi, ad quam humanitati vnitam in ipsa humanitate dimanatiuè resultat, ex humanitate tali modo affecta ad gratiam habitualem, & ex gratia habituali ad virtutes infusas animæ Christi, ac proindè modi moralis humanitatem dignificantis esse causam efficientem per modum principij resultantiæ, & dimanationis moralis Verbum diuinum: & hoc modo à tota Trinitate non esse, sed tanquam à causa prima efficiente vnionem personæ Verbi cum humanitate, nec repugnare, quòd modus aliquis moralis reducatur ad Verbum aliquo speciali modo effectiuo, quo non proueniat à tribus personis; nam licet opera Trinitatis ad extra sint communia toti Trinitati quoad causalitatem effectiuam, non tamen est necessarium, quòd communia sint quoad causalitatem dimanatiuam.

91. Secunda pars cõclusionis probatur primo.

Relicto igitur hoc argumẽto, suadenda est secunda pars nostræ conclusionis primò; nam persona Verbi se ipsa est sufficiens ad valorandũ Christi operationes vt forma: ergo modus realis creatus ad illas valorãdum formaliter necessarius non est. Consequentia est bona; antecedens autem probatur: quia namque persona Verbi, vel ratione sui sanctitas est, vel continet Deitatem, quæ sanditas est formaliter, seipsa per modum formæ, & non medio aliquo à se deriuato humanitatem Christi sanctificat, sed etiam vel ratione sui dignitas est, vel transcendentaliter habet inclusam dignitatem diuinam: ergo se ipsa, & absque aliquo à se deriuato dignificat humanitatem, gratiam, dona, & operationes Christi. Deindè probatur argumento, quo supra arguebamus cõtra statuentes modum moralem infinitum ratione sui, vt esset vnio operationum Christi cum persona operante: etenim modus iste, eo ipso quòd creatus sit, educitur de potentia subiecti, cui inest: ergo si haberet intrinsecè actibus, educi debet ex illorum potentia obedientiali; sed potentia obedientialis actuum finita, & limitata est, non minus quam potentia obedientialis animæ Christi: ergo sicuti quia ista est finita nequit gratiam physicè infinitam recipere, vt ex D. Thoma iam vidimus, ita quia potentia obedientialis actuum est limitata, & finita, modus ratione sui infinitus moralitèr ex illa educi non poterit.

Secundò.

92. Tertiò.

Præterea, nam si à persona se ipsa per modum formæ infinitas moralis operationum Christi proueniat, excellentiori infinitate gaudebut, quam si infinitentur à modo morali creato, vtpotè cum modus solum deriuatiuè, & participatiuè sit infinitus; persona autem Verbi per essentiam infinita sit, & operationibus præstet infinitatem per communicationem diuinam; sed Christi operibus debemus tribuere summam dignitatem possibilem: ergo non per modum creatũ, sed per ipsam Verbi personam dignificantur, & valorantur formaliter. Denique, nam offensa mortalis non grauificatur formaliter per modum aliquem moralem creatum; sed à maiestate offensa se ipsa, vt *disput. prima* monstrauimus: ergo operationes Christi non per modum moralem creatum, sed per ipsam Verbi personam formaliter valorantur. Patet consequentia primò à paritate rationis: secundò à fortiori; nam persona satisfaciens aptior est ad valorandum operationes, quas efficit, quam maiestas Dei offensa ad dandam grauitatem offensæ: ergo si maiestas offensa dat offensæ grauitatem, se ipsa per modum formæ, persona satisfaciens, se ipsa per modum formæ dat operibus satisfactorijs valorem, & dignitatem.

Quartò.

Denique, nam si offensa à persona iniuriata, se ipsa per modum formæ quantitatem grauitatis reciperet, & operationes Christi non à persona Verbi, sed ab aliquo modo morali creato reciperent valorem, & dignitatem, non excederet dignitas operationum Christi grauitatem of-

Vltimò.

fensæ

fortè mortalis, ſed hæc illam ſuperaret, vtpotè à præſtantiori forma proueniens, & quia grauitas offenſæ eſſet per communicationem diuina; dignitas autem operationum Chriſti non per communicationem, ſed per participationem; ſed hoc eſt falſum, vt *diſput. ſeq.* videbimus, & communis docet ſententia: ergo aſſerendum eſt, operationes Chriſti non per modum aliquem moralem creatum, ſed per ipſam Verbi perſonam valorari, & dignificari formaliter.

93. *M. Vincentius.* Contrarium noſtræ concluſionis docuit Mag. Vincentius *relectione de Gratia Chriſti q. ſuprà relata concl. 3. pag. 340.* quem plures Recentiores ex noſtris ſequuntur, in quorum fauorem, & contra noſtram concluſionem opponet aliquis primò, nam dignitas operationum Chriſti eſt illis intrinſeca; ſed perſona Verbi nō eſt forma illis intrinſeca: ergo non valorantur à perſona Verbi formaliter, ſed à modo aliquo morali creato.

Primū argumē-tum.

Secūdū. Deindè. Nam dignitas operationū Chriſti eſt ab aliqua forma illis immediatè vnita; ſed perſona Verbi non vnitur immediatè operationib⁹ Chriſti, ſed mediante humanitate: ergo non valorat illas ſe ipſa per modum formæ, ſed mediante modo morali creato à perſona Verbi dimanante.

Tertium Denique. Nā perſona Verbi nequit eſſe forma phyſica operationū Chriſti; vt cum D. Thoma docet frequentior ſententia: ergo nec poteſt eſſe illarum forma moralis. Patet conſequentia; nam ex vtroque modo informationis idem incōueniens infertur, nempè incompletio, informatio, & partialitas; non enim minus repugnat perfectionibus diuinis informatio, partialitas, & incompletio in linea morali, quam in linea phyſica, cum in vtraque linea ſint infinitæ, illiſque in vtraque linea omnis imperfectio repugnet; ſed ob hanc cauſam non poteſt perſona Verbi phyſicè informare opera: ergo ob eandem non poteſt illa informare moraliter.

94. *Ad primū reſpōdetur.* Reſpondeo ad primam obiectionem, conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: non eſt illis intrinſeca per modum formæ phyſicæ, concedo minorem; per modum formæ moralis, nego minorem, & conſequentiam. Ratio, cur moraliter intrinſecè informat, eſt; quia exiſtimatio moralis fundatur in intrinſeca vnione operationum Chriſti cum perſona Verbi, vt cum ſubiecto mediato: quando autē fundamentum eſt denominato intrinſecum; denominatio moralis intrinſeca eſt, etſi non ſupponat informationem intrinſecam phyſicam formæ denominantis.

Ad ſecūdum. Ad ſecundam diſtinguo maiorē: eſt ab aliqua forma illis immediatè vnita, immediatione excludente formam mediantem vt valorantem, concedo maiorem: immediatione excludente omne medium, nego maiorē, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Nam humanitas, cui immediatius vniuntur operationes, & cui immediatius vnitur perſona Verbi, etſi mediet inter operationes, & Verbum, non mediat vt forma dans valorem operationibus, ſed vt ſubiectum *quo* illarum; ideoque non impedit, quòd perſona Verbi ſit forma immediatè operationes dignificans, immediatione excludente medium, quod ſit forma valorans.

Ad tertium. Ad vltimam, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Et ratio diſcriminis eſt; quia vnio per modum formæ phyſicæ eſt ad conſtituendam aliquam naturam, ad quod informatio, & incompletio requiritur, quod, cum imperfectio ſit, repugnat omninò diuininis formalitatibus: vnio autem per modum formæ moralis ad conſtitutionem naturæ non ordinatur, ſed ad tribuendam amabilitatē, vel æſtimabilitatē, ad quod ſufficit vnio per modum termini mediata, vel immediata. Vndè ſicut humanitatem ſanctificat Deitas, aut perſonalitas Verbi abſque aliqua informatione ſolum per terminationem, ita valorat operationes per vnionem mediatam per modum termini abſque vlla incompletione, aut informatione phyſica.

§. VII.

Explicatur conceptus, sub quo persona Verbi operationes Christi valorat.

95. *Tertia conclusio.*

TERTIA CONCLVSIO. Persona Verbi non significat operationes Christi ratione illius, quod personalitas explicat, additque ad prædicata essentialia, sed ratione alicuius prædicati absoluti, quod intrinsecè includit. Hanc conclusionem statuo consequenter ad ea, quæ fusè docui *tract. de Trinitate quæst. 28. disp. 4.* vbi cum frequentiori Thomistarum sententia defendi, relationes diuinas non addere supra essentiam perfectionem relatiuam, nec dicere perfectionem ratione illius, quod explicant, nempè ratione conceptus relatiui, sed solum ratione essentiæ, quã includunt transcendentaliter: & ostendo illam primò. Nam eadem ratio est dignitatis, ac perfectionis; sed personalitates diuinæ ratione conceptus relatiui, quæ supperaddunt essentiæ, perfectionem non dicunt, vt modo supponimus, & *loco proximè citato* ostendimus: ergo ratione conceptus relatiui, quem supperaddunt essentiæ, quatenus ab essentia distincti dignitatem non dicunt, ac proindè ratione illius, nec humanitatem, nec humanitatis operationes possunt significare.

Probatur primo.

96. *Secundò.*

Secundò probatur: si personalitas Verbi ratione illius, quod explicat, & supra essentiam addit, diceret dignitatem, vt necessarium erat ad hoc, quòd ratione illius opera significarer, essent concedendæ in Deo tres dignitates distinctæ; sed hoc concedi non potest: ergo nec quod ratione illius, quod ad essentiam addit, personalitas significet operationes Christi. Consequutio est bona, maiorem fusè ostendi *loco allegato*, & breuiter sumitur ex eo, quòd prædicata indifferentia, vt conueniant personis ratione absoluti, & ratione conceptus relatiui possunt singulariter, & pluraliter prædicari de personis: vndè quia realitas huius conditionis est, dicuntur diuinæ personæ vna realitas, ratione essentiæ, & tres realitates, ratione trium relationum: ergo si dignitas conuenit diuinis personis ratione conceptus relatiui, secundum id, quod supra essentiam addit, concedendæ sunt tres dignitates realiter distinctæ in Deo. Minorem autem probo primò ex Patente Augustino *lib. 5. de Trinitate cap. 8.* illis verbis: *Quemadmodum Pater Deus est, Filius Deus est, & Spiritus Sanctus Deus est; non tamen tres Deos dicimus, sed vnum Deum, ita magnus Pater, magnus Filius, magnus Spiritus Sanctus; non tamen tres magni, sed vnus magnus.* Ex quibus verbis sic probo minorem: in Deo iuxta Augustinum non sunt tres magnitudines distinctæ realiter concedendæ; sed ratio, quare concedi non debeant, alia non est, quam nè aliqua magnitudo vni ex diuinis personis conueniat, & non conueniat alijs: ergo pariter tres dignitates non sunt admittendæ in Deo, alias aliqua dignitas vni personæ competens alijs non conueniret, quod non minus inconueniens debet censeri, quam quòd aliqua magnitudo non sit tribus personis communis, & quòd magnitudo Patris non competat Filio, & è contra. *S. Aug.*

Secundò probatur ex D. Thoma *1. p. q. 42. art. 4. ad 2.* illis verbis: *Sicut eadem essentia, quæ in Patre est paternitas, in Filio est filiatio: ita eadem dignitas, quæ in Patre est paternitas, in Filio est filiatio.* Ergo sentit D. Thomas, quòd sicut essentia in personis non multiplicatur realiter, ita nec dignitas realiter multiplicatur in illis. *S. Tho.*

97. *Tertiò.*

Denique principaliter suadetur conclusio; nam prædicata absoluta non conueniunt personis ratione illius, quod addunt supra essentiam, sed ratione essentiæ; at dignitas est prædicatum absolutum in Deo: ergo non

con-

conuenit Verbo ratione propriæ perſonalitatis ſecundum expreſſum relationis conceptum ad eſſentiam ſuperadditum, ſed ratione eſſentiæ, quã tranſcendentaliter includit. Minorem, in qua eſt difficultas, probo primò ex D. Thoma *loco proximè allegato*, illis verbis: *Paternitas eſt dignitas Patris, ſicut & eſſentia Patris; nam dignitas eſt abſoluta, & ad eſſentiam pertinet.* S. Tho. Ergo ex mente D. Thomæ dignitas eſt prædicatum abſolutum in Deo. Secundò, nam D. Thomas ibi docet, hanc conſequentiam non valere: quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius: paternitatem habet Pater: ergo paternitatem habet Filius; mutatur enim quid in ad aliquid, ideſt, abſolutum in relatiuum; ſed ſi dignitas non eſſet prædicatum abſolutum, non mutaretur quid in ad aliquid in prædicta conſequentia, ſicut nec in illa conſequẽtia mutatur: quidquid realitatis habet Pater, habet Filius: paternitatem habet Pater: ergo paternitatem habet Filius. Quia realitas prædicatum abſolutum non eſt, ſed relatiuo, & abſoluto commune: ergo iuxta D. Thomam dignitas in Deo non eſt communis relatiuo, & abſoluto per logicam tranſcendentiam, ſed determinatè aliquid abſolutum importat. Denique probatur maior ratione à priori; nam dignitas vel eſt idem, quòd perfectio, vel ad perfectionem conſequitur: eatenus enim aliquis dignior cenſetur, quatenus maiori gaudet perfectione, ſcientiæ, eſſentiæ, aut virtutis; ſed ratio perfectionis eſt prædicatum abſolutum in Deo, eò quòd in tantum aliquid perfectum eſt, in quantum eſt in actu, vel ad exiſtentiam ordinem dicit, vt docet D. Thomas 1. *p. q.* 4. *art.* 1. *ad finem corporis, & q.* 5. *art.* 1. *in corpore*, quem ordinem relatio ratione ſui nõ dicit, cum ratione ſui ſolum dicat ordinem ad terminũ, & ad ſubiectum, quod ad terminum refert: ergo ratio dignitatis abſolutè in Deo dicitur, & eſt prædicatum abſolutum in ipſo.

98. *Prima ſolutio.* His tribus argumentis reſponderi poteſt primò, perſonalitatem Verbi ratione illius, quod ſupra eſſentiam addit, & ratione conceptus relatiui non dicere perfectionem ad intra, nec dignitatem, nec bonitatem; dicere tamen perfectionem, bonitatem, & dignitatem ad extra. Ex quo ſolum ſequitur, ratione illius, quod addit ad eſſentiam, non perficere, aut dignificare ipſum Verbum, nec meritorias Verbi operationes, non autem quòd non dignificet, & perficiat humanitatem, & operationes illius; cum enim media terminatione humanitatis, & operationum, illas cũ diuinitate coniungat, non poteſt non dignificare, & perficere operationes humanitatis, & ipſam humanitatem; nam aliquid eſſe diuinitati coniunctum perfectio, & dignitas eſt. Vel ſecundo reſponderi poteſt, quòd licet perſonalitas Verbi ratione illius, quod ſupra eſſentiam addit, & ſupra omnia prædicata abſoluta, non dicat perfectionem, bonitatem, aut dignitatẽ phyſicam; dicit tamen perfectionem, bonitatẽ, & dignitatem moralem; & hoc ſufficit, vt ratione expliciti conceptus relatiui ad eſſentiam ſuperadditi, & ad prædicata abſoluta, operationes humanitatis dignificet, & infinitè meritorias, & ſatisfactorias conſtituat. *Secunda ſolutio.*

Sed contra primam ſolutionem facit primò: non enim ſtat, quòd perſonalitas Verbi ratione illius, quod addit ſupra eſſentiam, ſit perfectio, bonitas, & dignitas ad extra, & non ſit dignitas, bonitas, & perfectio ad intra: ergo conceſſo, vt in hac ſolutione conceditur, non dicere perfectionem ad intra, non poteſt defendi dignificare operationes humanitatis. Conſequentia eſt bona: antecedens autẽ oſtenditur primò; nam habens in ſe perfectionem non poteſt nõ reddi tali perfectione perfectum; ſed Verbum habet in ſe perſonalitatem propriam: ergo ſi hæc perfectio eſt, non poteſt non eſſe perfectum ab illa, & conſequenter non ſtat, perſonalitatem Verbi ratione illius, quod addit ſupra eſſentiam, eſſe perfectionem, & dignitatem ad extra, & non eſſe perfectionem, & dignitatem ad intra. Secundò probatur; nam perficit, 99. *Prima ſolutio. Reijcitur primo.*

&

& dignificat humanitatis, operationes, & est in ordine ad illas perfectio, & dignitas, quia eas diuinitati coniungit, vt asseritur in hac solutione; sed Verbum ipsum, & illius operationes intimius diuinitati coniungit, scilicet per identitatem: ergo si est perfectio ad extra, nempè in ordine ad humanitatem, & illius operationes, etiam est perfectio ad intra, scilicet per respectum ad Verbum, & operationes illius.

Tertiò, & explicatur magis hoc ipsum; nam ideo operationes humanitatis perficiuntur, & dignificantur à personalitate Verbi, quia mediante illa diuinitati coniunguntur; sed personalitas Verbi se ipsa est diuinitati per identitatem coniuncta: ergo sibi ipsi est perfectio, & consequenter non stat, esse perfectionem, & dignitatem ad extra, & non esse perfectionem, dignitatem, & bonitatem ad intra.

100 *Secundo.* Deindè contra primam solutionem facit: vt enim personalitas Verbi ratione illius, quod addit supra essentiam, perficiat, & dignificet operationes Christi, debet ipsa ratione illius, quod addit ad essentiam, esse vt quod perfectio, & dignitas in se ipsa, etsi non sibi, sed alijs: at hoc defendi non potest, negato, quòd relationes superaddant ad essentiam perfectionem, & bonitatem ad intra: ergo, hoc negato, nequit personalitas Verbi ratione illius, quod addit ad essentiam dignificare, & perficere operationes humanitatis. Cõsequentia est bona, maior certa; licet namque vt humanitas constituat hominem, non debeat esse, *vt quod* homo, sed tantum *vt quo*; vt *quod* tamen debet esse humanitas: & similiter vt albedo faciat album, etsi non debeat esse vt *quod* alba, sed tantum vt *quo*; vt *quod* tamen debet esse albedo, idemque in alijs formis contingit: ergo pariter licet vt personalitas Verbi ratione conceptus expliciti relatiui superaddit ad essentiam, & ad cætera prædicata absoluta perficiat, & dignificet operationes humanitatis, non debeat esse ratione talis conceptus vt *quod* dignà, & vt *quo* perfecta; debet tamen esse ratione illius dignitas, & perfectio vt *quod*, & oppositum est ininteligibile omninò, alias quod non esset entitas, posset constituere ens, & quod non esset relatio, posset facere relatum. Minor autem probatur; ideò namque negatur relationibus diuinis ratione conceptus expliciti, addere perfectionem ad intra, quia sequeretur, esse tres perfectiones realiter distinctas in Deo: ex quo vlterius fieret, quòd aliqua perfectio conueniens vni personæ, v.c. Patri, non cõueniret alij, v.c. Filio, & è contra, & vlterius, quòd essent inter se specificè inæquales; sed idem inconueniens sequitur, ex eo quòd personalitas Verbi ratione illius, quod addit ad essentiam, sit vt *quod* perfectio, & dignitas in ordine ad extra, nam eo ipso erunt in diuinis personis tres perfectiones ad extra realiter distinctæ inter se, & vni ex illis aliqua perfectio conueniet, quæ alteri non conueniat, eruntque specificè inæquales. ergo negato, quòd personalitas Verbi ratione illius, quod supra essentiam addit, & supra omnia prædicata absoluta sit perfectio, & dignitas ad intra, debet consequenter negari, quòd sit bonitas, perfectio, & dignitas potens perficere, & dignificare ad extra.

101. *Secunda solutio reijcitur.* Et ex his secunda solutio relinquitur impugnata; ideò namque à Thomistis asseritur, relationes diuinas secundum cõceptum relatiuum, quem exprimunt, & superaddunt essentiæ, prædicatisque absolutis, non dicere perfectionem, aut bonitatem physicam relatiuam, quia ex oppositio fieret, vt essent in Deo tres perfectiones, aut bonitates physicæ specificè inæquales, & quòd aliqua perfectio vni personæ conueniens non conueniret aliæ, & è contra; sed non est minus inconueniens, quòd sint in Deo tres perfectiones morales inæquales inter se, quam quòd sint tres perfectiones physicæ; nec minus inconueniens est, quòd aliqua perfectio moralis vni personæ conueniens non conueniat alijs personis,

quam quòd aliqua perfectio physica conueniat vni personæ alteri non conueniat, cum quælibet ex diuinis personis, non minus in linea morali, quam in linea physica, sit simpliciter infinitè perfecta: ergo negato, quòd diuinæ relationes addant supra essentiam bonitatem, & perfectionem physicam, debet consequenter negari, quòd addant perfectionem, bonitatem, aut dignitatem moralem, & consequenter in præfata sententia, quæ inter discipulos Diui Thomæ est frequentior, non poterit sustineri, quòd personalitas Verbi ratione proprij conceptus, quem superaddit essentiæ, prædicatisque absolutis, operationes humanitatis dignificet, illasque infinitè meritorias, & satisfactorias constituat. Sed de hoc puncto plura infra *tractat. de Gratia Christi.* Contra istam conclusionem plura, & satis difficilia argumenta opponi possent, quæ idcircò omitto, quia spectant ad alias materias, scilicet de Gratia Christi *infra quæstione septima, & de Trinitate prima parte quæstione 28.*

§. VIII.

Explicatur cõceptus, sub quo persona Verbi opera humanitatis valorat.

102. *Vltima cõclusio*

VLTIMA CONCLVSIO SIT. Persona Verbi valorat operationes humanitatis sub conceptu dignitatis, & sub cõceptu sanctitatis. Ante cuius probationem animadverto primò, dignitatem ex communi conceptu non esse idem quòd amicitia: quod patet: nam Rex dignitate regia gaudet etiam apud illos, quibus inuisus est, & homo sapiens dignus est æstimatione etiam apud illos, cum quibus amicitiã non habet. Ergo ratio dignitatis, & ratio amicitiæ ex communi conceptu vnum, & idem non sunt. Adverto secundò, quòd licet persona Verbi, & sancta, & digna sit, & vtrumque præstet humanitati; non tamen esse idem re, & ratione conceptum sanctitatis, & cõceptũ dignitatis. Quod probo; nã sãctitas in creata, in sententia, quam veriorem iudico, est Deitas sub conceptu essẽtiæ, & naturæ: vndè, Deus nõ est sanctus ratione attributorum, omnipotentiæ, sapientiæ, &c. sed solum ratione essentiæ, in qua attributa radicantur, nec in Deo sanctitas virtualitèr multiplicatur, sicut multiplicantur attributa diuina; sed dignitas increata cum, vel idem sit quòd magnitudo, & perfectio, vt satis apertè indicat Divus Thomas *prima parte quæstione 42. artic. quarto ad secundum*; vel ad perfectionem, & magnitudinem cõsequatur, conuenit Deo ratione cuiuscumque attributi, multiplicaturque virtualitèr iuxta multiplicationem attributorum: quo circa Deus in dignitate infinita constituitur ratione summæ sapientiæ, ratione omnipotentiæ, & ratione aliorum attributorum, & ratione omnium summa illi veneratio debetur: ergo conceptus dignitatis, & conceptus sanctitatis in Verbo non sunt idem re, & ratione, sed virtualitèr inter se distinguuntur. S. THO.

103. *Probatur conclusio.*

His ita breuitèr præsuppositis, asserit nostra conclusio: personam Verbi infinitè valorare operationes humanitatis, non solum ratione summæ sanctitatis, sed etiam ratione summæ dignitatis à sanctitate distinctæ. Et quidem, quòd persona Verbi valoret operationes proprias sub conceptu sanctitatis probatur; nam operationes Christi, non solum habuerunt rationem satisfactionis, sed etiam rationem meriti, vt docet Divus Thomas *infra quæstione 48.* & nullus ex Theologis negat; sed forma valorans meritum est sanctitas operantis, vt communitèr docetur à Theologis cum Diuo Thoma *prima secundæ quæst. 114. articulo secundo*: ergo persona Verbi valorat proprias S. THO.

opera-

operationes sub conceptu sanctitatis. Quod autem etiam sub conceptu dignitatis easdem operationes valoret, probatur; etenim satisfactio crescit ad incrementum dignitatis personæ satisfacientis, & ab illa recipit valorem, vt *supra* latiùs ostendimus: vndè Rex satisfaciens suis operationibus regiam tribuit dignitatem, sed operationes Christi per modum satisfactionis nostram salutem causarunt, vt docet Divus Thomas vbi *supra*, & fatentur omnes Theologi: ergo à persona Verbi sub conceptu dignitatis suum receperunt valorem.

Contrarium huius conclusionis tenet Vazquez *disputatione sexta cap.* 2. vbi docet, non ex infinitate personæ Verbi operantis, sed ex sanctificatione infinita naturæ humanæ per gratiam substantialem vnionis pensandam esse infinitatem valoris in satisfactione Christi.

104 *Vazq.*

Primum argumentum.

Quod probat: nam si per impossibile humanitas vnita esset in peccato mortali, illius operationes non essent satisfactoriæ, nec condignè meritoriæ; tunc enim Christus secundùm humanitatem, qua solum mereri poterat, esset æterno supplicio dignus, & in statu inimicitiæ cum Deo, & consequentèr indignus, vt ab ipso exaudiretur; & tamen in eo casu maneret dignitas infinita personæ Verbi increatæ, & operationes Christi essent vnitæ cum illa: ergo valor satisfactorius operationum Christi non sumitur ex infinita dignitate personæ Verbi operantis, sed solum ex infinita sanctificatione humanitatis assumptæ infinitum capiunt valorem.

Huic argumento Suarez *disputatione quarta sect. 4. §. sed hinc oritur*, respondet, dato illo impossibili, vtramlibet partem sequi, nempè Christum satisfacturum, & non satisfacturum condignè. Primum ratione infinitæ dignitatis personæ. Secundum ex eo, quòd peccato infecta humanitas supponatur. Quam doctrinam Recentiores impugnant, eo quòd tunc solùm ex impossibili sequitur quodlibet, ideſt, vtrumque contradictionis extremum, cum impossibile constat ex terminis immediatè contradicentibus, vt si supponamus, hominem esse, & non rationalem, quia homo, & non rationalis, sunt termini immediatè contradicentes, sequitur ex hoc impossibili, esse hominem, & non esse hominem: esse hominem, quia sic supponitur: & non esse hominem, quia supponitur non rationalis: quando verò, etsi casus impossibilis sit, non tamen constat ex terminis immediatè, & logicè oppositis, ex tali impossibili non sequitur quodlibet, ideſt, vtrumque contradictionis extremum, sed vnum tantum, v. c. si supponamus, esse hominem, cui color repugnat, non sequitur per locum intrinsecum, fore visibilem, & non fore visibilem, sed solum hoc secundum infertur, quia homo, & impotentia ad colorem, quos terminos casus supponit, non opponuntur contradictoriè immediatè. vndè, etsi casus implicatorius sit; complicatorius tamen non est: at in casu præsuppositio, nempè humanitatis subsistentis hypostasi Verbi, & in peccato mortali existentis termini non opponuntur immediatè contradictoriæ; nam subsistentia Verbi solum opponitur contradictoriè non subsistentiæ; non verò opponitur contradictoriè, aut priuatiuè peccato ratione sui, sed ratione prædicati absoluti: ergo suppositio ista, tametsi impossibilis, sit, non tamen constat terminis immediatè contradicentibus, ac proindè non est talis conditionis, quòd ex illa sequatur vtrumque contradictionis extremum, nempè satisfactio condigna, & negatio condignæ satisfactionis, sed vnum tantum illorum potest, & debet ex prædicta hypothesi inferri.

105. *Solutio Patris Suarij.*

Impugnatur à Modernis.

Vndè ad argumentum factum illi Recentiores respondent, tunc casus opera Christi Domini infinitum valorem ad satisfaciendum fore habitura. Quod probant; nam persona satisfaciens esset in eo casu dignitatis infinitæ simplicitèr, esto humanitas peccato supponatur infecta, sed valor satisfactorius sumitur à perso-

106 *Secunda solutio Recentiorum.*

na ſatisfaciente, ſicut offenſæ grauitas ex perſona offenſa penſatur: ergo etiam ſi humanitas eſſet in peccato mortali, & in ſtatu inimicitiæ cum Deo, operationes illius eſſent infiniti valoris ſatisfactorij.

Obiectio. Quòd ſi illis opponatur: opera Chriſti Domini in hypotheſi admiſſa non eſſent Deo grata: ergo nec eſſent condignè ſatisfactoria. *Reſpondent.* Reſpondent, in caſu admiſſo opera à Chriſto Domino elicita non fore Deo grata gratitudine amicabili, fore tamen grata Deo ab æſtimatione morali æqualis dignitatis cum offenſa, pro qua fiunt, & hoc ſufficere, vt eſſent condignè ſatisfactoria pro illa: ſicut ſi Rex, qui alium Regem offenderet, ſatisfactionem æqualem illi pro offenſa exhiberet, etiam ſi illius amicus non eſſet, ſatisfaceret cõdignè pro iniuria irrogata ipſi, & opera in ſatisfactionem exhibita grata eſſent Regi offenſo gratia æqualis æſtimationis cum offenſa ipſi irrogata, etſi illi grata non eſſent gratitudine amicabili.

107 *Reijcitur primo.* Sed non placet Recentiorum ſolutio, & reijcitur primò. vt enim Chriſtus ſuis operationibus valorem ſatisfactorium communicet, non ſufficit, quòd perſona Verbi in ſe ipſa infinitè digna ſit, ſed inſuper eſt neceſſarium, quòd vt homo habeat dignitatem infinitam, ideſt, quòd humanitatem infinitè dignam conſtituat; ſed in data hypotheſi, etſi perſona Verbi in ſe ipſa infinitè digna eſſet; non tamen vt homo: ergo non valoraret infinitè ſuas operationes. Conſequutio eſt legitima, præmiſſæ autem indigent probatione. Maior probatur: tùm quia Verbum ſecundum ſe non ſatisfacit, ſed Verbum vt homo: ergo vt ſic, debet infinita dignitate gaudere: tùm etiam, nam eo modo requiritur dignitas perſonæ ſatisfacientis ad valorem ſatisfactionis, quo exigitur ſanctitas perſonæ merentis ad valorem meritorium; ſed vt perſona Verbi operibus media humanitate elicitis valorem meritorium infinitum communicet, non ſufficit, quòd in ſe ipſa infinitè ſancta ſit, ſed requiritur, quòd Verbum quatenus homo infinitè ſit ſanctum, ideſt, quòd humanitati infinitam ſanctitatem cõmunicet, vt fatentur præfatæ ſolutionis Auctores: ergo vt eiſdem operibus præſtet valorem ſatisfactorium infinitum, non ſufficit infinita dignitas perſonæ Verbi in ſe ipſa, ſed neceſſarium eſt, quòd vt homo infinitè dignus ſit, ideſt, quòd hanc dignitatem humanitati communicet. Minor etiam hac ratione probatur: peccatum enim non ſolum cum amicitia, & ſanctitate repugnat, ſed etiã repugnat cum ſumma dignitate, ſed quia humanitas ſupponitur infecta peccato, non ſupponitur in ſtatu amicitiæ, nec Chriſtus vt homo ſupponitur Dei amicus: ergo eadem ratione non ſupponetur humanitas infinitè dignificata, nec Chriſtus vt homo dignus dignitate infinita. Probatur maior: non ſolum repugnat eſſe obiectum amoris, & odij talium ſimpliciter, ſed etiam repugnat eſſe obiectum æſtimationis apud Deum, & eſſe obiectum deiectionis, ſeu partij penſionis; ſed ob primam repugnantiam peccatum non componitur cũ amicitia diuina in eodẽ ſubiecto: ergo ob ſecundam, repugnant in eodem ſubiecto ſumma æſtimationis dignitas, & peccatum, & conſequenter eo ipſo quòd peccato infecta ſupponatur humanitas, ratione cuius, abiectionis, & parui penſionis digna ſupponitur, non poteſt ſupponi infinitè digna apud Deum dignitate præſtita à Verbo.

108 *Reijcitur ſecundo.* Secundò reijcitur; non enim ſtat, Chriſtum Dominum ſatisfacere condignè pro offenſa, quin condignè mereatur remiſſionem illius; ſed in data hypotheſi non mereretur condignè remiſſionem offenſæ: ergo nec condignè ſatisfaceret pro illa. *Maior* cum conſequentia tenet, minorem autem probo; vt enim communiter docetur à Theologis *prima ſecundæ quæſt. 114. artic. ſecundo*, ſtatus amicitiæ in ſubiecto requiritur ad merendum aliquid condignè à Deo, quod præfati Recentiores non negant; ſed in hypotheſi admiſſa Chriſtus

Theologi.

ſtus, vt homo non eſſet in ſtatu amicitiæ: ergo nihil poſſet à Deo condignè mereri, & conſequenter mereri non poſſet condignè remiſsionem offeniæ. Neque exemplum Regis adductum in fauorem ſolutionis negotium facesſit; nam cum inimicitia vnius Regis ad alium ſtat regia dignitas, & æſtimabilitas apud ipſum; cum peccato autem, & inimicitia cū Deo dignitas apud ipſum, & infinita æſtimabilitas componi non poteſt, ac proindè ex eo quòd vnus Rex poſsit alteri Regi ſibi infenſo, & inimico ſatisfacere condignè pro offenſa irrogata in ipſum, non ſequitur poſſe exiſtentem in peccato mortali, quamuis Deus homo ſit, Deo condignè ſatisfacere. Eſt etiam inter vtrumque caſum aliud diſcrimen: quòd vt Rex Regi ſibi inimico condignè ſatisfaciat, non eſt neceſſarium, quòd aliquid apud ipſum mereatur, ſed ſolum quòd tantum præſtet; quòd plus ab iniuriato poſtulari in ſuæ iniuriæ cōpenſationem iuſtè non poſsit: vt autem Chriſtus ſatisfaciat condignè pro offenſa irrogata Deo, neceſſarium eſt, quòd aliquid apud ipſum condignè mereatur; cumque in ſtatu peccati exiſtens nihil poſsit apud Deum meritо condigno mereri, conſequens fit, quod nec poſsit ſatisfacere condignè pro offenſa irrogata in ipſum.

Vera ſolutio argumēti.

Et ex his ad argumentum factum reſpondeo, conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: maneret in tali caſu dignitas perſonæ Verbi, quatenus homo eſt, nego minorem, quatenus Deus eſt, concedo minorem, & nego conſequentiam: vt enim operationes à Chriſto media humanitate elicitæ ſint condignè meritoriæ, & ſatisfactoriæ, non ſufficit dignitas perſonæ Verbi in ſe ipſo, ſed etiam requiritur dignitas Verbi prout hominis, ideſt, quòd dignitas Verbo in ſe competens humanitati communicetur, quod in hypotheſi admiſſa non euenit.

109 *Inſtabis*

Sed dices: in caſu poſito Chriſtus, vt homo eſſet ſubiectum prædeſtinationis in filium naturalem Dei, eſſetque vt homo filius Dei naturalis: ergo eſſet vt homo dignus omni bono poſsibili, & cōſequenter vt homo, dignitatem infinitam haberet. Secunda conſequentia ex prima colligitur, prima ex antecedenti; Chriſto namque vt homini omne bonum poſsibile eſt debitum, non ratione gratiæ habitualis, ſed ratione gratiæ ſubſtantialis, & filiationis naturalis Dei: ergo ſi in data hypotheſi eſſet, vt homo filius Dei naturalis, eſſet vt homo dignus omni bono poſsibili. Antecedens autem non videtur poſſe negari in doctrina Diui Thomæ *infra quæſt. 24. art. 2.* vbi docet, denominationem *filij* conuenire Chriſto vt homini, ideſt, vt ſubſiſtenti in humanitate, non ratione humanitatis, ſed ratione ſuppoſiti, vt in illa ſubſiſtentis, *& quæſt. 35. art. 5.* vbi docet, rationem filij conuenire immediatè ſuppoſito, ideoque relationem filiationis Chriſti ad Beatiſsimam Virginem, non realem, ſed rationis eſſe; quia accidens reale non poteſt immediatè ſuppoſito Verbi inhærere: ergo Chriſtus *vt homo*, ideſt, vt in humanitate ſubſiſtens eſſet ſubiectum prædeſtinationis in filium naturalem Dei, & Dei Filius naturalis, quamuis humanitas eſſet infecta peccato.

S. Tho.

110. *Reſpondetur.*

Reſpondeo, conceſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens: ly *vt homo* determinante ſuppoſitum, concedo conſequentiam; determinante humanitatē, quæ in obliquo importatur à Verbo, quatenus perſona humana, nego conſequentiam; vt autem operationes ab humanitate elicitæ dignitatem à perſona Verbi reciperent, neceſſum erat, quòd non ſolum Verbum, vt in humanitate ſubſiſtens infinitè dignum eſſet, ſed etiam quòd humanitas in obliquo à Verbo, vt perſona humana importata infinitè digna eſſet, quod tunc caſus non contingeret, in quo peccato infecta ſupponitur humanitas, & conſequenter non poteſt infinitè digna ſupponi. Et quidem Chriſtus vt homo, ly *vt* determinātē ſuppoſitum, in caſu admiſſo, non ſolum infinitè dignus eſſet, ſed etiam infinitè ſanctus; & tamen hoc

non ſufficeret, vt operationes ab humanitate elicitæ dignitate meritoria gauderent; & hoc ideò, quia humanitas ſancta non eſſet, nec in ſtatu amicitiæ diuinæ: pariter ergo ex defectu dignitatis humanitati communicatæ à Verbo, quamuis ſuppoſitum infinitè dignum eſſet operationes ab humanitate elicitæ dignitatem ſatisfactoriam non haberent.

III. *Inſtabis.* Dices, ſequi ex iſta ſolutione non ex infinita dignitate perſonæ Verbi operantis, ſed ex infinita ſanctitate humanitatis conuenire illius operationibus dignitatem infinitam: conſequens non admittemus; nam hoc eſſet in ſententiam Patris Vazquez à Nobis impugnatam incidere: ergo ſolutio tradita non poteſt cum noſtra doctrina ſubſiſtere. Probatur ſequela; nam in caſu poſito permanet infinita dignitas perſonalis in Chriſto; & tamen quia humanitas ſancta non eſt, ſed peccato infecta ſupponitur, non ſunt infinitè dignæ illius operationes: ergo dignitas operationum non ſumitur ex infinita dignitate perſonæ Verbi operantis, & *vt quod* elicientis operationes, ſed ex infinita ſanctitate humanitatis, quæ *vt quo* ad illarum elicientiam concurrit.

II2. *Reſpondetur.* Reſpondeo diſtinguendo conſequens: ex infinita dignitate perſonæ Verbi operantis, ſumpto Verbo adæquatè, quatenus perſona humana, nego ſequelam: ſumpto Verbo vt perſona humana inadæquatè, concedo ſequelam, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Itaque Chriſtus vt perſona humana duo dicit, nempè ſubſiſtentiam in recto, & humanitatem in obliquo, ſicuti vt perſona diuina de connotato diuinitatem dicit, & in recto ſubſiſtentiam terminantem naturam diuinam. Dicimus ergo, dignitatem operationum ſumi ex dignitate perſonæ Verbi operantis adæquatè accepta perſona, pro eo quod dicit tam in recto, quam in obliquo, ideſt, quòd, vt operationes ab humanitate elicitæ infinitè dignæ ſint, debet non ſolum importatum in recto à Verbo, quatenus perſona humana, infinitè dignum eſſe, ſed etiam id, quod in obliquo importatur, nempè, humanitas debet infinita dignitate gaudere, & à Verbo dignificari, & quia in caſu, quem ſupponimus, caſi perſona Verbi, vt humana pro eo, quod importat in recto, infinitè digna eſſet; nō tamē eſſet digna pro eo, quod importat in obliquo, & de connotato, fit conſequens, vt operationes illius infinitè dignæ nō eſſent, nec hoc eſt in ſententiam impugnatam incidere; nam Vazquez aſſerebat ex ſola ſanctitate humanitatis dignitatem ſatisfactoriam operationum Chriſti deſumi. Nos autem aſſerimus, non ſolum ex ſanctitatis cōceptu, ſed etiam ex conceptu dignitatis perſonæ Verbi operantis infinitè dignas euadere, addendo, quòd vt hæc dignitas operationibus communicetur, debet prius conuenire humanitati; & quia in hypotheſi admiſſa humanitas non redderetur infinitè digna à Verbo, propter indignitatem peccati, quod in humanitate ſupponitur, nec operationes ab humanitate elicitæ dignificarentur ab illo, in quo ſolutioni Recētiorum opponimur.

II3. *Secūdū argumētum.* Secundò argumentari poſſumus contra noſtram ſententiam; nam ex illa ſequitur in qualibet Chriſti operatione conſtituendos eſſe duos valores infinitos: conſequens falſum videtur: ergo. Probatur ſequela; nam multiplicata forma valorante, neceſſarium eſt, multiplicari valorem; ſed iuxta noſtram ſententiam datur duplex forma valorans, & dignificans operationes Chriſti, nempè ſanctitas increata perſonæ, & increata dignitas illius, quæ virtualiter inter ſe diſtinguuntur: ergo in qualibet operatione Chriſti multiplicantur valores.

Solutio. Reſpondeo, quòd ſicut multi docent, ſanctificari humanitatem Chriſti à perſonalitate Verbi ſecundùm id, quod explicat, & addit ſupra naturam, & etiam ab ipſa diuinitate, quæ ſanctitates virtualiter inter ſe diſtinguuntur, quin pro inconuenienti habeant, duas ſanctitates virtualiter diſtinctas in humanitate admitte-

re, ita nullum inconueniens reputo duos valores virtualitèr distinctos Christi operationibus dare, alterum ratione sanctitatis, & alterum ratione dignitatis, dummodo ad omne id, ad quod ratione vnius valoris opera Christi extenduntur, se extendant ratione alterius.

§. Vltimus.

Duo corollaria præcedentis doctrinæ.

114. *Corollariũ primum.*

EX DICTIS in discursu disputationis colligo primo, operationes Christi non habuisse valorem infinitum simpliciter, ex eo quòd per illas Christus ipse offerebatur, sed ratione à Nobis tradita, nempè, quia persona Verbi fuit causa efficiens illarum, & subiectum recipiens. *Probatur primo.* Quod probo primò; nam etiam si Christus Dominus in redemptionem pro peccatis hominum non offerret se ipsum, sed aliquid purè creatum, operationes illius essent infiniti valoris: ergo infinitas valoris in eius operationibus non sumitur ex re oblata, sed ex persona offerente. *Secũdo.* Deindè, nam si ex re infinita oblata infinitas valoris operibus Christi competeret, sequeretur, actus, quibus Beatissima Virgo Christum obtulit in Templo, fuisse infiniti valoris. Consequens est falsum, & contra communem Theologorum sententiam: ergo nõ à Christo vt re oblata, sed vt à persona offerente, efficienteque operationes, illarum valor infinitus desumitur. *Tertiò.* Denique, & à priori probatur; nam Christus, vt res oblata est obiectum actionis offerentis; sed obiectum, quamuis infinitum sit, non dat actui, quem specificat, infinitam perfectionem, nec physicam, nec moralem, si finito modo attingatur, vt ex sæpè dictis constat: ergo Christus vt materia oblata non contulit suis operibus dignitatem infinitam, etsi eis ex hoc capite maior dignitas conueniat, quam si oblatum fuisset aliquid purè creatum.

115. *Obiectio Clem. 6.* Contra huius corollarij doctrinam obstare videntur Clemens Sextus *in Extrauag. vnigenitus*, vbi docet: *Vnam guttam sanguinis Christi fuisse sufficientem ad perfectam redemptionem nostram propter coniunctionem ad Verbum*; & Divus Thomas *in infra quæst. 48. art. 2. in corpore*, vbi probat, Christum satisfeciisse condignè, & æqualem satisfactionem pro peccato humani generis exhibuisse. *Primò*, inquit Divus Thomas, *propter magnitudinem charitatis, ex qua patiebatur. Secundo, propter dignitatem vitæ suæ, quam pro satisfactione ponebat, quæ erat vita Dei, & hominis.* Ergo iuxta Clementem Sextum, & Angelicum Doctorem æqualitas, aut superabundantia satisfactionis Christi pro peccato humani generis sumitur ex infinitate sanguinis, & vitæ Christi ratione coniunctionis ad Verbum, & consequentèr, etiã infinitas valoris satisfactorij, ex eisdem capitibus est desumenda. Sed sanguis, & vita Christi sunt materia in satisfactionem oblata: ergo infinitas valoris in satisfactione Christi ex infinitate materiæ oblatæ desumitur. *S. Tho.*

116. *Solutio.* Respondeo, Clementem Sextum, & Angelicum Doctorem non loqui de gutta sanguinis Christi, & de vita Dei hominis acceptis secundum se, sed quatenus voluntariè à Christo effusis, & pro nobis in satisfactionem oblatis: sic autem involvunt actum interiorem voluntatis Christi imperantis sanguinis effusionem, & vitæ oblationem, qui ex coniunctione ad suppositum Verbi, vt principium efficiens, & subiectum mediatum infinitam dignitatem accepit, illamque vitæ oblatæ, & sanguini effuso communicabat, & de gutta sanguinis, & vita Christi secun-

dum hanc coniunctionem ad Verbum mediante actione interiori voluntatis Chriſti imperante verum eſt, fuiſſe ſufficientia ad ſatisfaciendum pro nobis, valoremque infinitum meritorium, & ſatisfactorium habuiſſe; ex hoc tamen non colligitur, Chriſtum vt materiam oblatam ſuis operationibus infinitũ valorem cõmunicaſſe.

117. *Secũdũ corollarium. M. Vincentius. Probatur primo.* S. Tho.

Colligo ſecundo contra Magiſtrum Vincentium *relectione de Gratia Chriſti*, q. 5. *pag.* 334. redemptionem humani generis, etiam ſub formali ratione redemptionis, non à re oblata, vt pretio; ſed à perſona operante, & redimente infinitatem valoris ſumpſiſſe. Quod probo primò; nam iuxta Diuum Thomam *infra* q. 48. *art.* 3. *in corp. Ipſa ſatisfactio, qua quis ſatisfacit, ſiue pro ſe, ſiue pro alio pretium quoddam dicitur, quo ſe ipſum, vel alium redimit à peccato, & à pœna.* Verba ſunt D. Thomæ. Ex quibus apertè colligitur, idem opus Chriſti Domini, & ſatisfactionis, & redemptionis rationem ſortiri ſecundum diuerſos reſpectus. Primum quatenus exhibetur offenſo in recompenſationem offenſæ. Secundum autem quatenus hominem à peccato, & à pœna illi debita, & à ſeruitute, & captiuitate diaboli liberauit; ſed opus Chriſti Domini, quatenus eſt ſatisfactio non à re oblata in pretium, ſed à perſona operante, & offerente infinitatem valoris deſumit, vt manet probatum: ergo etiam in formali ratione redemptionis, nõ à materia in redemptionem oblata, ſed à perſona redimente, & operante accipit infinitatem.

118. *Secũdò.*

Deindè, nam ſi Chriſtus ſatisfeciſſet pro nobis, non ſui ſanguinis effuſione, & vitæ oblatione, ſed offerendo Deo aliquid purè creatum, ſatisfactio illius, etiam in ratione formali redemptionis, foret valoris ſimplicitèr infiniti; & tamen in tali caſu, non ex re oblata in pretium, quæ finita, & limitata eſſet, infinitatem valoris deſumeret: ergo modo, etiam ſub prædicta ratione, non ex materia oblata, ſed ex perſona offerente, & operante recipit infinitum valorem.

Tertiò.

Denique, nam ſi ſola infinitas rei oblatæ ad infinitudinem redemptionis Chriſti in ratione formali redemptionis ſufficeret, ſequeretur, quòd ſi Beatiſſima Virgo, aut quæuis alia creatura Chriſtum, aut illius ſanguinem in peccati noſtri redemptionem offerret, nos redimeret redemptione infiniti valoris. Conſequens eſt falſum, etſi à Vincentio admittatur: ergo redemptio Chriſti ſub formali ratione redemptionis, non ſumit ex re oblata valoris infinitatem. Probo minorem ex verbis D. Thomæ proximè adductis, ex quibus habetur, ſatisfactionem ipſam pro culpa dici, & eſſe redemptionem à culpa, & à pœna, & conſequentèr, quæ non fuerit perfecta, & infinita ſatisfactio, nequibit eſſe infinita, & perfecta redemptio; ſed nullus actus à pura creatura elicitus, quamuis habeat Chriſtum pro materia, & obiecto, eſſe poteſt perfecta, & infinita ſatisfactio: ergo nullus actus à pura creatura elicitus, etſi vitam, & ſanguinem Chriſti habeat pro materia oblata in redemptionem hominum à peccatis eſſe poteſt infinitus in ratione redẽptionis.

119. *Argumẽtum primum.*

Sed arguit Vincentius primò: in emptione, & venditione parum, aut nihil qualitas, & dignitas ementis, & vendentis penſantur, ſed ad merces, & pretium tantum attenditur; neque enim pluris æſtimatur in emptione, & venditione pretium à Rege exhibitum, aut merces ab ipſo præſtita, quam à priuata perſona; ſed redemptio Chriſti in ratione formali redemptionis eſt quædam emptio: ergo infinitas eius, vt ſic, non ex perſona redimente, ſed ex pretio oblato ſumitur.

Secũdũ.

Secundò, nam in merito, & ſatisfactione, ideò dignitas operantis ſatisfactoriam, & meritoriam actionem dignificat, quia is, qui ſatisfacit, & meretur, non ſolum propriam actionem, ſed etiam ſe ipſum ſubiſcit, & ſummittit in obſequium eius, apud quem meretur, & cui ſatisfacit. Sed

in

in redemptione præcisè considerata in ratione formali redemptionis, redemptor pretium quidem tradit in potestatem eius, à quo captiuum redimit, non verò seipsum illi summittit; non enim se humiliat coram illo, sed sic se gerit in emendo captiui libertatem, ac si pretio simili equum emeret: ergo redemptio, sub formali ratione redemptionis, non sumit infinitatem suam ex persona redimente, sed ex pretio pro redemptione oblato.

120. *Ad primũ respõdetur.*

Hæc tamen, etsi subtilitèr excogitata sint à doctissimo Vincentio, non vrgent, nec veritatem doctrinæ traditæ euincunt. Ad primum dicatur, veram esse maiorem de emptione, quæ à merito, & satisfactione distinguitur; falsam autem de illa, in qua pretium, satisfactio, & meritum est. Vnde cum in redemptione Christi pretium, & etiam redemptio ipsa satisfactio sit, & meritum, quo libertatem nostram a peccato promeruit, consequens sit, quòd illius dignitas infinita, etiam in formali ratione redẽptionis ex infinitudine personæ redimentis sumatur.

Ad secũdum.

Ex his constat secundæ obiectionis solutio; nam licet verum sit, quòd in emptione, quæ propriè emptio est, & à merito, & satisfactione distinguitur, emens vendenti non subijciat se ipsum; in emptione tamen, quæ propriè emptio non est, sed à merito, & satisfactione indistincta, eadem personæ subiectio attenditur, atque in merito, & satisfactione. Est tamen obiter aduertendum Christum in hominum redemptione non se subiecisse diabolo, sub cuius potestate homines tenebantur captiui, sed Deo, qui sua gratia remittendo peccatum, illos à potestate dœmonis liberauit, diabolumque sua potestate spoliauit. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *locis*, vbi disputatio præcedens.

DISPVTATIO QVARTA.

An ſatisfactio Chriſti fuerit de ſe ſufficiens pro peccatis omnium hominum?

§. I.

Quibuſdam præſuppoſitis referuntur ſententiæ.

I. *Primũ præſupoſitum.*

IN quo tria vt indubitata, & extra controuerſiã ſupponimus, aliudque in examẽ vocamus. Primum, quod ſupponim⁹ eſt, Chriſtum Dominum ſatisfeciſſe pro peccato humani generis, cuius contrarium ſentiunt Iudæi credentes, Chriſtum non animarum, ſed corporum tantum eſſe Redemptorem, & etiam Pelagiani, qui negantes culpam originalem, negare conſequenter tenentur redemptionem ab illa, ac denique Abailardus, qui quamuis non negauerit peccatũ originale; negauit tamen, Chriſtum nos à iugo, & ſeruitute Dæmonis liberaſſe. Quos omnes contra Fidẽ errare pluribus teſtimonijs Scripturæ poſſet oſtendi; duo tamen ſufficiant. Primum eſt ad Titum 2. *cap.* ibi: *Dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate.* 1. Petri 1. *cap. Non corruptibilibus, auro, & argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti.* Ex quibus apertè conſtat, Chriſtum non ſolum in Legislatorẽ, ſed etiam in Redeptorẽ hominibus datum fuiſſe, & à culpa homines liberaſſe, & pro illorum peccatis ſatisfeciſſe.

Tit. c. 2. 1. Petr. cap. 1.

Secundum, quod ſupponimus eſt, ſatisfeciſſe pro peccatis hominũ, non ſolũ quoad culpam, ſed etiam quoad pœnam illorum peccatis debitam. Quod patet primò ex illo Iſaiæ 53. *cap. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.* Et 1. Petri 2. *cap. Qui peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper Lignum*: vbi peccatorum pœnæ peccata vocantur. Deindè, nam homines per Chriſtum à poteſtate Dæmonis ſunt liberati; ſed hoc ideò dicitur, quia Diabolus ratione peccati poteſtatem accipit homines deducendi in infernum, à qua pœna per ſatisfactionẽ Chriſti quoad ſufficientiam homines liberantur, vt

2. *Secũdũ.*

Iſai. c. 53. 1. Petr. cap. 1.

expli-

Nazian. Aug. Bernar.

explicant Nazianzenus *oratione* 42. *circa finem*. Augustin. *lib.* 13. *de Trinitate cap.* 12. Et Bernardus *epist.* 120. Ergo Christus pro pœnis peccatis hominum debitis satisfecit. Nec ex hoc licet cum Luthero, & alijs hæreticis, rectè colligere nullam satisfactionẽ propriam esse nobis necessariã; quia nempè Christus satisfecit pro peccatis nostris quoad culpam, & pœnam, non, inquam, licet, nam etsi Christus pro nobis suam satisfactionem, & merita obtulerit; non tamen nostra satisfactionẽ excluſit, sed voluit, vt nõ aliter sua satisfactio adultis prodesset, nisi illorum etiam satisfactio intercederet, cuius insufficiẽtia per superabundantiã satisfactionis Christi suppletur.

3. *Tertium*

Tertium, quod supponimus, est, Christi satisfactionem absolutè fuisse sufficientem, imò & superabundantem abstrahendo à modo sufficientiæ, & superabundantiæ, an nempè, id ex natura sua habuerit, & ab intrinseco, an ex Dei extrinseca acceptatione, in quo nulli catholicorum dubitare permittitur, cum constet ex pluribus testimonijs Scripturæ sufficientia, & superabundantia satisfactionis Christi, vt est illud Psalmi: *Et copiosa apud eum redemptio*; & ad Romanos 5. illis verbis: *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia*, nempè Christi Redemptoris, & alibi passim. Nec oppositum sensit Durandus *in* 3. *dist.* 20. *q.* 2. *num.* 6. vt falsò illi nõnulli Recentiores imponunt, quia vt legenti Durandum manifestè constabit, duplicem condignitatem satisfactionis ibi distinxit, alteram secundum æqualitatem quantitatis ad culpam commissam, ita quòd tali satisfactione oblata, offensus illam non acceptans iniustus sit; aliam secundum acceptationem illius, cui fit satisfactio; & solum primum modum condignitatis satisfactioni Christi negauit, asserens, potuisse Deum absque iniustitia illam non acceptare, nec illa contentus esse. Non ergo omnem condignitatem excluſit Durandus à satisfactione Christi.

Ps. 129. *Rom.* 5. *Durãd° liberatur ab errore sibi à Recentioribus impoſito.*

4. His ita breuitèr præsuppositis, quod in discrimen vertimus est, an satisfactio Christi fuerit sufficiens condigna, & superabundans, non ab extrinseco ex diuina acceptatione, quia nempè Deus illam acceptauit, vt talem, sed ab intrinseco ex natura sua, & illius valore intrinseco attento, & hoc, non de condignitate efficaci in actu secundo, ideſt, actu efficacitèr inducente obligationem in creditorem remittendi offensam ipsi irrogatam, nam de hoc *infra* est à Nobis agendum, examinando, an vt Christus suis meritis Deum ex iustitia obligauerit, Dei promissio necessaria fuerit, quod in communi de meritis iustorum tractatur 1. 2. *q.* 114. sed in actu primo, ideſt, an valor operationum Christi ex natura sua, & secluſa Dei acceptatione, vt valorante, vel supplente defectum valoris, omnium peccatorum grauitatem adæquauerit, & exceſſerit?

Prima sẽtentia

Scotus. Gabriel. Almainus. Medin. Faber. Radda. Castillo.

Qua in re duplex circũfertur Theologorum sentẽtia. Prima docet, satisfactionẽ Christi nõ fuiſſe ex se sufficiẽtẽ pro peccatis omniũ hominum, sed solũ id habuiſſe ex acceptatione diuina, quia nempè Deus illam, vt sufficientem acceptauit. Pro qua referuntur Scotus *in* 3. *sentent. dist.* 19. & 20. & *in* 4. *dist.* 15. *q.* 1. Gabriel, *in* 3. *dist.* 19. *q.* 2. *art.* 1. *notabili.* 3. Almainus *quæst.* 1. & Medina. *cod. de satisfactione. q.* 1. *§. restat ergo.* Illam expresè tenent Philippus Faber *in* 3. *dist.* 19. *quæst. vnic. disp.* 45. *cap.* 3. & *disp.* 46. *cap. etiam.* 3. Radda 3. *p. controu.* 13. *art.* 2. *concl.* 7. & *art.* 3. *concl.* 3. Franciscus del Castillo in præsenti *disp.* 3. *quæst.* 1. Est que discipulis Scoti communis. Cæterum non satis constat, an acceptationem requirant ad æqualitatem satisfactionis Christi cum remissione culpæ, an solum in ordine ad Deum efficacitèr obligandum? Quibusdam primum, & alijs secundum docentibus. Et quidem, qui hoc secundum affirmant extra præsentem disputationem existunt, cum, vt proximè aduertebam, non de requisitis ad Deum efficacitèr obligandum, sed solum ad æqualitatem satisfactionis Christi cũ offensa statuendam præsens controuersia procedat.

Vera

5. *Secũda, & vera sententia.*

Vera tamen sententia docet, satisfactionem Christi fuisse ex se, ab intrinseco, & ex natura sua, idest, seclusopacto, & acceptatione diuina, condignam, sufficientem, & superabundantem pro peccatis omnium hominum, non solum futuris, quæ finita sunt, sed etiam si in infinitum forent multiplicanda. Ita comuniter Theologi. D. Thom. *in 3 dist. 20. q. 1. art. 2. q. 29. de Veritate art. 7. 4. Contra gentes cap. 54. & 55. in hac 3. part. infra q. 48. art. 2. & in præsenti q. 1. art. 2.* Bonauentura *in 3. dist. 20. q. 3.* Richardus *q. 4.* Paludan. *q. 2. art. 2.* Capreolus *q. vnic. art. 1. concl. 2. & in 4. dist. 15. q. 1. art. 2. ad primum argumentum Aureoli.* Soto *lib. 3. de Natura, & Gratia cap. 6. & in 4. Sentent. dist. 1. q. 5. art. 4. & dist. 19. q. 1. art. 2.* Ferrariensis *4. Contra gentes cap. 55.* Vincentius *relectione de Gratia Christi, q. 5. conc. 1.* Caietanus in præsenti *art. 2.* & cum illo omnes Recentiores Thomistæ, Aluarez *disp. 4.* Cornejo *disp. 5. dub. 2. 3. & 4.* & Illustrissimus Araujo *dub. 5.* Tenent etiam ex Patribus Societatis Suarez *disp. 4. sect. 3.* Vazquez *disput. 5. cap. 2. & seqq.* Quos alij Recẽtiores ex eadem familia sequuntur.

S. Tho. Bonau. Ricard. Palud. Capreo. Soto. Ferrar. Vincit. Caietan. Alvar. Cornejo. Araujo. Suarez. Vazq.

§. II.

Satisfactionem Christi fuisse ex se, seclusa extrinseca acceptatione, in actu primo condignam, auctoritate, & ratione probatur.

6. *Prima cõclusio Probatur pri-*

SIT PRIMA CONCLVSIO. Satisfactio Christi Domini fuit ab intrinseco ex se, & seclusa acceptatione diuina, in actu primo condigna pro peccato humani generis. Conclusio ista ostenditur primò ex Paul. ad Rom. *cap. 5.* illis verbis: *Sed non sicut delictum, ita & donum: si enim vnius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit.* Ex quibus Apostoli verbis tale argumẽtum pro nostra conclusione conficitur. Satisfactio Christi præfertur in valore ad redimendum homines à peccato culpæ Adami quoad vim ad spoliandam suam posteritatem gratia, & iustitia originali; non enim præfertur in extensione ad plures, cum solum ad illos satisfactio Christi se extendat, ad quos Adami peccatum pertingit, vel debuit pertingere, nec in efficacia præfertur, cum peccatum Adami omnem suam posteritatem infecerit; gratia autem per Christum non fuerit omnibus de facto collata, & consequenter excessus intentus à Paulo solum est in valore, & dignitate. Sed si opera Christi Domini non essent ex se condigna per modum actus primi, sed solum ex diuina acceptatione, nõ excederet vim peccati Adami ad perdendum, & posteritatem gratia spoliandam: ergo fuerunt ex se, & ab intrinseco condigna satisfactio pro peccato humani generis. Probatur minor: peccatum Adami non ex Dei acceptatione, sed ex se ratione grauitatis intrinsecæ condignè infecit totam posteritatem. Sed quod ratione sui condignũ est, excedit in cõdignitate illud, quod solũ ab extrinseca Dei acceptatione est condignum: ergo si opera Christi Domini non ab intrinseco ex se, sed ab extrinseco ex diuina acceptatione fuerunt satisfactio condigna pro peccato humani generis, non excedunt peccatum Adami, sed potius ab illo in condignitate excedũtur.

mo auctoritate. Roman. cap. 5.

7. *Respondebis.*

Dices, peccatum Adami nõ fuisse ex se, & seclusopacto Dei condignum ad inficiendam totam posteritatem, sed ratione pacti, quo Deus cũ Adamo pepigit de non traducenda in posteros originali iustitia, si de ligno vetito comederet: vndè ex eo quòd satisfactio Christi Domini abundantior fuerit ad saluandũ peccato Ada-

mi ad perdendum, non sequitur habuisse, pacto secluso, condignitatem intrinsecam. Sed contra, nam pactum cum Adamo initum non dedit condignitatem illius peccato ad perdendum, sed solum fuit necessarium, vt voluntates posterorum continerentur in illius voluntate, vt in capite morali, qua continentia supposita ex se, & ab intrinseco fuit dignum, vt in eius pœnam tota posteritas priuaretur originali iustitia: ergo si valor, & condignitas satisfactionis Christi maior fuit ad saluandum, quam peccatum Adami ad perdendum, ex se, & ab intrinseco valorem, & condignitatem habuit, & non ab extrinseco ex pacto, & cum aliàs, vt Christus hominibus mereretur, & pro illis satisfaceret, necessarium non fuerit, quòd voluntates hominum transferrentur in illius voluntatem, sequitur, nullo modo fuisse necessarium pactũ extrinsecum Dei, vt satisfactio Christi esset in actu primo condigna pro peccatis omnium hominum. Videatur Magister Vincentius *quæst. allegata pag.* 369. vbi hoc argumentum fusè, & doctè, vt solet prosequitur.

Reiciturſolutio.

8. *Secundo probatur concluſio. Baſil.*

Secundo probatur conclusio; nam Incarnatio necessaria fuit ad satisfactionem pro peccato exhibendam, vt ex Patribus Ecclesiæ *disp.* 2. monstrauimus, & expressè docuit Basilius in illud Psalmi 28. *Redimit homo*; quod ita exponit: *Non homo nudus, sed homo Deus Iesus Christus, quia nullus alius poterat condignum offerre pretiũ.* Sed hæc doctrina vera esse non potest de satisfactione condigna ab extrinseco, & ex Dei acceptatione: ergo satisfactio exhibita à Christo Domino condigna, & æqualis fuit, non ab extrinseco ex acceptatione diuina, sed ex se, & natura sua, valore intrinseco attento. Probatur minor: satisfactio ex acceptatione cõdigna illa est, quæ, quamuis de se nõ æquiualeat iniuriæ; ab offenso tamen acceptatur, ac si æquiualens esset. Sed satisfactionem isto modo condignam potuit purus homo exhibere, cum posset Deus illius satisfactionem, etsi ratione sui nõ æquiualeret offensæ, pro æquiualente acceptare: ergo ad satisfactionem præstandam ab extrinseco, & ex Dei acceptatione condignam, necessaria non fuit Incarnatio, sed ad id fuit necessaria, vt homo Deus satisfactionem ab intrinseco cõdignam pro peccatis hominum exhiberet, & consequenter satisfactio Christi Domini fuit ex se, & ab intrinseco condigna, & æquiualens pro peccato humani generis.

9. *Tertia probatur.*

Deindè probatur: etenim satisfactio solum ex Dei acceptatione æquiualens, & condigna est imperfecta in ratione satisfactionis; sed Christus Dominus perfectè pro peccatis hominum satisfecit, aliàs illius redemptio copiosa non fuisset; satisfactio namque imperfecta copiosa dici non potest: ergo satisfactio Christi condigna fuit, & æquiualens pro offensa, non ab extrinseco ex acceptatione diuina, sed ex se, & natura sua, valore intrinseco attento. Probatur maior: qui debens centum, & solum quinquaginta soluẽs, totum debitum extinguit, quia creditor voluit illa acceptare pro centum, non perfectè, sed imperfectè soluit: ergo solutio æquiualens, & sufficiens, non ab intrinseco ex se, sed solum ex acceptatione creditoris, quia nempè creditor illam vt æquiualentem, & sufficientem acceptauit, imperfecta est in ratione solutionis: ergo paritèr satisfactio non ex se, & ab intrinseco sufficiens pro offensa, sed solum ex offensi acceptatione, qui illam pro sufficienti, æquiualenti, & condigna acceptauit, imperfecta est in ratione satisfactionis, & consequentèr si satisfactio Christi fuit solum isto modo æquiualens, & condigna, imperfecta satisfactio fuit, quod asserere non licet.

10. *Quarto probatur.*

Denique probatur cõclusio; nam illa est satisfactio condigna ab intrinseco, cuius valor in morali æstimatione ex se, & ex natura sua adæquat iniuriæ grauitatem; sed satisfactio Christi ex se, & secluſa omni acceptatione extrinseca, adæquat in morali æstimatione grauitatem iniuriæ irrogatæ Deo: ergo de se, & ab intrinseco est

con-

condigna satisfactio pro illa. Consequutio est bona, maior certissima, nisi ad quæstionem de nomine difficultas præsens reducatur; Nos enim, & Auctores nostræ sententiæ, nihil aliud intendimus, quam quòd valor satisfactorius operationum Christi inspectus secundum se, & secluſa extrinseca acceptatione, sit in æstimatione morali æquivalens gravitati offensæ mortalis, hocque intelligimus nomine satisfactionis cõdignæ, quidquid sit, an in ordine ad Deum efficaciter obligandum necessaria sit extrinseca acceptatio divina, ordinatio, seu pactum, vt in principio *disputationis* monuimus. Minorem autẽ probo; gravitas enim offensæ irrogatæ Deo pensatur ex eo, quòd contra Deum est; sed valor satisfactionis Christi pensatur ex eo, quòd satisfactio Dei est: ergo ad minus adæquat gravitatem injuriæ irrogatæ Deo.

Cõfirmatur primo. Quod amplius vrgetur; non enim minus est potens dignitas personæ satisfacientis ad valorandum actum satisfactorium, quam dignitas personæ offensæ ad gravificandum actum offensivum sui: ergo quando persona satisfaciens divina, & increata est, nõ minus valorat actum satisfactorium, quam persona divina offensa gravificat actum offensivum sui; sed satisfactio Christi Domini est satisfactio personæ increatæ, & divinæ: ergo illius valor inspectus secundum se, & secluſa omni acceptatione extrinseca, adæquat in æstimatione morali gravitatem offensæ divinæ.

Cõfirmatur secũdo. Explicatur, & vrgetur secũdo: offensa irrogata Deo homini nõ est minoris gravitatis, quam illa, quæ Deo in se ipso irrogatur; sed gravitas offensæ irrogatæ Deo homini non est maior in æstimatione morali valore satisfactionis præstitæ ab homine Deo: ergo illius satisfactionis valor inspectus secundum se, & secluſa omni acceptatione extrinseca, æquivalet ad minus gravitati Deo in se ipso irrogatæ, & consequentèr est ex se, & ab intrinseco condigna satisfactio pro illa.

***

§. III.

Duo argumenta contrariæ sententiæ solvuntur.

CONTRA istam conclusionem arguitur primò: valor meritorius operationum Christi non adæquat vim demeritoriam peccati originalis: ergo istius gravitas maior est illarum valore satisfactorio. Consequentia tenet; nam in operationibus Christi ex eisdem capitibus valor satisfactorius, & meritorius sumuntur, & consequentèr si gravitas peccati originalis est maior valore meritorio operationum Christi, etiam excedit valorem satisfactorium illarum. Antecedens autẽ probatur; nam peccatum originale (& idem de quolibet mortali est dicendum) meruit condignè quoad sufficientiam carentiam, seu negationem, vnionis humanitatis ad Verbum, ita vt, si Deus in pœnam peccati originalis dictam carentiam decerneret, illud vltra condignum non puniret; sed opera Christi Domini, nec quoad sufficientiam merentur vnionem humanitatis ad Verbum, cum principiũ meriti non possit sub merito cadere, & humanitas Verbo vnita sit principium operationum Christi: ergo valor meritorius operationum Christi non adæquat vim demeritoriam peccati originalis. 11. *Primũ argumẽtum.*

Respondeo, negando antecedẽs, ad illius probationem, concessa maiori, distinguo minorem: defectu æqualitatis moralis cum vnione humanitatis ad Verbum, nego minorem: ratione dependentiæ essentialis ab illa tanquam à principio sui, concedo minorem, & nego consequentiam; vt enim rectè colligeretur, valorem operationum Christi nõ adæquare in morali æstimatione gravitatem culpæ originalis, necessarium 12. *Solutio.*

erat,

erat, quod non possent hypostaticam vnionem humanitatis ad Verbum mereri defectu adæquationis cũ prædicta vnione, quod verum non est, cum sufficientem valorem, & dignitatem habuerint ad merendam decondigno Incarnationem Patris, aut Spiritus Sancti, illamque potuerint de potẽtia absoluta merito condigno mereri, vt *disputatione præcedenti* docuimus: Incarnatio autem Patris, vel Spiritus Sancti eiusdem dignitatis, & æstimabilitatis est cum Incarnatione Verbi. Non ergo prouenit ex defectu æqualitatis moralis cum vnione hypostatica humanitatis ad Verbum, quòd opera Christi Domini, non possint dictam vnionẽ mereri, sed ratione dependentiæ essentialis ab illa tanquam a principio sui, quia nempè meritum, principium sui essentiale meritorìè de condigno causare non potest, de lege ordinaria in omniũ Theologorum sententia, & in sententia veriori, etiam de potentia Dei absoluta.

13. *Secundũ argumẽtum.*

Secundo arguitur: valor satisfactorius operationum Christi nõ adæquat in morali æstimatione grauitatem offensæ mortalis: ergo non sunt condignè satisfactoriæ ab intrinseco pro illa, sed solum extrinsecè ex diuina acceptatione, quia nempè Deus satisfactionem Christi pro condigna, & æquiualenti acceptauit.

Probatur primo antecedens.

Consequentia probatione non indiget: antecedens autem ostenditur primò; nam offensa irrogatur Deo, vt Deus est: Verbum autem non vt Deus, sed vt homo satisfacit, quandoquidem humanitas est principium *quo* operationum à Verbo, vt *quod* procedentium: ergo valor satisfactorius operationum Christi non adæquat grauitatẽ offensæ irrogatæ Deo. Patet consequentia; nam cum excessu in forma non stat æqualitas in effectu formali; sed Deus, vt in se ipso, qualitèr est forma offensam grauificans dignior est Verbo vt homine, qualitèr est forma dignificans satisfactionem: ergo grauitas offensæ maior est dignitate satisfactionis.

Secũdò.

Secundo probatur: valor personalis operationum Christi, non est tam bonus, nec ita placens Deo, ac Deus ipse secundum se; sed grauitas offensæ mortalis est tam mala, & tam displicens Deo, ac est bona, & Deo placens Deitas, cum sit Dei destructiua, saltim quoad affectum; destructio autem Dei sit tam mala, & displicens Deo, ac bonum est, & Deo placens esse diuinum: ergo valor satisfactorius operationum Christi non adæquat in morali æstimatione grauitatem offensæ mortalis.

14. *Tertiò.*

Tertio probatur: si per impossibile essent duo Dij, & vnus offenderet alium, valor satisfactorius operationum Christi ad summum adæquaret grauitatem offensæ irrogatæ Deo ab altero Deo; sed grauitas offensæ irrogatæ Deo à creatura maior est grauitate iniuriæ Deo irrogatæ ab alio Deo; crescit enim grauitas offensæ ex vilitate personæ offendentis, & illius distantia ab offenso, & ex inferioritate respectu illius: ergo grauitatem offensæ Deo irrogatæ à creatura non adæquat valor satisfactorius operationum Christi. Denique idem antecedens probatur; nam grauitas offensæ Deo à creatura irrogatæ est ex duplici capite infinita, nempè ex parte personæ iniuriatæ, & ex vilitate personæ iniuriantis, quæ infinitè distat à Deo; sed satisfactio Christi solum est infinita ex parte personæ satisfacientis, non verò ex parte illius, cui talis satisfactio exhibetur, cum ex dignitate illius, cui satisfactio fit, potius deprimatur, quam crescat satisfactionis valor: ergo grauitas offensæ irrogatæ Deo maior est valore satisfactorio satisfactionis Christi, & consequentèr hæc ex natura sua non est condigna pro illa, sed solum ex diuina acceptatione, quia nempè Deus illam pro æquiualenti, sufficienti, & condigna acceptauit, eaque voluit gratis esse contentus.

15. *Solutio argumẽti.*

Respondeo, negãdo antecedens, ad primam probationem, concessa maiori, distinguo minorem: quantum ad elicientiam actuum, quibus satisfactio fit, concedo minorem: quãtum ad valorem moralem prædictorum actuum, nego minorem, &

nego

nego consequentiam. Itaque in actu satisfactorio duo considerantur, nempè talis actus substantia, & valor illius moralis: primum præstat humanitas vt principiū *quo* eliciens, & Verbum vt homo tanquam agens *quod* constitutum per humanitatem vt formam: secundum autem præstat Verbum, non ratione humanitatis, sed ratione Deitatis; & sic adæquatè sumpta satisfactione, Verbum satisfacit, nec vt homo tantùm, nec vt Deus tantùm, sed vt Deus homo, humanitate vt *quo* eliciente substantiam operationis, & Deitate vt *quo*, & vt forma seipsa illam valorante. Vnde forma valorans satisfactionem non est minoris dignitatis, quam forma offensam grauificans, ac proindè ex hoc principio non probatur excessus grauitatis offensæ supra dignitatem satisfactionis.

16. *Replicabis.* Sed dices. Verbum valorat operationes Christi vt homo, ideò, vt humanitati vnitū, ly *vt* dicente saltē cōditionem ad valorandum, licet non rationem formalem præstandi valorem, sed Deus grauificat offensam, vt Deus in se ipso iniuriatus, & non vt vnitus alicui extremo creato, etiam ly *vt* dicente conditionem: ergo, attentis omnibus, plus grauificat offensam Dei maiestas iniuriata per illam, quam dignificet Verbum operationes Christi.

Respōdetur primò. Respondeo primò, concessa maiori, negando minorem; nam Deus grauificat offensam, vt cognitus, ly *vt* dicēte conditionem; cognitio autem extremum creatum est, & consequenter vnio cum aliquo extremo creato, vt conditio ex parte Dei ad grauificandam offensam ingreditur. Grauificat etiam offensam, vt vnitus cum actu offensiuo medio conatu finito, ly *vt* dicente conditionem; vnio autem cum actu offensiuo finita est, si vnio cum humanitate in omni genere finita constituitur. Vel secundò dicatur, excessum illum, si aliquis est, refarciri ex alijs capitibus *in hac disputatione* explicandis, cum excessum, & superabundantiā satisfactionis Christi pro peccato humani generis demonstremus.

17. *Ad secūdam probationē antecedētis principalis.* Ad secundam antecedentis probationem, concessa maiori, nego minorem, ad illius probationem dicatur, quòd eito admittamus, destructionem Dei esse tam malam, & odio dignam, quam bona est, & amore digna Deitas; actus tamen affectiuè destructivus Dei non est tam malus, nec tam odio dignus, ac ipsa destructio: tùm, quia solum terminatiuè à destructione Dei malitiam recipere potest; id autem, quod terminatiuè, aut obiectiuè concurrit, non dat id totū, quod habet actui terminato, & à se specificato, cum finito modo attingitur, vt ex supra dictis constat. Tùm etiam, quia effectiuè solum cum destructione diuina coniungitur; quod autem solum affectiuè coniungitur alij, non accipit ab illo totum, quod in se est: quò circa etsi Deitas, vt auersiuè inspecta det grauitatem offensæ, non dat illi tantam grauitatem, quan tam dignitatē habet in se, licet illam infinitè grauem cōstituat, vt *disputatione prima* docuimus, ac proindè ex eo quòd destructio Dei sit tam mala, & odio digna, ac bona est, & amore digna Deitas, & grauitatem peccato mortali tribuat, nō sequitur, illud reddere tam malum, & odio dignum, ac bona est, & amore digna Deitas secundum se.

18. *Ad tertiam probationē.* Ad tertiam probationem, præterminā maiori, distinguo minorem: extensiuè, transeat minor: intensiuè, nego minorem, & consequentiam. Ratio distinctionis est, quia cum offensa irrogata Deo ab altero Deo in hypothesi conficta ratione personæ iniuriatæ contineret æquiualenter omnem grauitatem possibilem, consequens est, quòd licet offensa irrogata Deo à creatura ex distantia offensoris ab offenso, & inferioritate, quam habet ad illum, aliquam maiorem grauitatem recipiat, sit maioritas solum extensiua, vt *in prima*, & *secunda disputatione* exposuimus: ac proindè quòd satisfactio Christi adæquans in valore grauitatem offensæ irrogatæ à Deo confecto, quæ sumitur à maiestate iniuriata, adæquet etiam grauitatem offensæ irrogatæ Deo à crea-

tura

tura ſumptam ex diſtantia offenſoris ab offenſo: ſicut ſi opus aliquod eſſet meritum cõdignum Deitatis in ſe ipſa, etiam mereretur condignè Deitatem,& humanitatem ſimul, eo quòd humanitas nihil addit ſupra diuinitatem,quod in Deitate eminentèr nõ præhabeatur. Et ex his ad vltimam probationem conſtat ſolutio; licet enim demus, offenſam irrogatã Deo à creatura eſſe etiam infinitam ratione infinitæ diſtantiæ, quæ inter creaturam offendentem,& creatorem offenſum verſatur; hæc tamen infinitas continetur eminentèr in grauitate ſumpta ex diuina maieſtate offenſa; ac proindè valor operationum Chriſti huiuſcemodi grauitatẽ adæquans, adæquat ex conſequenti omnẽ aliam grauitatem, etiam illam, quæ ex infinita diſtantia creaturæ offendentis à creatore offenſo ſumitur.

§. IIII.

Occurritur argumento Durandi,& explicatur,an Chriſtus vt homo poſsit æquales gratias agere Deo pro beneficijs acceptis?

19. *Argumẽtum Durãdi proponitur.*

DENIQVE arguitur argumento Durandi; nam Chriſtus, vt homo, non potuit Deo æquales gratias agere pro beneficijs in humanitate ſuſceptis; Dijs namque parentibus, & magiſtris non poſſumus reddere æquale, vt docuit Ariſtotel. 8. *Ethicor. cap.* 13. ergo multo minus potuit pro alienis offenſis Deo æquiualens reddere, & conſequentèr ſatisfactio Chriſti pro peccato humani generis æquiualens, & condigna ab intrinſeco non fuit, ſed ſolum ab extrinſeco ex diuina acceptatione, quia nempè Deus gratis voluit illa eſſe contentus, eamque acceptare, ac ſi condigna,& æquiualens eſſet. Probatur conſequentia; plus enim requiritur ad ſatisfaciendum pro alieno debito, quam ad propria debita ſoluenda, vt vidimus *diſput.* 2. Ergo ſi Chriſtus vt homo non potuit propria debita, ideſt, beneficia humanitati facta ad æqualitatem ſoluere, nec etiam potuit pro alieno debito ex peccato contracto condignè, & æqualitèr ſatisfacere.

Huic argumento Vazquez *ſupra cap.* 7. ex Vega *lib.* 7. *in Concil. Tridentin. cap.* 8. reſpondet, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, & rationem diſcriminis ſumit ex eo, quòd ipſa gratiarum actione creſcũt beneficia, cum gratiarum actio nouum beneficium ſit ex diuina manu acceptum, & pro ſe ipſa nequeat ex gratitudine ſoluere; ſatisfactione autem non creſcit debitum ex peccato contractum; & ideo poteſt Chriſtus condignè,& æquiualentèr pro debito noſtrorum peccatorum ſatisfacere, etſi non poſsit Deo æquales gratias agere, eique reddere æquiualens pro beneficijs in humanitate ſuſceptis. Suarez *ſect.* 3. *alleg.* reſpondet, negando antecedens, explicandoque Ariſtotelem, quòd loquatur de puris creaturis, eo quòd non poſſunt actũ elicere dignitatis, & valoris infiniti in morali æſtimatione; non autem de perſona increata, quæ propter infinitam dignitatem, qua gaudet; ſicut potuit ſatisfacere condignè pro peccatis omnium hominum per actus dignitatis,& valoris infiniti: ita etiam potuit Deo reddere æquiualens pro beneficijs factis humanitati, & omninò æqualitèr ex gratitudine ſoluere.

20. *Prima ſolutio Patris Vazq.*

Secũda ſolutio P. Suarez.

Sed neutra ſolutio plenè argumẽto ſatisfacit: non prima; nam ex doctrina, cui innititur, ſolum ſequitur, Chriſtum ratione humanitatis ſemper Deo debitorem manere, quia nẽpè ipſa gratiarum actio nouum beneficium eſt ex Dei largitate procedens, & nequit eſſe compenſatio pro ſe ipſa, quod docuit Diuus Thomas *in* 3. *diſt.* 20. *quæſt.* 1. *art.* 2. *ad* 1. Non autẽ colligitur, quòd Chriſtus non com-

21. *Prima reijcitur*

S. THO.

pensauerit sufficienter ex gratitudine beneficium humanitati per Incarnationem factum; sed argumentum Durandi de hoc beneficio procedit, & de debito ex illo contracto, nō autem de ipsa gratiarum actione, nec de debito contracto ex illa: ergo data solutione non soluitur.

22. *Secunda reijcitur*

Nec magis secūda satisfacit: quod probo ex D. Thom. 2. 2. q. 106. art. 6. *in corp.* vbi docet, hoc esse discriminis inter compensationem ex iustitia, & compensationē ex gratitudine, quòd vt prima sit perfecta, sufficit æquale reddere; ad perfectionem autem secundæ non sufficit reddere æquale beneficio susceptо, sed requiritur plus reddere, quam acceptum sit. Cuius rationem pulchrè dedit Angelicus Doctor, ex eo quòd recompensatio gratitudinis respicit beneficium secundum voluntatem dantis, in quo hoc præcipuè commendatur, quod gratis beneficium impendit, ad quod non tenebatur: vndè, qui beneficium accepit, obligatur ex debito honestatis, vt aliquid gratis impendat: cum autem quod redditur, non excedit quantitatem beneficij accepti, nihil gratis videtur impendi, & ideo, vt compensatio ex gratitudine perfecta sit, debet reddi, non solum æquiualens, sed aliquid excedens. Sed licet gratiarum actio exhibita à Christo Domino pro beneficio Incarnationis, quia infinita est in æstimatione morali, sit cum tali beneficio æqualis; non tamen illud excedit, cum beneficium etiam infinitum sit: ergo solutio tradita non subsistit.

23. *Euadit M. Cornejo.*

Vt huic difficultati occurrat Magister Cornejo respondet, Christum per gratiarum actionem aliquid Patri obtulisse maius beneficio Incarnationis, eo quòd licet personalitas, cuius communicatio beneficium fuit humanitati factum, sit in se ipsa infinita simpliciter in genere entis; non tamen fuit communicata humanitati secundum omnem infinitatem suam, sed modo limitato, & finito ex parte humanitatis per illam terminatæ; Christus verò per gratiarum actionem, non solum Patri obtulit suas operationes, modum vnionis, & alia dona gratiæ, quæ erāt infinitum quid in genere moris, sed etiam obtulit dignitatem suæ personæ summo modo possibili, quæ dignitas est infinita, non solum in genere moris, sed etiam in genere entis; & ideò plus Patri obtulit Christus in gratiarum actionē, quam accepit ab ipso; ac proindè per hoc compensauit ex virtute gratitudinis aliquid maius beneficio accepto offerendo beneficium Incarnationis factum humanitati.

24. *Reijcitur.*

Sed nec placet ista solutio; nam vel discrimen statuit Magister Cornejo inter infinitatem physicam beneficij, & rei in compensationem oblatæ, vel de infinitate morali. Neutro ex his modis subsistit datum discrimen: ergo non subsistit solutio. Probo minorem: sicut enim personalitas Verbi infinitè dignificat operationes Christi: ita etiā infinitè illius humanitatē sanctificat: & consequentèr est infinita moraliter in ratione beneficij facti humanitati: & sicut personalitas Verbi oblata in gratiarum actionem est physicè infinita in se ipsa: ita personalitas humanitati cōcessa in se ipsa infinita physicè est: ergo neq; in physica infinitate, nec in infinitate morali saluatur excessus rei oblatæ in gratiarum actionem ad beneficium factum humanitati.

25. *Solutio.*

Dices, Christum in gratiarum actionem obtulisse Patri personalitatē suam physicè infinitam omni modo, quo offeribilis est; non autē fuisse collatam humanitati personalitatem Verbi, eique vnitam omni modo, quo potest conferri, & vniri, & secundum totam infinitatem suam, & ideò saluari excessum rei oblatæ in recompensationem ad beneficium factum humanitati. Sed contra; etsi physica infinitas personalitatis Verbi non fuerit collata humanitati, eique vnita omni modo possibili sub ratione terminantis, quia potest alias naturas perfectiori modo terminare, & perfectiori modo reddere subsistentes; sub ratione tamen sanctificantis collata, & vnita fuit humanitati summo modo possibili ad extra; nō enim

Reijcitur.

potest

potest aliam naturam perfectiori modo sanctificare; sed personalitas Verbi non fuit Patri oblata à Christo omni modo possibili physicè, sed solum omni modo possibili moraliter: ergo eodem modo quoad rationem infinitatis fuit collata humanitati à Deo, quo à Christo Patri oblata; ac proindè nō saluatur excessus rei oblatæ in gratiarum actionem supra beneficium humanitati collatum, quod Magister Cornejo tua solutione intendebat, vt perfectè Christus ex virtute gratitudinis recompensauerit beneficium Incarnationis.

26. *Vera solutio.*

Vndè ad argumentum Durandi respondeo primò, consequentiam factam nō tenere in forma; primo, quia cum beneficia humanitati facta excedant in morali æstimatione grauitatem offensæ mortalis, fit consequens, quòd ex impotentia ad æqualitatem gratiarum actionis, & ad reddendum æquiualens pro beneficijs factis humanitati non rectè inferatur impossibilitas ad æqualem satisfactionem, & ad reddendum æquiualens pro offensa irrogata Deo. Deindè, quia cum ad compensationem perfectam ex gratitudine requiratur amplius reddi, quam sit beneficium acceptum; ad compensationem autem ex iustitia perfectam sufficiat æquale reddi, ex eò quòd Christus Dominus non potuerit ex gratitudine perfectè cōpensare beneficia humanitati facta, non rectè colligitur, non potuisse pro offensa irrogata Deo satisfacere perfectè; quia satisfactio est in materia iustitiæ: ac proindè, vt sit perfecta, sufficit, æqualē esse cum offensa, pro qua fit, gratiarum autem actio in materia gratitudinis, cuius perfectio requirit plus reddere, quam acceptum sit, ac proindè consequentia à Durando facta non tenet: sicut si ita argumentaretur: non potuit reddere plus. ergo non potuit reddere æquale.

27. *Respōdetur secūdo.*

Secundò respondeo, re vera Christū Dominum perfectè recompensasse ex virtute gratitudinis beneficium Incarnationis factum humanitati, quia licet ex parte rei oblatæ in compensationem non plus dedit, quam accepit humanitas, sed tantum æquale; in affectu tamen plus reddidit; sic enim erat Christus Dominus affectus, vt si plus, quam accepit humanitas Deo reddere, & offerre posset, de facto redderet, & offerret, & hoc sufficere, vt perfectè ex gratitudine beneficia compensauerit, constat ex Divo Thoma *secunda secundæ quæst.* 106. *articulo sexto ad primū*, vbi ait, quòd quia in recompensationem beneficij magis consideratur affectus, quam effectus, quamuis filius patri ex parte rei acceptæ, scilicet, esse, & viuere, nihil æquale possit recompensare; ex parte tamen affectus dantis, & retribuentis potest aliquid maius patri filius tribuere, quod sufficere, vt filius patri perfectè sit gratus, videtur satis Divus Thomas innuere in *solutione allegata.* S.Tho.

28. *Replicabis.*

Sed dices, sequi ex ista solutione posse puram creaturam ad æqualitatem gratias agere Deo pro beneficijs acceptis ab ipso: consequens est falsum, & contra Aristotelem *octauo Ethicorum cap. 13.* asserentem, Dijs, Parentibus, & Magistris non posse reddi æquale, quod saltem de personis creatis verificari debet: ergo solutio tradita non subsistit. Probatur sequela: etsi Deo non possit creatura reddere plus, aut æquale ex parte rei cum beneficijs susceptis; potest tamen æquale, aut plus reddere, quam accepit secundum affectum; sed hoc sufficit iuxta nostram solutionem ad perfectè compensandum ex virtute gratitudinis beneficia susceptā: ergo poterit pura creatura Dei beneficia perfectè ex gratitudine compensare.

29. *Respōdetur primò.*

Respondeo, concedendo sequelā, loquendo de beneficijs antecedentibus ipsam gratiarum actionem; quia tamen gratiarum actio nouum beneficium est, & pro se ipsa compensatio esse non potest, fit consequens, vt homo semper maneat debitor Deo, & quòd numquam perfectè ad æqualitatem etiam affectiuè beneficia accepta compenset, qua ratione probat D. Thom. *in 3. dist. 20. q. 1. art. 2. ad primū*, numquam posse Deo æquales gratias

tias reddi pro acceptis beneficijs, quia cum gratiarum actio beneficium Dei sit, ipsa gratiarum actione beneficia crescunt. Nec Aristoteles oppositum docuit; loquebatur enim, vt explicat
S. Tho. D. Thomas 2. 2. q. 106. *art. 6. ad primũ*, de æqualitate ex parte rei acceptæ, quam homo Dijs, Parentibus, & Magistris reddere nequit; neque enim patri possumus dare vitam, quam accepimus ab illo, nec Deo esse, nec Magistro, vt tali doctrinam, cũ Magistri, vt talis formaliter non doceri, sed docere munus sit.

30. *Secũdo Respõdetur.* Vel secundo responderi potest, negando sequelam: ad cuius probationem, concedã maiori, nego minorem; nostra enim solutio, & doctrina supponit, Christum Dominum reddidisse Deo æquualens ex parte rei pro beneficijs in humanitate susceptis, & ad saluandum excessum requisitum ad perfectam compensationem ex virtute gratitudinis recurrimus ad affectum, saltim conditionatum, secundum quem plus reddidit, quam accepit; pura autem creatura non potest Deo reddere æquualens pro beneficijs susceptis ex parte rei, sed tolum secũdum affectum, & ideo ex eo quòd Christus Dominus compensauerit perfectè ex virtute gratitudinis beneficia facta humanitati, non sequitur, posse puram creaturam perfectè compensare ex virtute gratitudinis beneficia à Deo susceptа. Ratio autem, cur sufficiat excessus secundum affectum ex parte retribuentis ad cõpensationem perfectam ex gratitudine, est; quia excessus ille petitur propter affectum, & voluntatem liberalitèr dantis, & ideò sufficit excessus in affectu ex parte retribuentis; supposito tamen, quòd æquualens ex parte rei acceptæ reddatur.

§. V.

Fuisse superabundantem satisfactionem Christi probatur.

31. *Secũda cõclusio.* SECVNDA CONCLVSIO. Satisfactio Christi Domini fuit ab intrinseco, ex natura sua, & omni acceptatione secluſa superabundans pro peccato humani generis. Et quidem superabundantem fuisse satisfactionem Christi absolutè nulli Theologorum est dubium, sed omnibus exploratum; constat enim ex illis verbis Psalm. 129. *Et copiosa apud eum redemptio*, & insuper ex illo Esaiæ cap. 40. *Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.* Ac denique ex Iob 6. cap. illis verbis: *Vtinam appenderentur peccata, quibus iram merui, & calamitas, quam patior in statera, quasi arena maris hæc grauior appareret.* Quod moralitèr à Lyra, & ab alijs Interpretibus de Christo Domino exponitur, quòd scilicet passio illius maior fuerit omnium hominum peccatis. Ex quibus testimonijs, & alijs pluribus manifestè colligitur, à nullo posse negari, fuisse satisfactionem Christi absolutè superabundantem pro peccatis omnium hominũ.

Psl. 129. *Isai. cap. 41.* *Iob c. 6.*

32. *Probatur primo.* Quòd autem superabundans fuerit ex natura rei, & ab intrinseco, & non ex diuina acceptatione, quod asserit nostra conclusio, ostenditur primò; nam illa superabundantia concedenda est satisfactioni Christi, quæ satisfactioni puræ creaturæ repugnat; sed superabundantia solum ex diuina acceptatione pro peccatis omnium hominum non repugnat satisfactioni creaturæ; benè tamen superabundantia ab intrinseco: ergo hæc est concedenda satisfactioni à Christo Domino exhibitæ. Consequentia est bona, maior constat; nam satisfactio-

ni

ni Christi superabundantia conceditur propter excellentiam, & dignitatem vnionis humanitatis ad Verbū: ergo est superabundantia sine tali vnione repugnans, & consequentèr attribuenda est satisfactioni Christi superabundantia repugnans satisfactioni à pura creatura elicitæ. Minor autem probatur; nam superabundantia ex diuina acceptatione consistit in eo, quòd Deus satisfactionem de se non superabundantem pro superabundanti acceptet; sed non repugnat, Deum satisfactionem à pura creatura elicitam, quamuis de se superabundans non sit, pro superabundanti acceptare: ergo superabundantia ab extrinseco, & solum ex diuina acceptatione, non repugnat satisfactioni præstitæ à pura creatura.

33. *Secundò probatur.*

Deindè probatur; nam ex eodem capite, ex eisdemque principijs conuenit satisfactioni Christi, quòd sit superabundans pro peccatis omnium hominum, & quòd sit condigna, sufficiens, & æquiualens pro illis; sed quòd sit condigna, æquiualens, & sufficiens, conuenit satisfactioni Christi ab intrinseco, vt conclusione præcedenti monstrauimus: ergo etiam superabundantia, & excessus conuenit satisfactioni Christi ratione valoris intrinseci, & non ab extrinseco ex diuina acceptatione. Præterea, nam acceptatio creditoris non dat valorem satisfactioni pro iniuria, sicuti nec dare potest valorem solutioni pro pecunia recepta sola extrinseca acceptatio illius, cui pecunia debetur, aliàs, si creditor, cui cētum debentur, quinquaginta pro centum tanquam sufficientem solutionem liberalitèr acceptaret, solutio illa esset dicenda valoris sufficientis ad perfectè debitum extinguendū: ergo si, diuina acceptatione suppositā, satisfactio Christi fuit superabūdātis valoris pro peccatis omniū hominū, ante acceptationem valore superabundanti gaudebat, & consequentèr superabūdans fuit ab intrinseco, & ex natura sua.

34. *Ratio à priori aliquorū.*

In reddenda autem ratione à priori superabundantiæ ab intrinseco in satisfactione Christi difficultas non modica est, & diuersimodè potest formari iuxta varia principia. Et quidem in sententia illorum, qui docēt, satisfactionem Christi fuisse valoris infiniti simplicitèr propter coniunctionem ad Verbum, & dignitatem deriuatam ex ipso in operationibus elicitis ab humanitate coniuncta; offensam verò esse grauitatis infinitæ solum secundum quid, vel nulla infinitate, nisi extrinseca tātum, & obiectiua gaudere, pervia est conclusionis ratio à priori. Etenim valor infinitus simplicitèr superabundans est ad grauitatem, vel nullatenus infinitam, vel solum infinitam secundum quid: ergo si satisfactio Christi de se, & ab intrinseco fuit valoris simplicitèr infiniti; offensa autem peccati mortalis, vel nullatenus fuit infinita, vel solum secundū quid, satisfactio Christi Dñi superabūdans fuit ab intrinseco. Cæterum contra hunc discursum obstat duplex difficultas. Prima, nam offensam peccati mortalis esse grauitatis simplicitèr infinitæ in genere moris est sententia inter Theologos probabilis, vt vidimus *disput.* 1. & vrgentèr satis monstrauimus; quòd autem satisfactio Christi fuerit ab intrinseco superabundans pro illa est sententia extra Scholam Scoti cōmunis: ergo ratio probatiua illius alliganda non est sententiæ neganti offensæ mortali infinitatem simplicitèr. Secunda difficultas est; nam cum Deus sit subiectū morale offensæ, vt *disput.* 1. monstrauimus, est difficilis ratio discriminis inter offensam, & satisfactionē Christi, vt illa vel nullatenus sit infinita, vel solum secundum quid; satisfactio autem Christi sit infinita simplicitèr in morali æstimatione, cum iltius infinitas nō aliundè probetur, nisi quia Verbū humanitati vnitū vt subiectū cōparatur ad operationes ab humanitate elicitas: ex quo prouenit, vt rationē formæ illas valorātis subinduat.

Reijcitur primo.

Secundò.

35. *Alius modus, seu ratio à priori.*

In illorum sententia, qui tenent, rem ordinis superioris, esto finita, & limitata sit, adæquari nunquam posse ab existentibus in ordine inferiori, quantumcumque multiplicentur, & Christi satisfactionem in ordine supe-

riori ad grauitatem offensæ mortalis cõstituunt, in promptu etiam est nostræ conclusionis ratio à priori, & sic potest formari. Res ordinis superioris, esto limitata sit, & finita, non potest adæquari à rebus ordinis inferioris, quantumcumque numero augeãtur, aut crescant perfectione; sed satisfactio Christi superioris ordinis est ad offensam mortalem: ergo quantumcumque offensæ mortales augeãtur, adæquare nequeunt satisfactionem Christi, & consequenter satisfactio Christi excedit in morali æstimatione omnium hominum peccata, in quo consistit, fuisse superabundantem pro illis. Cæterum hi Auctores duplici difficultate præmuntur. Prima est in reddendo rationem, quare satisfactio Christi ordinis superioris sit ad offensam mortalem, cum vtraque in suo genere sit in ordine diuino, & ad Deũ vt subiectum moraliter comparetur. *Reijcitur primò.*

Secundò. Secunda consistit in eo, quòd licet res superioris ordinis physicè adæquari in perfectione nequeat à rebus ordinis inferioris, in valore autem morali hoc principium non tenere *disput. 1. & disput. præcedenti* monstrauimus. Sed excessus ordinis in satisfactione Christi ad grauitatem offensæ mortalis est in ordine morali: ergo si finitus est, poterit ab offensis mortalibus adæquari, & cõsequenter satisfactio Christi superabundans pro illis ab intrinseco non erit.

36. *Vera ratio à priori.* Quare his modis dicendi omissis, & in sua probabilitate relictis, ratio à priori pro nostra, & communi sententia in hunc modum est formanda. Valor satisfactionis Christi ab intrinseco, & ratione sui excedit grauitatẽ offẽsæ mortalis in morali æstimatione: ergo ratione sui, & ab intrinseco est superabundans satisfactio pro illa. Consequentia est nota, antecedens autem probatur; nam grauitas offensæ mortalis fundatur in vnione affectiua cum diuina maiestate offensa, ex eo quòd per peccatum Deus affectiuè subijcitur offensori; valor autem satisfactionis Christi fundatur in vnione physica mediata personæ Verbi operantis, & satisfacientis cum operationibus ab humanitate elicitis, eo quòd persona infinita, & diuina satisfaciens se ipsam mediatè subijcit Deo per peccatũ offenso. Sed valor in vnione physica fundatus maior est in morali æstimatione grauitate fundata solum in vnione affectiua: ergo valor satisfactionis Christi maior est ratione sui, & secluſa acceptatione extrinseca Dei, grauitate offensæ mortalis.

Cõfirmatur. Et augetur difficultas; etenim ab eadem forma perfectiori modo vnita perfectior effectus præstatur: quo circa *disput. præcedenti* docuimus, actum increatum, si meritorius esset, fore maioris valoris meritorij, quam actus Christi Domini media humanitate elicitus, quia nempè & si eadem sit forma valorans operationes Christi creatas, & quæ valoraret tunc casus increatas operationes; istis tamen conueniret per essentiam, actibus verò Christi creatis non per essentiam, sed per communicationem conuenit. Deitas etiam humanitatem, & Deum in se ipso sanctificat, & non sanctificat æquè humanitatem, ac Deum, vt docet communis sententia, *& tractatu de Gratia Christi* monstrabimus. Sed Deitas, vt valorans operationes Christi præstantiori modo vnitur cum illis, quam maiestas offensa cum actu offensiuo sui, eo quòd vnio, & informatio illa moralis fundatur in vnione physica immediata cum humanitate, & mediata cum operationibus ab humanitate elicitis; actui verò offensiuo vnitur maiestas offensa, illumque informat moraliter, informatione fundata in vnione tantum affectiua, affectiuaque subiectione: ergo plus valoris præstat persona Verbi operationibus ab humanitate elicitis, quam grauitatis maiestas offensa offensæ irrogatæ in Deum, & consequenter satisfactio Christi est superabundans pro offensa.

****
****
******
***

§. Vltimus.

Argumentis in contrarium occurritur.

37. *Primum argumē-tum.*

CONTRA istam conclusionem arguitur primò: grauitas offensæ mortalis adæquat in morali æstimatione dignitatem, & valorem satisfactionis Christi: ergo satisfactio Christi, esto fuerit æquiualens, superabūdans non fuit pro offensa irrogata in Deum. Consequentia patet; nam ad superabundantiam in ratione satisfactionis requiritur excessus condignitatis supra grauitatem iniuriæ, & consequentèr, si excessus in satisfactione Christi non datur, superabundans non fuit. Antecedens autem ostenditur primò; nam grauitas offensæ mortalis sumitur ab eadem forma, à qua sumitur valor satisfactionis Christi, videlicet à diuinitate: ergo adæquat grauitas offensæ satisfactionis valorem.

Secundo probatur; nam grauitas offensæ mortalis est infinita simplicitèr in genere moris, vt *disputat. prima* docuimus; sed vnum infinitum alio maius non est, vt in *eadem disput.* censuimus probabilius: ergo valor satisfactionis Christi non est maior grauitate offensæ mortalis, & consequentèr grauitas offensæ illius valorem adæquat.

38. *Prima solutio.*

Respondeo, negando antecedēs; ad primam probationem, concesso antecedenti, nego cōsequentiam; vt enim dicebamus nostram conclusionē probantes, ab eadem forma perfectiori modo vnita perfectior effectus præstatur, vt constat in diuinitate Deum in se ipso sanctificante, & etiam humanitatem Verbo hypostaticè vnitam; & tamen, quamuis forma eadem sit, non æquè sanctificatur humanitas, ac sanctificatur Deus, quia Deo per essentiam conuenit, humanitati autē non per essentiam, sed per gratiosam communicationem. Stat ergo cum æqualitate formæ inæqualitas in effectu, vel quasi effectu formali, & ita in nostro casu contingit; nam licet diuinitas, & grauificet offensam, & dignificet operationes Christi, quia tamē perfectiori modo vnitur cum operationibus, nempè vnione physica mediata, quam cum actu offensiuo, cum quo solum affectiuè vnitur, consequens fit, vt plus dignitatis, & valoris præstet operationibus Christi, quā actui offensiuo sui.

39.

Ad secundam probationem respondeo primò, quòd licet vnum infinitum alio maius quātitatiuè non sit; potest tamē vnum infinitum alio perfectius esse, illudque excedere in qualitate essentiali, vt constat in auro, & argento infinitis, si forte darentur; nā infinitum argentum, esto in quantitate non excederetur ab auro infinito; in qualitate tamen, & perfectione essentiali infinitum aurum infinitum argentum excederet. Infinita etiam hominum multitudo, etsi in numero nō excederet infinitam multitudinem animalium irrationalium, essentialitèr autem, & in perfectione essentiali negari non potest, quòd infinita hominum multitudo multitudinem infinitam animalium excedat. Ex eo ergo, quòd grauitas offensæ mortalis infinita sit, & similitèr dignitas operationum Christi, ad summum sequitur, non dari inter illa excessum quantitativum, non autem quòd non detur excessus in qualitate, & perfectione essentiali, & iste est sufficiens, vt opera Christi Domini sint, non solum æquiualens, & condigna, sed etiam superabundans satisfactio pro offensa.

40. *Secunda solutio.*

Secundò respondeo, concessa maiori, distinguēdo minorem; in eodem genere, in quo est infinitum, concedo minorem: in alio genere, nego minorem, & consequentiam; nam infinitas satisfactionis Christi est in genere valoris, & boni, infinitas grauitatis offensæ est in genere mali moralis: ex quo solum sequitur, quòd in genere mali, seu grauitatis offensiuæ nihil detur maius, non autem quòd com pa-

rata ſatisfactione Chriſti in valore cũ offenſa in grauitate, non ſit maior valor ſatisfactionis Chriſti grauitate offenſæ: ſicut ſi daretur linea infinita in genere lineæ, ſolum ſequeretur, non eſſe dabilem lineam maiorem, maior autem quantitas eſſet poſsibilis, nempè quantitatis corporis infiniti, quod infinitum eſſet ſecundum trinam dimenſionem. Et ſi daretur actus miſericordiæ infinitus in linea miſericordiæ, ſolum ſequeretur, in tali linea nihil dari maius, non verò quòd actus charitatis infinitus in genere dilectionis maioris dignitatis non eſſet, & de facto inter diuinas perfectiones, prout virtualitèr inter ſe diſtinctas, quãuis omnes in ſua linea infinitæ ſint, inæqualitas tamen virtualis à Theologis recognoſcitur. Vndè intellectus, prout virtualitèr à voluntate diſtinctus, virtualitèr voluntatem excedit: & diuina dilectio, prout virtualitèr ab actu miſericordiæ diſtincta, virtualitèr illum excedit: & natura diuina virtualitèr excedit omnes perfectiones attributales Dei.

41. *Replica bis primo.*

Sed obijcies primò; nam ſequitur ex ſolutione ad primam probationẽ antecedentis data, poſſe vnum peccatum eſſe altero maius, non ſolum in malitia eſſentiali, ſed etiam in grauitate ſumpta ex maieſtate offenſa: cõſequens eſt contra ea, quæ *diſputat. prima* docuimus: ergo doctrina tradita non poteſt cum ibi dictis conſiſtere. Probatur ſequela; vt enim probando noſtram concluſionem, & in ſolutione argumenti dicebamus, forma, eſto infinita ſit, perfectiori modo vnita perfectiorem præſtat effectum; ſed ſtat, vnum actum offenſiuum perfectiori modo in linea mali moralis vniri cum maieſtate offenſa, quam alius: ergo ſtabit, quòd ab illa, quamuis infinita ſit, maiorem grauitatem recipiat, & conſequentèr poterit vnum peccatum mortale excedere aliud, non ſolum in grauitate ex obiecto, & alijs circunſtantijs deſumpta, ſed etiam in grauitate ſumpta ex maieſtate offenſa. Maior continet noſtram doctrinam; conſequentia probatione non indiget; minor autem probatur; nam actus offenſiuus vnitur cum maieſtate offenſa media cognitione, & conatu; ſed poteſt vnus actus vniri media cognitione perfectiori, & medio maiori conatu cum maieſtate offenſa, quam alius: ergo poteſt cum illa perfectiori modo, quã alius, vniri exceſſu perfectionis in genere mali moralis.

42. *Replica bis ſecũdo.*

Obijcies ſecundò; nam ſequitur ex eadem doctrina, operationes Chriſti non eſſe dignas, & valoroſas infinitè ſimpliciter: conſequens eſt contra ea, quæ *diſput. 3.* docuimus: ergo ſolutio tradita eſt inſufficiens. Probatur ſequela primò; nam iuxta doctrinam ſolutionis, & rationis, qua à priori noſtram concluſionem monſtrauimus, cum æqualitate in forma dante grauitatem offenſæ, & operibus Chriſti valorem ſtat inæqualitas inter grauitatem offenſæ, & valorem operationum Chriſti proptèr inæqualitatem in modo, quo vnitur cum actu offenſiuo, & cum operationibus ab humanitate elicitis: ergo paritèr cum infinitate formæ valorantis operationes Chriſti, nempè diuinitate, ſtabit limitatio valoris ſumpti in concreto proptèr limitationem modi, quo operationes Chriſti cum prædicta forma vniuntur, & proptèr limitationẽ modi, quo à Verbo, tanquam ab operante *quod*, egrediuntur.

Sequela probatur primo.

43. *Secũdò.*

Secundo probatur ſequela; nam ſi cum æqualitate inter formas ſtat inæqualitas inter effectus formales propter inæqualitatẽ modi, quo vniũtur ſubſtractis: ergo iam ad effectum formalem formæ, nedum phyſicæ, verum etiam moralis, non ſolum penſatur forma, ſed etiam penſatur modus vnionis formæ ad ſubiectum; ſed eo ipſo quòd hoc concedatur, quamuis forma ſit infinita, effectus ab illa præſtitus nõ erit infinitus moralitèr: ergo eo ipſo quòd cum æqualitate inter formas ſtet inæqualitas inter effectus formales prouenies ex inæqualitate modi, quo vniuntur ſubſtractis, vt in ratione probatiua noſtræ concluſionis, & in ſolutione argumenti docuimus, operationes ab humanitate elicitæ non erunt infinitæ dignæ,

nec

nec valorosæ infinitè in morali æstimatione, quamuis personalitas Verbi, quæ vt forma illis præstat valorē, sit infinita moralitèr. Prima consequentia manifesta videtur; nam id, ex quo prouenit excessus inter effectus formales, necessariò pensatur ad illos: ergo si inæqualitas modi vnionis formæ ad subiectum inducit inæqualitatem inter effectus formales morales, stante æqualitate inter formas, pensatur prædictus modus ad effectū formalem moralem. Secunda consequentia non videtur probatione indigere; minor autem supsumpta probatur; nam vt concretum aliquod sit infinitū moralitèr, omnia penès quæ pensatur eius moralitas, debent esse moralitèr infinita, aliàs ex aliquo capite erit finitum concretum, nedum physicè, verum etiam moralitèr: ergo eo ipso quòd ad concretum, vel effectum formalem formæ moralis pensetur, non solum forma, sed etiam modus, quo vnitur, si ille finitus est, quamuis forma sit infinita, effectus ab illa præditus moralitèr infinitus non erit.

44. *Tertio.* Denique probatur sequela; nam id ipsum, quod excedens inducit excessum, si limitatum sit, limitationem inducit; sed iuxta doctrinam traditā excessus in modo vnionis formæ ad subiectum cum æqualitate inter formas inducit excessum inter effectus formales: ergo limitatio vnionis formæ ad subiectum, vel limitatio modi vnionis subiecti cum forma inducit limitationem in effectu illius formali, quamuis forma sit infinita moralitèr; sed modus, quo operationes Christi vniuntur cum supposito Verbi, & ab illo egrediuntur, limitatus est, & finitus, non solum physicè, sed etiam moralitèr, cum moralitas talis modi idētificata sit cum illius physica entitate, & ab humanitate, vt à principio *quo* effectiuo cauletur, à qua entitas physica talis modi efficienter procedit: ergo, quamuis personalitas Verbi dignificans, & valorans prædictas operationes sit infinita moralitèr, cōcretum ex operationibus, & personalitate Verbi resultans moralitèr infinitum non est, & cōsequentèr operationes ipsæ non sunt infinitè dignæ, nec meritoriæ, aut satisfactoriæ infinitè.

45. *Ad primam replicam respōdetur.* Respondeo ad primam replicam, negando sequelam; ad illius probationem distinguo maiorem: excessu modi formali extrahente ad aliud genus, & ordinem, concedo maiorem: excessu tantum materiali, & non extrahente à genere, sed intra genus cōtento, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequētiam; nam excessus modi vnionis, quo vnus actus offēsivus præ alio maiestati offensæ vnitur ortus ex perfectiori cognitione, aut ex maiori intensione, & conatu, est excessus materialis, non extrahens à genere, sed intra idem genus contentus; ideoque impedire non potest æqualitatem omnium peccatorum mortalium in grauitate personali sumpta ex maiestate offensa. Ratio autem distinctionis traditæ est; nam cum in eo genere, in quo aliquid est infinitum aliud illo maius dari non possit, vt docet probabilior sententia, vel quam Nos probabiliorem cēsumus, fit consequens, vt excessus modi vnionis non formalis, nec ad aliud genus extrahens non possit inæqualitatem causare inter effectus formales, quos infinitos esse supponimus; quia tamē in alio genere potest dari aliquid maius, fit, vt excessus formalis modi vnionis extrahens ad aliud genus inæqualitatem inducat inter effectus formales, quamuis inter formas æqualitas supponatur. Et quia modus, quo personalitas Verbi vnitur cum operationibus Christi, huius conditionis est, comparatus cum modo, quo maiestas Dei offensa cum actibus offensiuis vnitur, fit consequens, vt valor meritorius, & satisfactorius operationum Christi à personalitate Verbi proueniens, excedat grauitatem offensæ mortalis præditam à maiestate offensa, quamuis hæc etiam in suo genere sit infinita.

46. *Ad secūdam.* Ad secundam replicam, nego sequelam: ad cuius primam probationem respondeti potest primò, concesso antecedenti, negando supposi-

tum

Ad primi probationis ſequelæ reſpõdetur primo.

tum conſequentis, quòd nempè modus, quo operationes Chriſti vniuntur ſuppoſito Verbi, & ab illo egrediuntur, moralitèr ſit finitus; nam licet talis modus phyſicè finitus ſit, ſicut, & entitas ipſarum operationum, phyſicè finita eſt; eſt tamen in morali æſtimatione infinitus, infinitate à perſona Verbi ſumpta: quæ ſicut ſubſtantiam operationum, etſi finitam in genere phyſico, infinitè æſtimabilem reddit: ita etiam infinitè æſtimabilem conſtituit modum, quo operationes ei vniuntur, & ab ipſo egrediũtur, *iuxta dicta diſput. 3. num. 51.* Et ex hoc conſtat ad alias probationes ſolutio; omnes enim ſupponunt, modum, quo operationes Chriſti vniuntur cum ſuppoſito Verbi, moralitèr eſſe finitum, vndè, hoc negato, euaneſcunt. Nec obſtat, quod aſſeritur in tertia probatione ſequelæ, nempè moralitatem prædicti modi effici ab humanitate tãquam à principio *quo*; nam licet hoc verum ſit de moralitate identificata cum phyſica entitate modi; non tamen eſt verum de moralitate præſtita à perſonalitate Verbi; nam licet hæc ſumpta in concreto ab humanitate efficiatur, ex parte formæ talem moralitatem præſtantis nõ efficitur ab illa; quod autem in concreto efficiatur, eius infinitati non obſtat; ſicut nec obſtat infinitati valoris operationum Chriſti, quòd in concreto ſumptus ab humanitate efficiatur, vt vidimus *diſput. 3. num. 41.*

47. *Reſpõdetur ſecũdo.*

Secundo reſpondeo, conceſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens: limitatio in genere entis, & etiam negatiua limitatio in genere moris, vt ſic, concedo conſequentiam: limitatio in genere valoris moralis meritorij, & ſatisfactorij, nego conſequentiam. Itaque quia modus, quo operationes Chriſti vniuntur cum ſuppoſito Verbi, limitatus eſt, & finitus, ſit, vt concretum ex Deitate valorante, & operationibus Chriſti conſurgens, limitatum ſit in genere entis: vndè quamuis forma dignificans, & valorans, nẽpè Deitas, per eſſentiam ſit infinita; concretum tamen, quod ex illa, & actibus meritorijs conſurgit, infinitum per eſſentiam non eſt, ſed tantum per communicationem. Fit etiam ex limitatione prædicti modi, vt actus ſatisfactorij Chriſti non ſint infiniti in genere moris, vt ſic, prout ratio moralis abſtrahit à creata, & increata; non tamen tollitur, quòd concretum ex actibus meritorijs, & diuinitate conſurgens ſit infinitum infinitate morali per communicationem; quia etſi limitatus ſit ille modus, non tollit, quòd forma infinita per eſſentiam communicetur actibus ab humanitate elicitis omni modo, quo communicari poteſt.

48. *Ad ſecũdã probationẽ ſequelæ.*

Ad ſecundam probationem ſequelæ, conceſſo antecedenti, & prima conſequentia, diſtinguo minorẽ ſubſumptam: effectus formalis non erit infinitus moralitèr ex omni capite, concedo minorem: ex parte formæ talem effectum præſtantis, nego minorem, & conſequentiam; nam ex eo quòd modus finitus ſit, & concretum, non ſolum penes formam, ſed etiam penes ipſum penſetur, ſolum ſequitur, concretum eſſe ex parte modi finitum, non autem infertur, quòd infinitum ex parte formæ non ſit, nec amplius probatio conſequentiæ conuincit; nam id, quod in eius probatione aſſumitur, ſolum eſt neceſſarium, vt concretum ex omni capite ſit infinitum, & vt ſit infinitum ſimplicitèr, ideſt, omnibus modis, nõ autem ad illius infinitatem ex parte formæ, & vt ſit infinitum ſimplicitèr, ſumpto ſimplicitèr contrapoſitiuè ad ſecundum quid.

49. *Ad vltimam.*

Et ex his ad vltimam probationem ſequelæ conſtat ſolutio; nam licet limitatio modi, quo operationes Chriſti vniuntur cum ſuppoſito Verbi, & ab illo egrediuntur, inducat in concreto reſultante ex prædictis operationibus, & Deitate valorante limitationem ex ipſo; non tamen inducit limitationem ex forma, nec impedit, vt forma ſuam infinitatem communicet. Ex quo ſolum ſequitur, vt concretum limitatum ſit ex parte modi, non autem quòd ratione formæ ſimplicitèr infinitum non ſit. Nec infertur (vt tacitæ obiectioni occurramus)

mus) concretum ex Deitate valorante, non esse infinitum simpliciter in ratione satisfactionis, & meriti contrapositiue ad secundum quid, ex eo quòd ex modo finito confletur; vt enim *disput. 3. num. 24.* docuimus, tunc solum conflatum ex vna parte finita, & alia infinita, non est infinitum simpliciter contrapositiuè ad secundum quid, quando pars infinita, vel extremum infinitum compositionem ingrediens, partem, vel extremum finitum eminenter nō continet, cuius oppositum in præsenti contingere ex ibidem dictis constat.

50. *Secundū argumentum.* Secundo principaliter arguitur, & hucusque dicta impugnantur: ex hoc quòd valor satisfactionis Christi maior sit grauitate offensæ mortalis, solum sequitur, vnum actum Christi satisfactorium vnius offensæ mortalis grauitatem excedere, non autem quòd vnus actus satisfactorius Christi excedat grauitatem omnium offensarum, quæ ab hominibus irrogantur contra Deum: ergo saltim pro omnibus offensis mortalibus vnâ Christi operatio superabundans satisfactio nō sunt, & consequenter in tantum poterunt multiplicari peccata, vt satisfactionis Christi valorem excedant, & extinguant; non enim tot fuerunt Christi operationes, quot sunt, & erunt actiones offensiuæ maiestatis diuinæ. Probatur antecedens: grauitas plurium peccatorum maior est grauitate vnius peccati mortalis: ergo ex eo quòd valor satisfactorius operationum Christi sit maior grauitate offensæ mortalis, non sequitur, excedere valorem vnius actus omnium offensarum grauitatem, sed solum grauitatem vnius offensæ diuinæ, & consequenter tantum poterunt multiplicari peccata, vt extinguant valorem satisfactorium operationū Christi.

51. *Solutio.* Respondeo, negando antecedēs: ad cuius probationem dicatur, grauitatem omnium offensarum non esse intensiuè maiorem grauitate vnius peccati mortalis, sed solum extensiuè; ac proindè semel probato, valorem vnius operationis Christi excedere grauitatem vnius peccati mortalis, consequenter infertur, omnium peccatorum mortalium grauitatem excedere: sicut *disput. præcedenti* dicebamus de merito Christi, nempè eo ipso, quod condignum esset Incarnationis Patris, vt præmij: etiam cuiuscumque alterius præmij esse condignum, eo quòd cætera, quibus potest remunerari, non sunt maioris æstimabilitatis intensiuè, sed tantum extensiuè. Vel secundo responderi potest, excessum dignitatis, & valoris operationum Christi esse excessum in ordine, & cum aliàs sint dignitatis, & valoris meritorij, & satisfactorij simpliciter infiniti, fit consequens, vt quælibet Christi operatio in ratione meriti ad omne præmium se extendat, & in ratione satisfactionis ad omnem extinguendam offensam.

52. *Vltimò arguitur.* Denique arguitur: si satisfactio Christi excederet grauitatem offensæ mortalis, sequeretur iniustè à Deo postulatam fuisse in recompensationem illius: consequens absurdum est: ergo valor satisfactorius operationū Christi non est maior grauitate offensæ mortalis. Minor cum consequentia tenet; sequela autem probatur; nam persona iniuriata, & offensa non nisi iniustè potest in recompensationem iniuriæ sibi irrogatæ petere satisfactionem excedentem offensam, sed solum potest æqualem satisfactionē exigere: ergo si Christi satisfactio excelsit in valore grauitatem offensæ, iniustè Deus talem satisfactionē exegit in recompensationem illius.

Solutio. Respondeo, negando sequelam: ad illius probationem, distinguo antecedēs: quando est possibilis in satisfactione æqualitas sine excessu ad offensæ grauitatē, trāseat antecedēs; quando non est possibilis æqualitas sine excessu, nego antecedēs, & consequentiam; quia in præsenti non stat æqualis satisfactio pro offensa mortali, quin à persona diuina subsistente in natura creata exhibeatur: & quia eo ipso quòd persona diuina in assumpta natura operetur, vel media natura assumpta, non potest non præstare plus dignitatis suis operationibus,

quam

quam grauitatis ſit in offenſa, conſequens ſit, vt iuſtè exigatur à Deo ſatisfactio Chriſti pro offenſa in ipſum commiſſa, quamuis dignitas, aut valor ſatisfactionis Chriſti offenſæ in Deum commiſſæ grauitatē excedat. Præterquamquòd cum Chriſtus voluntariè ſe obtulerit Patri in fideiuſſorem pro hominibus, & ad ſatisfaciendum pro illis, iuſtè illius ſatisfactio fuit à Deo poſtulata in recompenſationem pro offenſa in ipſum cō miſſa, etſi valor ſatisfactionis à Chriſto Domino exhibitæ, non ſolum adæquet, ſed etiam excedat grauitatem offenſæ; ſcienti enim, & volenti iniuria non fit: vndè, cum Chriſtus voluntariè ſe obtulerit, potuit Deus abſque iniuria illius, ſatisfactionem, eſto excedentem, exigere.

DISPVTATIO QVINTA.

Vtrùm ſatisfactio Chriſti fuerit ex toto rigore iuſtitiæ.

§. I.

Referuntur ſententiæ, vera eligitur, & probatur.

1. NOn defeciſſe ſatisfactionem Chriſti à rigore iuſtitiæ ex defectu æqualitatis conſtat ex dictis *diſp. præcedēti*, vbi non ſolū æqualentē, ſed etiam ſuperabundantem fuiſſe cum cōmuni Theologorum ſententia monſtrauimus, in eoque conueniunt omnes Theologi dubijs antecedentibus pro noſtra ſententia relati; quia tamen vt ſatisfactio aliqua ſit de rigore iuſtitiæ, præter æqualitatem, requiruntur plura, vt quòd ſit ad alterum iure, & ex non acceptis gratuito à creditore, ex proprijs, & ex non debitis, vt communiter aſſerunt Theologi; idcirco examinata in præcedētibus infinitate ſatisfactionis Chriſti, & illius ſufficientia, & ſuperabundantia, in dubium in præſenti vocamus, an fuerit, non ſolum æqualis, & ſuperabundans, ſed etiam adeò perfecta in ratione ſatisfactionis, vt fuerit de toto rigore iuſtitiæ, ideſt, an in illa omnes conditiones ad rigorem iuſtitiæ in ſatisfactione exactæ cōcurrerint? Qua in re duplex inter Theologos circunfertur ſententia. Prima docet, fuiſſe quidē ſatisfactionem Chriſti perfectam de rigore meriti, & condignitatis; quia æqualis, & ſuperabundans fuit pro

Prima ſēntentia.

offenſa

offenta irrogata Deo; non autē fuisse perfectam de rigore iustitiæ, eo quòd nulla ex conditionibus exactis ad rigorem iustitiæ illi conuenit præter æqualitatem, seu condignitatem. *Molina* Hanc tenent Molina 1. *p. q.* 21. *art* 1. *Lessius. Vaz.* §. *quinto addendum.* Lessius *de perfectionib. diuinis cap.* 2. *num.* 12. Vazquez *in præsenti disput.* 7. & 8. pro illa *Medina Lorca. Lugo.* referens Ioannem de Medina, Lorca *disp.* 8. Lugo *disp.* 3. & 4. quos plures alij Recentiores sequuntur.

2. *Secunda sẽtentia* Secunda sententia docet, non solum fuisse perfectam condignitate, sed etiam de toto rigore iustitiæ, eò quòd nō solum fuit æqualis, & superabundans pro offensa, sed etiam omnes conditiones exactæ ad rigorem iustitiæ in satisfactione Christi concurrunt. Hæc sententia frequentior est apud Theologos, illam ex Antiquioribus Thomistis tuentur Capreo. *Capreo.* lus *in* 4. *Sententiar. dist.* 15. *q.* 1. *art.* 3. *Soto.* Soto *dist.* 19. *q.* 1. *art.* 2. & *lib.* 3 *de natura, & gratia cap.* 6. Ferrara 4. *Contra gentes cap.* 55. omnesque Recentiores nostri *in hac q. art.* 2. *Ferrar.* Medina *dub.* 3. Aluarez *disp.* 4. *concl.* 2. *Medina Alvar.* Nazarius *contro.* 2. *in* 3. *p. controuersia.* Magister Luna *in additionib. ad Magistr. Nazar. M. Luna.* Molina *dub.* 8. Cornejo *disput.* 5. *dub.* 7. 8. & 9. Illustrissimus Araujo *dub.* 5. & 6. Vincentius *relectione de Gratia Christi q.* 5. *dub.* 3. Tenent etiam ex discipulis Scoti Vega *in Tridentin. lib.* 7. *à cap.* 1. & ex Patribus Societatis Valentia *puncto* 5. *quæsito* 4. Suarez *disput.* 4. *sect.* 5. Hurtado *disp.* 12. plurēque alij Recentiores ex eadem familia. *Cornejo. Araujo. Vincent. Vega. Valent. Suarez. Hurt.*

3. *Cõclusio probatur.* Quorum sententia pro conclusione statuitur, illamque ostendo primo; nam iuxta Scripturā, & Patres Christus satisfecit pro hominibus satisfactione ex iustitia perfecta; sed nequit esse satisfactio ex perfecta iustitia, nisi sit de rigore iustitiæ: ergo satisfecit ex toto rigore iustitiæ. Consequntio est legitima, minor constat; etenim defectus à rigore iustitiæ est defectus à perfectione iustitiæ: ergo si satisfactio Christi fuit de perfecta iustitia, fuit de toto illius rigore, nec vlla ex conditionibus exactis ad rigorem iustitiæ fuit defuit; maiorem autem probo ex Paulo 1. *ad Corinth.* 1. vbi de Christo loquens sic ait. *Qui factus est nobis sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio*; & ad Romanos 3. illis verbis: *Quem*, nempè Christum, *proposuit propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ.* Ex quibus apertè constat, Christum pro peccatis hominum satisfeciisse ex iustitia; sed non ex iustitia imperfecta, aliàs imperfectè pro nobis satisfeciisset: ergo satisfactio Christi fuit ex perfecta iustitia. Consonant Ecclesiæ Patres Augustinus *lib.* 13. *de Trinitate*, vbi docet, Diabolum à Christo, non potentia, sed iustitia victum, & superatum fuisse. Id ipsum docet *cap.* 14. & *lib. de Ciuitate Dei cap.* 10. & *in Enchiridione cap.* 49. Basilius *homil.* 25. Cyprianus *in expositione Symboli*, Athanasius *lib. de Incarnatione*, Anselmus *lib.* 2. *cur Deus homo*, & alij, quos lato calamo refert Vincentius vbi *supra concl.* 1. *pag.* 267. 1. *Cor.* 1. *Rom.* 3. *S. Aug.* *Basil. Cypr. Athan. Anselm.*

4. *Solutio.* Dices, Scripturam, & Ecclesiæ Patres loqui de iustitia perfecta perfectione æqualitatis, & condignitatis, quia nempè satisfactio Christi fuit æqualis, imò & superabundans pro peccatis omnium hominum, non autem de iustitia perfecta perfectione rigoris iustitiæ; nam ad hoc requirebatur, quòd omnes conditiones ad rigorem iustitiæ requisitæ satisfactioni Christi competerent; quod tamen est falsum, Ideoque perfecta de rigore iustitiæ non fuit, sed tantum perfecta perfectione meriti æqualitatis, & condignitatis.

5. *Reijcitur primo.* Sed contra primò; nam melius explicantur Scripturæ Sacræ, & Sanctorum PP. verba, concesso Christi satisfactioni, quòd sit perfecta ex toto rigore iustitiæ, quam solum ei cōcessa perfectione condignitatis, & æqualitatis, & aliàs ex eo quòd non solum æqualitas, sed etiam rigor iustitiæ ei attribuatur, nullum absurdum, vel inconueniens infertur: ergo accipienda sunt Scripturæ, & PP. verba de perfecta iustitia, non solum perfectione æqualitatis, seu condignitatis, sed etiam perfectione rigoris iustitiæ;

ita

ita vt conditiones omnes ad rigorem iuſtitiæ in ſatisfactione exactæ in ſatisfactione Chriſti conuenerint. Contra ſecundò; nam conditiones requiſitæ, vt actio aliqua, vel ſatisfactio ſit de toto rigore iuſtitiæ, etiam neceſſariæ ſunt ad perfectam æqualitatem: ergo vel ſatisfactio Chriſti non fuit perfecta perfectione æqualitatis, & condignitatis ex defectu talium conditionum, quod negant contrarij Auctores, vel fuit de toto rigore iuſtitiæ. Conſequentia eſt bona; antecedens autem probo; eo enim ipſo quòd reſtitutio in humanis (ex qua argumentum ad ſatisfactionem deſumimus) non ſit ad alterum, nec excludat gratiã creditoris, nec ex proprijs fiat, nec ſit ex alio titulo indebitis, æqualis eſſe non poteſt, vt inter ſoluendum argumenta videbimus: ergo omnes cõditiones, quæ ad rigorem iuſtitiæ ſunt in ſatisfactione neceſſariæ, etiam requirũtur ad æqualitatem perfectam, & conſequenter, vel ſatisfactio Chriſti perfecta æqualitate non fuit, vel fuit perfecta perfectione rigoris iuſtitiæ. Denique, nam conditiones omnes, quæ ad rigorem iuſtitiæ ſunt neceſſariæ, ſatisfactioni Chriſti competere ex argumentorum ſolutione cõſtabit: ergo ſine vrgenti neceſsitate verba Scripturæ, & Patrum coarctantur ad perfectionem ſolius æqualitatis, & condignitatis, & conſequenter ſunt accipienda de perfectione rigoris iuſtitiæ, & vtraque perfectio eſt ſatisfactioni Chriſti adſcribenda.

Reijcitur ſecundo.

§. II.

Occaſione primi argumenti examinatur prima conditio, & ſatisfactioni Chriſti accommodatur.

6. *Primum argumẽtum.*

CONTRA noſtram concluſionem arguitur primò; nam ad ſatisfactionem de rigore iuſtitiæ perfectam requiritur eſſe ad alterum re, vt docet Ariſtotel. 5. *Ethic. cap.* 1. 2. & 6. vbi ait, iuſtitiam, & iniuſtitiam eiuſdem ad ſeipſum eſſe non poſſe, & D. Thom. 2. 2. *q.* 57. *artic.* 1. & *q.* 58. *art.* 1. & 2. & cum illis communiter Philoſophi, & Theologi; ſed ſatisfactio Chriſti Domini nõ fuit ad alterum re; etenim ſatisfaciens fuit ſuppoſitum Verbi in humanitate ſubſiſtens, & Deus eſt, cui facta fuit ſatisfactio; inter Verbum autem, & Deũ offenſum, cui ſatisfactio fuit facta, diſtinctio realis non eſt, alias hæc eſſet falſa, ſuppoſitũ Verbi eſt Deus, quod eſt cõtra fidem: ergo ſatisfactio Chriſti non fuit de rigore iuſtitiæ, quandoquidem ei defecit prima, & principalis conditio ex ijs, quæ ad rigorem iuſtitiæ neceſſariò requiruntur.

Ariſt. S. Tho.

Huic argumento variè occurritur à Theologis: prima illius ſolutio eſt aliquorum, quos ſine nomine refert Vincentius *loc. vbi ſupra pag.* 278. aſſerentium, Chriſtum non ſibi, ſed Patri ſatisfeciſſe, à quo diſtinctione reali perſonali diſtinguitur, quamuis non diſtinguatur ab hoc Deo tribus perſonis communi. Hanc tamen ſolutionem, vt improbabilem reijciunt Vincentius, & alij Theologi communiter. Primò, nam ſatisfactio illi fit, qui eſt per peccatum offenſus; ſed peccatum per ſe primò non offendit Patrem, vt diſtinctum perſonaliter ab alijs perſonis, ſed Deum, & ex conſequenti omnes perſonas Trinitatis; Deus enim per peccatum offenditur, quatenus Legislator eſt, cuius legem peccatũ trasgreditur, & in illius tranſgreſsione conſiſtit, & prout eſt vltimus finis, à quo peccans mortaliter per peccatum avertitur, vltimum finem in creatura conſtituens; quæ duæ rationes non cõueniunt per ſe primò Patri, prout perſonaliter diſtincto à Filio, & à Spiritu Sãcto, ſed huic Deo, vt cõmuni tribus perſonis per ſe primò conueniunt, & ex conſequenti tribus perſonis diuinis: ergo ſatisfactio Chriſti non fit per ſe primo Patri, vt perſonaliter à Filio diſtincto, ſed Deo fit per ſe primò, & ex conſequenti ſibi, Spiritui Sancto, & Patri.

7. *Prima Theologorũ ſolutio. Vincẽt.*

Reijcitur primò.

Secundò reijcitur; nam illi fit per

8. *Secũdò.*

ſe

se primò satisfactio, qui gratiam largitur, & offensam remittit; sed largiri gratiam, & offensam remittere non competit per se primò alicui ex diuinis personis, prout personaliter ab alijs distinctæ, sed huic Deo, vt tribus communi, & ex consequenti personis; nã opera Trinitatis ad extra iuxta commune Theologorum axioma indiuisa sunt, & omnibus personis communia; remittere autem offensam, & largiri gratiam est opus ad extra: ergo satisfactio, siuè Christi, siuè alterius puræ creaturæ nõfit per se primò Patri, prout personaliter à Filio distincto, sed Deo, vt communi tribus personis, & ex cõsequenti omnibus personis diuinis, ac perconsequens Verbũ, vt in humanitate subsistens, non solum Patri, sed etiam sibi satisfecit.

9. *Tertiò.* Præterea, nam ex oppositò fieret, Verbum omninò gratis, Patrem autem ex iustitia remittere offensam hominibus: consequens absurdum est, & omninò implicatorium: ergo & tradita solutio. Sequela est manifesta; etenim solus ille ex iustitia remittit offensam, cui satisfactio condigna exhibetur pro illa: ergo si satisfactio Christi, quæ sola cõdigna esse potuit, non fuit facta personæ Verbi, sed solummodo Patri, solus Pater ex iustitia remisit offensam, Verbum autem gratis omninò. Consequentis autem falsitas non minus apertè conuincitur, ex eo quòd actus remittẽdi offensam, sicuti, & largiendi gratiam, est actus voluntatis diuinæ, non vt notionalis est, & vt determinata per aliquam ex diuinis personis, sed vt absoluta est, & omnibus personis communis: ergo non stat, Patrem remittere offensam hominibus ex iustitia, quin etiam Verbum ex iustitia offensam remittat, nec Verbum remittere offensam gratis, quin Pater etiam gratis remittat offensam.

10. *Quartò.* Denique, nam ex tradita solutione infertur, satisfactionem Christi cõdignam, & perfectam pro hominum peccatis non fuisse. Consequens absurdum est: ergo & tradita solutio. Probatur sequela: satisfactio, per quam non fit satis omni creditori, cõdigna, & perfecta satisfactio esse nequit; sed si Christus non sibi, sed soli Patri, vt personaliter distincto ab alijs personis satisfecit, non fecit sua satisfactione omni creditori satis: ergo satisfactio illius perfecta, & condigna non fuit. Maior cum consequentia tenet; minor autẽ probatur; nam creditor pro peccato, vel ratione peccati est ille, qui per peccatum est iniuriatus; sed non solus Pater, sed etiam Filius per peccatum iniuriatus fuit: ergo creditor ratione peccati, cui satisfaciẽdum est, non est solus Pater, sed etiam Filius est creditor, & consequenter si Verbum solum Patri satisfecit, non fecit sua satisfactione omni creditori satis. Asserendum ergo est, Christum per se primò huic Deo satisfeciſſe, & ex consequenti tribus diuinis personis.

Nec obstat, actiones Christi satisfactorias, & alias, quæ specialiter ad nostram redemptionem conducunt, specialiter in Scriptura attribui Patri diuino, vt patet ex illo ad Ephesios 2. *Per quem*, id est, per Christum, *habemus accessum ad Patrem.* 1. Ioann. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem.* Matthæi 11. *Et Pater vester, qui est in cælis, dimittet vobis peccata vestra.* Lucæ 23. *Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt.* In quibus locis, & sæpè alibi insinuari videtur, solius Patris esse hominum peccata remittere, & consequenter soli Patri satisfactionem suam Christum exhibuisse. Non, inquam, obstat, quia vt benè aduertit Magister Vincentius ibi, ea, quæ maiestatis sunt, & auctoritatis, etsi reuera communia sint tribus diuinis personis, Patri per accommodationem attribuuntur, quia est sine principio principium, sicut ea, quæ ad scientiam attinent Filio, & ea, quæ ad amorem spectant Spiritui Sancto accommodatur; quia Filius per intellectum procedit, & Spiritus Sanctus per voluntatẽ, etsi ea, quæ ad scientiam, & amorẽ spectant, re vera communia sint tribus personis diuinis, de quo D. Tho. 1. p. q. 39. art. 7. & 8. Et quia satisfactio respicit maiestatem offensam, & peccata dimittere auctoritatem præ-

11. *Obijcies* *Ad Eph.* 2. *1. Ioan.* 2. *Matth.* 11. *Luc.* 23

Respondetur.

S. Tho.

ſeſert, ideò, etſi toti Trinitati conueniat, quòd illi ſatisfactio fiat, & peccata dimittere: Patri per accomodationem tribuuntur. Addit etiam Vincentius alia non incongrua ratione, hæc à Chriſto Domino attribui Patri diuino, quia nempè Verbum, & Spiritus Sanctus viſibilitèr in hoc mũdo apparuerunt; Verbum quidem in humana natura, & Spiritus Sanctus in columbæ ſpecie, Pater autem inuiſibilis manſit. Ne ergo homines cogitarent, Patrem, quia viſibilis nobis non apparuit, ad redemptionis opera non attinuiſſe, idcirco *in præallegatis locis*, non ſibi, nec Spiritui Sancto ſatisfactionem, & peccatorum remiſſionem attribuit, ſed Patri.

12. *Secũda ſolutio aliorum*

Aliorum ſolutio eſt, de ratione iuſtitiæ inter homines eſſe, quòd inter extrema realitèr diſtincta verſetur, & quòd ſit ad alterum re; non autem de ratione iuſtitiæ ex communi conceptu, nec de ratione iuſtitiæ Chriſto cõueniẽte in ordine ad Deũ, & ex qua pro peccatis hominum ſatisfecit, quæ quidem, cum altioris ordinis ſit, non mirum, quòd nõ expoſcat omnes illas cõditiones, quas iuſtitia inter homines petit. Cuius ſolutionis doctrina hoc exemplo iuuari, & confirmari poteſt; amicitia namque inter homines inter ſuppoſita realitèr diſtincta, & naturas realitèr diuerſas petit verſari; & tamen hoc non petit amicitia ex communi conceptu ad diuinam, & humanam, vt conſtat in amicitia diuina; tres nãque diuinæ perſonæ ſe diligunt mutuo, & amicabili amore; inter quas tamen diſtinctio realis naturarum nõ eſt, ſed tantum ſuppoſitorum cum omnimoda idẽtitate in natura. Pariter ergo, quamuis iuſtitia inter homines, & inter puras creaturas realem extremorum diſtinctionẽ expoſcat, & eſſe ad alterum re; id tamen non petit iuſtitia ex communi conceptu, nec in iuſtitia Chriſti ad Deũ, ex qua ſatisfecit pro hominibus, quæ altioris ordinis eſt, reperitur.

Simile in fauorem ſolutionis.

13. *Reijcitur primo.*

Cæterum hæc ſolutio diſplicet communitèr Theologis, & reijcitur primò; ſi namque conditio eſſendi ad alterum re, petendique inter extrema realitèr diſtincta verſari, quã Ariſtoteles *loco vbi ſupra* pro rigoroſa iuſtitia aſſignauit, negatur iuſtitiæ Chriſti, qua Deo ſatisfecit pro hominibus, eò quòd altioris ordinis eſt ad iuſtitiam inter homines, & inter alias puras creaturas, eadem ratione omnes alias conditiones ad rigoroſam iuſtitiam exactas ab ea licebit excludere; ſed hoc abſque vllo firmo fundamento dicetur: ergo abſque illo etiam aſſeritur, Chriſti iuſtitiam ad Deum alietatem realem inter ſatisfacientẽ, & illum, cui fit ſatisfactio, nõ petere. *Ariſt.*

Reijcitur ſecundò.

Deindè, nam eadem ratio eſt de iuſtitia, ac de iniuſtitia quoad hoc, quòd eſt inter extrema realitèr diſtincta verſari, & eſſe ad alterum re; ſed repugnat, eiuſdem ad ſe ipſum eſſe iniuſtitiam; nemo enim iniuſtitiam patitur volens; eo autem ipſo quòd quis ſibi iniuriam aliquam irrogaret, non pateretur illam invitus, ſed volens, & conſequentèr non faceret ſibi iniuſtitiam: ergo iuſtitia non ex peculiari conceptu, ſed ex conceptu communi, & ex propria ſua ratione formali petit eſſe ad alterum re, & inter extrema realitèr diſtincta verſari, & conſequentèr hæc conditio neganda non eſt iuſtitiæ, quia Chriſtus vt homo Deo pro hominibus ſatisfecit.

14. *Reijcitur tertiò.*

Denique, nam ratio, ob quã iuſtitia realem diſtinctionem expoſcit, eſſeque ad alterum re, eſt, quia petit verſari inter extrema diſtinctorum iurium, & eſſe ad alterum iure, vt cõſtat ex diffinitione iuſtitiæ, qua aſſeritur, quòd eſt conſtans, & perpetua voluntas, ius ſuum vnicuique tribuendi: diſtinctio autem iurium petit ad minus realem diſtinctionem naturarum, eo quòd diſtinctio iurium petit dominia diuerſa, diuerſa dominia diſtinctum intellectũ, & diſtinctam voluntatem expoſcunt; diſtinctio autẽ intellectuum, & voluntatum petit naturas diſtinctas: vndè inter diuinas perſonas, quia ſunt eiuſdem naturæ, eiuſdem intellectus, & voluntatis diuerſa dominia non dantur, ſed vnum, & idem: at hæc ratio militat in omni iuſtitia, vt cõſtat ex diffinitione iuſti-

tiæ

tiæ in communi: ergo realis extremorum distinctio est omni iustitiæ communis, & consequentèr debet iustitiæ Christi competere.

15. *Ad exēplū respōdetur*

Nec exemplum in confirmationem, & fauorem doctrinæ solutionis adductū aliquid iuvat: tùm, quia amicitia diuinarum personarum inter extrema realitèr suppositalitèr distincta versatur: ergo exemplo adducto non rectè probatur, eiusdem ad se ipsum omninò absque vlla reali distinctione esse posse iustitiam: tùm etiam, quia ratio, ob quam amor amicitiæ inter suppositā eiusdem naturæ esse potest, secus autem iustitia, sed necessariò petit realem naturarum distinctionē, est manifesta; quia nempè amicitia super conuenientiam, & similitudinem fundatur inter extrema, quæ vinculo amicitiæ nectuntur; iustitia autem petit inter extrema iuris diuersi versari, vt constat ex dictis. Cum autem inter suppositā eiusdem naturæ maxima sit conuenientia, vtpotè ad identitatem pertingens, quæ suprema conuenientia, & similitudo est, esse autem non possit inter extrema eiusdem naturæ iuris, & dominij diuersitas, cum hæc necessariò petat realem voluntatum distinctionem, & consequentèr realem naturarum diuersitatem, consequens sit, quòd amicitia inter suppositā eiusdem naturæ esse possit; secus autem iustitia, sed necessariò petat distinctionem naturarum.

16. *Tertia solutio Patris Vazq.*

Tertio alij respondent, non Verbum prout in humanitate subsistens, sed humanitatem esse, quæ satisfacit, & cui satisfactio attribuitur, non solum vt principio *quo* operandi, sed etiam vt principio *quod*, talitèr vt supposito Verbi remotè solum, & per communicationem idiomatum satisfactio attribuatur: inter humanitatem autem satisfacientem, & Deum, cui satisfactio fit, realis invenitur distinctio, & consequentèr non deest satisfactioni Christi, quòd sit ad alterum re, realisque distinctio extremorum ad rigorem iustitiæ in satisfactione exacta. Ita Vazquez *disput. 9. cap. 2. num. 13. & cap. 7. num. 86.* quem nōnulli Recētiores sequuntur. Quòd autem humanitas fuerit satisfaciens, non solum vt *quo*, sed etiam proximè vt *quod*, suadere nituntur primò ex illis verbis Pauli *epist. 1. ad Corint. cap. 1. Factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio.* Quæ verba de Christo Domino intelliguntur, & Athanasius *in epist. ad Epictetum*, ea de humanitate Christi Domini intellexit, & explicuit, dicens, factam fuisse nobis sapientiam, sanctificationem, iustitiam, & redēptionem; sed de Christo verum est dicere fuisse nobis redemptionem, vt *quod*, ideſt, nos vt *quod* redemisse: ergo iuxta Athanasium Christi humanitas fuit nobis redemptio, vt *quod*, ideſt, nos vt *quod* redemit, & consequentèr vt *quod* satisfecit pro nobis.

Motiua solutionis. 1. Cor. 1. Athan.

Secundò ex D. Thoma *infra q. 26. art. 2.* vbi docet, Christum non fuisse mediatorem, vt Deum, sed vt hominem; sed particula *vt* non specificatiuè, sed reduplicatiuè intelligitur: tùm, quia Christus vt homo ly *vt* accepto specificatiuè, est Deus, & consequentèr ly *vt* specificatiuè accepto, non saluatur veritas propositionis negatiuæ, nempè non fuisse Christum mediatorem, vt Deum. Tùm etiam, quia D. Thomas statim adiunxit, munus redemptoris ad diuinitatem remotè pertinuisse: ergo Christus vt homo reduplicatiuè satisfecit pro nobis vt *quod*, & consequentèr humanitas vt *quod* satisfecit. Patet consequentia, nam sub ea ratione Christus satisfecit pro nobis, sub qua fuit mediator inter homines, & Deū: ergo si ratio mediatoris conuenit humanitati, vt *quod*, humanitas satisfecit, vt *quod*

17. *Secūdū motiuū.*

Tertiū.

Præterea, nam cum satisfactio sit actio satisfactoria illud fuit principiū *quod* satisfactionis, quod fuit principium proximum *quod* operationis; sed principium proximum *quod* actionum, quæ ab humanitate eliciuntur, non est Verbum, sed humanitas; Verbum enim non magis influit in operationes humanitatis, quam aqua calida influit in calefactionē, cuius principium proximum *quod*, nō est aqua, sed calor, ita vt aquæ solum denomi-

Quartū.

natiuè attribuatur: ergo satisfaciens proximum *quod*, non fuit Verbum, sed humanitas, Verboque solum denominatiuè, & per communicationem idiomatum satisfactio attribuitur. *Quintũ.* Denique, nam satisfactio Christi potuit non acceptari à Deo; sed si satisfaciens proximum *quod* esset Verbum, & non humanitas, non posset illius satisfactio à Deo non acceptari; nam si persona regia Regi offensa æqualem satisfactionẽ offerat pro iniuria ipsi irrogata, nõ potest à Rege offẽsa illius satisfactio respui, seu non acceptari: ergo satisfaciens proximum *quod*, non Verbũ, sed humanitas fuit.

18. *Reiciuntur primo solutio. P. Vazq. Suarez. Vincẽt. Alvar. Nazar.*

Hanc tamen doctrinam vt falsam reijciunt Suarez *disp. 4. sect. 5.* Vincentius in *allegata q. 5 dub. 3. pag. 379.* & Aluarez *disp. 5.* omniumque optimè illam impugnat Nazarius in *præsenti controu. 3.* vbi eam nedum falsam, verũ, & erroneam, & hæresi proximam censet. Sed quidquid sit de censura, cõmunis Theologorum sentẽtia docens, humanitatem nõ esse principiũ *quod*, sed principium *quo* satisfactionis, Verboque vt in humanitate subsistenti vt principio *quod* satisfactionẽ attribui, breuitèr ostẽditur primò ex illis testimonijs Scripturæ, in quibus satisfactio Christo Dno attribuitur, *ad Galatas 3.* illis verbis: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* 1. ad Timot. 2. *Vnus est mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus.* 1. Ioann. 2. *Ipse*, nempè Christus, *est propitiatio pro peccatis nostris*, & alibi sæpè. Ex quibus testimonijs tale argumentũ cõtra præfatam solutionem, & doctrinam consurgit. Verba Scripturæ Sacræ interpretanda, & accipienda sunt cum toto rigore, & proprietate sermonis, quando ex illorum rigorosa intelligentia, & propria illorũ acceptione nullum sequitur inconueniens; sed testimonia allegata cum rigore, & proprietate intellecta denotant, suppositũ Verbi vt in humanitate subsistens, nõ autem humanitatem ipsam satisfecisse pro nobis vt *quod*, fuisseque principium *quod* satisfactionis, & aliàs ex eo, quòd sic accipiantur, nullum inconueniens sequitur, nec absurdum aliquod potest inferri: ergo non humanitas Verbo hypostaticè vnita, sed Verbũ in illa subsistens fuit principiũ *quod* satisfactionis, & pro nobis vt *quod* satisfecit. Maior cum consequentia tenet; minor autem probatur: vt enim propositio aliqua in proprietate sermonis, & in illius rigore sit vera, necessariò requiritur, quòd prædicatum conueniat vt *quod* illi pro quo vt *quod* subiectum supponit, cum prædicatum, & subiectum pro eodẽ supponere debeant; sed hoc nomen *Christus* nõ pro humanitate, sed pro Verbo vt in illa subsistẽte supponit: ergo vt vera sit hæc propositio, *Christus satisfecit pro nobis*, debet satisfactio cõuenire vt *quod* Verbo vt in humanitate subsistenti, Verbumque vt subsistens in humanitate esse satisfaciẽs vt *quod*. Minor, in qua est difficultas, ostenditur primò; vt enim docet D. Thom. *infra q. 16. art. 1. 2. 5. 9. & 10.* nomen concretum, nõ pro natura, sed pro subsistente in illa supponit, v. g. hoc nomen *homo*, quia nomẽ concretũ est, non supponit pro humanitate, sed pro supposito in humanitate subsistente, licet de formali humanitatẽ significet, sicut hoc nomẽ *album*, quamvis de formali significet albedinem, non pro albedine supponit, sed pro corpore illam habente.

Ad Gal. 3. 1. Ad Ti. mot. 2. 1. Ioan. 2.

Probatur primo, qà. humanitas nõ satisfecit, sed suppositũ in illa subsistens.

Ex quo nascitur, vt hæc propositio *album est albedo*, sit falsa, quia prædicatum, & subiectum non supponũt pro eodem, quod ad veritatem propositionis requiritur. Et hoc nomen *Deus*, quia nomen concretum est, non supponit pro Deitate, sed pro habente Deitatem: vnde hæc propositio *Deus genuit Deum*, est catholica, & vera; hæc autem falsa, & hæretica *Deitas genuit Deitatem*; quia in prima fit sensus, quòd Pater, qui Deus est, genuit Filium, qui etiam est Deus; in secunda autem fit sensus, quòd Deitas Deitatem genuerit, & quòd natura diuina fuerit per generationem producta, quod hæreticum est. Quod non aliundè prouenit, nisi ex diuersa nominum suppositione, quia nempè hoc nomen *Deus* non supponit pro natura, sed pro habente naturam, nomen autem

Deitas non pro habente naturam, sed pro ipsa natura, nempè Deitate supponit; at ly *Christus* est nomen concretum: ergo non supponit pro humanitate, sed pro supposito Verbi, vt in illa subsistente.

19. S. Tho. Secundò probatur minor; nam hæc propositio: *Verbum Dei assumpsit hominem* in proprietate sermonis est falsa, vt docet D. Thomas *infra q. 4. art. 3.* cui ferè omnes Theologi cõsentiunt, in eo gradu certitudinis, vt opposita doctrina tanquam erronea, vel errori proxima, vel ad minus tanquam scandalosa, & temeraria in Vniuersitate Complutensi, Valli-Soletana, & in hac celebri Academia damnata, & explosa fuerit. Cuius ratio est, quia non assumpsit suppositum hominis, nec humanitatem vt in supposito, sed solum assumpsit naturam; homo autem, quia nomen concretum est, non pro natura humana, sed pro supposito naturam humanam habente supponit; sed nomẽ *Christus* est nomen concretum: ergo non supponit pro natura humana, sed pro supposito Verbi, vt in illa subsistente. Et augetur difficultas; licet enim humanitas fuerit assumpta à Verbo; quia tamen Verbum non assumpsit suppositum humanum, sed solum humanitatem, hæc propositio *Verbum Dei assumpsit hominem* est falsa in rigore, & proprietate sermonis accepta, & solum vt vera admittitur in sensu improprio, & metaphorico, sumpto cõcreto pro abstracto, iuxta figuram synodechen, qua pars pro toto, & totum pro parte accipitur: ergo si humanitas satisfecit, vt *quod*, & non Verbum, vt in illa subsistens, hæc propositio *homo satisfecit pro nobis* erit in rigore falsa, & consequenter etiam hæc propositio *Christus nos redemit, & pro nobis satisfecit*, vera esse non poterit in rigore, & proprietate sermonis, sed solum in sensu metaphorico, & improprio, quod asserendũ non est, & cõsequẽter vt testimonia Scripturæ satisfactionẽ Christo attribuentia sint cum proprietate vera, debemus asserere, non humanitatem, sed Verbum vt in illa subsistens, vt quod nos redemisse, & pro nobis satisfeciſſe.

20. *Euasio.* Dices: ad veritatem istius propositionis *Christus satisfecit pro hominibus*, & aliorũ, quæ in Scriptura passim reperiũtur, quibus satisfactio, & redẽptio Christo attribuitur, sufficere, quòd Verbũ, vt in humanitate subsistẽs satisfaciat vt *quod*, nõ proximè, sed remotè; hoc autẽ modo vt *quod* satisfecisse nõ negari à contrarijs Auctoribus; ac proindè in illorũ sententia saluatur, non solum veritas, sed etiam proprietas verborum Sacræ Scripturæ, etiam si humanitas, & non Verbum sit satisfaciens proximum *quod*. Sed contra, nam suppositum Verbi, vt in humanitate subsistens satisfacere remotè, vt *quod*, nihil est aliud in contrariorũ sententia, quam sustentare humanitatẽ satisfacientem proximè, vt *quod*, sicut aquam remotè vt *quod* calefacere, est sustentare calorem calefacientẽ proximè, vt *quod*; sed hoc non sufficit, vt cum proprietate dicatur, *Christus satisfecit pro hominibus, illosque à peccatis redemit*: ergo non saluatur proprietas verborum Sacræ Scripturæ redemptionem hominum Christo attribuentiũ in eo sensu, in quo à cõtrarijs accipiuntur. Maior continet contrariorum doctrinam, minorem autem probo; quia nãque aqua calida ad calefaciendum concurrit solum sustentando calorem calefaciẽtem, vt *quod* in contrariorum sententia, nõ est verum cum proprietate dicere, *aqua calefacit*: ergo si Verbum concurrit ad satisfaciendum, solum quia sustentat humanitatem satisfacientem, vt *quod*, hæc propositio: *Verbum satisfecit pro hominibus, illosque à peccatis redemit*, non est cum proprietate vera; & consequenter non poterit cum proprietate verificari de Christo, satisfeciſſe pro nobis, nosque à peccatis redemisse.

Præcluditur.

21. *Secundo.* Secundo probatur: de illo verificatur cum proprietate satisfeciſſe pro nobis, de quo est verum cum proprietate dicere, mortuum, & sepultum esse; sed solum de supposito Verbi, vt in humanitate subsistente, non verò de humanitate ipsa cum proprietate dicitur, esse mortuum, & sepultum

ergo non de humanitate, ſed de ſuppoſito Verbi, vt in illa ſubſiſtente cum proprietate affirmatur pro nobis ſatisfeciſſe, noſque à peccatis redemiſſe. Maior conſtat: tùm à paritate rationis: tùm etiam, quia media paſſione, & morte, effecta, & conſumata fuit ſatisfactio, & conſequentèr hæc illi cum proprietate attribuitur, de quo ſepultura, mors, & paſsio cum proprietate affirmantur. Minor autem probatur; mori namque ei ſoli cum proprietate conuenit, cui cum proprietate conuenit nasci; ſed naſci ſolum de hypoſtaſi cum proprietate enuntiatur, vt docet Diuus Thomas *infra quæſtione 35. articulo primo*, & S. Tho. probatur, eo quòd de eo ſolum cum proprietate dicitur naſci, de quo cum proprietate enuntiatur filiatio, eſſe autem filium, non de humanitate, ſed de hypoſtaſi, vt in illa ſubſiſtente, cum proprietate affirmatur, & conſequenter naſci, vel natum, aut genitum eſſe, non de natura, ſed de hypoſtaſi, vt in illa ſubſiſtente, dicitur cum proprietate; ergo ſolum de ſuppoſito Verbi, vt in humanitate ſubſiſtente, cum proprietate dicitur, mortuum, & ſepultum eſſe, & conſequentèr ſolum de illo cum proprietate aſſeritur, pro nobis ſatisfeciſſe.

22. *Tertiò.* Denique probatur; actiones enim ſunt ſuppoſitorum, ſeu ſubſiſtentium; ſed ſatisfacere eſt agere: ergo conuenit, vt *quod*, non humanitati, ſed Verbo vt in illa ſubſiſtenti. Maior, in qua eſt difficultas, oſtenditur primò ex D. Thom. S. Tho. *in prim. ſent. diſtinctione 5. quæſtione prima articulo primo*, illis verbis: *Actiones ſunt ſuppoſitorum, & eſſentia non agit, ſed eſt principium actus in ſuppoſito; non enim humanitas generat, ſed ſortes virtute ſuæ naturæ; in creaturis autem eſſentia realiter differt à ſuppoſito, & ideo nullus actus propriè de eſſentia prædicatur, niſi cauſaliter.* Quod etiam docuit, *quæſtione 20. de Veritate articulo primo ad ſecundum*, *2.2. quæſt. 58. art. 2.* in hac *3. p. infra q. 19. art. 1. ad 3. q. 20. art. 1. ad 2. q. 35. art. 1.* & alibi ſæpè. Deindè, nam Ioannes Theologus in Concilio Florentino *ſeſſ. 18. §. Ego affirmaui*, indè Ioannes Theol. Concil. Florent. probat, aſſentiente Concilio, diuinitatem non generare, quia actiones ſunt ſuppoſitorum; diuinitas autem non eſt ſuppoſitum, ſed natura, ex qua, & ſubſiſtētia ſuppoſitum conſtituitur: ergo ex mente Ioannis Theologi, & Concilij Florentini illi aſſentientis naturæ non conuenit agere, vt *quod*, ſed vt *quo*; ſuppoſito verò vt *quod* operatio cum proprietate attribuitur.

23. *Quartò.* Præterea; non enim alitèr cōcurrit natura creata ad creatas operationes, ac natura increata ad operationes increatas; ſed natura diuina ſumpta formaliter, prout à perſonis diſtincta, non concurrit ad operationes increatas, vt *quod*, ſed tantum vt *quo*, alias hæc propoſitio eſſet vera: *Deitas generat Deitatem*, quod eſt abſurdum: ergo natura creata ad proprias operationes non concurrit, vt *quod*, ſed tantum vt *quo*: ſuppoſitum autem quatenus in illa ſubſiſtens eſt, quod vt *quod* ratione naturæ operatur. Denique id ipſum probatur ratione ſumpta ex doctrina D. Thomæ *infra q. 35. art. 1.* cum enim operari conſequatur ad eſſe, illi tantum conuenit propriè, & vt *quod* operari, cui conuenit eſſe propriè, & vt *quod*; ſed naturæ non conuenit eſſe, vt *quod*, ſed tantum, vt *quo*; benè tamen ſuppoſito: ergo natura non eſt principium *quod* operandi, ſed tantum ſuppoſitum. Maior eſt Diui Thomæ *in 2. diſt. 37. q. 2. ar. 2.* conſtatque; nam prius eſt eſſe, quam operari, & conſequētèr id ſolū propriè operatur, cui cōuenit propriè eſſe. Minor autem probatur; natura enim nō intelligitur cōpleta ad exiſtendū, niſi terminetur per ſubſiſtentiam; ſicut nec accidens ad exiſtendū cōpletum intelligitur, niſi media inhæſione ad ſubiectū: ergo ſolum ſuppoſitum, quod naturā cōpletam importat, dicitur exiſtēs, vt *quod*, & conſequentèr ſolum ſuppoſitum operatur vt *quod*, ratione naturæ, vt principij *quo* operandi. Quinto. S. Tho.

S. Tho.

24. *Ad primū motiuū P. Vaz. q. reſpōdetur.* Nec motiua in oppoſitum vrgēt: ad primum dicatur, redemptionem noſtram conuenire humanitati tantum vt principio *quo*; ſuppoſito verò vt *quod*; ideoque dicitur ab Athanaſio,

sio, humanitatem factam fuisse nobis sapientiam, sanctificationem, iustitiam, & redemptionem; quia vt *quo* fuit nostræ redemptionis principium.

Ad secundum. Ad secundum dicatur, Christum vt hominem esse mediatorem inter homines, & Deum, ideſt, vt subsistentem in humana natura; non quia natura sit principium *quod* satisfaciendi proximum, sed quia fuit principium *quo*; Verbum autem vt in illa subsistēs fuit principium *quod*, ratione naturæ, vt principij *quo* elicēdi operationes. Nec amplius ratio D. Thom. conuincit; distantia namque mediatoris ab extremis, quam D. Thom. ad rationem mediatoris requirit, non est necessum, quòd cōueniat suppositō, vt *quod* medianti, & satisfacienti ratione sui, sed sufficit, quòd ei competat ratione naturæ, quæ est principium *quo* satisfactionis.

25. *Ad tertium.* Ad tertium, concessa maiori, nego minorem, neque est simile de aqua calida respectu calefactionis, ac de supposito Verbi in ordine ad satisfacien, dum: tùm, quia vt superius arguebā, ex oppositō fieret, quòd ita impropriè diceretur, Christum satisfeciſſe pro nobis, sicut impropriè dicitur in contrariorum sententia, *aqua calefacit*. tùm etiam, quia subsistentia Verbi cōplet naturam humanā ad existēdum, & consequentèr illam cōplet ad operandum vice subsistentiæ creatæ. Vndè, sicut subsistentia creata per se ad operationes humanitatis cōcurreret, vt complementum naturæ constituens suppositum, vt *quod* operans: ita subsistentia Verbi, non per accidēs, sed per se ad operationes humanitatis comparatur, non per modum principij *quo* illarum, sed vt complementum principij *quo*, & vt constituens principium operans, vt *quod*: aqua verò non complet naturam caloris vices gerendo connaturalis subiecti, sed potius est contra caloris naturam; ideoque non operatur, vt *quod*, tanquam per se exacta ab actione calefaciendi ratione sui, nec vices alicuius gerendo per se exacti à calefactione: Vndè solum calefacit; vt *quod* denominatiuè per accidens, non denominatiuè per se, nec perfectate essentiali, nec perfectate connaturali, quia nullo modo per se à calefactione exigitur, sed potuis illius naturæ aduertatur.

Ad vltimum. Ad vltimum constabit *infra* dùm virtutem, ex qua Deus acceptauit satisfactionem Christi, examinemus, *vel tractatu de merito Christi*, vbi an pactum necessarium fuerit, vt Deus satisfactionem Christi ex iustitia acceptauerit, examinabimus. Interim pro nunc dicatur, consequentiam non tenere, eo quòd licet satisfactio, non humanitati, sed Verbo vt *quod* attribuatur; quia tamen Verbum, non ratione diuinitatis, sed ratione humanitatis elicuit operationes satisfactorias, adest locus, vt satisfactio à Christo exhibita potuerit à Deo non acceptari, quamuis Verbum satisfecerit, vt *quod*.

26. *Vera solutio.* Relictis igitur his modis dicendi, ad argumentum respondeo explicando maiorem: requiritur esse ad alterum alietate reali suppositi, nego maiorem: alietate reali naturæ, concedo maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam; nam licet inter Christum vt satisfacientem, & Deum, cui fit satisfactio non sit alietas realis suppositorum; est tamen alietas realis naturarum; satisfecit enim Christus vt homo, satisfactio fit Deo, vt Deus est; Verbum autem vt homo distinguitur à Deo distinctione reali naturæ, licet nō distinctione reali suppositi. Quod autem distinctio, & alietas realis naturarum sufficiat ad rationem iustitiæ, constat primò; nam hæc distinctio sufficit ad rationem seruituris, & dominij, Christus enim vt homo est Dei seruus seruitute naturali, vt docet Diuus Thomas *infra quæstione 20. articulo primo ad secundum*, cum tamen Christus vt homo non distinguatur à Deo distinctione reali suppositi, sed tantum naturæ, non autem requiritur maior distinctio inter extrema iustitiæ, quam inter extrema seruituris, & dominij.

Motiua solutionis Primæ. S. Tho.

Deindè, nam ea distinctio necessaria est, & sufficiens ad rationem iu-

Secundæ

ſtitiæ, quæ requiritur, & ſufficit ad æqualitatem inter merentem, & præmiantem; ſed ad iſtam æqualitatem non eſt neceſſaria diſtinctio realis ſuppoſitorum, ſed ſufficit realis naturarum diſtinctio, aliàs Chriſtus Dominus nihil apud Deum de condigno, hoc eſt, ad æqualitatem meruiſſet: ergo nec ad rationem iuſtitiæ diſtinctio realis ſuppoſitorum requiritur, ſed ſufficit realis diſtinctio naturarum.

27. *Tertiò.* S. Tho. Præterea, nam in hoc, quod eſt eſſe ad alterum, conueniunt partes ſubiectiuæ, & partes potentiales iuſtitiæ; vt enim docet D. Thom. 2. 2. q. 80. art. 1. omnis virtus, quæ eſt ad alterũ, ſi ab æqualitate, vel à debito legali deficiat, ſub iuſtitia continetur, non tanquam pars ſubiectiua, ſed tãquam pars potentialis, eo quòd ad partem ſubiectiuã iuſtitiæ, præter hoc, quod eſt eſſe ad alterum, perfecta æqualitas, & debitum legale exiguntur; ſed in Chriſto Domino datur vera, & propria religio in ordine ad Deum, quam eſſe partem iuſtitiæ potentialem, docet D. Thom. 2. 2. q. 81. art. 1. ad quod S. Tho. ſufficit realis naturarum diſtinctio ſine diſtinctione reali ſuppoſitorum: ergo eadem diſtinctio ad veram, & propriam rationem iuſtitiæ eſt ſufficiens. *Quartũ.* Denique, nam ea diſtinctio ſufficit inter extrema iuſtitiæ, quæ fundat diſtinctum ius, & diſtinctum dominium; ſed ad diſtinctionẽ iuris, & diuerſitatem dominij ſufficit diſtinctio realis naturarum abſque diſtinctione reali ſuppoſitorum; eò enim ipſo quòd naturæ ſint diſtinctæ, adeſt diſtincta libertas, ratione diſtinctarum voluntatum, diuerſorumque intellectuum, quæ ſunt libertatis, & dominij principia: ergo realis naturarum diſtinctio cum identitate ſuppoſiti ſufficit ad rationem ſtrictam, rigoroſamque iuſtitiæ. Ex quibus apertè colligitur, vel quòd Chriſtus Dominus defecit à ratione æqualis ſatisfactionis ob indiſtinctionẽ realem ſuppoſiti à Deo, cui ſatisfactio fuit facta, quod negant contrarij Auctores, vel quòd ex hoc capite non defecit illius ſatisfactio à rigore iuſtitiæ, cum ad rigorem iuſtitiæ requiratur diſtinctio extremorum ex ratione æqualitatis.

28. *Obiicies primo.* S. Tho. Sed obpones aduerſus iſtam ſolutionem primò D. Thom. 2. 2. q. 58. art. 2. *in corpor.* illis verbis. *Cum nomen iuſtitiæ æqualitatem importet, ex ſua ratione iuſtitia habet, quòd ſit ad alterum; nihil enim eſt ſibi æquale, ſed alteri; & quia ad iuſtitiã pertinet actus humanos rectificare, neceſſe eſt, quòd æqualitas iſta, quam requirit iuſtitia, ſit diuerſorum agere potentium: actiones autem ſunt ſuppoſitorum, & totorum, non autem propriè loquendo partium, & formarum, ſeu potentiarum: iuſtitia ergo propriè dicta requirit diuerſitatem ſuppoſitorum, & ideò non eſt niſi vnius hominis ad alium.* Hæc D. Thom. Ex quibus manifeſtè conſtat, diſtinctionem, quam petit iuſtitia, ex communi conceptu, & ex propria ratione formali inter ſuppoſita verſari debere; ſed diſtinctio, quam petit, eſt realis: ergo ad veram, & propriam rationẽ iuſtitiæ requiritur realis ſuppoſitorum diſtinctio; ac proindè, cum hæc inter Chriſtum vt hominem, & Deum non reperiatur, videtur in Chriſto vt homine per reſpectum ad Deum, propriam ſtrictamque iuſtitiam reperiri non poſſe, ac per conſequens ſatisfactionem Chriſti Deo pro hominum peccatis exhibitam de rigore iuſtitiæ non fuiſſe. *Secũdò.* Secundò, nam inter extrema iuſtitiæ debet eſſe relatio realis æqualitatis; ſed eiuſdem ſuppoſiti ad ſe ipſum nequit eſſe relatio æqualitatis realis: ergo eiuſdem ſuppoſiti ad ſe ipſum nequit eſſe ſtricta iuſtitia.

29. Reſpondeo, hæc, ſi aliquid probant, conuincere, Chriſtum Dominum non ſolum non ſatisfeciſſe ex toto rigore iuſtitiæ, verum etiam, nec ſatisfeciſſe ad æqualitatem, cũ diſtinctio, de qua loquitur D. Thom. & quã probat ad rationem iuſtitiæ requiri, ex æqualitate exacta ad rationem iuſtitiæ inferatur. Cum ergo Auctores contrarij non negent ſatisfactioni Chriſti æqualitatem, non videntur poſſe argumẽto facto iuvari. *Ad primam replicam reſpõdetur.* Ad primam ergo obiectionem dicatur, D. Tho-

D. Thomã loqui inter puras creaturas, in quibus non ſtat diſtinctio realis naturarum abſque diſtinctione reali ſuppoſitorum, non autem ex communi conceptu iuſtitiæ, prout inter Deum hominem ex vna parte, & Deũ ex alia reperiri poteſt. Quod probo

S. THO. clarè ex doctrina D. Thom. in hac 3. *part. infra quæſt.* 20. *art.* 1. *ad* 2. vbi docet, quòd licet ſeruitus, & dominium ſuper actione, & paſsione fundetur, & agere, non naturæ, ſed ſuppoſito attribuatur; quia tamen actio naturæ attribuitur, ſicut ei, ſecundum quam perſona, vel hypoſtaſis agit, ideò poteſt propriè dici, quòd quælibet hypoſtaſis, vel perſona ſit domina, vel ſerua ſecundum hanc, vel illam naturam. Verba D. Thom. ſunt hæc: *Ad*

S. THO. *ſecundum dicendum, quod relatio ſeruitutis, & dominij fundatur ſuper actione, & paſsione in quantum, ſcilicet ſerui eſt moueri à domino ſecundum imperium; agere autem non attribuitur naturæ, ſicut agenti, ſed perſonæ; actus enim ſuppoſitorum, ſunt, & ſingularium ſecundum Philoſophum; attribuitur tamen actio naturæ, ſicut ei, ſecundum quam hypoſtaſis agit; & ideo quamvis non propriè dicatur, quòd natura ſit domina, vel ſerua; poteſt tamen propriè dici, quòd quælibet perſona ſit domina, vel ſerua ſecundum hanc, vel illam naturã, & ſecundum hoc nihil prohibet, Chriſtum dicere Patri ſubiectum, vel ſeruum ſecundum naturam humanam.* Ex quibus verbis doctrinam ſolutionis à Nobis traditæ in hunc modum confirmo. Licet agere, & pati, ſupra quæ relatio dominij, & ſeruitutis fundantur, non propriè attribuatur naturæ, ſed tantum ſuppoſito; quia tamen naturæ attribuuntur, vt ſecundum quã, vel ratione cuius ſuppoſitum agit, vel patitur, ſufficit in Chriſto Domino realis naturarum diſtinctio abſque diſtinctione reali ſuppoſitali, vt verè, & propriè ſit ſervus Dei ſeruitute naturali: ergo licet æqualitas, quam petit iuſtitia, ſuper actione fundetur, & agere, non propriè naturæ, ſed ſuppoſito attribuatur, ſitque diuerſorum agere potentium; quia tamen naturæ attribuitur, vt ſecundum quam, vel ratione cuius ſuppoſitum agit, non ſequitur, requirere diſtinctionẽ realem ſuppoſitorum, ſed ſufficiet diſtinctio realis naturarum, niſi ſolum inter puras creaturas, inter quas non ſtat realis naturarum diuerſitas abſque diſtinctione reali ſuppoſitorum, & conſequẽtèr in Chriſto, in quo diuerſæ naturæ in eodem ſuppoſito conueniunt, ſtabit æqualitas exacta à iuſtitia propter diuerſitatem realem naturarum, ſecundum quarum vnam ſatisfactionem elicuit, & ſecundum aliam ſatisfactionem terminauit, & acceptauit.

Et ex his ad ſecundam obiectionem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem; eiuſdem ſuppoſiti ad ſe ipſum in eadem natura non ſtat æqualitas realis, concedo minorem: eiuſdem ſuppoſiti ad ſe ipſum in diuerſa natura, nego minorem, & conſequẽtiam, illamque inſto in relatione ſeruitutis, quæ in Chriſto, non rationis, ſed realis eſt; & tamen ratione humanæ naturæ ad Deum, & ad ſe ipſum vt Deũ relatione ſeruitutis refertur. Inſto etiã in relatione effectus ad cauſam, quæ etiam eſt relatio realis; & tamen Chriſtus ratione humanæ naturæ ad Deum, & ad ſe ipſum vt Deum refertur relatione effectus ad cauſam, quin à Deo, aut ſe ipſo diſtinguatur diſtinctione reali ſuppoſiti, ſed tantum diſtinctione reali naturæ: ergo etiam poterit ratione naturæ humanæ ad Deum, & ad ſe ipſum vt Deum referri relatione reali æqualitatis, non in eſſe entis, & phyſicè, in qua ratione infinitè diſtat à Deo, ſed in ratione ſatisfacientis, & creditoris offenſi.

30. *Ad ſecũdum.*

Sed dices: quia relatio filiationis non eſt propriè naturæ, ſed ſuppoſiti, & ſuppoſitum Chriſti incapax eſt recipiendi realem entitatem, ideo relatio filiationis ad Beatiſsimam Virginem Chriſto in tempore conueniens, non realis, ſed rationis eſt, vt docet D. Thom. in hac 3. *part. infr. q.* 35. *art.* 5. ſed relatio æqualitatis requiſita ad rationem iuſtitiæ, non eſt propriè naturæ, ſed ſuppoſiti, vtpotè in actione fundata, quæ non attribuitur propriè naturæ, ſed tantum ſuppoſito, vt ex

31. *Obiicies*

S. THO.

D. Thom. vidimus: ergo relatio realis æqualitatis requiſita ad rationem iuſtitiæ non poteſt Chriſto competere, aliàs mutaretur realitèr eius ſuppoſitum illam recipiens, ſicut mutaretur realitèr, ſi relatio filiationis ad Beatiſsimam Virginem eſſet realis.

32. *Reſpõdetur.* Reſpondeo, negari non poſſe, relationem ſatisfacientis, vt ſubiecto de nominationis, propriè ſolum conuenire ſuppoſito; quia tamen vt ſubiecto inhæſionis conuenit naturæ immediatè, ideo Chriſto ratione naturæ humanæ poteſt realis relatio ſatisfacientis cõuenire abſque vlla imperfectione, & mutatione ſuppoſiti, ſicuti abſque vlla ſuppoſiti mutatione cõuenit Chriſto ratione naturæ humanæ actio ſatisfaciendi, quæ reale accidens eſt, quia licet vt ſubiecto denominationis ſoli ſuppoſito propriè cõueniat; reſpicit tamẽ naturam vt ſubiectum immediatæ inhæſionis. Idem que de relationibus ſeruitutis, & effectus, quibus Chriſtus, vt homo refertur ad Deum, vt dominum, & vt cauſam, eſt dicendũ, quòd nempè relationes reales ſint, Chriſtoque vt homini ſine vlla ſuppoſiti mutatione, aut imperfectione conueniunt; quia licet ſolius ſuppoſiti ſint denominatiuè propriè; immediatè tamen inhærent naturæ, non autem ſuppoſito. Et eadem de cauſa conuenit Chriſto abſque vlla imperfectione, aut reali mutatione ſuppoſiti realis natiuitas ex Virgine in tẽpore, vt docet D. Thom. *infra q. 35. art. 2.* quia licet naſci ſoli ſuppoſito denominatiuè propriè conueniat; inhæſiuè tamẽ immediatè cõuenit naturæ. Relatio autem filiationis hoc habet peculiare, quod ſuppoſitum reſpicit vt ſubiectum, non ſolum immediatæ denominationis, ſed etiam immediatæ inhæſionis. Vndè cum ſuppoſitum Verbi incapax ſit recipiendi accidens reale ratione ſuæ immutabilitatis, fit conſequens, vt nequeat, realem relationem filiationis recipere, & quòd relatio, qua ad Beatiſsimam Virginem, vt filius refertur in tempore, non realis, ſed rationis ſit. Rationem autem peculiaris huius conditionis filiationi conuenientis, quæ ſatis difficilis eſt, dabimus ex D. Thom. *tractatu de filiatione Chriſti.* Et quidem, vt ſæpè dixi, ſi hæc obiectio aliquid probat, conuincit, neque ex rigore iuſtitiæ, nec ad æqualitatem Chriſtum ſatisfeciſſe, vt conſideranti conſtabit.

S. Tho.

33. *Obiectio difficilis.* Cæterum contra hucuſque dicta reſtat non leuis obiectio ex doctrina D. Thomæ, & in hunc modum formatur: ſi Chriſtus ſatisfeciſſet ex rigore iuſtitiæ, deberet inter ipſum vt ſatisfacientem, & Deum vt offenſum relatio realis æqualitatis intercedere; ſed huiuſmodi realis æqualitatis relatio interuenire nõ potuit inter Chriſtum, vt ſatisfacientem, & Deum quatenus offenſum: ergo non ſatisfecit de rigore iuſtitiæ. Minor, cui ineſt difficultas, probatur: inter ſatisfactionem, vt adæquantem offenſam, & offenſam ipſam, prout eſt infinitè grauis, non potuit intercedere relatio æqualitatis: ergo nec inter Chriſtum vt ſatisfacientem, & Deum quatenus offenſum. Conſequentia patet; nam ſatisfactio vt adæquans offenſam eſt fundamentum relationis æqualitatis, qua Chriſtus, vt ſatisfaciens ad Deum vt offenſum refertur; ſed relatio æqualitatis inter aliqua extrema prius refert fundamenta, quam ſubiecta, vt ſtatim ex D. Thoma conſtabit: ergo ſi inter ſatisfactionem, & offenſam non potuit eſſe relatio realis æqualitatis, paritèr non potuit eſſe inter Chriſtum vt ſatisfaciẽtem, & Deum quatenus offenſum. Antecedens autem probatur: forma dans æqualitatem ſatisfactionis Chriſti cum offenſa Deo irrogata, quatenus eſt infinita, non eſt realitèr diſtincta à forma dante grauitatẽ infinitam offenſæ, nam eſt eadem diuinitas, quæ ſatisfactioni dat valorem, & offenſæ grauitatem: ergo inter ſatisfactionem Chriſti vt infinitam, & offenſam quatenus infinitam non potuit eſſe relatio realis æqualitatis. Antecedens conſtat ex doctrina à Nobis tradita *diſput. 1. & diſput. 3.* conſequẽtia autem probatur; quia namque Deitas, in qua, vel ratione cuius diuinæ perſonæ ſunt æquales inter ſe, non eſt realitèr in illis diſtin-

cta, quamuis personæ in cõcreto realitèr inter se distinguantur, non est inter illas relatio realis æqualitatis, vt
S. Tho docet D. Thom. 1. *part. quæst.* 42. *art.* 1. *ad* 4. Nosque ex ipso *tractat. de Trinitate de æqualitate personarum* disputantes latè mõstrabimus: ergo quamuis satisfactio valorosa Christi, & diuina offensa in concreto realitèr distinguantur inter se, si forma, ratione cuius vna alteri adæquatur, vna & indiuisa est realitèr, nempè diuina maiestas præstans, vt forma valorem satisfactioni, & grauitatem offensæ, nõ potuit inter satisfactionem Christi, vt infiniti valoris, & offensam contra Deum commissam, vt est infinitæ grauitatis, relatio realis æqualitatis intercedere.

34. *Prima solutio.* Respondeo, hoc argumentum, si quid probat, conuincere satisfactionem Christi realitèr æqualem cum offensa non fuisse, ac perconsequens, non solum non fuisse perfectam perfectione rigoris iustitiæ, sed etiam perfectione meriti, condignitatis, & æqualitatis, quod, vt vidimus, contrarij Auctores nõ docent cum fateantur, fuisse æqualem, imò & superabundantem ex se, & ex natura sua, seclusaque Dei extrinseca acceptatione, & solum ab illa excludant perfectionem iustitiæ ex defectu conditionum, quæ ad rigorem iustitiæ necessariæ sunt. Vndè, ad obiectionem factam, quæ specialitèr ex doctrina D. Thomæ procedit, responderi potest primò sufficere ad rationem iustitiæ, & ad rigorem illius in satisfactione, quòd sit realitèr æqualis offensæ, quidquid sit, an relatio prædicamentalis, qua satisfactio, & persona satisfaciens ad Deum, vt offensum, & ad offensam ipsam referuntur, sit realis, vel sit rationis. Quod autem possint persona satisfaciens cum maiestate, vt offensa, & satisfactio cum iniuria contra Deum commissa adæquari adæquatione, & æqualitate reali, quamuis relatio prædicamentalis, per quam referuntur, non realis sit, sed rationis, patet clarè ex doctrina, cui argumentum factum innititur; etenim persona Filij realitèr est Patri æqualis; & tamen, vt argumentum supponit, & certum est in doctrina D. Thomæ relatio æqualitatis, qua Filius ad Patrem refertur, non realis, sed rationis est: Christus etiam, vt homo realiter est, & dicitur Filius Beatissimæ Virginis; & tamè, vt docet D. Thom. in hac 3. *p. q.* 35. *art* 5. relatio, qua ad S. Tho. ipsam refertur, vt Filius, non est realis, sed rationis: Deus etiam ad creaturas non refertur relatione reali dominij; nulla enim relatio Dei ad creaturas realis est, sed tantum rationis, vt docet D. Thom. 1. *p. q.* 13. *art.* 7. & S. Tho. tamen verè dicitur realis creaturarũ Dominus, vt docet idem D. Thom. *vbi proximè solut. ad* 5. *argum.* Ergo S. Tho, paritèr, quamuis demus, relationem æqualitatis, qua satisfactio ad offensam, & Christus satisfaciens ad Deum vt offensum referuntur, non realem, sed rationis esse, poterit satisfactio dici, & esse realitèr æqualis offensæ Christusque realitèr æqualitèr satisfecisse pro illa. Cumque hoc ad rigorem iustitiæ in satisfactione sufficiat, parum interest, quòd relatio prædicamentalis, qua satisfactio ad offensam, vt illi æqualis refertur, sit relatio rationis, vel realis.

35. *Secũda solutio.* Secundò responderi potest, concessa maiori, negando minorem, ad illius probationem, nego antecedẽs: cum enim satisfactio Christi realitèr distinguatur ab offensa Deo irrogata, non est, cur, non possit relatione reali æqualitatis, vel relatione reali superabundantis ad offensam referri, & cõsequentèr Christus vt satisfaciens ad Deum vt offensum refertur relatione reali æqualitatis. Nec obstat probatio antecedentis; nam fundamentum relationis, qua Christus vt satisfaciẽs ad Deum, quatenus offensum refertur, non est diuinitas dans satisfactioni valorem, sed actus satisfactorius, cui nullatenus repugnat realitèr ad offensam referri, & consequentèr Christus, quatenus satisfaciens potest optimè ad Deum vt offensum referri relatione reali æqualitatis, vel relatione reali superabundantèr satisfacientis in actu satisfactorio fundata: nec ideo solum relatio æqualita-

tis

tis non eſt realis inter diuinas perſonas, quia eſſentia diuina illas æquales conſtituens eſt vna, & indiuiſa in illis; ſed quia vnitas eſſentiæ eſt fundamentum relationis æqualitatis, qua vna ad aliam refertur, & relatio æqualitatis talis conditionis eſt, vt petat prius fundamenta, quam ſubiecta referre: in noſtro autem caſu, etſi diuinitas ſit, quæ dat ſatisfactioni valorem, nō tamen eſt fundamentum relationis, qua Chriſtus vt ſatisfaciens ad Deum quatenus offenſum refertur, ſed fundamentum illius eſt actus ſatisfactorius; ideoque non debet prius diuinitas ipſa referri, ſed ſolum neceſſum erit, quòd actus ſatisfactorius ad offēſam, prius quam Chriſtus vt ſatisfaciens, ad Deum quatenus offenſum referatur, & conſequentèr nihil eſt, quod poſsit realitati prædictæ relationis obſtare.

36. *Obijcies*

Sed dices: ideò diuina eſſentia eſt fundamentum relationis æqualitatis, qua vna ex diuinis perſonis ad aliam vt æqualis refertur, quia perſonæ diuinæ ſunt æquales inter ſe in perfectione illis prætitita ab eſſentia; ſed etiam actus ſatisfactorius ab humanitate elicitus, & offenſa Deo irrogata ſunt æquales inter ſe in moralitate illis præſtita à diuinitate vt à forma: ergo diuinitas offenſam grauificans, præſtāſque ſatisfactioni valorem, & dignitatem eſt fundamētum relationis æqualitatis, qua ſatisfactio ad offenſam, vt illi æqualis refertur, & qua Chriſtus, vt ſatisfaciens refertur ad Deum offenſum.

37. *Reſpondetur.*

Reſpondeo diſtinguendo cauſalem maioris; quia perſonæ diuinæ adæquantur in perfectione ſumpta ab eſſentia, vt extrema relationis fundatæ, concedo maiorem: vt fundamenta prædictæ relationis, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctiōne minoris, nego conſequentiam; nam actus ſatisfactorius non eſt extremum referendum per relationem ſatisfaciētis, ſed fundamentum talis relationis, & conſequentèr Deitas actum ſatisfactorium dignificans non eſt fundamētum, ſed ratio illam relationem fundandi; vnius enim relationis duplex fundamentum non datur, non autem neceſſarium eſt, rationem fundandi relationem per ipſam relationem referri: perſonæ autē diuinæ ſunt extrema relata relatione æqualitatis, ideoque diuina eſſentia, in qua, & ratione cuius perſonæ ſunt æquales inter ſe, eſt fundamentum relationis æqualitatis, qua perſonæ inuicem referuntur: & quia in relationibus primi generis prius eſt, quòd fundamenta referantur, quam quòd referantur ſubiecta, & idem ad ſe ipſum non poteſt reali relatione referri, cōſequens fit, quòd relatio æqualitatis, identitatis, & ſimilitudinis inter diuinas perſonas non ſit realis, ſed rationis.

§. III.

Explicatur ſecunda conditio, & accommodatur ſatisfactioni Chriſti.

38. *Secūdū argumētum.*

Secvndo principaliter contra noſtram concluſionem arguitur: ad ſatisfactionem de toto rigore iuſtitiæ requiritur non fundari in gratia creditoris; ſed ſatisfactio Chriſti Domini in Dei creditoris gratia fundatur, ſcilicet in gratia vnionis facta humanitati, & in auxilijs, quæ gratioſè à Deo humanitati fuerunt collata: ergo non fuit de toto rigore iuſtitiæ. Minor cum conſequentia tenet; maiorem autem docent Capreolus in 4. *diſt.* 15. *q.* 3. *art.* 1. *ad primum Aureoli contra* 1. *concl.* Magiſter Soto *diſt.* 1. *q.* 5. *art.* 4. & *diſt.* 19. *q.* 1. *art.* 2. Ferrarienſis 4. *Contra gentes cap.* 54. Vega *lib.* 7. *in Concil. Tridentin. cap.* 9. Caietan *in hac q.* 2. *art.* 2. quem omnes Recentiores noſtri ſequuntur. Docent etiam ex Patribus Societatis Valentia in præſenti *diſput.* 2. *q.* 1. *punct.* 5. Suarez *diſput.* 4. *ſect.* 6.

Capreo. *Soto.* *Ferrar.* *Vega.* *Caietan.* *Valent.* *Suarez.*

Vazq. Moder.

Vazquez *disput. 8. cap. 1. & 2.* & Moderniores eiusdem familiæ frequenter.

39. *Prima solutio.*

Huic argumento responderi solet primò, rigorem iustitiæ in satisfactione excludere gratiam factam à creditore ex intentione, & fine satisfactionis; secus autem si ex tali intentione non fiat, gratia autem vnionis, & alia dona humanitati à Deo gratiosè concessa non fuerunt facta ex intentione, & fine, vt Christus satisfaceret pro hominibus, illosque à peccatis redimeret, sed ex alijs motiuis: ideoque nihil obstant rigori iustitiæ in satisfactione Christi. Displicet tamen ista solutio primò; nam ex illa sequitur, Christum non satisfecisse de rigore iustitiæ. consequens est contra Auctores data solutione vtentes: ergo solutio insufficiens. Probatur sequela primò; nam gratiam vnionis fuisse factam humanitati ex intentione, & fine, vt Christus satisfaceret condignè pro peccato humani generis, & vt nos à peccatis redimeret, est doctrina D. Thomæ *in hac q. art. 3.* & ex ibi dicendis constabit: ergo si gratia facta à creditore ex intentione, & fine satisfactionis impedit rigorem iustitiæ, satisfactio Christi Domini de rigore iustitiæ non fuit. Secùdo probatur sequela; nam esto admitteremus, gratiam vnionis non habuisse pro fine redemptionem hominum à peccatis, condignamque satisfactionem pro illis; auxilia tamen humanitati data ad operandum, & satisfaciendum ex hoc fine fuerunt humanitati collata à Deo; auxilia namque applicantia ad operationem, & quæ ad illam præstant sufficientiam, pro fine habent operationē, cum ad hoc dentur, vt existat operatio, vel saltim vt possit existere: ergo satisfactio Christi fundatur in gratia Dei creditoris facta humanitati ex intentione, & fine satisfactionis, & consequenter si satisfactionem hoc modo in gratia fundari obstat rigori, & perfectioni iustitiæ, satisfactio Christi ex rigore iustitiæ non fuit.

Reijcitur primo.

S. Tho.

40. *Reijcitur secundo.*

Deindè reijcitur; nam esto admittamus, decretum Incarnationis de facto non fuisse pro fine cuius gratia, aut pro fine cui, siue effectus, redemptionem hominum à peccatis, condignamque satisfactionem pro illis; negari tamen non potest, decretū Incarnationis potuisse ex tali fine procedere. in quo casu gratia vnionis fieret humanitati ex intentione, & fine satisfactionis; at tunc casus, non minus perfecta foret satisfactio Christi Domini, quam modo perfecta est, & consequenter, non solum esset condigna, sed etiam de rigore iustitiæ: ergo gratiam fieri à creditore ex intentione, & fine satisfactionis, satisfactionemque in gratia creditoris hoc modo facta fundari, iustitiæ perfectionē, & rigorem non impedit.

Reijcitur tertiò.

Denique, nam licet creditor in humanis det pecuniam debitori ex intentione, vt soluat, quod sibi debet, dummodo solutio in pactum non deducatur, poterit debitor creditori soluere ex perfecta iustitia; & tamen hæc solutio fundatur in gratia creditoris facta ab ipso ex intentione solutionis à debitore faciendæ: ergo fundari in gratia creditoris facta debitori ex fine satisfactionis, non obstat rigori iustitiæ. Consequentia cum minori tenet, maiorē autē probo: si creditor pecunias daret non ex intētione, vt debitor solueret, sed ex alio motiuo, posset debitor illi soluere ex toto rigore iustitiæ pecunijs ab ipso acceptis, eo quòd pecuniæ transierunt per donationē gratiosam factam à creditore in dominium perfectum debitoris; sed quòd pecuniæ dentur à creditore ex intentione, vt debitor soluat, dummodo solutio in pactum non deducatur, non tollit, quominus transeant in perfectum dominium debitoris, ita vt possit illis vti, non minus, quam si ex alio motiuo fuissent collatæ: ergo quòd dentur à creditore ex prædicto fine, & motiuo, non tollit à solutione, quòd sit de rigore, & perfectione iustitiæ, & consequenter nec obstabit rigori iustitiæ in satisfactione, fundari in gratia creditoris ex illius fine facta.

41. *Secunda solutio.*

Aliorum solutio est, rigori iustitiæ in satisfactione solū obstare, quòd fun-

fundetur in gratia creditoris concomitante ſatisfactionem, non autem quòd fundetur in gratia omninò antecedenti; ſi namque Petrus, v.c. vel antequam Paulus debitū ex ipſo contrahat, gratis centum illi tribuat, vel poſt debiti contractionem; non tamē ea conditione, vt illis centum debitum ſoluat, ſed omninò abſolutè, poterit Paulus Petro ex iuſtitia perfecta debitum ſoluere illi centum ab ipſo accepta tribuendo, ſicuti, & contractum emptionis ex rigore iuſtitiæ cū Petro celebrare, pallium ab ipſo emēdo pecunijs ab ipſo acceptis, quod nō aliundè prouenit, niſi quia dicta ſolutio fundatur in gratia creditoris non concomitante, ſed omninò antecedente ſolutionem. Quia ergo gratia, ſupra quam ſatisfactio Chriſti fundatur, eſt omninò antecedens, & non concomitans ſatisfactionem, fit conſequens, non obſtare, quominus fuerit ex toto rigore iuſtitiæ.

42. *Reijcitur.* Sed nec iſta ſolutio eſt ſufficiens; nam in ſatisfactione Chriſti, non ſolum intereſt in gratia Dei creditoris illam omninò antecedens, ſed etiam ipſam concomitans: ergo ſi fundari in gratia concomitante obſtat rigori iuſtitiæ in ſatisfactione; ſatisfactio Chriſti ex rigore iuſtitiæ non fuit. Probo antecedens; non enim ſola vnio humanitatis ad Verbum, & auxilia humanitati conceſſa ad operandum, & ſatisfaciendum, ſed etiam actus ipſi, quibus Chriſtus, vt homo ſatisfaciebat, fuerunt dona, & gratiæ Dei, licet etiam fuerint Chriſti ratione libertatis, qua prædictos actus exercebat; ſed licet gratia vnionis, & auxilia ad operādum collata poſſint dici gratia omninò ſatisfactionem antecedēs, gratia tamen, quæ à Deo fit in concurſu ad actus ſatisfactorios, & in ipſorum actuum entitate, non eſt antecedens, ſed concomitans ſatisfactionem: ergo ſatisfactio Chriſti fundatur in gratia Dei creditoris, non ſolum antecedente, ſed etiam concomitante ſatisfactionem, & conſequentèr, ſi hoc obſtat rigori iuſtitiæ, de rigore iuſtitiæ non fuit.

43. Tertiò alij reſpondent, quòd licet ipſa creditoris gratia nequeat eſſe materia contractus ex iuſtitia inter debitorem, & creditorem; id tamen, quod debitor ex gratia creditoris lucratur, materia contractus ex iuſtitia inter ipſos celebrati eſſe poteſt, v.g. ſi debitor à creditore centum omninò gratis recipiat, & illis centū quinquaginta lucretur, poterat pecunia lucrata cum ſuo creditore contractum emptionis, & ſolutionis debiti ex rigore iuſtitiæ celebrare ab ipſo pallium emendo, vel partem debiti quinquaginta ſuo labore lucratis ſoluendo. Ex quo inferunt iſtius doctrinæ Auctores, quòd licet gratia vnionis, & gratiæ auxiliantes gratis à Deo humanitati Chriſti conceſſæ non potuerint eſſe materia contractus, quo Chriſtus Deum ex iuſtitia obligauerit; actus tamen liberè à Chriſto, vt homine, mediis his gratijs eliciti, eiſque quaſi lucrati, qui illius erant ratione libertatis, & media gratia auxiliante, ab humanitate efficiebantur, potuerunt eſſe materia contractus ex rigore iuſtitiæ; eiſque potuit Chriſtus Deum ex iuſtitia obligare ad remiſſionem offenſæ, & perfectè pro illa ſatisfacere.

Tertia ſolutio.

44. *Reijcitur.* Sed nec iſta ſolutio plenè argumento ſatisfacit, niſi aliud ei addatur, & aliundè iuvetur, & reijcitur ex dictis; etenim non ſolum gratia vnionis, gratia habitualis, & gratiæ auxiliantes fuerunt dona Dei, ſed etiam actus ipſi, quibus Chriſtus ſatisfaciebat, fuerunt dona ab ipſo accepta, & gratia à Deo humanitati facta: tùm ratione gratiæ excitantis ad illos: tùm etiam ratione gratiæ ad illos præmouentis: tùm denique ratione concurſus ſimultanei, ſine quo Chriſtus vt homo non poterat prædictos actus elicere, ſicut quæuis alia pura creatura ſine concurſu ſaltim ſimultaneo Dei nihil poteſt operari: ergo ſi id, quod eſt donum, & gratia creditoris, nequit eſſe materia contractus ex iuſtitia debitoris cum creditore, actus ſatisfactorij Chriſti eſſe non potuerunt inter ipſum, & Deum materia rigoroſæ iuſtitiæ, & conſequentèr iſtis actibus non potuit Deum ex iu-

stitia obligare ad remissionem offensæ, nec pro illa de rigore iustitiæ satisfacere.

45 *Vera solutio.*

Vndè, his modis dicendi omissis, vel ad nostram resolutionē redactis, ad argumentum factum respōdeo primò, distinguendo maiorem: ad satisfactionem ex rigore iustitiæ requiritur, non fundari in creditoris gratia supplente defectum dignitatis in actu satisfactorio, & supra illius valorem, & dignitatem acceptante, concedo maiorem: requiritur, non fundari in creditoris gratia dante operi satisfactorio dignitatem, illudque ad æqualitatem valorante, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam; nam licet satisfactio Christi Domini fundetur in gratia vnionis facta humanitati, & Christo ratione illius; hæc tamen gratia non est supplens defectum dignitatis in operibus satisfactoriis à Christo vt homine elicitis, nec acceptans opera satisfactoria Christi supra valorem, & dignitatem illorum, sed gratia dans operibus valorem, & dignitatem, non solum adæquantem grauitatem iniuriæ irrogatæ Deo, sed etiam excedentem, & superabundantem in morali æstimatione: & idcirco non obstat rigori, & perfectioni iustitiæ in satisfactione Christi, in prædicta gratia fūdari, imò ex illa habet, quòd potuerit esse condigna pro peccato humani generis. Quòd si secunda, & tertia solutio nomine gratiæ concomitantis satisfactionem, intelligant gratiam supplentem defectum cōdignitatis in actu satisfactorio, illumque vltra proprium valorem acceptantem, & nomine gratiæ antecedentis, & remotæ intelligant illam gratiam, quæ non supplet defectum dignitatis in opere, sed ei præstat valorem, & dignitatem, abillis non dissentiemus.

46. *Replicabis.*

Sed dices: eo ipsō quòd opus satisfactorium sit gratia creditoris, vel in gratia creditoris fundetur, non potest adæquare grauitatem offensæ: ergo eo ipsō esse nequit satisfactio ex rigore iustitiæ pro illa. Consequentia tenet; nam ad rigorem iustitiæ in satisfactione requiritur necessariò, quòd adæquet offensæ grauitatem: ergo si actum satisfactorium esse gratiam Dei creditoris, vel in illius gratia fundari, tollit ab illo æqualitatem cum grauitate offensæ, impedit rigorem iustitiæ. Antecedens autem probatur; si namque Petrus debeat Paulo cētum, & Paulus toridem gratis Petro donet, solutione in pactum deducta, & sub ea conditione, vt centum debita soluat, solutio facta ex rigore iustitiæ nō erit, nec debitum adæquabit; at non alia ratione, nisi quia talis solutio fundatur in gratia creditoris, quò circa virtualitèr est liberalis debiti remissio, & non perfecta, & rigorosa solutio: ergo eo ipsō, quòd satisfactio, vel actus satisfactorius sit gratia Dei creditoris, vel in illius gratia fundetur, nequit esse æqualis cum grauitate offensæ, ac per consequens esse nequit perfecta ex rigore iustitiæ.

47. *Respōdetur.*

Respondeo, negando antecedens; cum enim diuina gratia sit, quæ opera meritoria, & satisfactoria dignificat, & valorat, ex eo, quòd opus aliquod mediante Dei gratia eliciatur, non potest à cōdignitate deficere; ac proindè quòd opera Christi Domini ab humanitate elicita in gratia vnionis fundentur, quæ illis præstat valorem meritorium, & satisfactorium infinitum, non potest esse ratio, vt non adæquēt in morali æstimatione infinitam grauitatem offensæ. Ad probationē antecedentis, concessa maiori, distinguo minorem: quia solutio fundatur in gratia creditoris virtualitèr debitum remittente, concedo minorem: in gratia creditoris valorante solutionem, eique valorem, & æstimabilitatem tribuente, nego minorem, & nego consequentiam; nam gratia vnionis, supra quam satisfactio Christi fundatur, & à qua procedit, non est gratia virtualitèr remittēs, sed gratia valorans, & dignificans operationes Christi, vt sit æqualis, & superabundans satisfactio pro offensa. Ratio autem discriminis inter vtrumque casum est, nam eo ipsō quòd Paulus Petro debitori centum tribuat, solutione in pactum deducta, ideſt, sub conditione, vt totidem sibi debita soluat,

non

non tranſeunt illa centum in dominium Petri abſolutum: vnde donatio illa eſt palliata donatio, & virtualis debiti gratioſa remiſsio; opera verò Chriſti, etſi à gratia vnionis procedant, & media Dei gratia auxiliante, eliciantur; re verâ exiſtunt ſub dominio Chriſti iure libertatis; ideoque, licet dona Dei ſint, & in illius gratia fundentur, huiuſcemodi gratia non eſt virtualiter remittens, nec ſupplens defectum dignitatis in actu ſatisfactorio, ſed potius illi præſtans valorem, ac dignitatem, ideoque in prædicta gratia fundari, non poteſt obeſſe, vt adæquent grauitatem offenſæ irrogatæ Deo.

48. *Inſtabis.* Sed inſtabis adhuc: eo ipſo quòd opera, quibus Chriſtus pro hominibus ſatisfecit, ſint dona Dei, & gratia ab ipſo liberaliter collata, remiſsio offenſæ facta intuitu ſatisfactionis Chriſti eſt ex gratia: ergo non ex operibus, nec ex rigore iuſtitiæ; vt enim inquit Paulus *ad Romanos* 11. *Si autem gratia non ex operibus, alioquin gratia iam non eſt gratia.* *Roman. 11.* Reſpondeo diſtinguendo antecedens: eſt ex gratia, quæ in operatione conſiſtit, & exiſtit ſub dominio Chriſti iure prę priæ libertatis, concedo antecedens: ex gratia, quæ iure libertatis ſub dominio Chriſti non ſit, nego antecedens, & conſequentiam. Nec obſtat teſtimonium Pauli; loquitur enim de gratia prima ſupernaturali auxiliante, quæ ex operibus naturæ eſſe nequit, alioquin gratioſa non eſſet, ſed naturæ debita; quod enim operibus naturæ debetur, ſimpliciter gratia nõ eſt. vel ſi loquitur de gratia iuſtificante, & excludit condignitatem meritoriam ab operibus in vi gratiæ Dei elicitis, eò quòd aliàs gratia iuſtificans gratia nõ eſſet, fauet noſtræ ſolutionis doctrinæ; ſi namque gratiam iuſtificantem deberi operibus antecedẽtibus ipſam tanquam meritis condignis, impedit rationem gratiæ, & inducit rationem iuſtitiæ, quamuis prædicta opera ſint dona Dei, eo quod iure libertatis ſunt noſtra, quòd opera Chriſti Domini ſint dona Dei, & in eius gratia fundata, non poteſt impedire, quòd remiſſio offenſæ intuitu illorum facta ſit ex perfecta iuſtitia; quia quamuis ſint dona Dei; ſunt tamen ſub dominio Chriſti iure propriæ libertatis.

49. *Secundò reſpondetur argumento principali.* Secundò ad argumẽtum factũ reſpondeo diſtinguendo maiorem: ad ſatisfactionem ex rigore iuſtitiæ requiritur, quòd nõ fundetur in gratia creditoris facta ſatisfacienti, concedo maiorem, quòd non fundetur in gratia creditoris alteri facta, nego maiorem, & diſtinguo minorẽ: ſatisfactio Chriſti fundatur in gratia vnionis, & gratia auxiliante factis humanitati, concedo minorem: factis ſuppoſito Verbi ſatisfacienti, nego minorem, & nego conſequentiam; quia vt §. 2. monſtrauimus, humanitas non eſt, quæ vt *quod* ſatisfecit: licet autem reſpectu humanitatis gratia vnionis, gratia habitualis, & gratiæ auxiliantes ſint gratiæ; quia ei ratione ſui non debentur; reſpectu ſuppoſiti Verbi, quod, vt ibi oſtendimus, ſatisfecit, vt *quod*, gratiæ non ſunt; ſuppoſitum enim Verbi ſuſcipiendi gratiam capax non eſt, ſed omnia illi ſunt debita, & ideo ſatisfecit ex toto rigore iuſtitiæ, non ſolum per excluſionem gratiæ concurrentis, ſed etiam per excluſionem gratiæ antecedentis.

50. *Obiicies primo.* Cæterum contra hanc ſolutionẽ opponit Vazquez primò; nam Chriſtus non ſatisfecit, vt Deus, ſed vt homo; ſed Chriſtus quatenus homo capax eſt gratiæ, illiq; prout homini plures gratiæ fuerunt factæ à Deo, nempè omnes illæ, quas fecit humanitati: ergo Chriſti ſatisfactio fundatur in gratia facta ſatisfacienti. Probat minorem: nam Chriſtus in quantum homo eſt creatura, vt docet D. Thom. in hac 3. *part. infra q.* 16. *art.* 10. ſed creatura rationalis eſt capax recipiẽdi gratiam à Deo: ergo Chriſtus in quantum homo eſt ſubiectum capax gratiæ, & conſequẽtèr Chriſtus vt ſatisfaciens. S. Tho.

Secũdò. Secundo, & explicatur magis hoc ipſum; Chriſtus namque ſatisfecit non vt ſubſiſtens in natura diuina, ſed vt ſubſiſtẽs in natura humana; ſed Chriſtus vt ſubſiſtens in natura humana eſt ſubiectũ capax gratiæ: ergo Chriſtus quatenus ſatisfaciens capax eſt

gra-

gratiæ, & consequenter illius satisfactio fundatur in gratia facta subiecto facienti. Maior constat; nam Christus satisfecit per humilitatem, obedientiam, passionem, & mortem; sed vt subsistens in natura diuina humilitatis capax non est, nec obedientiæ, nec passionis, nec mortis; bene tamen vt subsistens in natura humana: ergo satisfecit non vt subsistens in natura diuina, sed vt subsistens in natura humana. Minor autem probatur; Christus vt subsistens in natura humana est subiectū prædestinationis, qua præordinatus fuit, vt esset Filius Dei naturalis, vt docet D. Thom. *infra q. 24. art. 1. ad 2.* sed terminus prædestinationis est gratia facta subiecto prædestinato, vt ex diffinitione prædestinationis constat, docetque D. Thom. *in eod. art. in corpor. & solut. ad 2 argum.* ergo Christus vt subsistens in humana natura capax est recipiendi gratiā à Deo.

S. Tho.

S. Tho.

Tertiò. Tertio alij contra eandem solutionem obijciunt; nam si dona concessa humanitati vnitæ Verbo debentur suppositō Verbi, debentur à Deo: ergo Deus tibi ipsi debitor est ex iustitia, quo nihil absurdius. Denique, nam satisfactio Christi, si non intercessisset pactum, vel promissio ex parte Dei, potuisset ab ipso non acceptari; sed tunc, etsi non debuisset, acceptari tamen potuisset: ergo iam Christo satisfacienti fieret aliqua gratia. Patet consequentia; nam acceptatio, cum debita non est, aliqua gratia est, & fieret Christo satisfacienti: ergo aliqua gratia Christo satisfacienti fieret.

Quartò.

51. *Ad primum respōdetur.* Hæc tamen non vrgent: ad primum respondeo, Christum nec satisfeciſſe solum vt Deum, nec solum vt hominem, sed vt Deum hominem; ly *vt* reduplicante deitatem, vt rationem formalem valorandi opera satisfactoria, & meritoria, & humanitatem tanquam conditionem respectu valoris, & vt rationem formalem, & principium *quo* eliciendi talia opera, quæ sunt subtracta receptura valorem meritorium, & satisfactorium. Et licet huic complexo, videlicet *Deo homini* ratione humanitatis, quæ conditio est respectu valoris, & dignitatis, possit fieri gratia; quia tamen ratione deitatis, quæ est ratio formalis valorandi opera, gratia non potest fieri, consequens sit, quòd satisfecerit de toto rigore iustitiæ per exclusionē gratiæ, non solum concomitantis, sed etiam antecedentis.

Et ex his ad secundum dicatur; Christum satisfeciſſe vt subsistentem in natura diuina, & vt subsistentem in natura humana, ly *vt* reduplicante subsistentiam in diuina natura vt rationem formalem valorandi opera satisfactoria, & subsistentiam in natura humana, tanquam conditionem in ordine ad valorem, & dignitatem operum; ac proindè ex eo quòd Christo, vt subsistenti in humana natura ratione humanitatis possit fieri gratia, & de facto facta illi fuerit gratia prædestinationis, quod Nos non negamus, tantum colligitur, posse fieri gratiam Christo satisfacienti secundum id, quod est conditio ad valoranda opera satisfactoria; non verò secundum id, quod est ratio formalis communicandi valorem. Et hoc secundum sufficit, vt Christus satisfecerit de toto rigore iustitiæ, nec amplius secunda solutio intendit, nec illius Auctores, cum negāt, fuisse factam gratiam subiecto satisfacienti; accipiendum enim est iuxta traditam doctrinam, quòd nempè Christo satisfacienti non fuerit facta gratia, nec gratiæ recipiendæ sit capax ratione deitatis, quæ est ratio formalis valorandi opera, & quatenus in illa subsistens.

52. *Ad secūdum.*

Ad tertium dicatur, dona humanitati Christi concessa deberi Verbo titulo condecentiæ, non titulo iustitiæ: ex quo solum sequitur, Deum sibi ipsi debitorem esse titulo condecentiæ, quod absurdum non est: quomodo autem deitas opera satisfactoria ab humanitate elicita dignificans fundare, etiam potuerit obligationem iustitiæ acceptandi satisfactionem, & præmiandi eadem opera in ordine ad ipsum Deum, quia ex hoc aliquod absurdum sequatur ex proximè dicendis constabit. Ad vltimam obiectionem,

53. *Ad tertium.*

Ad quartum.

ne, præmissa maiori, & concessa minori, distinguo consequens: fieret gratia Christo satisfacienti acceptando illius satisfactionem, ratione humanitatis, quæ conditio tantum est respectu valoris operum, transeat cōsequens; ratione deitatis, quæ est ratio formalis valorādi satisfactionem, nego consequentiam: sicut enim dona gratiæ consequuta ad vnionem humanitatis cum Verbo, gratiæ sunt respectu humanitatis, & respectu Christi ratione illius; non tamen sunt gratia Christo facta ratione deitatis, sed potius ratione deitatis debentur: ita admisso, satisfactionem Christi potuisse non acceptari, supposito, quòd pactum non præcessisset, nec promissio ex parte Dei, acceptatio foret gratia comparatiuè ad humanitatem, & ad Christum ratione illius, non autem comparatiuè ad Christum satisfacientem ratione diuinitatis. An autem satisfactio Christi pacto, aut promissione indiguerit, se tenente ex parte Dei, vt ipsum ex iustitia obligauerit ad acceptationem sui, & consequenter, an sine pacto præcedente potuerit à Deo non acceptari, *tractat. de merito Christi* videbimus.

54. *Instabis.* Sed dices: hoc complexum *Deus homo* satisfacit, vt constat ex dictis; sed huic complexo gratia fit ratione vnius partis: ergo subiecto satisfacienti fit gratia. Patet consequentia; quia namque hoc complexum, nempè *Christus*, vt subsistens in humanitate est subiectum prædestinationis Christi ad esse Filium Dei naturalem, & illi fit gratia ratione vnius partis, scilicet humanitatis, subiecto prædestinationis Christi fit gratia in eo quòd prædestinetur, ordineturque ad filiationem Dei naturalem: ergo si hoc complexum *Deus homo* satisfacit, illique ratione vnius partis fit gratia, gratia fit subiecto satisfacienti. *Respōdetur.* Respondeo, concessa maiori, iuxta doctrinā traditam distinguendo minorem: fit illi gratia ratione vnius partis, quæ vt conditio ad valorem operum cōcurrit, concedo minorem: ratione partis, quæ ad valorandum, & significandū opera, vt ratio formalis se habet, scilicet ratione deitatis, nego minorem, & distinguo consequens distinctione minoris; solū enim sequitur, subiecto satisfacienti fieri gratiam ratione illius, quod ad valorem operum vt conditio concurrit, non autem quòd illi gratia fiat ratione formæ valorantis opera, illaque significantis. Est tamen hoc discrimen inter subiectum prædestinationis Christi, & subiectū satisfaciens notandum, quòd humanitas est subiectum *quod* prædestinationis, & consequenter est ratio formalis constituens subiectum *quod*: cumque humanitati terminus prædestinationis sit gratia, fit consequens, vt talis terminus sit, dicaturque absolutè gratia respectu subiecti prædestinati; at verò respectu subiecti satisfaciētis, inspecta satisfactione secundum id, quod præcipuum est in illa, nempè secundum valorem, humanitas non est subiectum *quo* illius, sed tantum vt conditio concurrit, & ideo ex eo quòd humanitati fiat gratia, & Christo ratione illius, non sequitur absolutè dicendum, fieri gratiam subiecto satisfacienti.

55. *Vrgebis* Sed instabis adhuc: Deitas nequit esse ratio formalis in ordine ad satisfaciendum: ergo hucusque dicta deficiunt à veritate. Probatur antecedēs. Verbum ratione deitatis est creditor, cui fit satisfactio: ergo sub ratione deitatis nequit esse satisfaciens, ly *sub* dicēte rationem formalem ad satisfaciendum. Patet consequentia; nam alias sub eadem ratione formali esset creditor, & debitor, quod implicatorium apparet: quod autem sequatur, patet; nam ea ratione, qua satisfacit, est debitor exhibendi satisfactionem, & ea ratione, qua est creditor, illi satisfactio debetur: ergo si ratione deitatis satisfacit, & satisfactionē terminat, est creditor, & debitor sub eadem ratione formali.

56. *Respōdetur.* Respondeo, negando antecedēs: ad illius probationem dicatur, quòd sicut deitas connotata paternitate est principiū *quo* radicale generationis, & connotata filiatione, est terminus *quo* eiusdem generationis: ita deitas secūdum se, prout cōnotat subsisten-

tiam

tiam absolutam primariò, & secundariò subsistentias relatiuas constituentes, distinguentesque personas, potest esse id, ratione cuius Verbum est creditor, cui debetur satisfactio, & connotata subsistentia Verbi, nō absolutè, sed prout terminante naturā humanā, potest esse id, ratione cuius Verbum est satisfaciēs, non ita vt subsistere in humana natura sit ratio formalis ad satisfaciēdum, sed solum cōditio: sicuti nec paternitas connotata à deitate, vt principio *quo* generandi, est ratio formalis ad generandum, sed conditio, aut cōplementum, vt deitas sit principium *quo* radicale generationis: & sicut filiatio connotata à deitate in generationis termino, non est ratio formalis terminandi generationē, sed conditio, aut complementum, vt deitas terminata per illam sit terminus *quo* diuinæ generationis. Nec sequitur, Deitatem esse id, ratione cuius Christus fuit debitor satisfaciendi; non enim est necessarium, vt sub eadem ratione Christus sit satisfaciens, & debitor satisfactionem exhibendi; sed potest ratione humanitatis debitor esse, & ratione deitatis satisfaciens, non quoad elicientiam operum, ad quam humanitas vt principium *quo* se habet, sed quoad illorum valorem, & dignitatem.

Tacitæ obiectioni occurritur.

§. IIII.

Explicatur tertia conditio, & satisfactioni Christi accommodatur.

57. *Tertiū argumētum.*

TERTIVM argumentum est, nam ex bonis alio titulo debitis creditori nequit fieri satisfactio ex toto rigore iustitiæ; sed omnes Christi actiones erant Deo creditori pluribus titulis debitæ, nempè titulo dominij, creatoris, & conseruatoris, & gratiarū actionis: ergo Christus suis actionibus non potuit satisfacere Deo ex toto rigore iustitiæ pro offensa ipsi irrogata, nec Deum obligare ad acceptādam suam satisfactionem. Minor cum consequentia tenet, maiorem autem tradunt Anselmus *lib. 2. cur Deus homo cap. 19. & 20.* Ricardus *in 3. dist. 20. q. 4.* Scotus *in 4. Sent. dist. 15. q. 1. §. de secundo*, Durandus *in eadem dist. q. 1. n. 7.* Capreolus *in eadem dist. & q. art. 3. ad primum Aureoli.* Ferrara 4. *Contra gentes cap. 54.* Magister Soto *lib. 3. de natura, & gratia cap. 6.* Eamque expressè docuit D. Thom *in 4. dist. 15. q. 1. artic. 2. ad tertium argumentum.* Quam communitèr Theologi tam intra, quam extra nostram Scholam, vt veram amplectuntur, & probatur à paritate solutionis debiti pecuniarij; hæc enim ex rigore iustitiæ esse nequit, si fiat ex ijs, quæ alio titulo eidem personæ debentur, vt si Petrus, v.g. ex contractu centum debeat Francisco, eidem auferat alia centum iniustè, non potest horum exhibitione centum debita ex contractu emptionis, aut venditionis soluere, & extinguere debitum ortum ex tali contractu, eo quod illa centum, quæ præstat, alio titulo debet Francisco, scilicet iniustæ ablationis: ergo paritèr satisfactio pro offensa ex rigore iustitiæ esse nequit, si fiat ex bonis creditori offenso alijs titulis à satisfaciente debitis.

Anselm. Ricard. Scotus. Durād. Capreol. Ferrar. Soto. S. THO.

58. *Prima solutio P. Suarez.*

Huic argumento varijs modis respondetur ab Auctoribus nostræ sententiæ. Primò respondet Suarez ex debitis titulo iustitiæ non posse fieri iustam, rigorosamque satisfactionem; secus autem ex debitis titulo alterius virtutis: satisfactio verò Christi nō fuit Deo debita à Christo satisfaciente alio titulo iustitiæ, sed titulo gratitudinis, & ideo sic fuisse debitam, non obstat, vt fuerit satisfactio perfecta ex iustitia, & de toto illius rigore.

Reijcitur primò.

Sed contra hanc solutionem obstat primò, quòd si quis debeat loco sacro centum ex voto, & alia centum

ex contractu emptionis, & venditionis, non potest cētum solutione vtrique debito satisfacere, & vtrumque debitum extinguere; & tamen vterque titulus iustitiæ non est, sed vnus iustitiæ, & alter religionis: ergo, quòd satisfactio fiat ex aliàs debitis, non titulo iustitiæ, sed alterius virtutis, non probat rectè, potuisse ex rigore iustitiæ offensam Deo irrogatam extinguere. *Secūdo.* Secundo obstat cōtra eandē doctrinam; nam si quis eat Romam ex contractu cum aliquo ad illius negotia tractanda, & simul cum alio cōtrahat de illius peragendis negotijs, & ab vtroque pecunias in prerium sui laboris accipiat, potest vno itinere vtrique iustitiæ titulo ex rigore satisfacere. ergo, quòd titulus, ex quo aliquid debetur, iustitiæ sit, non obstat rigori iustitiæ, & consequentèr ex aliàs debitis titulo iustitiæ poterit satisfactio fieri ex toto iustitiæ rigore.

59. *Respōsio P. Suarij.* Respondet Suarez, concesso antecedenti, distinguendo consequens, conceditque consequentiam, quando vterque iustitiæ titulus cadit supra eandem materiam, vt in casu argumenti contingit; negat autē illam, quando tituli iustitiæ non cadunt supra eandem materiam, sed materiam multiplicant, vt contingit in casu debiti ex contractu emptionis, & debiti orti ex iniusta rei ablatione; tūc enim, quia tituli iustitiæ materiam multiplicant, non potest vtrumq; debitum extingui vnica solutione. Sed cōtra arguitur: quando namque tituli iustitiæ, & alterius virtutis materiam multiplicant, non potest vnica solutione, vel opere vtrique debito fieri satis, vt constat exemplo illius, qui loco sacro debet centum ex voto, & alia cētum ex contractu emptionis, & venditionis, qui non potest vnica cētū solutione vtrumque extinguere debitum, & vtrique satisfacere; cum tamen vnus titulus iustitiæ sit, & alter religionis: quando autem titulus iustitiæ, & titulus alterius virtutis non multiplicant materiam, sed incidunt supra eandē omnibus potest occurri vnica solutione, vel opere; sed id ipsum contingit, etiam si vterque titulus iustitiæ sit, quòd nēpè si materia non multiplicetur vtriq; fit satis vnica solutione, secus autem, si multiplicetur materia, vt fatetur Suarez: ergo ratio discriminis petēda nō est, ex eo quòd vterque titulus iustitiæ sit, vel non sit, sed ex eo quòd tituli cadant, vel non cadant supra eandem materiam.

Reijcitur eius solutio.

60. *Respondet iterū* Respondet idem Auctor, esse discrimē inter titulos iustitiæ, & titulos aliarum virtutum; quòd tituli aliarū virtutū nō petunt per se materiā multiplicare, sed per se loquēdo potest obligatio ex alia virtute orta cadere supra ipsissimā materiam iustitiæ, vt si quis ex cōtractu emptionis, & vēditionis debeat cētū Petro, v.c. potest vouere, se Petro debitū soluturū: quo in casu titulus religionis ex voto per se cadit supra materiā iustitiæ ex cōtractu; titulus verò iustitiæ multiplicatus per se petit multiplicare materiā, & nō cadere supra eandē, & ideò per se loquendo nō potest duplici iustitiæ titulo fieri satis vnica solutione; duplici verò titulo, quorū vnus est iustitiæ, & alius alterius virtutis, per se loquendo potest vnica solutione satisfieri. Vndè discrimen stat non in eo, quod per accidens potest euenire, sed in eo, quod exigitur per se.

61. *Iterum reijcitur* Sed contra; nam si quis debeat Petro centum ex contractu emptionis, & venditionis, vel ex eo quòd centū abstulit iniustè, aut alio iustitiæ titulo, eique promittat, se intra tale tempus centum debita soluturum, quæ promissio à creditore acceptetur, vnica centum solutione facit satis titulo iustitiæ ex contractu, vel ex alijs capitibus orto, & titulo prouenienti ex promissione acceptata à creditore; & tamen in tali casu vterque titulus est iustitiæ, & per se cadit supra eandem materiam: ergo inter duos iustitiæ titulos, & titulos iustitiæ, & alterius virtutis discrimen nō est quoad perfectam coincidentiæ supra eandem materiam, nec quoad hoc quòd est, posse vtrique titulo vno opere, aut vnica solutione satisfieri. Maior cum consequentia tenet, minor quoad primam partem est probabilissima multorum Theologorum sententia

asseren-

asserentium, quòd licet simplex promissio inducat solam obligationem fidelitatis; promissio tamē acceptata obligat promittentē ex iustitia. Quòd autem vterque titulus per se cadat supra eandem materiam, vt asseritur in secunda partē minoris, probatur; ideo namque obligatio religionis, quæ oritur ex voto soluendi debitum ex iustitia, per se cadit supra eandem iustitiæ materiam, quia quis vouet, se soluturum, quòd aliàs ex iustitia ab ipso debetur; sed etiam in nostro casu quis promittit, se alteri soluturum, quòd illi ex iustitia debet: ergo obligatio orta ex promissione acceptata per se cadit supra eandem materiam cum alia obligatione ex iustitia, & consequentèr duplex titulus iustitiæ poterit per se cadere supra eandem materiam, illamque non multiplicare. Quod amplius vrgetur, quia nam quæ promissio simplex poterit esse de re aliàs debita ex iustitia, poterit obligatio fidelitatis orta ex simplici promissione per se coincidere in eadem materia cum obligatione ex iustitia; sed promissio acceptata, quam ex iustitia obligare cum probabilissima sententia supponimus, poterit esse de re aliàs debita ex iustitia, vel ratione contractus onerosi, vel ex alijs capitibus, vt monstrabimus: ergo titulus iustitiæ ortus ex promissione acceptata inducente obligationem iustitiæ per se poterit cadere supra eādē materiam, supra quam alius iustitiæ titulus cadit, & consequentèr titulus iustitiæ multiplicatus non petit per se multiplicare materiam, in quo consistebat discrimen à prædicto Auctore assignatum.

62. *Secundo respōdet alij.*

Alij Recentiores respondent, ex debitis proximè alio titulo non posse fieri satisfactionem de rigore iustitiæ, benè tamen si alio titulo non proximè, sed remotè solum debeantur; debitum enim remotum cum carentia proximæ obligationis non obest magis, quam si tale debitum non esset in ordine ad impediendum contractū, illumque ex iustitia celebrādū. Quod patet exemplo serui, quē si dominus sōluat obligatione hodierni laboris, poterit de labore hodierno paciscī cū domino, & pro illo stipendiū accipere, ac si servus non esset, sed liber, eo quòd licet dominus posset ab illo exigere hodiernū laborem titulo seruitutis & dominij, in qua potentia debitū remotum consistit; de facto tamen titulo dominij, & seruitutis laborē illū non petit, in quo cōsistit carentia obligationis proximæ, & ratione huius carentiæ, pacto interueniente inter dominum, & seruum circa hodiernum laborem, adimpletaque ex parte serui conditione, poterit servus dominum ex iustitia obligare ad soluendum stipendium promissum. Quia ergo satisfactio Christi Domini, & opera illa, quibus satisfecit pro hominibus, licet possent à Deo alijs titulis postulari; de facto tamē postulata non fuerunt, sed Christi arbitrio, & liberæ voluntati relicta, fit consequens, vt satisfactio Christi non fuerit proximè alijs titulis debita, sed solum remotè, & idcirco fuerit de toto rigore iustitiæ, Ita Puente-Hurtado vbi *supra* §. 180. *Puente Hurt.*

63. *Si illis objciatur.*

Quòd si illi obijciatur, de facto fuisse impositum Christo præceptū de subeunda morte, vt constat ex illo ad Philippens. 2. *Factus obediens vsque ad mortem*; & alibi: *Sicut mandatum accepi à Patre meo, sic facio*: ergo non solum remotè, sed etiam proximè fuit à Christo Deo debita mors, qua satisfecit, alijs titulis. Respōdet primò, non fuisse Christo impositum præceptum moriendi, nisi dependentèr à voluntate humanitatis in fieri; quia Christus vt homo liberè postulauit à Patre, vt sibi imponeretur præceptum, & etiam in conseruari, quia liberè noluit petere præcepti dispensationē, quam si peteret, consequeretur; quia fuit illi impositum dependentèr ab hac conditione, quòd nempè dispensationem præcepti non postularet, ideoque omninò liberè potuit non mori, & ab obligatione imposita se expedire, si vellet. Secundo respōdet, non fuisse præceptā Christo mortem à Deo titulo supremij dominij, quo potuit illam præcipere, sed solū titulo iurisdictionis: ex quo solum se- *Ad Philip. 2. Ioan. c. 14. Respondet primo.* *Secūdò.*

quitur, fuisse debitam proximè titulo obedientiæ, non autem titulo iustitiæ, & eadem actione posse fieri satis duobus titulis diuersarum virtutum, si ambo iustitiæ non sint.

64. *Reijcitur prima solutio. Primò.*

Sed contra primam solutionē facit primò, falsum esse, præceptū Christo impositum à libera voluntate humanitatis dependentiam habuisse, vt *infra tract. de merito Christi* fusè monstrabimus; cum enim Christus vt homo verè fuerit Patri subiectus, sicut cæteræ rationales creaturæ, non est, cur asseramus, præceptum de morte subeunda ei fuisse impositum sub prædictis conditionibus, dependenterq; à libero humanitatis arbitrio, ita vt si vellet, absolueretur ab obligatione præcepti; cum enim modus iste imperandi subditis cōmunis non sit, nō est fundamentum, vt ad illum recurramus in Christo, neque ad id aliqua necessitas vrget, vt ibidem ostendemus.

Secūdò. Deindè, quia, adhuc prædicta doctrina admissa, verè fuit debita mors Christi titulo obediētiæ, ratione præcepti impositi, aliàs non posset verè dici, mortuum fuisse ex obedientia ad præceptum, frustraque fuisset impositum, cum finis præcipientis sit subditos obligare ad actus sub præcepto cadentes: ergo re vera mors, qua satisfecit Christus, fuit alio titulo proximè debita, nempè titulo obediētiæ; non enim stat, Christum vi præcepti obligatum esse ad moriēdum, & mortem non esse debitam. Contra secundam solutionem faciunt, quæ contra solutionem Suarez obiecimus.

Secūda solutio reijcitur

65. *Tertio respōdet Nazar.*

Tertia solutio est, opera Christi Dñi plures infinitates habuisse, nempè gratiarum actionis, meriti, satisfactionis, & redemptionis; omnes enim istæ formalitates in operibus, quibus Christus satisfecit, reperiuntur, & sub illis omnibus sunt infinita in morali æstimatione: vndè, etsi pluribus titulis debita fuerint, potuerunt omnibus secundum diuersas rationes ad æqualitatem, & ex rigore iustitiæ satisfacere, vt gratiarum actio titulo gratitudinis, & vt satisfactio, meritum, & redemptio titulo iustitiæ. Ita Magister Nazarius *controuers. secunda in 4. par te controuersiæ, §. ad cuius euidentiam.*

Reijcitur.

Sed contra eius solutionem obstat, quòd licet opera Christi plures infinitates habuerint, potuerunt à Deo præcipi, exigique secūdum omnes illas titulo dominij supremi, cum non sit maior ratio, cur sub vna, quā sub aliis hoc titulo exigi potuerint: ergo sub nulla, nec sub omnibus simul potuerūt mereri à Deo remissionem offensæ ex rigore iustitiæ, nec Deum ad offensam remittendam ex iustitia obligare. Patet consequentia; nam vel obstat satisfactioni ex rigore iustitiæ, posse à creditore alio titulo exigi, vel non obstat: si hoc secundum dicatur, frustra ad plures infinitates operationum Christi recurritur, siquidem ratione vnius satisfacere potuerunt pro offensa irrogata Deo ex toto iustitiæ rigore, non obstante, quòd ab ipso potuerint postulari titulo dominij supremi: si asseratur primum: ergo opera Christi etiam secundum omnes illas infinitates nō fuerunt satisfactoria pro offensa irrogata Deo perfectè ex rigore iustitiæ, quandoquidem secundum omnes illas infinitates erant debita saltim remotè, quod debitum præsupponitur obstare.

66. *Vera solutio.*

Verior igitur solutio est, quando tituli, ex quibus opus aliquod debetur, siuè omnes iustitiæ sint, siuè diuersarum virtutum, non multiplicāt materiam, sed incidunt supra eandē, posse vno opere omnibus ex rigore satisfieri, vt constat in exemplis supra adductis; si enim quis debeat loco sacro centum ex contractu emptionis, & venditionis, & voueat Deo, se illa cētum debita loco sacro soluturum, vnica centum solutione satisfacit titulo religionis ex voto, & titulo iustitiæ ex contractu; quia vterque iste titulus eandem materiam concernit, & supra eandem materiam cadit. Insuper, si quis Petro, v.c. ex contractu debeat cētum, & promittat, se illa intra tale tempus soluturum, quæ promissio a Petro creditore acceptetur, vnica tātum solutione satisfacit duobus iustitiæ titulis, orto scilicet ex cō-

tractu

tractu, & orto ex promissione acceptata; quia vterque, etsi iustitiæ sit, cadat supra eandem materiam licet autem operationes Christi debitæ fuerint titulo obedientiæ, & titulo fidejussoris pro hominibus; quia tamen isti tituli supra easdem actiones cadebant, potuit Christus eisdem operationibus, & titulo obedientiæ, & titulo iustitiæ ex rigore satisfacere, Deūque ex iustitia obligare ad remissionem offensæ. Et quidem argumentum factum, vel probat, Christum nō satisfeciſſe ad æqualitatem pro offensa irrogata Deo, vel non conuincit, non fuiſſe de rigore iustitiæ. Cum ergo ad primum inefficax sit in sententia contrariorum supponente æqualitatem in satisfactione Christi, ad secundum etiam inutile debet censeri.

Assumptum ostendo; nam ex debitis alio titulo idcirco non potest fieri solutio ex rigore iustitiæ, quia multiplicatis titulis, non adæquat vnica solutio obligationē ex illis multiplicatam, vt constat exemplo illius, qui promisit loco sacro cētum, & postea ex contractu emptionis eidem loco sacro soluendi alia centum debitum contraxit; in hoc enim casu ideo vnica centum solutione vtrique titulo satisfieri non potest, quia centum non adæquant ducenta, & hæc sunt, quæ debentur ex illo duplici titulo: ergo esse opus duplici titulo debitum, eatenus solum obstare potest in satisfactione rigori iustitiæ, quatenus obstat illius æqualitati, tollitque ab illa æqualitatem cum offensa irrogata, licet nō absolutè sumpta; benè tamen vt simul concurrēte cum obligatione ex alijs titulis orta; ac proindè ex eō quòd operationes Christi Deo creditori fuerint alijs titulis debitæ, vel probatur, nō fuiſſe ad æqualitatem satisfactorias pro offensa irrogata Deo, vel non potest conuinci, ex rigore iustitiæ satisfactorias non fuiſſe. Ad argumētum ergo in forma sic est occurrendū: ex bonis alio titulo debitis nō potest fieri satisfactio ex iustitia, distinguo maiorem: si tituli materiam multiplicent, cōcedo maiorem: si cadant supra eandē materiam, nego maiorem, & suo eadem distinctione minoris, nego consequentiam, quia tituli, ex quibus operationes Christi debētur, eandem materiam concernunt, vt constat ex dictis.

67. *Replica bis primo.* S. Tho.

Cæterum contra hanc solutionē obstare videtur primò testimonium D. Thomæ *in 4. Sent. dist. 15. q. 1. art. 2. ad 3.* quod ita procedebat: *Ille, cuius totum, quod habet, non sufficit ad vnum debitum exsoluendum; non potest pro alio debito satisfacere; sed quidquid homo est, & potest, & habet, non sufficit ad soluendum debitum pro beneficio cōditionis: ergo nullo modo potest satisfacere pro debito offensæ commissæ.* Cui argumento his verbis respondet: *Ad tertiū dicendū, quòd ratio illa concludit, quòd Deo æquivalens satisfactiō fieri nō potest; non autē, quòd non possit sibi sufficiens fieri; quā vis enim homo totū suum posse Deo debeat; nō tamē ab eo exigitur de necessitate, vt totum, quòd possit, faciat, quia hoc est impossibile secundū statum præsentis vitæ, vt totū posse suum ad aliquod vnū expēdat, cum oporteat, eum circa multa sollicitum esse, sed est quædam mensura homini adhibita, quæ ab eo requiritur, scilicet impletio mandatorum Dei, & super ea potest aliquid erogare, vt satisfaciat.* Ergo ex mente D. Tho. per opera præcepta homo satisfacere nō potest pro offensa in ipsū cōmissa, sed solū per opera supererogationis: at si per operā debita alio titulo nō multiplicante materiā, sed supra eandē cadente posset fieri satisfactio pro culpa, nulla esset ratio, cur homo per opera sibi à Deo præcepta nō posset ipsi pro peccato satisfacere, cū posset titulus obedientiæ ortus ex præcepto cadere supra materiā satisfactionis: ergo vel dicēdū est, obligationē ortam ex ēiusmodi præceptis non posse in eadē materia cū satisfactione coincidere, vel quòd ex aliàs debitis, etiā titulo cadēte supra eandē materiā, nō potest fieri rigorosa satisfactio pro culpa, & consequenter cū opera, quibus Christus Dominus satisfecit, fuerint à Deo præcepta, non potuerunt satisfacere pro offensa in ipsum commissa de toto rigore iustitiæ.

68. Respondeo, hanc obiectionem, si

Respõdetur.

quid prodest, continere non solum Christum non satisfeciſſe ex rigore iuſtitiæ, ſed etiam nõ exhibuiſſe æquiualentem, & æqualem ſatisfactionem pro offensa irrogata Deo. Quod patet; nam D. Thom ex eo, quòd totũ, quod homo facere poteſt, ſit Deo debitum titulo conditionis, & creationis, inquit, rectè probari, non poſſe ipſi fieri æquiualentem pro offensa ſatisfactionem: ergo ſi ex hoc textu D. Thom. licet contra ſatisfactionem Chriſti argumentari, non ſolum colligitur, defeciſſe à rigore iuſtitiæ, ſed etiam non fuiſſe perfectam perfectione meriti condignitatis, & æqualitatis, cumque hoc non inferatur, nec primum ex doctrina D. Thomæ licet inferre. Vndè, tota auctoritate admiſſa, diſtinguendum eſt conſequens: quando opera præcepta, & ex alio titulo debita non adæquant vtrumque titulum, & obligationem ortam ex illis, concedo conſequentiam: quando vtrumque titulum, & obligationem adæquant, nego conſequentiam; & quia operationes Chriſti ratione ſuæ infinitæ dignitatis, infinitique valoris omnes titulos, ex quibus debentur, omneſque obligationes ex illis titulis ortas ſingulæ adæquare poſſunt, ſit conſequens, quòd per illas, eſto aliàs debitæ ſint, condignè, & ex rigore iuſtitiæ poſsit fieri ſatisfactio pro offẽſa.

69. *Inſtabis.*

Sed dices: D. Thomas, vt ſaluet, hominem Deo ſatisfacere poſſe, ad opera ſupererogationis, ideſt, non debita ex lege recurrit: ergo ſentit, opera alio titulo debita non poſſe eſſe ſatisfactoria ex iuſtitia ea ſolum ratione, quia alio titulo debentur, aliàs vt quid ad opera ſupererogationis recurreret, vt ſaluaret eſſe poſſe materiam ſatisfactionis? Et conſequenter cum opera Chriſti Dñi ſupponantur alijs titulis debita, & conſequenter opera ſupererogationis non fuiſſe, nõ potuerunt eſſe materia ſatisfactionis ex rigore iuſtitiæ. Reſpondeo primò: ſi opera finita ſint in morali æſtimatione, tranſeat cõſequens: ſi ſint infinitæ dignitatis, infinitæque æſtimabilitatis moralis, qualia ſunt opera Chriſti, nego conſequẽtiã; cũ enim opera huius conditionis ſint, ſicut non infertur ex doctrina tradita à D. Thoma, deficere à ratione æqualis, & æquiualentis ſatisfactionis propter ſuam infinitatẽ: ita nõ infertur deficere à rigore iuſtitiæ; nam D. Thom. ex eo, quòd opera præcepta ſint debita, infert, non poſſe per illa æquiualentem ſatisfactionẽ fieri. Quæ doctrina ſolum tenet in operibus finitis: ergo in illis ſolum infertur, ex eo quòd præcepta, & aliàs debita ſint, defectus à rigore iuſtitiæ.

Reſpõdetur primo.

Reſpondeo ſecũdò, D. Thom. ad opera ſupererogationis recurrere nõ tanquã ad materiam neceſſariã ſatisfactionis pro offenſa, ſed tanquam ad materiam aptiorem, magiſque congruẽtem ſatisfactionis: vt enim rectè docuit Caietanus *tract. 6. opuſc. q. 1.* nõ ſolũ per opera conſilij, quæ ſunt opera ſupererogationis, ſicque dicuntur, quia ad illa non obligamur, ſed etiam per opera præcepta, & ad quæ ex lege tenemur, poteſt Deo fieri ſatisfactio pro culpa. Quod frequentèr docent contra Scotum cæteri Theologi, & conſequentèr aſſerendum non eſt, ab Angelico Doctore negari; cum quo tamen ſtat, vt aptior, congruentiorque ſatisfactionis materia ſint opera conſilij, & ſupererogationis, quam opera alias præcepta, & ad quæ ex lege tenemur; imò docti, & prudẽtes Theologi docẽt, peccare mortaliter miniſtrum cõfeſſionis, ſi in ſatisfactionem pro culpis mortalibus pœnitenti imponat ſolum opera præcepta, vt ieiunium, in die, in qua ex lege Eccleſiaſtica ieiunare tenetur, & recitationem horarum Eccleſiaſticarũ, ad quã quis obligatur ex lege; æquum enim eſt, vt peccator, qui peccãdo nimis proprijs vtilitatibus, voluptatibuſq; adhæſit, aliquid de propria vtilitate, & de propria voluptate ſubtrahat in ſatisfactionẽ pro culpa præter id, quod ratione aliorum præceptorum ſubtrahere tenetur.

70. *Reſpõdetur ſecundo.* *Caiet.*

Opponeſ ſecundò, replicabiſque contra doctrinam traditæ ſolutionis: opera Chriſti Dñi exacta à Deo titulo gratiarũ actionis pro beneficijs factis humanitati non excedunt debitum, ſed ad ſummum illud adæquat, vt vi-

71. *Replicabis ſecũdo.*

dimus

dimus *disput. præcedenti solutione ad vltim. arg. contra primã concl.* ergo si ex illo titulo exigantur, & præcipiantur à Deo, non poterũt ex rigore iustitiæ satisfacere pro debito cõtracto ex peccato. Patet consequentia; nam opus, quod vni debito adæquatur, illudque non excedit, non potest ad aliud debitum adæquandũ, & extinguendum extẽdi: ergo si opera Christi Dñi non excedunt, sed solum adæquant debitũ gratiarum actionis pro beneficijs susceptis, si illo titulo exigãtur, non possunt pro offensa irrogata Deo satisfacere ex rigore iustitiæ.

Respondetur. Respondeo, hanc etiam obiectionem, si quid probat, conuincere, non solum defectum rigoris iustitiæ in satisfactione Christi, sed etiam defectum æqualitatis cum debito ex offensa contracto, caltu, in quo præcipiantur à Deo titulo gratiarum actionis. Concesso ergo antecedenti, nego cõsequentiã: ad cuius probationẽ dicatur, opera Christi Dñi intensiuè adæquari cũ debito gratiarum actionis. ex quo non tollitur, quin ad alia debita extinguẽda possint extendi, quia hæc eminentialiter cõtinentur in illo, vt diximus *disput. 3.* infinitatẽ meritorum Christi tractantes.

72. *Replicabis tertio.* Denique oppones: licet possit vnico opere satisfieri duplici titulo cadenti supra eandem materiam, at ratione operis alio titulo debiti creditori non potest creditor ad præmium aliquod conferendum, vel culpam remittendam ex iustitia obligari; sed vt satisfactio Christi fuerit de toto rigore iustitiæ, necessariò exigitur, quòd Deum ex iustitia obligauerit ad sui acceptationem, & offensæ remissionem, vt ex *infra* dicẽdis constabit: ergo cum supponatur, fuisse alijs titulis debitam, ex rigore iustitiæ non fuit.

Respõdetur. Huic obiectioni fiet satis *disput. 7.* cum virtutem, ex qua Deus satisfactionem Christi acceptauit, examinemus, pro nunc breuiter respondetur, maiorem ad summum esse veram de opere finito moraliter, quod sicut ob sui limitationem in æstimatione morali non potest duplici titulo adæquari, & duplici æquiualere obligationi, ita non potest, si à creditore alio titulo exigatur, ipsum obligare ad præmium aliquod conferendum, vel iniuriam remittendam; non autem esse veram in opere infinitæ dignitatis simpliciter, qualia sunt opera Christi, quæ ratione infiniti valoris, sicut possunt pluribus titulis sufficiẽter occurrere: ita licet à Deo vno titulo exigantur, possunt ipsum ex iustitia obligare, vel ad præmium conferendum, ad quod à Christo ordinantur, vel ad remittendam offensam.

73. *Secũdo respondetur principali argumẽto cõsequẽter.* Aliter ad principale argumẽtum responderi solet à nostris Thomistis ad vltimam solutionem secundo argumento traditam, nempè ad rigorem iustitiæ in satisfactione sufficere, quòd sit ex aliàs indebitis à satisfaciẽte *quod*, etsi ab aliquo alio debeantur: & quia satisfaciens *quod* fuit Verbum diuinum; quod sicut nullius gratiæ suscipiendæ est capax, ita est incapax Deo aliquid debendi, consequens fit, quòd satisfactio illius fuerit de toto rigore iustitiæ, & non solum æquiualens pro offensa irrogata Deo, esto fuerit ex aliàs Deo creditori ab humanitate debitis, quæ non vt *quod*, sed vt *quo* satisfecit quoad elicientiam operũ, quibus satisfactio fuit facta, & solum vt conditio concurrit ad valorem satisfactorium, & meritorium operationum Christi. Ira Ferrara 4. *Contra gentes cap. 55. ad argumentum 27.* *Ferrar.* Magister Soto *vbi supra relatus*, *Soto.* Vincentius *q. illa 5. dub. 3. pag. 389.* *Vincẽt.* Nazarius *vbi supra §. ex his conciliari facilè poterunt*, *Nazar.* & Granadus *controuers. 1. de Incarnatione tract. 2. disp. 4. sect. 3. num. 19.* *Granad.* quos nonnulli Recentiores sequuntur.

74. *Obijcies primo.* Contra quã solutionẽ obstant ea, quæ *§. præced.* cõtra vltimã solutionẽ obiecimus, & diluimus, & insuper obstat primò; nam Christus vt satisfaciẽs obligatus fuit ex iustitia ad satisfaciendum pro hominibus, vt *disp. seq.* videbimus: ergo Christus, prout fuit satisfactor, capax est obligationis, & debiti, & consequentèr opera, quibus satisfecit, fuerunt debita à satisfaciente alijs titulis.

Secundò. Secundò; nam illi præcepta imponuntur, & obligationi, & debito subest, quod operatur vt *quod*, cum præcepta supra operationem cadant, & obligatio sit operandi; at non humanitas, sed Verbum humanitati vnitũ, & in illa subsistens operatur, vt *quod*, humanitate ingrediente vt principio *quo* operationum, vt *disput. præcedenti §. 2.* docuimus: ergo Verbo humanitati vnito, in illaque subsistenti imposita fuere præcepta, & obligatio operandi, & consequenter Verbũ vt in humanitate subsistẽs, qua ratione satisfecit vt *quod*, capax est debiti, & obligationis, ac proindè satisfactio ab ipso exhibita fuit ex aliàs debitis à satisfaciente *quod*.

75. Ad primã respõdetur Respõdeo ad primã ex his obiectionibus, verũ esse antecedens loquendo de Christo vt satisfactore, ly *vt* reduplicante principium *quo* elicientiæ operationum, quibus satisfactio fuit facta: secus autem ly *vt* reduplicante formam, seu principium *quo* valorans opera satisfactoria, scilicèt diuinitatem; vt autem satisfactio Christi fuerit perfecta de toto rigore iustitiæ, sufficit, quòd fuerit ex indebitis à satisfaciente vt *quod*, reduplicato principio *quo* valorante opera satisfactoria, etsi ab illo fuerint debita, reduplicato principio *quo* elicientiæ operationum, quibus satisfactio fuit facta, scilicet humanitate. Et hoc modo est accipienda traditæ solutionis doctrina; negari namque non potest, Christum quatenus hominem fuisse debiti, & obligationis capacem, cum fuerit Patri subiectus, & legibus naturali, & positiua obligatus.

Ad secũdam. Et ex his ad secundam obiectionem, distinguo maiorem: ratione principij *quo* eliciẽtiæ operationum, concedo maiorem: ratione principij *quo* valoris satisfactorij earundem operationum, nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens distinctione maioris; solum enim sequitur, satisfaciens *quod* esse capax debiti, & obligationis ratione humanitatis, quæ est principium *quo* eliciẽdi opera satisfactoria, non autem ratione diuinitatis, quæ est forma, & principium *quo* valorandi talia opera.

§. Vltimus.

Explicatur quarta conditio, & satisfactioni Christi applicatur.

76. Quarto arguitur QVARTVM argumẽtum est. Satisfactio ex rigore iustitiæ petit esse ex bonis proprijs debitoris, seu satisfacientis; sed operationes Christi non fuerunt bona propria ipsius, vt hominis, qua ratione satisfecit, sed sub perfectissimo dominio Dei creditoris: ergo non fuit de toto rigore iustitiæ. Maiorem tradunt Anselmus, Ricardus, Scotus, Durandus, Capreolus, Ferrara, & Sotus, *§. præcedenti* pro tertia conditione relati, estque Theologis communis. Consequentia est bona, & minor non minus aperta videtur: sicut enim nullum ens creatũ subterfugere potest causalitatẽ Dei: ita nec potest non esse sub illius supremo dominio, quod supra causalitatem fundatur, & æqualitèr cum illa se extendit; opera autem, quibus Christus satisfecit, aliquid creatum sunt, & cõsequentèr sub dominio Dei creditoris perfectissimo existunt, cum quo nõ stat, quòd sub dominio Christi satisfacientis extiterint; non enim potest vnius, & eiusdem rei duplex dominus, & duplex dominium dari. Quod argumẽtum in hac parte præcipuum alijs terminis solet proponi; nam satisfactio ex rigore iustitiæ petit esse ad alterum iure, & dominio; sed satisfactio Christi ad alterũ iure, & dominio non fuit: ergo nec fuit ex rigore iustitiæ. Consecutio est legitima, minor certa; etenim satisfactio Christi fuit aliquid creatũ: ergo pendẽs à Deo: tũ, vt ab excitante: tũ vt ab adiuvante: Tùm deniq; vt per illam

Aliter proponitur hoc argumẽtum.

physicè agente, vel saltē, vt illam cōcursu simultaneo causante, & consequētèr erat sub dominio perfectissimo Dei in illius efficiētia, & causalitate fundato. Ex quo vlterius fit, nō fuisse ad alterū iure, & dominio. Maior autem probatur; nam Aristotel. *lib. 5. Ethic. cap. 5. & 6.* ideo negat, inter patrem, & filium non emancipatum posse propriam reperiri iustitiam circa rem familiarem; quia filius non emancipatus supra illam non habet dominiū à dominio patris distinctū: ergo propria, & rigorosa iustitia petit esse inter extrema distincti iuris, & dominij, & consequentèr petit esse ad alterum alietate iuris, alietateque dominij. Et ratione suadetur; nam per contractum iustitiæ ab vno in alterū dominium transfertur; sed si extrema diuersi dominij non sint, non potest huiusmodi translatio exerceri, vt ex ipsis terminis constat: ergo propria, & rigorosa iustitia petit esse ad alterum iure, & dominio, ideſt, inter duos, quorum vterque dominio distincto gaudeat, & vno ab altero independenti, nec illi subordinato.

Arist.

77. *Prima solutio M. Vincent.*

Huic argumento variis modis occurritur ab Auctoribus nostræ sententiæ. Prima solutio est Vincentij vbi *supra pag.* 389. asserentis, satisfactionem Christi considerari posse tripliciter, primò, vt in facto esse. secundò, vt in fieri, prout egrediebatur à diuino supposito: tertiò, vt supra ipsum suppositum reflectebatur, ipsum humiliando, & subijciendo: qua distinctione suppositā, asserit, quòd licet opera satisfactoria considerata, prout in facto esse subijciantur Dei supremo dominio, & sub illo contineantur; sumpta tamen prout in fieri, & in egredi à diuino supposito, & prout supra ipsum reflectebantur, ipsum humiliando, & subijciendo, sub Dei dominio non erant: & quia operationes Christi habent, quòd infinitæ, & satisfactoriæ de condigno sint, quatenus in fieri egrediuntur à Verbo, & supra ipsum reflectuntur, fit consequens, quòd sub ea ratione, sub qua satisfactoriæ sunt, sint ita propria Christi, vt non subiaceant dominio vniuersali Dei, nec sub illo contineantur.

78. *Reijcitur.*

Cæterum contra hanc doctrinā obstat argumentum difficile; opera enim Christi Domini, non solum in facto esse, sed etiam in fieri, & in egredi à diuino supposito subijciuntur efficientiæ, & causalitati vniuersali Dei: ergo sic sumpta subijciuntur etiam dominio vniuersali diuino. Consequentia tenet ex iam dictis; nam dominium vniuersale Dei in diuina efficientia fundatur, & æqualitèr se extendit cum illa, ambitque omne id, quod diuinæ efficientiæ subijcitur, & diuinam terminat causalitatem: ergo si opera Christi Domini considerata vt in fieri terminant efficientiam diuinam, subijciuntur Dei dominio sub hac consideratione. Antecedens autem non minus certum videtur; nam omne ens creatum, vt à prima causa dependet à Deo, & ab illo efficienter causatur; sed opera, quibus Christus Dominus satisfecit, etiam prout in fieri, & in egredi à diuino supposito, aliquid creatum sunt: ergo sic sumpta à Deo, vt à prima causa efficiuntur, terminantque illius efficientem causalitatem. Per quod etiam euertitur id, quod dicebatur de reflexione supra suppositum Verbi, quæ erat tertia consideratio operationū Christi; licet enim suppositum Verbi non sit sub dominio Dei, vtpotè cū Deus sit; reflexio autem operis, v. c. humilitatis Christi supra suppositum Verbi aliquid creatum est, & consequentèr efficienter causatum à Deo. ergo reflexio illa, & opus à Christo Domino elicitum sumptum prout reflectitur supra diuinum suppositum, continentur sub dominio vniuersali Dei, ac proindè non sunt sub dominio Christi, vt hominis positiuè, & priuatiuè.

79. *Respondebis.*

Si forte dicatur, opera à Christo Domino elicita, prout in fieri, & in egredi ab humanitate tāquam à principio *quo* elicienre contineri sub dominio Dei, non tamen prout in fieri, & in egredi à supposito Verbi illa vt *quod* causante. *Contra.* In cōtrarium obstat; nam hæc opera etiam prout egredium

tur

tur a ſuppoſito Verbi tanquam à principio *quod*, aliquid creatum ſunt: ergo etiam prout ſic vt à cauſa vniuerſali,& prima efficiuntur à Deo, terminantque illius vniuerſalem cauſalitatem, & conſequenter ſubijciuntur dominio vniuerſali Dei. Conſequentia tenet ex dictis, antecedens autem probatur; nam operationes Chriſti ſub eadem ratione formali indiuiſibili egrediebantur ab humanitate tanquam à principio *quo*, & à ſuppoſito Verbi tanquam à principio *quod*; nemo enim hucuſque diſtinxit in actione, vel actu vitali duplicem formalitatem, ſub quarum vna egrediatur à principio *quo* eliciente, & ſub alia à principio vt *quod* operante, ſed ſub vna, & eadem formalitate ab vtroque procedit; ſed operationes illæ ſumptæ vt in egredi ab humanitate ſunt aliquid creatum: ergo etiam vt in egredi à diuino ſuppoſito aliquid creatum ſunt, ac proindè in vtraque conſideratione à Deo efficiẽtèr cauſatæ, & illius dominio ſubiectæ.

80. *Dices.* Dices, quod licet operationes Chriſti ſub vnica, & indiuiſibili formalitate à ſuppoſito Verbi illas operante vt *quod*, & ab humanitate, vt principio *quo* proceſſerint; modus tamen egrediendi à Verbo, & humanitate eſt diuerſus, ideoque poſſunt, vt in egredi ab humanitate Dei cauſalitatẽ terminare, & illius ſubijci vniuerſali dominio, quin prout in gredi à diuino ſuppoſito terminent efficientiam generalem diuinam, & Dei vniuerſali dominio ſubijciantur. *Contra.* Sed contra, nam modus, quo operationes illæ egrediuntur à ſuppoſito Verbi, aliquid creatum eſt in prædictis operationibus; non enim eſt ipſum ſuppoſitum Verbi, nec aliqua perfectio increata, ſed quid identificatum cum illis: ergo eſto ſit diuerſus à modo egrediendi earundem operationum ab humanitate; cauſatur tamẽ efficienter à Deo, & cõſequenter dominio diuino ſubijcitur; omne namque, quod creatum eſt, terminat efficientiam diuinam, & ſub Dei dominio continetur, quod, vt ſæpè diximus, ſupra efficientiam fundatur.

Sed contra iſtam doctrinam opones; nam operationes, quibus Chriſtus ſatisfecit pro hominibus, non fuerunt Deo creditori debitæ à ſuppoſito Verbi, quod ſatisfecit vt *quod*, vt diximus §. *præced.* ergo prout in egredi à diuino ſuppoſito, non terminant Dei cauſalitatem, nec ipſius dominio ſubduntur. Probatur conſequentia; nam omne id, quod ſubiacet dominio diuino, poteſt titulo ſupremi dominij exigi, & præcipi à Deo, & conſequenter eſſe debitum ipſi. ergo ſi operationes Chriſti nõ fuerunt, nec potuerunt eſſe Deo creditori debitæ à ſuppoſito Verbi illas operante, vt *quod*, quatenus ab ipſo egrediuntur, non terminant Dei efficientiam, nec ſubiacent eius dominio.

81. *Obijcies in fauorẽ Vincẽty.*

Reſpõdetur. Reſpondeo ex doctrina ibi tradita, operationes Chriſti nõ fuiſſe Deo debitas à ſuppoſito Verbi ratione ſui, nec ratione diuinitatis, quæ vt forma illis præſtitit valorem, & dignitatem; fuiſſe tamen Deo debitas ab eodem ſuppoſito ratione humanitatis, ita vt debens *quod* prædictas operationes præſtare fuerit ſuppoſitum Verbi humanitatem terminans. & in illa ſubſiſtens, etſi ratio fundandi debitum, vel id, ratione cuius fuit capax obligationis, non Verbum, nec Verbi diuinitas, ſed humanitas fuerit. Ex quo ſolum ſequitur, operationes à Chriſto Domino elicitas ſumptas prout in egredi à diuino ſuppoſito non fuiſſe ſub dominio vniuerſali Dei ratione ſuppoſiti illas elicientis vt *quod*, nec ratione diuinitatis illi præſtantis valorem: nõ autẽ quòd prout ſic ſumptæ non fuerint ſub dominio Dei ratione ſui, & ratione humanitatis. Quòd ſi hoc tantum doctiſsimus Vincentius contendit, libentèr illi aſſentimur.

82. *Secũda ſolutio aliorum* Aliorum ſolutio parum à præcedenti diſcedens diſtinguit in operibus Chriſti, & ſubſtantiam operum, quæ aliquid creatum eſt, & illorum valorem, aut dignitatem, quæ eſt ipſum Verbi ſuppoſitum, & aliquid increatum: qua præmiſſa diſtinctione, docet, ſubſtantiam operũ, quibus Chriſtus ſatisfecit, terminaſſe Dei cauſalitatem,

litatem, fuisseque ipsius dominio subiectam; dignitatem autem operum non fuisse causatam à Deo, nec eius dominio subditam, vel sub illo contentam; cum enim sit aliquid increatum, nempè ipsum Verbi suppositum operationes valorans; Verbi autem suppositum, nec causetur à Deo, nec illius subiaceat dominio, fit consequens, vt operationum dignitas, nec à Deo possit causari, nec illius dominio subiacere; ac proindè satisfactio à Christo Dño exhibita quoad valorem, & dignitatem fuit ex proprijs Christi vt hominis positiuè, & priuatiuè, ideſt, talitèr ex proprijs, quòd sub diuino dominio non erant, licet sumpta quoad subitantiam non fuerit ex proprijs Christi vt hominis priuatiuè, ideſt, ex non subiectis dominio Dei creditoris; nam opera, quibus satisfactio fuit facta, sūpta quoad subitātiam Dei dominio subiacebant, illiusque vniuersalem causalitatem terminabant.

83. *Reijcitur.* Sed nec placet ista solutio; nam vel illius doctrina procedit de valore, & dignitate operationum Christi in concreto, vel in abstracto; nullo ex his modis est vera: ergo nec solutio tradita. Minor pro prima parte constat; nam valor operis Christi in concreto, ideſt ipsum opus valoratum aliquid creatum est, vtporè denouo in rerum natura existens, & à Christo, mediante humanitate, liberè efficiētèr procedens, aliàs Christus per illud, nec meruisset, nec satisfeciſſet: ergo est aliquid causatum à Deo, & consequētèr illius dominio subiectū. Patet consequentia; nam Christus vt homo non fuit prima causa, primumque efficiens operis valorati, & dignificati a Verbo, quo meruit, & satisfecit: ergo fuit causa secunda, & secundum efficiens, & cōsequentèr in eius efficientia subordinatum Deo tanquam primo efficienti. Pro secunda parte probatur; nam valor, seu dignitas operationum Christi in abstracto, ideſt, forma illas valorans, vel est modus aliquis moralis creatus, vt docti Theologi non improbabilitèr docent, vel est ipsum Verbi suppositum, *vt disput. 3. conclus. 2.* verius existimauimus. Si primum, terminat Dei causalitatem, eiusque efficientiam, cum à Christo homine efficienter causetur, non vt à primo, sed vt à secundo efficiente, & consequenter negari non potest, quòd subiaceat Dei dominio, contineaturque sub illo. Si secundum est Dei creditoris non minus, quam suppositi Verbi satisfacientis, cum vtriusque sit per identitatem, & nullius sit per dominationem, seu causalitatem: ergo valor operationum Christi in abstracto, hoc est, forma dictas operationes valorans, non est propria Christi priuatiuè, sed tantum positiuè, & consequētèr satisfactio Christi Domini nō fuit ex proprijs satisfacientis, prout contendunt istius solutionis Auctores. Patet hæc secunda cōsequentia; nam proprietas ab ipsis intenta est positiua, & priuatiua, ideſt, quòd satisfactio Christi, ipsi fuerit talitèr propria, vt dominio Dei creditoris subiecta non fuerit, ideoque ad valorem operationum recurrunt, quem dicunt aliquid increatum, & indè non causatum à Deo, nec illius dominio subiectum.

84. *Respondetur.* Dices, valorem, seu dignitatem operationum Christi in abstracto, ideſt, formam illas valorantem, nempè subsistentia Verbi, quamuis sit Dei creditoris per identitatem, quia cum Deitate identificatur; non tamen esse Dei creditoris per dominationem, ideſt, illius dominio subiectā, & hoc sufficere, vt Christi satisfactio fuerit ex proprijs satisfacientis priuatiuè, ideſt, ex non subiectis, quoad rationem valoris Dei creditoris dominio.

85. *Contra.* Sed contra; nā hæc solutio præoccupata manet ex dictis; esse namque satisfactionem ex proprijs satisfaciētis priuatiuè, est, esse ex proprijs satisfacientis ea proprietate, qua creditoris non sint; sed satisfactio à Christo Domino exhibita sumpta etiā quoad valorem operum nō fuit ex proprijs Christi satisfacientis proprietate, qua Dei creditoris non fuerit: ergo non fuit ex proprijs Christi satisfacientis

priua-

priuatiuè; Minor, in qua eſt difficultas, probatur; nã ſubſiſtentia Verbi, quæ eſt forma valorãs prædictas operationes, nec Verbi ſatisfacientis, nec Dei creditoris eſt per dominationem, cum nec à Verbo, nec à Deo efficienter cauſetur, vtpotè aliquid increatum: Verbi autem ſatisfacientis, & Dei creditoris eſt per identitatem, cum vtrique identificetur: ergo opera Chriſti Domini ratione valoris non fuerunt propria Chriſti ſatisfaciẽtis proprietate, qua Dei creditoris non fuerunt, & cõſequenter ſatisfactio Chriſti, etiam ratione valoris, aut dignitatis ex proprijs priuatiuè non fuit.

86. *Tertia ſolutio Patris Granados.*

Tertia ſolutio, & præcedentibus proximè affinis eſt, quam tradit Granadus *cõtrouerſ. 1. de Incarnatione, tract. 2. diſput. 4. ſect. 3. num. 21.* vbi ait, ad rigorem iuſtitiæ in ſatisfactione ſufficere, quòd qui ſatisfacit, habeat dominium ſatisfactionis tam perfectũ, quam ipſe creditor habet, præſertim ſi dictum dominium habeat ſpeciali aliquo titulo, quo à creditore ſatisfactio non poſsidetur; tunc enim abſolutè præſtat aliquid ſibi proprium, quod poſſet non exhibere. Verbum autem ſatisfaciens, etſi ratione humanitatis non habeat dominium operationum creatarum, quibus Deo ſatisfecit, ita perfectum, ac eſt dominiũ diuinum earundem operationum; ratione tamen diuinitatis dominium, ita perfectum habet, ac habent Pater, & Spiritus Sanctus, & aliàs titulo ſpeciali illas poſsidet, nempè coniunctionis ad humanitatem, & terminationis illius, quo titulo à Patre, & Spiritu Sancto non poſsidentur; ac proindè offerẽs actiones infiniti valoris, quas poſſet non offerre, ſi vellet, cum nulla lege teneretur vt Deus ad illas offerendas in ſatisfactionem pro hominibus, nec ad illas eliciendas, ex toto rigore iuſtitiæ ſatisfecit. Quæ ſolutio eſt meo iudicio mutuata ex Vincentio vbi *ſupra*, licet aliis terminis explicata.

87. *Reijcitur.*

Sed contra illam in hunc modum obijcio: dominium Chriſti, vt ſatisfacientis non eſt æquale cum dominio Dei creditoris: ergo ſolutio tradita falſo nititur fundamentõ, & ex falſo principio procedit. Probatur antecedens: dominium Chriſti æquale cũ dominio Patris, & Spiritus Sancti eſt dominium Chriſto competens ratione voluntatis diuinæ; ſed dominium Chriſti vt ſatisfacientis non conuenit illi ratione diuinæ voluntatis, ſed ratione voluntatis creatæ, & humanæ: ergo dominium Chriſti, quatenus ſatisfacientis, nõ eſt æquale cum dominio Dei vt creditoris. Conſequentia probatione non indiget, maior eſt omninò certa; nam dominium Chriſto competens ſupra ſuas operationes ratione voluntatis humanæ eſt dominium creatum, & dominio Dei ſubordinatum, & conſequenter infinitè diſtans ab illo: ergo ſolum dominium conueniens Chriſto ratione voluntatis diuinæ adæquat, vel, vt melius dicam, eſt idem cum dominio Patris, & Spiritus Sancti, & cum dominio Dei creditoris. Maior autem, cui ineſt difficultas, probatur; nam inter ſatisfacientem, vt ſatisfaciens, & creditorem, vt creditor eſt, debet eſſe diuerſitas iurium, & cõſequenter etiam debet eſſe dominiorũ diuerſitas, aliàs eiuſdem ad ſe ipſum abſque diſtinctione realium naturarum, & ſuppoſitorum poſſet eſſe ſatisfactio ex toto rigore iuſtitiæ, quod Ariſtoteli, & communi Philoſophorum, & Theologorum ſententiæ aduerſatur, imò & rationis lumini contrariari videtur. Quòd autem hoc ſequatur, exindè manifeſtũ eſt; etenim quòd iuſtitia eiuſdem ad ſe ipſum abſque diſtinctione reali, ſaltim naturarum eſſe non poſsit, non aliundè probatur, niſi quia iuſtitia petit diſtinctionem iurium, & conſequenter diſtinctum dominium in extremis, inter quæ verſatur: ergo ſi hoc principium negetur, poterit eſſe eiuſdem ad ſe ipſum rigoroſa iuſtitia abſque vlla reali extremorum diſtinctione, & conſequenter eſt aſſerendum, ad ſatisfactionem ex rigore iuſtitiæ requiri, quòd dominium ſatisfacientis, quatenus eſt ſatisfaciens, diſtinctum ſit a dominio creditoris, vt creditor eſt; ſed dominium Chriſto competens ratione voluntatis diuinæ

eſt

est indistinctum à dominio Patris, & Spiritus Sancti, sicuti, & voluntas trium personarum est in illis omninò indistincta: ergo non est dominium Christi, vt satisfacientis.

88. *Cõfirmatur primo.* Augetur difficultas primò: Verbum non solum est satisfaciens pro peccato humani generis, sed etiam est creditor, & cui fit satisfactio pro offensa irrogata Deo: ergo ratione diuersi iuris, & diuersi dominij, vt manet probatum; sed est creditor ratione dominij illi conuenientis media voluntate diuina, cum sit creditor vt Deus, cui irrogata fuit iniuria: ergo ratione huius dominij, & iustitiæ iuris non fuit satisfaciens, sed ratione iuris, & dominij ipsi cõuenientis vt homini media voluntate creata.

Cõfirmatur secundò. Confirmatur, & vrgetur secundò: dominium hoc Christi satisfaciẽtis æqualis perfectionis cum dominio Patris, & Spiritus Sancti, vel est dominium actionum humanitatis titulo efficientiæ, creationis, & conseruationis, vel est dominium Verbo cõpetens titulo terminationis humanitatis: neutrum istorum: ergo. Minor pro prima parte certa videtur; dominium enim Christo competens iure creationis, & conseruationis humanitatis est toti Trinitati commune; dominium autem Christi vt satisfacientis debet esse ipsi speciale: ergo dominium actionũ humanitatis Christo, vt satisfacienti conueniens non fundatur in creatione, & conseruatione humanitatis. Pro secunda parte probatur; dominium Christo competens titulo terminationis humanæ naturæ fundatur supra vnionem humanitatis ad Verbum; sed hoc dominium est Deo subordinatum, illiusque dominio vniuersali, & supremo, cum vnio, supra quam fundatur, sit efficienter à tota Trinitate causata, & consequenter existente sub dominio Dei vniuersali: ergo hoc dominium non est æqualis perfectionis cum dominio Dei creditoris; dominiũ namque Deo subordinatum non potest cum illius supremo dominio in perfectione adæquari.

Cõfirmatur tertio. Explicatur, & vrgetur tertio: Verbum terminare humanitatem est à tota Trinitate in genere causæ efficiẽtis, etsi à Verbo sit in genere quasi causæ formalis; cum enim fit aliquid de nouo in rerum natura existẽs debet esse ab aliqua causa efficiente, & consequenter dependens à Deo, vt à prima causa effectiua: ergo ius Christi actionum humanitatis supra terminationem istam fundatum est à tota Trinitate efficienter, & consequẽter supremo dominio Dei creditoris subordinatum, cum quo stare nequit, vt sit æqualis perfectionis cum dominio Dei creditoris; vt enim proximè dicebamus, dominium Deo subordinatum non potest eius supremum dominium in perfectione adæquare: nõ ergo datur dominium in Christo vt satisfaciẽte æqualis perfectionis cum dominio Dei creditoris.

89. *Vera argumenti solutio.* Quarta, & frequentior huius argumenti solutio, & prædictæ conditionis ad rigorem iustitiæ in satisfactione exactæ veriot explicatio est, ad iustitiam rigorosam sufficere, quòd sit ex proprijs satisfacientis positiuè; ideſt, quòd quando fit satisfactio, sub dominio satisfacientis sit, & antecedenter negatiuè absolutè, ideſt, quòd antequam exhibeatur liberè à satisfaciente, sub dominio creditoris non fuerit, & concomitanter priuatiuè, non absolutè, sed sub aliqua ratione speciali, ideſt, quòd quando satisfactio exhibetur, sit aliquo modo sub dominio satisfacientis, quo modo non sit sub dominio creditoris. Quæ omnia in satisfactione Christi cõcurrunt; fuit enim actus Christo Domino liber, & cõsequenter sub illius dominio existens titulo libertatis: homo enim ratione liberi arbitrij est suorum actuum dominus, & antequam exhiberetur à Christo, sub dominio actuali Dei creditoris nõ erat, sed in libertate Christi, vt hominis fuit constitutum actum satisfacientem elicere, & consequenter ab illius libertate pendebat talem actum sub dominio Dei actuali constituere. Ac denique, etsi postquam extitit, fuerit sub dominio Dei creditoris titulo creationis, & efficientiæ; non tamen

fuit

fuit Dei creditoris, vt liberè volentis per actum voluntatis à Christo Dño elicitum, nec vt suppositi illum eliciẽtis: quo modo existebat sub dominio Christi debitoris; Christus enim per actum voluntatis media humanitate elicitũ denominabatur liberè volẽs, & suppositũ Verbi, vt humanitatem terminans omnes actus humanitatis, vt *quod* efficiebat, & eliciebat, & ab illis denominabatur iuxtã illorum qualitatem, nimirum ab actu intellectus, intelligens, & ab actu voluntatis volens, ac proindè satisfactio Christi fuit ex proprijs ipsius concomitantèr priuatiuè, non absolutè, sed sub aliqua ratione speciali; quia nimirum aliquo modo erat sub dominio Christi vt satisfacientis, quo modo sub dominio Dei, vt creditoris nõ erat, quòd ad rigorem iustitiæ in satisfactione sufficere, constat ex dictis, ampliusque ex dicendis constabiti.

90. *Ad quartũ argumentum respondetur.*

Iuxta quam doctrinam ad quartũ argumentũ respõdeo distinguẽdo maiorẽ: satisfactio ex rigore iustitiæ petit esse ex proprijs satisfaciẽtis positiuè, cõcedo maiorẽ; priuatiuè, subdistinguo maiorẽ: antecedẽtèr absolutè, & concomitantèr sub aliquo modo speciali, concedo maiorem: priuatiuè absolutè, nego maiorem, & sub eadem distinctione, & sub distinctione minoris, nego consequentiam; nã satisfactio Christi fuit propria ipsius positiuè, & sub illius dominio positiuo ratione libertatis, & antecedentèr negatiuè absolutè, quatenus antequam à Christo vt homine eliceretur, sub actuali Dei dominio nõ erat, & concomitantèr negatiuè, non absolutè, sed sub aliquo modo speciali, quatenus, etsi à Deo esset efficientèr causata, non tamen erat ab illo eliciti ue vitalitèr liberè, & denominatiuè, qualitèr à Christo processit, & qualitèr fuit illius; fuit enim Christi vt viuentis per illam, liberè per illam volentis, & liberè satisfacientis; quibus modis Dei, vt creditoris non fuit.

Ad argumentum alijs terminis propositũ respõdetur.

Et ex his ad idem argumentum alijs terminis propositum distinguo maiorem: satisfactio ex rigore iustitiæ debet esse ad alterum iure positiuè, concedo maiorem: priuatiuè, sub distinguo maiorem: antecedẽtèr absolutè, & concomitantèr sub aliqua ratione speciali, concedo maiorem: omninò priuatiuè, nego maiorem: & sub eadem distinctione, & sub distinctione minoris, nego cõsequentiam, ideſt, quòd petit esse ad alterum iure, hoc est, quòd ille, cui satisfactio fit, habeat ius distinctum à iure debitoris satisfacientis; non tamen petit, quòd fiat ex his, quæ talitèr sint propria satisfacientis, vt nulla ratione sint sub creditoris dominio, sed sufficit, quòd modo aliquo sint sub dominio satisfacientis, quo modo sub dominio creditoris non sint.

91. *Obijcies primò.*

Sed contra hanc resolutionem, quæ, vt dixi, sic, vel alitèr explicata frequentior est Auctoribus nostræ sententiæ, obijciet aliquis primò; quia namque bona serui sub dominio sui domini sunt, non potest servus cũ domino ex talibus bonis contractum celebrare ex iustitia: ergo satisfactio ex rigore iustitiæ petit esse ex bonis proprijs debitoris satisfacientis positiuè, & priuatiuè, ideſt, ex bonis talitèr proprijs debitoris, quòd nullatenus sub dominio creditoris existant.

Secũdo.

Deindè, nam si Petrus, v.c. debeat centum Francisco, non poterit illi ex rigore iustitiæ satisfacere reddendo centum, quæ sint sub vtriusque dominio, dato, quòd vterque super eisdem bonis possit dominium insolidum habere; sed hoc non alia ratione est verum, nisi quia etsi satisfactio fieret ex bonis proprijs debitoris positiuè, non tamen fieret ex bonis proprijs illius priuatiuè: ergo, vt satisfactio sit ex toto rigore iustitiæ, debet esse ex bonis proprijs satisfacientis, non solum positiuè, sed etiam omninò priuatiuè. Minor cum consequẽtia tenet; maior autem probatur: vt enim qui debet centum ad æqualitatem soluat, debet reddere tantum in morali æstimatione, quantum est illud, quod debet; sed cẽtum, quæ sunt Francisci creditoris, etsi sint simul Petri debitoris, non tantum valent in morali æstimatione, quantum centũ debita, quæ solius creditoris erant, &

solum

solum sub eius dominio: ergo reddendo centum vtrique communia, & sub vtriusque existentia dominio, non fit solutio, & satisfactio ex toto rigore iustitiæ.

92. *Tertiò.* Præterea nam etsi Christi satisfactio antecedèt èr non esset suo dominio actuali Dei creditoris; erat tamè de ita Deo titulo domnij in potentia, quatenus Deus illam hoc titulo exigere poterat, esto de facto eam hoc titulo non postulauerit: ergo nõ fuit de toto rigore iustitiæ. Probatur consequentia; nam si Deus titulo dominij exegisset opera a Christo Domino in satisfactionem exhibita, non fuissent satisfactoria ex rigore iustitiæ pro peccato humani generis; sed quòd illa hoc titulo non postulauerit, mera fuit gratia in non postulando, quod poterat: ergo Christus his operibus non satisfecit pro nobis ex toto iustitiæ rigore.

Quartò. Quartò, nam licet opera Christi Domini quoad substantiam, & entitatem fuerint propria ipsius negatiuè quoad elicientiam, ideſt, ab ipso elicita, & non à Deo creditore; valor tamen moralis illorum non fuit à Christo, vt homine elicitiuè, sed à deitate sumptus formaliter, quæ est toti Trinitati communis: ergo satisfactio Christi quoad valorẽ satisfactorium inspecta non fuit ex proprijs Christi satisfacientis priuatiuè, nec absolutè, nec sub aliqua ratione speciali. Probatur consequentia; nam ideo satisfactio Christi quoad substantiam est sub dominio Christi priuatiuè aliquo modo, quia elicitiuè est à Christo, qualitèr à Deo creditore non est: ergo si valor satisfactorius non est elicitiuè à Christo, satisfactio sumpta quoad valorem non est sub dominio Christi satisfacientis priuatiuè aliquo modo.

Quintò. Denique, nam creditor obligari ex iustitia non potest per bona, quæ semel posita existunt sub eius perfecto dominio; sed satisfactio ex rigore iustitiæ constituit creditorem obligatum ex iustitia ad eius acceptationẽ, & vt offensam remittat: ergo esse nequit ex bonis, quæ semel posita sunt suo dominio creditoris, & consequentèr petit esse ex bonis proprijs debitoris priuatiuè omnibus modis, & consequentèr, cum satisfactio Christi non fuerit ex bonis hoc modo proprijs ipsius quatenus satisfacientis, ex rigore iustitiæ non fuit.

93. *Ad primã obiectionem respõdetur.* Ad primam ex his obiectionibus respondeo, negando causalem antecedentis; non enim ideo seruus in humanis non potest ex bonis ab ipso acquisitis dominum obligare ex iustitia, aut cum illo ex iustitia contrahere, quia bona illa suo dominio domini sunt constituta, sed quia taliter sunt domini, quòd serui nullatenus sunt, quidquid enim seruus acquirit, non sibi, sed domino acquirit, nec seruus in quantum talis alicuius boni exterioris habet dominium: vndè omnia bona à seruo acquisita sunt sub dominio domini positiuè, & priuatiuè: vndè taliter sunt domini, quòd nullatenus sunt serui, ideoque ex illis non potest cum domino ex iustitia contrahere: operationes autem à Christo Domino elicitæ, non solum sunt Dei, sed etiã Christi vt hominis titulo libertatis: vndè, licet sint Dei creditoris positiuè, non tamẽ sunt sub dominio Dei priuatiuè, quia etiam continentur sub dominio Christi vt hominis, & aliquo modo speciali, quo non sunt sub dominio vniuersali Dei, vt constat ex dictis; ideoque potuit Christus medijs suis actionibus Deum ex iustitia obligare. Quæ solutio est Diui Thomæ *in 4. Sent. dist. 15. q. 1. artic. 2. ad 2.* his verbis: *Dicendum, quòd homo, qui ad imaginem Dei creatus est, aliquid libertatis participat, in quantum est dominus suorum actuum per liberum arbitrium, & ideo ex hoc, quòd per liberum arbitrium agit, Deo satisfacere potest; quia licet Dei sit, prout à Deo est sibi concessum; liberè tamen traditum est, vt eius dominus sit, quod seruo non competit.* Hæc D. Thom. Quibus egregiè, etsi compẽdiosè traditam insinuauit doctrinam. S. Tho.

94. *Replicabis.* Sed contra illam replicabis; nam licet ex illa habeatur, Christum vt hominem fuisse liberum in elicitia suarum operationum; non tamen habe-

tur,

tur, habuiſſe ſuper illas dominium, nec fuiſſe ſuarum operationum dominum: ergo operationes Chriſti fuerunt Dei poſitiuè, & priuatiuè, non minus, quam bona ſerui in humanis ſub dominio domini priuatiuè ſunt conſtituta, & conſequentèr fuit traditum à Nobis diſcrimẽ. Conſequentia patet; nam vt operationes Chriſti non ſint ſub dominio Dei priuatiuè, neceſſarium eſt, quòd ſint ſub dominio Chriſti, vt hominis: ergo ſi quamuis Chriſto, vt homini liberæ fuerint; non tamen erant ſub dominio illius, fuerunt Dei poſitiuè, & priuatiuè. Antecedens autem probatur: licet ſubditus ſit liber in obediendo Prælato; non tamen eſt dominus illarum operationũ, quibus præceptum Prælati exequitur; & hoc ideò, quia ſine iniuria Prælati nõ poteſt nõ operari, Prælato id præcipiente ratione poteſtatis dominatiuæ, qua gaudet ſupra voluntatem ſubditi; ſed etiã non potuit Chriſtus ſine iniuria Dei non operari, id Deo præcipiente titulo ſupremi dominij: ergo Chriſtus quatenus homo, eſto liber fuerit in elicientia ſuarum operationum; dominium tamen ſuper illas non habuit, nec fuit dominus illarum, & conſequentèr illa, quibus ſatisfecit, erant ſub dominio Dei poſitiuè, & priuatiuè.

95. *Reſpõdetur.*

Reſpondeo, negando antecedẽs; vt enim conſtat ex doctrina D. Tho. vbi proximè, homo per liberum arbitrium eſt ſuorũ actuum dominus, vbi, vt conſtat non ſolum libertatem homini attribuit in ordine ad proprias operationes, ſed etiam illarum dominium; & hoc ideo, quia licet Dei ſit, prout à Deo eſt ſibi conceſſum, liberè tamen illi traditum eſt, vt eius dominus ſit: quod autem homini conuenit in ordine ad proprias operationes, Chriſto, vt homini negandum non eſt, ac proindè eſt aſſerendum, non ſolum fuiſſe liberum in elicientia ſuarum operationum, ſed etiam ſuper illas habuiſſe dominium, tametſi ſubordinatũ dominio vniuerſali Dei. Ad probationem antecedentis, permiſſa prima parte maioris, quòd nẽpè ſubditus nullatenus habeat dominium illarum operationum, quibus obedit Prælato, nego cauſalem maioris, quòd nempè hoc ideo præcisè ſit, quia ſine iniuria Prælati, vt domini præcipientis non poteſt non operari, ſed quia dominium Prælati dominium particulare eſt; dominium autem Dei ſupra operationes Chriſti eſt dominium vniuerſale, de ratione autem dominij eſt facultas liberè vtẽdi re ſua abſque iniuria alterius domini particularis, non verò abſque iniuria alterius gaudentis dominio vniuerſali; nam dominium particulare nõ incomponitur cum vniuerſali dominio, imo illi eſſentialitèr ſubordinatur: ſicut efficientia cauſæ particularis non excludit efficientiam cauſæ vniuerſalis, ſed illam eſſentialitèr ſupponit, & ab illa eſſentialitèr dependet: ideoque cum dominio Prælati, quod habet ſuper actiones ſubditi, nõ ſtat in ſubdito dominium ſuper eaſdem operationes: cum dominio autẽ vniuerſali Dei ſuper operationes à Chriſto vt homine elicitas ſtat, Chriſtum, vt hominem eſſe dominum earundem operationum.

96. *Ad ſecundam obiectionẽ reſpondetur.*

Ad ſecundam principalem obiectionem, conceſſis maiori, & minori, diſtinguo conſequens: ſatisfactio in materia reſtitutionis, & ſolutionis pecuniariæ, concedo cõſequentiam: ſatisfactio compenſatiua iniuriæ alicui irrogatæ, nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis inter vtramque ſatisfactionem eſt; nam reſtitutio pecuniaria fit ad cõſtituẽdam æqualitatem inter acceptum, & redditum, vt ſcilicet tantum recipiat creditor, quantum voluntariè dederat, vel ab eo ablatum fuerat: & quia centum communia debitori, & creditori, & ſub vtriuſque dominio exiſtentia nõ tanti æſtimantur, quanti habentur cẽtum creditori propria, & ſub illius dominio tantum conſtituta, hinc fit, quòd centum vtrique communibus nequeat fieri à debitore ſolutio, vel reſtitutio rigoroſæ iuſtitiæ. Satisfactio autem compenſatiua iniuriæ nõ tendit ad conſtituendos actus ſatisfactorios ſub dominio creditoris, ſed ad reſarciendum honorem ablatum per

obie-

obsequium æqualis æstimationis cum offensâ ipsi irrogata: & quia talis honor æque refarcitur per actus, qui sint sub dominio creditoris, dummodò liberè à debitore satisfaciente exerceatur, & adæquent in morali æstimatione offensam creditori irrogatam, ac per actus, qui sub dominio creditoris non essent, nec minoris æstimationis sint, ex eo, quòd sub dominio creditoris existant, ac essent, si non existerent sub eius dominio, sed tantum sub dominio satisfacientis, consequens fit, quòd ad satisfactionem iniuriæ ex rigore iustitiæ, non sit necessariò, quòd fiat ex proprijs satisfacientis priuatiuè sub omni ratione, sed sufficit, quòd fiat ex proprijs satisfacientis positiuè, & priuatiuè sub aliqua ratione speciali, quod satisfactioni Christi competere constat ex dictis.

97. *Ad tertiam.* Ad tertiam, concesso antecedenti, nego consequentiã, ad cuius probationem, vel nego maiorem, eo quòd opera Christi Domini ratione suæ infinitatis omnibus titulis copulatiuè satisfacere poterant, vt *§. præcedenti* dicebamus; vel secundò, nego maiorem, eo quòd quamvis Deus opera à Christo Domino elicita exegisset titulo supremi dominij, non essent debita à satisfaciente *quod* ratione formæ valorantis satisfactionem, sed ratione humanitatis, quæ erat principium *quo* elicitivum operationum, quibus satisfactio fuit facta, nec Deus illam non exigendo titulo supremi dominij gratiam faceret satisfacienti *quod* ratione formæ valorantis operationes, sed ratione principij *quo* elicitiui illarum, quod rigori iustitiæ in satisfactione Christi non obstare, constat ex ijs, quæ diximus *§. 3.*

98. *Ad quartam respondetur primo.* Ad quartam obiectionem respondeo primò, distinguendo antecedens pro secunda parte: valor moralis operationum Christi non fuit à Christo Domino elicitiuè sumptus in abstracto, concedo antecedens: sumptus concretiuè, nego antecedens, & nego consequentiam; cum enim, non valor operationum in abstracto, quæ est Deitas valorans, vt forma, sed opera valorata, & significata à Deitate, fuerint id, quo Christus satisfecit, & opera valorata, & significata à Deitate, à Christo vt homine elicitiuè processerint, consequens fit, vt licet valor operationum Christi in abstracto, ideit, Deitas valoràs, non fuerit Christi aliquo speciali modo, quo Dei creditoris non sit; satisfactio tamen ipsa fuerit Christi, vt hominis priuatiuè sub aliqua ratione speciali; fuit enim illius, vt elicientis, quo modo Dei creditoris non erat.

Respondetur secundò. Vel secundo respondetur, permissa prima parte antecedentis, distinguendo secundam: fuit valor ille desumptus à Deitate communi, vt communi, nego antecedens: à Deitate vt appropriata Verbo, vt terminanti humanitatem, concedo antecedens, & nego consequentiam; Deitas namque non significabat operationes satisfactorias Christi, vt communis toti Trinitati, sed quatenus terminata subsistentia Verbi, non absolutè sumpta, sed vt terminante humanitatem, vt sic autem communis toti Trinitati non erat, sed propria Verbi, vt subsistentis in humanitate, qua ratione satisfecit. Vndè, etsi valor ille non fuerit à Christo Domino elicitiuè, sed à Deitate sumptus formaliter, non sequitur, non fuisse Christi aliquo modo speciali, quo Dei creditoris non erat.

99. *Obiicies primò.* Si opponatur primò: licet Deitas vt terminata per subsistentiam Verbi non sit toti Trinitati communis, sed Verbi propria; Verbum tamen etiam fuit creditor, cui fiebat satisfactio, sicut etiam fuit iniuriatum per offensam Deo irrogatam: ergo valor ex Deitate sumptus vt terminata per subsistentiam Verbi non fuit ex proprijs Christi, vt satisfacientis sub aliqua ratione speciali, sub qua creditoris offensi non fuerit, & consequenter non fuit ex proprijs Christi satisfacientis priuatiuè aliquo modo.

Secundò. Secundò, nam subsistentia Verbi vt terminans humanitatem est etiam Dei creditoris per identitatem: ergo valor sumptus ex Deitate vt termina-

ta per ſubſiſtentiam Verbi, vt terminantis humanitatem non eſt ex proprijs Chriſti priuatiuè, ſed ex aliquo, quod eſt creditoris; ſi namque ſubſiſtentia Verbi, vt modificans Deitatem præſtantem valorem operationibus Chriſti, Dei creditoris per identitatem eſt, Deitas vt dignificans Dei creditoris eſt, & conſequenter valor ex illa deſumptus non ex aliquo proprio Chriſti, vt ſatisfacientis.

100 *Ad primam ex his obiectionib⁹ reſpõdetur.*

Reſpondeo ad primam replicam, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam; Deitas namque non valorat operationes Chriſti vt terminata per ſubſiſtentiam Verbi abſolutè, ſed vt terminata per ſubſiſtentiã Verbi, prout hæc terminat humanitatem, & illam ſubſiſtentem reddit: licet autem Verbum in ſe ipſo ſit creditor, cui fit ſatisfactio, vt terminans humanitatem, & in illa ſubſiſtens, non creditor, ſed debitor erat: vndè, valor ſumptus à Deitate vt terminata ſubſiſtentia Verbi, prout terminantis humanitatem, eſt ex proprijs Chriſti ſatisfacientis priuatiuè ſub aliqua ratione ſpeciali, quia eſt ex Deitate, vt Chriſto ſatisfacienti appropriata.

Ad ſecũdam.

Ad ſecundam replicam, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; quia licet terminatio humanitatis ſit Dei per identitatem; eſt tamen Verbi in genere quaſi cauſæ formalis terminantis, qualitèr Dei creditoris non eſt, ac proindè valor ſumptus à Deitate, vt terminata per ſubſiſtentiam Verbi, vt terminantis humanitatem, ſumitur ab aliquo proprio Chriſti priuatiuè ſub aliqua ratione ſpeciali, ideſt, ab aliquo, quod aliquo modo eſt Chriſti ſatisfacientis, quo modo Dei creditoris non eſt.

101. *Ad vltimam obiectionem principalem reſpõdetur*

Ad vltimam obiectionem diſtinguo maiorem: ſi ſemel poſita exiſtant ſub illius perfecto dominio poſitiuè, & priuatiuè, concedo maiorem: poſitiuè, & non priuatiuè, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam; nam ſatisfactio Chriſti Domini ſemel poſita, quamuis ſit ſub dominio perfectiſſimo Dei poſitiuè, non tamen eſt ſub dominio Dei priuatiuè, ideſt, talitèr quòd non ſit ſub alterius dominio; eſt enim etiam ſub dominio Chriſti, vt hominis modo ſpeciali explicato, quo modo ſub dominio Dei non eſt, ideoque per illam non ea ratione, qua exiſtit ſub dominio Dei, ſed ea conſideratione, qua exiſtit ſub dominio Chriſti vt hominis, nempè vt elicitiuè ab illo procedens, ipſumque merentem, & ſatisfacientem denominans, potuit Deus ex iuſtitia obligari, ſicque de facto fuiſſe obligatum ad eius acceptationem, & offenſæ remiſſionem ex dicendis *diſputatione ſeptima* conſtabit.

102. *Inſtabis.*

Sed dices: eo ipſo quòd ſatisfactio Chriſti ſemel poſita exiſtat ſub dominio Dei creditoris, eſt donum ab ipſo acceptum; ſed eo ipſo quod ſit donum Dei, non potuit Deus per illam ex iuſtitia obligari: ergo eo ipſo quòd ſatisfactio Chriſti ſemel exiſtens ſub dominio perfectiſſimo Dei conſtituatur, non poteſt Deus per illam ad remiſſionem offenſæ obligari ex iuſtitia. Maior cum conſequentia tenet, minor autem probatur: ſi ſatisfactio, quæ donum Dei eſt, poſſet Deum ex iuſtitia obligare; Deus ſe ipſum obligaret ex iuſtitia; ſed non poteſt Deus ſe ipſum obligare ex iuſtitia: ergo eo ipſo quòd ſatisfactio Chriſti ſit donum Dei, non poteſt per illam obligari Deus ex iuſtitia. Conſequẽtia eſt bona, minor videtur certa; nam ſi Deus ſe ipſum ex iuſtitia obligaret, eſſet Deus ſibi ipſi ex iuſtitia obligatus, quod implicat, cum inter extremum obligãs, & extremum obligatum ex iuſtitia realis requiratur diſtinctio, vt conſtat ex dictis. Sequela autem probatur; quod enim ab aliqua forma præſtatur in genere cauſæ formalis, præſtatur ab efficiente formam in genere cauſæ efficientis: ſicut quia albedo in genere cauſæ formalis dealbat, & facit album, cauſans efficienter albedinem, dealbat, & facit album in genere cauſæ efficientis; ſed ſatisfactio Chriſti, eo ipſo quòd donum Dei ſit, cauſatur ab illo efficienter: ergo ſi ſatisfactio Chriſti, quæ donum Dei eſt, poteſt

Deum

Deũ ex iustitia obligare, potest Deus se ipsum obligare ex iustitia.

Cõfirmatur. Quod amplius vrgetur; non enim alia ratione Christus vt homo Deum ex iustitia obligauit ad remissionem offensæ, nisi quia efficienter causauit satisfactionem Deum formaliter ex iustitia obligantem: ergo si satisfactio, quæ donum Dei est, & ab ipso efficienter caulata, Deum formaliter ex iustitia obligaret, posset Deus se ipsum obligare ex iustitia, & consequenter esse extremum, cui obligationis ab ipso, esseque sibi ex iustitia obligatus.

103. *Respondetur.* Respondeo, concessa maiori, negando minorem, ad illius probationem, nego sequelam; nam cum satisfactio Christi, licet sit donum Dei, sit operatio bona moraliter existens sub dominio Christi, vt hominis, fit, vt possit Deum formaliter ex iustitia obligare, quin Deus obliget ex iustitia se ipsum per hoc, quòd à Christo vt homine satisfactionem eliciente, per illamque merente, & satisfaciente obligetur. Ad probationem sequelæ, concessis maiori, & minori, nego cõsequentiam; nam ex præmissis positis, & concessis, solum infertur, Deum efficienter ad formam ipsum obligantem concurrere, quod libenter ratemur; cum enim efficienter causet satisfactionem Christi, & per illam Deus ex iustitia obligetur, non potest negari, Deum concurrere efficienter ad formam ipsum ex iustitia obligantem; non tamen sequitur, quòd Deus se ipsum obliget ex iustitia; nam ad hoc necessum erat, quòd non solum efficienter causaret satisfactionem, sed etiam quòd eliciuè, liberè, & vitaliter ad illam concurreret, ita vt merens, & satisfaciens denominaretur ab illa; cum enim obligans per satisfactionem ille solus sit, qui satisfacit, & obligans ex iustitia præmiantem ad meriti remunerationem solus ille sit, qui meretur; Deus autem, etsi efficienter, ad meritum, & satisfactionem Christi concurrit, non sit, nec dicatur merens, & satisfaciens, eo quòd purè effectiuè, non autem eligitiuè, liberè, & vitaliter ad illa concurrit, fit consequens, vt non possit propriè dici, Deum se ipsum ex iustitia obligare.

Ad cõfirmationẽ. Et ex his ad augmentum difficultatis constat solutio, & in forma respondetur distinguendo antecedens: quia purè efficienter satisfactionem causauit, nego antecedens: efficientia elicitiua, vitali, & libera, & vt subiectiua merens, & satisfaciens per illam, concedo antecedens, & nego consequentiam; quia Deus purè efficienter ad satisfactionem Christi concurrit, non autem efficientia, libera, & vitali. Vndè, sicut ob hanc causam *non denominatur volens, & intelligens* per intellectionem, & volitionem *creatas*, etsi ab *ipso* intellectio, & volitio creatæ procedant, ob eandem non denominatur satisfaciẽs à satisfactione Christi, & consequenter; nec propriè potest dici obligans ex iustitia se ipsum ad offensæ remissionem, nec quòd sit sibi ipsi ex iustitia obligatus, sed solum Christo vt homini, qui per actus satisfactorios satisfaciens denominatur, eo quòd ad illos concurrit libero, & vitali modo. Et hæc de ista disputatione applicãda litteræ Magistri *locis*, quibus præcedentes applicantur.

DISPVTATIO SEXTA.

An Christi satisfactio fuerit ex virtute iustitiæ?

§. I.

Referuntur sententiæ, & statuitur prima conclusio.

1. SATISFACTIONEM Christi fuisse de toto rigore iustitiæ vidimus *disp. præced.* Quia autē non desunt Theologi, qui illi concedentes totū iustitiæ rigorem negāt, fuisse actum virtutis iustitiæ regulatum ab illa: idcirco præsentem disputationem statuimus, in examen vocantes, an Christus ex virtute iustitiæ satisfecerit pro hominibus, & an satisfactio illius fuerit ex virtute iustitiæ vt ab illa regulatus, & ad quam speciem iustitiæ talis virtus pertinuerit? Nec superflua censeri debet huiusmodi disputatio; licet namque iusti suis bonis operibus in Deo factis gloriam promereantur ex rigore iustitiæ in probabili, & satis frequenti Theologorum sententia; quòd tamen illorum merita sint actus iustitiæ specialis residētis in iustis in ordine ad Deum elicitiuè, aut regulatiuè procedentes ab illa, non ita frequentèr docetur. Vndè, adhuc probato, actus satisfactorios Christi, non solum fuisse æquales, & superabundantes in morali æstimatione, sed etiam obtinuisse totum iustitiæ rigorem, nō inanitèr inquirimus, an fuerint actus virtutis iustitiæ specialis, & an ex illa regulatiuè, aut elicitiuè processerint?

2. *Primū præsupposituū.*

In quo, vt ad difficultatis punctū proximius accedamus, duo vt indubitata, & extra controuersiam supponimus. Primum est, nō omnes actus satisfactorios Christi fuisse elicitos à virtute iustitiæ; cum namque satisfecerit per actus charitatis, obediētiæ, humilitatis, & cæterarum virtutum in eius anima residentium, & tales actus non eliciantur à virtute iustitiæ specialis, sed illorū cuilibet sua specialis virtus pro principio *quo* elicitiuo respondeat, virtus charitatis pro eliciēda dilectione Dei, virtus obediētiæ ad actū obediētiæ eliciendū, & sic de alijs, manifestè fit cōsequēs, non omnes actus satisfactorios Christi ad virtutē iustitiæ specialis pertinuisse elicitiuè, nec ab illa fuisse elicitos; eiusdē nāq; actus duplex principiū proximū elicitivū specificè distinctū nō datur: vndè, cū iustitia specialis à cæteris virtutibus distinguatur specificè, nō potest ad illarū actus elicitiuè concurrere. Cuius

rei

rei exẽplum in nobis manifestũ habemus; licet enim virtus pœnitentiæ infusæ in animabus iustorũ residcat ad satisfaciendũ imperfectè Deo pro offensa in ipsũ cõmissa; nõ tamẽ omnes actus, quibus Deo satisfaciunt, à virtute pœnitẽtiæ elicitiuè procedunt: satisfaciunt nãq; Deo per actus omniũ virtutũ, & maximè per actus charitatis, qui tamen non a pœnitentia, sed à charitate, quæ in veriori, & frequentiori sententia est virtus à pœnitentia specificè distincta, eliciuntur.

3. *Secũdũ præsup. positũ.*

Secundò vt indubitatum supponimus, actus, quibus Christus Dñs satisfecit, non solũ à virtute iustitiæ specialis, sed etiã ab alijs virtutibus fuisse imperatos, seu imperari potuisse. Tùm, quia vna virtus imperat actus alterius in ordine ad propriũ obiectũ, propriũque motivum, v.c. religio ex motiuo cultus diuini, quod est propriũ obiectũ illius, imperat aliarũ virtutum actus, & ex motiuo bonitatis diuinæ vt dilectæ amicabiliter, actus aliarũ virtutũ à charitate imperantur. Potuit ergo Christus Dñs actus, quibus satisfecit imperare ex motiuis diuersarum virtutũ. Tũ etiam, nã Christu satisfecisse ex motiuo obedientiæ est apud Theologos cõstãs, iuxta illud: *Factus obediens vsq; ad mortẽ, mortẽ autẽ crucis.* Ex quo patet, mortẽ, qua præcipuè pro hominibus satisfecit, subijsse ex motiuo obedientiæ, & consequẽter ex imperio illius; non enim potest vnius virtutis actus alterius motivũ attingere, nisi illius subijciatur imperio: ergo si fustinẽtia mortis, quæ fuit actus fortitudinis, fuit ex motiuo obedientiæ, ex obedientiæ imperio processit. Tùm deniq; nã in moriendo pro hominibus suã maximã dilectionem ostendit, iuxta illud: *Maiorẽ charitatẽ nemo habet, vt animã suã ponat quis pro amicis suis*: ergo mors Christi, & cõsequenter satisfactio illius, ex imperio charitatis processit; non enim potest charitas manifestari per actũ, qui ab illa saltim imperatiuè nõ fit, ac proindè actus satisfactorij Christi, nõ solũ à virtute iustitiæ specialis, sed etiã ab alijs virtutib⁹, processerũt imperatiuè.

Ad Philip. c. 2. vers. 4.

Ioan. 15 vers. 13.

His ita præmissis, difficultatis pũctus consistit in eo, an scilicet detur in Christo virtus iustitiæ specialis, mediante qua eliciatur propositũ satisfaciẽdi Deo pro peccatis hominũ ex motiuo speciali, nempè constituẽdi æqualitatẽ inter satisfactionẽ, & offensam, sicut datur in illo virtus charitatis ad Deũ diligẽdũ, & ad ipsũ colendũ virtus religionis constituitur, cõsequentèrq; per prædictam virtutem iustitiæ omnes actus satisfactorij regulentur, quatenus tendũt ad prædictam æqualitatẽ constituendam, ad eum modũ, quo etsi per actus omniũ virtutũ pro peccatis proprijs homines satisfaciãt imperfectè Deo, dicitur in illis in veriori, & frequentiori Theologorũ sententia virtus pœnitentiæ infusa ab alijs virtutibus specificè distincta ad eliciẽdũ satisfaciendi propositũ ex particulari, & speciali motiuo, videlicet, destruẽdi peccatũ, & offensam Deo irrogatam, per quam actus aliarũ virtutũ, vt satisfactorij sunt regulantur, & ex prædicto fine, & motiuo imperantur.

Explicatur punctus difficultatis.

5. *Prima sẽtentia*

In quo duæ versantur Theologorum sententiæ, prima est negatiua, quã tenẽt omnes Auctores *disp. præcedenti* pro prima sententia relati; cũ enim negent actuali satisfactioni Christi cõditiones requisitas ad honestatem iustitiæ specialis, consequenter negant virtutem specialis iustitiæ in Christo, per quam reguletur, & à qua illius satisfactio imperetur. Tenet etiam noster Vincentius *relect. de gratia Christi, q. 5. dub. 1. concl. 2.* vbi, etsi satisfactioni Christi concedat honestatem iustitiæ specialis; negat tamen fuisse elicitam, aut regulatam à virtute specialis iustitiæ. In assignanda autẽ virtute, ad quã satisfactio Christi pertinuerit, non conueniunt illius sententiæ Auctores. Vazquez *disp. 7. cap. 6. num. 47.* docet, nullam specialem virtutem esse in Christo ad satisfaciendum constituendam, sed satisfecisse per actus omnium virtutum absque directione facta per aliquam virtutẽ specialem, sicut homines iusti actibus omnium virtutum merentur, quin illorum meritum ab aliqua virtute speciali directiuè, aut regulatiuè procedat, & quin detur in illis virtus ali-

Vincẽt.

Vazq.

4.

qua ſpecialis, à qua actus aliarum virtutum, vt meritorij ſunt, imperẽtur. Vincentius autem, etſi doceat, ſatiſfactionem Chriſti ad omnes virtutes pertinuiſſe elicitiuè; ait tamẽ, religionem fuiſſe regulam proximam cæterarum virtutũ, quæ illarum actiones in ſatisfactionem pro peccatis noſtris ordinauit, ſicut pœnitentia in nobis ordinat, & dirigit aliarum virtutum actus, vt ſatisfactorij ſint pro peccatis à nobis cõmiſsis ex motiuo deſtruendi peccatum, & offenſam Deo irrogatam. Ita, *inquit Vincentius*, virtus religionis in Chriſto actus aliarum virtutum ad ſatisfaciẽdum pro peccatis alienis ordinauit.

6. *Secũda sẽtẽtia.*

Secunda ſententia docet, dari in Chriſto virtutem ſpecialem iuſtitiæ, per quam actus aliarum virtutum, in quantũ ſatisfactorij ſunt, regulantur, imperanturq; ex fine ſatisfaciendi pro peccato humani generis, conſtituendique æqualitatem inter ſatisfactionem, & offenſam. Hanc tenent, præter Vincentium, omnes Theologi *diſput. præced.* pro noſtra ſententia relati, qui etiã inter ſe diuiduntur in aſſignanda ſpecifica ratione iuſtitiæ regulante Chriſti ſatisfactionem, imperanteque actus aliarum virtutum ex prædicto fine, & motiuo, an ſcilicet fuerit iuſtitia diſtributiua, cõmutatiua, legalis, aut vindicatiua, & an fuerit virtus diſtincta ſpecificè à pœnitẽtia, per quam homo parus Deo ſatisfacit pro offenſa in ipſum cõmiſſa, ac denique, an fuerit iuſtitia ſpecificè diſtincta ab illa, qua vnus homo in alterius ius illæſum conſeruandum, & læſum reparandum inclinatur, & ab omni alia virtute exercita inter puras creaturas ſubiectiuè, & obiectiuè. Quorum diſſidium ex dicendis in reſolutione noſtra conſtabit. Pro cuius explicatione ſit

7. *Prima concluſio cõtra P. Vaz. Probatur primò.*

Prima concluſio: In Chriſto eſt conſtituẽda virtus aliqua ſpecialis ab alijs virtutibus ſpecificè diſtincta, per quã ſatisfecit pro peccato humani generis. Hanc ſtatuo cõtra P. Vazquez, & oſtenditur primo; nã ad omnẽ actũ ſupernaturalem honeſtũ ſpeciali honeſtate cõſtituenda eſt in Chriſto ſpecialis aliqua virtus; ſed velle Deo ſatisfacere pro offẽſa in ipſum cõmiſſa ex motiuo conſtituendi æqualitatẽ inter ſatisfactionẽ, & offenſam, & reparandi ius diuinũ læſum, eſt actus ſupernaturalis ſpeciali gaudens honeſtate: ergo ad illum eliciendum conſtituenda eſt in Chriſto aliqua virtus ſpecialis. Diſcurſus euidens eſt, maior etiã aperta videtur. Tùm, quia nõ ob aliã cauſam cõcedimus Chriſto Dño alias virtutes ſpeciales, niſi ad eliciẽdos actus ſpeciali honeſtate gaudentes, qui ob ſuam ſpecialitatẽ non poſſunt ab alijs virtutibus elici: ergo ad omnem actũ, qui huius cõditionis ſit, virtus ſpecialis conſtitui debet in illo: tùm etiam; nam anima Chriſti Dñi omnes actus honeſtos ſuauiter, & connaturaliter eliciebat tam in ordine naturæ, quam intra ordinẽ gratiæ; quo circa gratiã habitualẽ, & virtutes ſupernaturales infuſas eſſe in illa conſtituendas tenet cõmunis ſententia *infra q. 7. art. 1.* non quia gratia habitualis neceſſaria ſit, vt anima Chriſti ſit ſancta, cũ iuxta frequentiorẽ, veriorẽq; ſententiã ſanctificetur per gratiã ſubſtãtialẽ vnionis, imò & infinitè ſancta cõſtituatur per illã, ſed vt cõnaturaliter intra ordinẽ gratiæ ſupernaturales actus eliciat, quod ad illius attinet dignitatẽ; ſed ſine habitu ſupernaturali non omninò cõnaturaliter, & ſuauiter ſupernaturalis actus elicitur: ergo ad omnẽ actũ ſupernaturalẽ ſpeciali honeſtate gaudentẽ conſtituenda eſt in anima Chriſti Domini aliqua virtus ſpecialis.

Minor probatur primo.

Minor autem oſtenditur primò; nam velle ſatisfacere homini pro iniuria illi facta conſtituendo æqualitatem inter iniuriam, & ſatisfactionẽ, & ius per iniuriam læſum reparando eſt actus ſpeciali gaudens honeſtate, & ſufficiens ad ſpecificandam virtutem ſpecialem: ergo velle Deo ſatisfacere pro iniuria in ipſum commiſſa ex motiuo æqualitatis inter ſatisfactionem, & offenſam, reparandique ius diuinum, quod per iniuriam fuit læſum, erit in Chriſto actus honeſtus ſpeciali gaudens honeſtate, ſufficiẽſq; ad ſpecificãdam aliquam virtutẽ ſpecialẽ. Secundò, nam in motiuo huius

Secũdò.

actus

actus relucet specialis honestas: ergo in ipso actu specialis bonitas reperitur exigens specialem virtutem pro principio elicitiuo sui. Denique, nam propositum satisfaciendi Deo imperfectè pro peccato proprio ex motiuo destruendi peccatum est actus specialis gaudens honestate, pro quo eliciendo virtus pœnitentiæ in puro homine constituitur, quam esse virtutem specificè ab alijs distinctam, docet frequentior, veriorque Theologorum sententia: ergo velle satisfacere Deo perfectè pro peccato humani generis ex motiuo constituendi æqualitatem inter satisfactionem, & offensam, & ius diuinū læsum reparádi est in Christo actus specialis gaudens honestate, exigensque pro principio elicitiuo sui aliquá virtutē specialē.

Tertiò.

Cōfirmatur.

8. *Respondet Vazquez*

Respondebis ex doctrina Auctoris contrarij, actum istum necessariū non fuisse, vt Christus satisfaceret Deo pro peccato humani generis; satisfecit enim pro illo per actus omniū virtutum, etiam si à prædicto actu non imperarentur, cum etiam sine tali imperio essent infiniti valoris in æstimatione morali, & consequenter æquiualens satisfactio pro offensa, ideoque virtutem specialem ad satisfaciendum pro illo in Christo assignandam non esse; non enim pro eliciendo omni actu supernaturali honesto speciali honestate constituenda est specialis virtus in Christo, sed solum ad eliciendos illos, qui sunt intra ordinem gratiæ, vel ad finē redemptionis necessarij.

Reijcitur eius solutio.

Sed cōtra, nam etsi per actus omnium virtutū potuerit Christus obedire diuinis præcepris, etiam si tales actus non imperarētur à virtute obedientiæ, nihilominus in ipso constituitur obedientia, quæ est virtus specialis ad eliciendū actum, quo vellet obseruare præcepta imposita à Deo ex motiuo Deo obediendi: ergo, quāvis actus aliarum virtutū eliciti à Christo Dño fuerint satisfactio sufficiens pro offensa absque subordinatione necessaria ad prædictū actum, assignāda est nihilominus specialis virtus in illo ad eliciēdū actum, quo vellet Deo satisfacere pro offensa in ipsum cōmissa, constituendique æquālitatē inter satisfactionem, & offensam, & ius diuinum per offensam læsum ad æqualitatem reparandi. Quod amplius vrgetur, & explicatur: etiam si ius diuinū illæsum conseruetur per actus omniū virtutum existentes sub præcepto, quantāvis non imperentur à proposito formali ius diuinū illæsum conseruandi, nihilominus datur in Christo virtus aliqua specialis ad prædictum propositum eliciendū: ergo paritèr, etiam si ius diuinū læsum sufficienter reparetur per actus aliarum virtutū, etsi non procedentes à voluntate formali ius diuinum læsum ad æqualitatem reparandi, nihilominus erit constituenda in Christo specialis aliqua virtus, per quam eliciat actum, quo velit ius diuinum læsum ad æqualitatem satisfaciendo reparare.

Cōfirmatur.

9. *Secundò probatur conclusio.*

Deindè principalitèr suadetur cōclusio; in nobis nāque datur specialis virtus ad satisfaciēdū Deo pro peccatis proprijs, videlicet pœnitentia, quā esse specialem virtutē, ab alijsque specificè distinctā, docet Vazquez *tom. 4. in 3. p. q. 85. art. 2. dub. vnic.* estque frequētior sententia inter Theologos: ergo ad satisfaciendū perfectè debet in Christo assignari, cōstituiq; aliqua virtus specialis. Patet consequentia; si namq; peccatum, vt imperfectè cōpensabile, & vt destruibile satisfactione imperfecta, habet specialem rationē obiectiuam, sufficientēque ad specificandā virtutē specificè distinctam ab alijs, non est, cur vt perfectè compensabile sufficiens non sit ad terminandam, specificandamque virtutem specie ab alijs distinctam.

Quod amplius vrgetur: esto namque per actus aliarum virtutum satisfiat Deo à nobis pro peccatis proprijs satisfactione imperfecta, quantumuis non imperentur à proposito formali satisfaciendi Deo, reparandique ius diuinū per peccatum læsum, datur in nobis virtus pœnitentiæ, quæ specialis virtus est pro principio *quo* elicitiuo voluntatis formalis satisfaciendi Deo, & ius illius læsum reparandi: ergo paritèr, quamuis actus

aliarum virtutum eliciti à Christo Domino essent sufficiens satisfactio pro offensa in ipsum cõmissa absque indigentia essentiali, vt imperatiuè procederent à proposito formali perfectè satisfaciendi Deo, & ius illius læsum ad æqualitatem reparandi, nihilominus constitui debet in Christo aliqua virtus specialis ad suauiter, & connaturaliter dictum actum eliciendum.

10. *Respõdebis.* Si forte dicatur: ideo in nobis dari virtutem pœnitentiæ in ordine ad destructionem peccati à nobis commissi, quia homo semel in peccatum lapsus tenetur lege diuina pœnitere de peccatis, & ad actum pœnitentiæ eliciendum: Christus autem, non est, vnde colligatur, quòd fuerit obligatus elicere propositum formale satisfaciendi Deo perfectè pro peccato humani generis, & ius diuinũ læsum ad æqualitatem reparandi: vnde, quãuis in peccato, vt perfectè compensabili, detur sufficiens ratio obiectiua ad virtutem specialem terminandam, & specificandam, non sequitur, talem virtutem esse in Christo de facto constituendam; etenim in obiectis virtutum sunt considerabiles plures rationes obiectiuæ specificè distinctæ, & consequenter sunt possibiles circa illas plures actus virtuosi distincti specie inter se; ad quos tamen eliciendos habitus virtuosi specificè distincti de facto non assignantur, nec constituũtur à Theologis: ergo ex eo quòd in peccato alieno detur sufficiens ratio obiectiua ad specificandam virtutem specie ab alijs distinctam, non sequitur, talem virtutem esse de facto assignandam, & constituẽdam in Christo.

11. *Contra primo.* Si, inquam, sic respondeatur, obstat primò; nam virtutes non solum dantur ad eliciẽdos actus præceptos, sed etiam ad eliciendos actus existentes sub consilio: ergo ex eo, quòd propositum formale satisfaciẽdi Deo perfectè pro peccatis alienis, & ius illius læsum ad æqualitatem reparandi Christo vt homini præceptum non fuerit (à quo modò præscindimus) non colligitur, quòd pro illo actu eliciendo non sit constituenda aliqua specialis virtus, si semel in tali actu inuenitur specialis honestas sufficiens specificare virtutẽ ab alijs distinctam. *Secũdò.* Secundò, nam esto potuerit Christus Deo perfectè satisfacere per actus aliarum virtutum absque intentione formali satisfaciendi tales actus imperante; connaturalius tamen, & modo perfectiori moraliter satisfactio exercetur ex intentione formali satisfaciendi, quam sine tali intentione: sicuti licet præcepta sufficienter adimpleantur per eliciendam actuum existentium sub præcepto sine formali intentione adimplendi præcepta, & superiori præcipienti obediendi; connaturalius tamen, & modo perfectiori moraliter cum tali intentione, & ex illa à subdito adimplentur præcepta; sed Christo debemus concedere modum perfectiorẽ moraliter præstandi satisfactionem, sicuti & modũ perfectiorem obediendi, & obseruandi præcepta, exercendique aliarum virtutum actus: ergo quamuis actus prædictus Christo præceptus non fuerit; asserendũ tamen est, semper Christum præstasse satisfactionem imperatam ex intẽtione formali Deo perfectè satisfaciendi, & ius illius læsum ad æqualitatem reparandi, & consequenter cõstitui debet in Christo habitus virtutis specialis ad prædictum actum eliciendum; virtutes namque assignantur, & de facto conceduntur pro eliciendis illis actibus, qui regulariter in ordine gratiæ exercentur. Et ex his soluitur ratio, qua iuvabatur solutio; si namque de facto intra ordinem gratiæ non dantur habitus virtuosi ad eliciendos aliquos actus, qui distingui, & multiplicari possunt circa rationes aliquas obiectiuas distinguibiles in obiectis virtutum, ideo est, quia tales actus regulariter non eueniunt, quæ ratio in nostro casu non militat, sed potius opposita. *Ad motiuum solutionis respondetur.*

12. *Tertio probatur conclusio.* Denique principaliter suadetur conclusio; nam si ob aliquam rationem nõ esset talis virtus specialis constituenda in Christo Domino, maximè; quia ratio iniuriæ, quæ in peccatis reperitur, & ad cuius destructionem ordinatur satisfactio, est omni

peccato

peccato communis; at hæc ratio nullius momenti est: ergo constitui debet in Christo virtus aliqua specialis ad perfectè Deo satisfaciendum pro iniuria in ipsum commissa. Maior cõtinet vnum ex fundamentis, quo mouentur Auctores oppositi ad negandam prædictam virtutem; minorem autem probo; nam ratio inobedientiæ, & ratio virtualis odij Dei, quibus virtus obedientiæ, & virtus charitatis opponuntur, sunt communes omni peccato, generalitèrque in omni peccato, saltim mortali, inueniuntur; & tamen obedientia, & charitas illis oppositæ sunt virtutes speciales, & specificè ab alijs virtutibus distinctæ: ergo licet ratio iniuriæ, cui opponitur satisfactio, generalitèr in omni peccato inueniatur, virtus in satisfactionem inclinans specialis virtus erit, in Christoque constituenda.

§. II.

Occurritur argumentis in contra.

13. *Arguitur primo contra nostram conclusionẽ*

CONTRA istam cõclusionem obijciunt Auctores oppositi primò; nam Christus satisfecit pro offensa irrogata Deo per actus omnium virtutum: ergo ad satisfaciendum Deo non est constituenda in Christo aliqua virtus specialis. Antecedens constat ex dictis §. *præcedenti*; cum enim quilibet actus virtutis fuerit in Christo valoris simplicitèr infiniti sumptus à persona Verbi, quilibet illorum fuit ad satisfaciendum sufficiens, imò & superabundans satisfactio pro omnium hominum peccatis. Consequentia autem probatur: cum enim habitus specificentur per actus, non posset assignari virtus specialis ad actum pertinentem ad omnem virtutem: ergo si satisfacere fuit commune omni virtuti existenti in Christo Domino, nõ erit ad satisfaciendum assignanda virtus specialis.

Respõdetur.

Respondeo distinguendo antecedens: satisfecit per actus omnium virtutum materialitèr, & ex proprijs illarum motiuis, concedo antecedens: formaliter, & ex motiuo formali satisfaciendi pro offensa, nego antecedens, & distinguo consequens: non est necessaria aliqua specialis virtus vt elicitiuè ad omnem actum satisfactorium concurrens, concedo consequẽtiam: vt cõcurrens regulatiuè, & imperatiuè ex prædicto fine, & motiuo, nego consequentiam, in cuius virtute obedientiæ; nam ex eo, quòd per actus omnium virtutum existentium sub præcepto sufficienter præcepta adimpleantur, solum sequitur, virtutem obedientiæ necessariam non esse, vt principium elicitivum actuum, quibus diuina præcepta adimplentur, non autem quòd necessaria non sit, vt actus adimplentes præcepta imperentur ab illa, vt ex fine, & motiuo obediendi Deo præcipienti exerceantur: paritèr ergo in præsenti ex eo, quòd actus aliarum virtutum eliciti à Christo Domino fuerint satisfactorij pro offensa irrogata Deo; solum sequitur, virtutem specialem ad satisfaciendum inclinantem non concurrere elicitiuè ad omnem actum satisfactorium Christi; non autem quòd regulatiuè, & imperatiuè non cõcurrat, & vt actus satisfactorij ex motiuo, & fine satisfaciendi procedant.

14. *Instabis.*

Sed dices: vt actus aliarum virtutum eliciti a Christo Domino essent satisfactorij ad æqualitatẽ pro offensa irrogata Deo, necessarium nõ erat, quòd ex prædicto fine, & motiuo procederent, & consequentèr necessariũ non erat, quòd regularentur, vel imperarentur ab intentione formali satisfaciendi: ergo ista intentio, & virtus specialis pro illius elicientia assignata necessariæ in Christo non fuerunt, vt perfectè Deo satisfaceret, & consequentèr sine fundamento constituuntur in illo.

Respondetur.

Respondeo distinguendo antecedens: necessitate essentiali, & attenta

potẽ-

potentia absoluta Dei, concedo antecedens: necessitate connaturali, & lege ordinaria attenta, nego antecedēs, & consequentiam; Christo namque debebatur perfectissimus modus operandi in omnium virtutum actibus, operarique ex motiuo omnium virtutum, vel saltim illarum, quibus actus virtuosi petunt connaturaliter subordinari: satisfactio autem pro offensa connaturaliter petit pro motiuo cōpensationem iniuriæ, & vt omninò perfectè moraliter exerceatur, petit ex intentione formali compensandi offensam procedere, ideoque esto de potentia absoluta potuerit Christus satisfacere per actus aliarum virtutū, absque eo quòd procederent ex fine, & motiuo satisfaciendi, & consequenter absque eo quòd imperarentur ab intentione satisfaciendi formali: attēta tamen potētia ordinaria Dei, iuxta quam Christo debetur modus perfectissimus operandi, non potuit sic euenire; ideoque constitui debet in illo aliqua virtus specialis pro principio elicitiuo intentionis formalis satisfaciendi Deo, æqua actus aliarum virtutum, vt satisfactorij imperentur.

15. *Secundo arguitur.* Obijciunt secundò: ratio iniuriæ in peccato reperta non pertinet ad vitium speciale, sed est circunstantia generalis omni peccato: ergo satisfactio ad æqualitatem pro illa non spectat ad aliquam virtutem specialem, & consequenter ad satisfaciendum Deo perfectè, & ad æqualitatem pro offensa in ipsum commissa non est constituenda specialis virtus in Christo. Antecedens communiter docetur à Theologis; consequentia autē probatur à paritate rationis. *Respōdetur.* Respōdeo distinguendo antecedens: si specialiter intendatur iniuria, nego antecedens: si non intendatur specialiter, concedo antecedens, & nego cōsequentiam, vel distinguo consequēs: satisfactio speciali motiuo reparandi ius diuinum læsum, nego consequentiam: si ex tali motiuo non fiat, concedo consequentiam. Itaque sicut in obedientia est circunstantia generalis omni peccato, & obedientia circunstantia generalis omni actui adimpletiuo præcepti, cum specialiter non intenduntur inobedientia, & obedientia; si tamen specialiter intendantur; obediētia est virtus specialis, & inobedientia speciale vitium constituit: ita similiter ratio iniuriæ est circunstantia omni peccato communis, si specialiter non intendatur; si tamen intendatur specialiter, speciale vitium constituit. Ex quo solum sequitur, quòd satisfactio pro iniuria, si ex motiuo formali satisfaciendi non fiat, nō pertineat ad virtutem specialem; secus autem si ex motiuo, & fine satisfaciendi procedant.

16. *Vltimò arguitur.* Denique obijciunt: etsi iusti bonis operibus in Deo factis gloriam de condigno, & ad æqualitatem mereantur, non datur in illis aliqua specialis virtus ad regulandas actiones meritorias, vt meritoriæ sunt de condigno, vel ad illas imperandas ex motiuo constituendi æqualitatem inter meritum condignum, & gloriam, illamque de condigno merendi: ergo pariter, etiam si actiones à Christo Domino elicitæ fuerint satisfactoriæ ad æqualitatem pro iniuria irrogata Deo, & meritoriæ de cōdigno remissionis illius, non est in Christo assignanda virtus aliqua specialis ad regulandas, seu imperandas actiones satisfactorias, & meritorias ex motiuo æqualitatis constituendæ cum offensa Deo irrogata, & cum remissione offensæ, & consequenter nec vt tales actiones procedant ex motiuo reparādi ad æqualitatem ius diuinum per offensam læsum. Antecedens communiter docetur à Theologis; nullus enim hucusque ad merendū gloriam in iustis virtutem specialem cōstituit.

Consequentia autem probatur. Tùm à paritate rationis; si namque meritum condignum gloriæ, nec essentialiter, nec connaturaliter petit ex motiuo gloriam promerendi procedere, non est, cur satisfactio pro offensa, vt cōnaturaliter exerceatur, petat procedere ex motiuo formali satisfaciendi. Tùm etiam, quia non ob aliam rationem non ponitur ad

meren-

merendum aliqua virtus specialis, nulli quia ratio meriti pertinet ad omnes virtutes, saltim si à charitate imperentur, & ab homine grato procedant; sed ratio satisfactionis condignæ pro iniuria irrogata Deo est communis actibus omnium virtutum à Christo Domino elicitis: ergo, vt Christus cō dignè satisfaciat pro offensa, speciali virtute ad hoc ordinata non indiget, & consequenter in illo constituenda non est.

17. *Prima huius argumenti solutio.*

Huic argumento respondeti potest primò, concesso antecedenti, negando consequentiam, & reddendo rationem discriminis consistentem in eo, quòd meritum comitatur omnia opera virtutū; omnis enim actus virtuosus, & honestus in homine iusto meritorius esse potest; satisfactio autem non comitatur omnia opera virtutum, sed tantum pœnalia interiora, & exteriora orta ex displicentia diuinæ offensæ, ideoque satisfactio pertinet ad specialem virtutem, illam que terminat, & specificat: ratio autem meriti ad specialem virtutem nō pertinet, nec illam specificare potest.

Secunda.

Vel secundò potest respondeti, cōcesso etiam antecedenti, & negando consequentiam ob aliam rationē discriminis; quia nempè conditio meriti non sumitur ex obiecto, sed ex dignitate, & sanctitate operantis, & ideo non potest determinata aliqua virtute regulari, aut illam specificare: satisfactio autem est opus determinatæ virtutis, quia licet eius valor sumatur à persona operante; refunditur tamē in rationem obiecti, eò quòd ordinatur ad constituendam æqualitatem inter satisfactionem, & offensam, & inter personam satisfacientem, & personam iniuriatam: quæ æqualitas est obiectum iustitiæ, vel potentialis; si æqualitas fuerit imperfecta, vel subiectiuè, si æqualitas per satisfactionem inducta perfecta fuerit.

Tertia.

Vel tertiò respondeti potest assignando aliam differentiæ rationem inter satisfactionem, & meritum: vt licet hoc non pertineat ad specialem virtutem, satisfactio specialem virtutem specificet, illamque petat pro regula, eo quod æqualitas retributionis, in quam tendit meritum, fit à Deo præmiante, præmiumque æquale merito retribuente, non autem fit ab eo, qui præmium meretur, ideoque ad illam ponitur virtus specialis, nempè iustitia in Deo præmiante, nō autem in subiecto merente: æqualitas autem per satisfactionem intenta à satisfaciente fit exhibente obsequiū æquale offensæ, & idcirco requiritur specialis virtus ab alijs virtutibus specificè distincta in satisfaciente residens, illam habens pro motiuo.

18. *Prima solutio reiicitur primo.*

Nulla tamen ex his solutionibus argumento satisfacit, & contra primam facit primò quoad hoc, quòd est exigere specialem virtutem, vt elicientem, vel vt regulantem, & imperantem, eodem modo obstare concomitantiam ad plures virtutes, ac concomitantiam ad omnes, cum virtus specialis ab omnibus, & à singulis petat distingui; sed quamvis satisfactio nō comitetur omnes virtutes, & omnia virtutum opera, plurium tamen virtutum opera comitatur: ergo si ad merendum nō ponitur virtus specialis, quia meritum est conditio concomitans omnes virtutes, & omnia opera virtuosa, nec ad satisfaciendum erit specialis virtus necessaria, eo quòd satisfactio, etsi non omnium virtutum; plurium tamen virtutum opera comitatur.

19. *Secundò.*

Deindè contra eandem solutionem facit; nam obedientia est quid concomitans omnes actus virtutum; cum omnes possint præcipi à superiori, & consequenter omnibus obedire possimus; & tamen ad obediendum ex motiuo formali obedientiæ, subiectionisque ad superiorem præcipientem cōstituitur virtus specialis, nempè virtus obedientiæ, quam ab alijs virtutibus specificè distingui, est communis sententia inter Theologos: ergo quòd ratio meriti comitari possit omnes actus virtuosos, & omnia opera virtutum, nequit obstare, vt specialis virtus requiratur ad merendum ex motiuo formali merendi, constituendique æqualitatem inter meritum, & præmium.

Denique

Tertiò. Denique, nam Christus Dominus omnibus virtutum actibus satisfecit pro nobis, omnesque, & singuli fuerunt satisfactio æquiualens, imò & superabundans pro omnium hominum peccatis, vt communiter docetur à Theologis, quamuis hominum redemptio illius morti, vt complemento attribuatur, de quo *infra tractat. de merito*: ergo satisfactio comitata est omnes actus virtuosos in Christo, & consequenter, si quòd meritum comitetur, vel comitari possit omnia opera virtutum, ratio est, vt non spectet ad aliquam virtutem specialem, nec illam petat pro regula, satisfactio in Christo ad virtutem specialem non pertinet, nec illam pro regula exigit, ac proindè in illo virtus specialis ad satisfaciendum pro nobis constituenda non erit.

20 *Secunda solutio reijcitur*

Deindè contra secundam solutionem facit, nam etiam dignitas meriti sumpta ex sanctitate operantis potest in rationem obiecti trãsire: ergo si satisfactio pertinet ad specialem virtutem, & illam petit pro regula, quia illius dignitas sumpta à persona operante refunditur in rationem obiecti, etiã dignitas meritoria pertinere poterit ad specialem virtutem, illamque meritum pro regula exigere. Consequentia patet ex ipsa ratione discriminis in secunda solutione assignata: antecedens autem probatur; nam licet dignitas satisfactionis sumatur à persona operante, transit in rationẽ obiecti, quia ordinatur ad cõstituendam æqualitatem inter personam satisfacientem, & personam offensam: ergo etiam dignitas meriti, quamuis à sanctitate subiecti merentis sumatur, refundi poterit in rationem obiecti per hoc, quòd ordinetur ad constituendam æqualitatem inter meritum, & præmium, quæ obiectum iustitiæ sit, nisi huius discriminis vlterior ratio assignetur.

21. *Tertia solutio reijcitur primo.*

Tandem contra tertiam solutionem, tertiamque rationem discriminis obstat primò; nam licet æqualitas retributionis, præmijque ad meritum à Deo præmiante fiat, æqualitas autem meriti cum præmio fit à subiecto merente, meritique dignitatem, & æstimabilitatem causante: ergo sicut in præmiante ponitur virtus specialis ad retribuendum præmium ex motiuo æqualis retributionis: ita in merente dabitur virtus specialis ad merẽdum ex motiuo æqualitatis meriti ad præmium. *Secundò*, nam sicut in merito, & est æqualitas meriti ad præmium facta à subiecto merente, & æqualitas præmij cum merito facta à retribuente, & præmiante: ita in satisfactione reperitur æqualitas satisfactionis cum offensa facta à persona satisfaciente, & æqualitas remissionis offensæ cum satisfactione facta à creditore offenso offensam remittente: ergo sicut ponitur virtus specialis, non solum in creditore remittente offensam, sed etiam in persona satisfaciente, in illo ad æqualitatem remissionis cum offensa inducendam, & in persona satisfaciente ad constituendam æqualitatem satisfactionis cum offensa: ita dabitur virtus specialis, non solum in præmiante, à quo est æqualitas præmij cum merito, sed etiã in merẽte, à quo prouenit æqualitas meriti cum præmio, vel è contra, si solum datur specialis virtus in remunerante merita, & largiẽte præmium, solum etiam dabitur virtus specialis in remittente iniuriam, non verò in persona satisfaciente pro illa.

Secũdo.

Tertiò. Denique, nam in Christo, non solum ad satisfaciendum ex rigore iustitiæ pro offensa irrogata Deo, sed etiam ad merendum ex rigore iustitiæ remissionem offensæ, & cætera dona gratiæ constituitur virtus specialis ab Auctoribus nostræ sent ẽtiæ; & tamen æqualitas retributionis, & præmij cum merito non fuit facta à Christo merente, sed à Deo retribuente, & præmiante: ergo, quòd æqualitas præmij ad meritum in hominibus iustis à Deo retribuente fiat, & non ab ipsis merentibus, non probat, virtutem specialem in illis ad merẽdum constituendam non esse.

22. *Respondebis.*

Si forte dicatur, æqualitatem intentam à merente esse retributionis cum merito; hoc enim intendit merens in elicientia operum, quibus me-

retur,

retur, nempè, vt ipsi detur præmium meritis æquale: vndè, cum illa æqualitas ab illo non fiat, sed à præmiante merita, & retribuente præmia, non in ipso, sed in præmiante specialis virtus requiritur. In contrarium obstat primò, quòd hæc solutio manet ex dictis præclusa; nam si subiectum merens solum intendit æqualitatem retributionis, Christus vt merens nobis dona gratiæ solum istam æqualitatem intendet; sed hoc non obstante, constituitur in Christo specialis virtus ad merendum pro nobis: ergo nec obstare potest, vt in hominibus iustis virtus specialis constituatur ad merendum.

Contra primò.

Secùdò. Secundò, nam etiam persona satisfaciens intendit, vt à creditore remittatur illi offensa remissione proportionata, & correspondente satisfactioni à se exhibitæ; non enim sistit in æqualitate satisfactionis cum iniuria irrogata, sed per hanc tēdit ad offensæ remissionem, illamque consequi intendit: quæ remissio non à satisfaciente, sed à creditore fit, & tamen in satisfaciēte ponitur virtus specialis ad æqualem satisfactionem præstandam: ergo quamuis merens per meritum tendat ad æqualitatem retributionis, intendatque æquale præmium suis meritis retribui, & hæc æqualitas ab ipso non fiat, sed à retribuente, & præmiante, dabitur in merente virtus specialis ad æqualitèr, & condignè merendum.

23. *Vera argumenti solutio.* Missis igitur his solutionibus, ad argumentum factum respondeo, concesso antecedēti, negando consequētiam, & ratio discriminis est; nam persona satisfaciens per se primò intendit æqualitatem satisfactionis cū offensa constituere, & ius per offensam læsum ad æqualitatem reparare, ideoque in illo statuitur virtus specialis per se primò operans ex prædicto motiuo, ab illoque speciem sumens, & distinctionem specificam ab alijs virtutibus, quæ ratione sui ex illo motiuo non operantur: merens autem, etsi æqualitatem meriti cum præmio cōstituat, illam tamen æqualitatem nō intēdit per se primò, sed quod primò intēdit, est operari in obsequium præmiantis, ad quod cum alijs adiunctis ad merēdum requisitis æqualitas meriti cum præmio consequitur; ideoque in merente non ponitur ad merēdum virtus specialis; solum enim illud, quod primariò mouet ad actum, illumque primariò terminat, specificare potest virtutem ab alijs distinctam.

24. *Oppones primò.* Sed oppones contra istam solutionem primò; nam esto subiectum merens ordinariè nō moueatur ab æqualitate, quam constituit in merito per respectum ad præmium, nec illam primariò intendat; potest tamen per aliquem actum ab æqualitate, quam cōstituit, moueri, illamque primariò intendere: ergo ad eliciendum talem actum motum primariò ab æqualitate meriti cum præmio, illamque primariò intendente, cōstituēda est virtus specialis in iustis. Consequentia tenet ex doctrina solutionis; antecedens autē constat primò, nam in actu per se primò intendente æqualitatem meriti cum præmio, motoque primariò à prædicta æqualitatē, nulla repugnantia inuenitur: ergo est dabilis talis actus. Deindè, si namque satisfaciens potest per se primò intendere æqualitatem satisfactionis cum offensa constituere, non est, cur subiectum merēs non possit per aliquem actum meriti cum præmio æqualitatem intendere.

Secùdò. Oppones secundò; nam Christus Dominus, non solum vt satisfaciens intendit per aliquem actum æqualitatem satisfactionis cum offensa constituere, sed etiam vt nobis merens æqualitatem meriti cum præmio per se primò intendebat, alias virtus specialis constituta à Nobis in Christo solum esset ad satisfaciēdum pro nobis, nō verò ad nobis merendum, cuius cōtrariū docuimus, & ab Auctoribus nostræ sententiæ docetur, constatq; nam satisfecit dona gratiæ peccati remissiua merendo: ergo non solum satisfactio, sed etiam meritum ex motiuo æqualitatis per se primò procedit.

25. *Ad primā repli.* Respondeo ad primam replicam, prætermisso antecedenti, negando consequentiam; nam habitus virtuosi

non

cã respõ detur.

non dantur de facto ad actus extraordinarios, sed ad illos actus eliciendos, qui ordinariè in ordine gratiæ eueniunt; vndè, cum homines iusti ordinariè non intendant prædictam æqualitatem, fit consequens, vt ad operandum ex prædicto motiuo virtus specialis in illis constituenda non sit. Ad

Ad secũdam.

secundam, concesso antecedenti, distinguo consequens; in Christo, concedo consequentiam: in nobis, nego consequentiam; & ratio discriminis est; nam Christus titulo fideiussoris, quem pro hominibus suscepit, obligatus fuit ad dona gratiæ nobis cõdignè merenda, & ideò ex intentione illa nobis promerendi operabatur. Vndè, pro tali intentione elicienda fuit necessaria virtus specialis in Christo, & vt meritum ex illa regulatiuè procederet; in nobis autem talis obligatio non constat, nec datur in nobis aliquod præceptum merendi, sed solum præcepta benè operandi; & ideò ex motiuo merendi, & constituendi æqualitatem meriti cum præmio regulariter saltim non operamur.

26. Secũdò respõdetur vltimo argumento.

Et ex his ad vltimum argumentum potest secundò responderi constituendo aliam rationem discriminis inter merita iustorum, & satisfactionem pro offensa; vt ad merendum virtus specialis non detur, ad satisfaciendum autem constituatur virtus specialis tam in Christo, quam in nobis, consistentem in eo, quòd æqualitas constituta tunc solum distinctam virtutem specificat, quandò adest debitum illam constituendi, & quia est debitum satisfaciendi pro peccato in Christo satisfactione perfecta titulo fideiussoris, quem pro hominibus suscepit, & in nobis satisfactione imperfecta, quia Deum proprijs peccatis offendimus, nullum tamen est debitum in nobis merendi, cum nullum merendi extet speciale præceptum, fit consequens, tam in nobis, quam in Christo esse cõstituendam specialem virtutem ad satisfaciendum, vt principium elicitivum intentionis formalis satisfaciendi, & vt ab illa omnis satisfactio regulatiuè procedat; ad merendum autem in nobis virtutem specialem constituendam non esse.

27. Replicabis primò.

Sed replicabis primò: etsi in venditore non sit obligatio vendendi, si tamen merces vendat iusto pretio, exercet actum specialis virtutis, nempè iustitiæ commutatiuæ; hæc enim, non solum residet in emptore, sed etiã in venditore: ergo in æqualitate constituenda absque debito constituendi illam, exercetur actus specialis virtutis; ac proindè ex eo quòd in merente non sit obligatio merendi, nec constituẽdi æqualitatem meriti cum præmio, perperam à Nobis infertur ad prædictam æqualitatem constituendam specialem virtutem non dari.

Secũdò.

Secundò; nam si quis pro alio debente centum, totidem soluat, exercet actum specialis virtutis, iustitiæ, nempè, respectu creditoris, vt multi probabiliter censent, quamuis respectu debitoris, non iustitiæ, sed liberalitatis, vel misericordiæ actum exerceat; & tamen soluens operatur absque vllo debito, saltim rigoroso, & stricto: ergo in constituenda æqualitate absque debito illam constituendi exercetur actus specialis virtutis; ac proindè homo iustus merens de condigno gloriam, constituensque æqualitatem inter meritum, & illam, specialis virtutis actum exercebit, etsi obligatus non sit, nec aliquo præcepto teneatur ad prædictam æqualitatem constituendam.

28. Tertio.

Præterea, nam Deus merita iustorum remunerans ad æqualitatẽ, quã constituit inter præmium, & meritum, aliqua ratione mouetur; & tamẽ ad illorum retributionem Deum obligatum non esse, nec obligari posse obligatione iustitiæ, docent non improbabiliter plures: ergo quòd ad æqualitatem constituendam inter meritum, & præmium homo iustus obligatus non sit, nec præcepto, aut lege teneatur, non tollit, quòd moueatur à prædicta æqualitate, & consequenter non infertur, quòd in homine iusto ad merendum specialis virtus non detur.

Quartò.

Denique, vt enim *num.* 11. contra Vazquez arguebamus, non solum ad actus præceptos, sed etiam in ordine

ad

ad illos, qui suo præcepto non sunt dantur speciales virtutes: ergo quòd in nobis non sit præceptum merendi, constituendique æqualitatem inter meritum, & præmium, non probat in ordine ad meritum, & illius cum præmio æqualitatem constituendam virtutem specialem non dari, si semel in tali obiecto inueniturratio obiecti ua sufficiens ad mouendum, & specificàdum virtutem specificè ab alijs distinctam, vt inueniri supponimus.

29. *Ad primam replicam respõdetur.*

Respondeo ad primam replicam extare in venditore debitum iustitiæ in venditione seruandum, etsi nõ absolutum vendendi, benè tamen conditionatum, vt nempè, si vendat, non excedat iustum pretium, ideòque in venditione actum iustitiæ, quæ specialis virtus est, exercere; in ordine autem ad æqualitatem meriti cum præmio statuendam non extat præceptum, nec absolutum, nec conditionatum in nobis illam per se primò præscribens, sed solum obligati sumus ad benè operandum, & ad præcepta seruanda, ideoque homo merens non operatur ex motiuo dictæ æqualitatis constituendæ, saltim regulariter, nec ex motiuo merendi: vndè, ad sic operandum specialis virtus in illo non datur. Et quidem ad strictam iustitiam, & quæ sit pars non potestatiua, sed subiectiua iustitiæ, & ad operandum ex illa legale debitum, & simpliciter tale requiri *disput. seq.* ex Angelico Doctore videbimus. Cũ ergo iustitia, ex qua vẽditor operatur, cũ vẽdit, cõmutatiua sit, quæ est pars non potestatiua, sed subiectiua iustitiæ, non potest negari, quòd ex debito simpliciter tali procedat, constituendo æqualitatem inter merces vẽditas, & pretium pro illis præstitum, aut valorem mercium non excedendo.

30. *Ad secũdam respõdetur primo.*

Ad secundam obiectionem prætermissa maiori, distinguo minorem: operatur soluens absque debito proprio, concedo minorem: absque debito alieno, nempè debitoris, pro quo soluit creditori, & cuius suscipit onus, nego minorem, & consequentiã; nam in nostro casu, nec proprium, nec alienum debitum, nec propria, nec aliena obligatio interueniunt ad æqualitatem meriti cum præmio statuendam, ideoque dicta æqualitas per se primò non attenditur, nec intenditur à merente: in casu verò antecedentis, cum nempè vnus soluit pro alio, etsi in soluente debitum proprium respectu creditoris non sit, cũ ipse nulla obligatione creditori adstringatur; adest tamẽ debitũ alienũ, quod soluit, ideoq; in soluẽdo æqualitatem solutionis cum debito attendit, & intendit. Vel secũdò respondeti potest, prætermissa maiori, aliter distinguendo minorem, illamque concedendo de debito, & obligatione absolutis; negando autem de obligatione, & debito conditionatis, & negando consequentiam; nam licet soluens pro alio nõ teneatur absolutè ad soluendum; est tamen obligatus conditionatè ad solutionem debito æqualem, nempè quòd si pro alio soluat, & illius onus in propria persona suscipiat, soluat ad æqualitatem. Et quidem, si vt supponitur, in soluendo pro alio exerceat actum iustitiæ commutatiuæ in ordine ad creditorem, non potest negari, quòd operetur ex debito tali simpliciter, vt proximè dicebamus. *Secũdo respondetur.*

31. *Ad tertiã replicam respõdetur primo.*

Ad tertiam obiectionem, concessa maiori, nego minorem; nam licet absolutè sit probabile, Deum non esse obligatum ex iustitia ad remuneranda merita iustorum; supposito tamen, quòd ex iustitia operetur in illis remunerandis, non potest negari obligatio iustitiæ ex parte Dei, vt *disput. seq.* videbimus, vbi etiam quòd posset sine aliqua imperfectione admitti in Deo talis obligatio, constabit. Vel secundo respondetur, quòd licet in Deo obligatio ex iustitia non detur; dari tamen obligationem fidelitatis à nullo Theologorum negatur, nec catholicè potest negari, cum apertè constet ex Tridentino vt *disp. seq.* videbimus. Vel tertio respondetur, concessa maiori, & permissa minori, negando consequentiam; in Deo namque constituendus est omnis actus imperfectionem in suo con- *Secũdo.* *Tertiò.*

ceptu

ceptu non dicens; in actu autem habente pro motiuo æqualitatem retributionis, & præmij cum meritis iuſtorum nulla includitur imperfectio, & conſequenter aſſerendum eſt, eſſe in Deo, quamuis ad illum nullatenus obligetur: quæ ratio in nobis non militat, ac proinde conſequentia non tenet.

32. *Ad quartam.* Ad vltimam obiectionem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt; nam actus exiſtentes ſub conſilio habent obiecta honeſta honeſtate propria, & primaria, non annexa alteri priori honeſtati, nec ad illam conſecuta, ideoque vt illorum honeſtas attendatur per ſe primò, & per ſe primò ab operante intendatur, præceptum tales actus præſcribens neceſſarium non eſt, & conſequenter, nec eſt neceſſarium præceptum, vt ad illos actus eliciendos ſpecialis virtus conſtituatur; ratio autem meriti, & æqualitas meriti cum præmio ſupponunt in opere meritorio honeſtatem, per quam primò conſtituitur, & conſequuntur ad illam: vndè, niſi adſit præceptum, & obligatio merendi, non fit opus regulariter ex motiuo merendi, nec ex motiuo conſtituendi æqualitatem inter meritum, & præmium, ſed ex motiuo honeſtatis propriæ obiectiuæ, & ideo ad eliciendam intentionem formalem merendi, conſtituendique æqualitatem inter meritum, & præmium ſpecialis virtus in hominibus iuſtis non datur.

33. *Inſtabis.* Sed dices, ſequi ex iſta ſolutione inefficaciter *num.* 11. impugnatam fuiſſe à Nobis ſolutionem ſecundo argumento traditam: conſequens nō admittemus: ergo nec illius ſolutionis doctrinam. Probatur ſequela: ſolutio cōſiſtebat in eo, quòd ad actum pœnitentiæ adeſt obligatio in nobis; in Chriſto autem non eſt vndè colligatur obligatio ad intentionem formalem, & ad formale propoſitum ſatisfaciendi pro hominibus, & ius diuinum læſum reparandi, ideoque in nobis dari ſpecialem virtutem, videlicet, pœnitentiam ad ſatisfaciendum Deo, & actum pœnitentiæ eliciendū, in Chriſto verò ſpecialem virtutem non dari ad intentionem formalem ſatisfaciendi pro nobis. Quam ſolutionem impugnauimus *num.* 11. quia virtutes non ſolum ad actus præceptos dantur, ſed etiam ad actus exiſtentes ſub conſilio, ac proindè ex eo, quòd propoſitum formale ſatisfaciendi pro nobis non fuerit Chriſto præceptum, & nobis præceptum fuerit, propoſitum formale ſatisfaciēdi pro culpa à nobis commiſſa, male inferri, dari in nobis ſpecialem virtutem pro eliciendo tali actu, & non dari ſpecialem virtutem in Chriſto ad intentionem formalem ſatisfaciendi pro hominibus; ſed ſi doctrina noſtræ ſolutionis eſt vera, impugnatio iſta omninò viribus caret, quandoquidem datur diſcrimen inter actus præceptos, & non præceptos quoad hoc, quòd eſt ad illos eliciendos ſpeciales virtutes conſtitui: ergo ex ſolutione à nobis tradita ſequitur, impugnationem illam eſſe omninò inefficacem.

34. *Reſpōdetur.* Reſpondeo, negando ſequelam, ad illius probationem, conceſſa maiori, nego minorem: ad cuius probationem dicatur, ſolutionem *num.* 11. impugnatam conſtituere diſcrimen inter actus præceptos, & actus non præceptos, ſed ſolum ſub conſilio cadentes quoad hoc, quòd eſt dari, & non dari ſpeciales virtutes ordinatas ad illorum elicientiam, & quantum ad hoc euidenter ibi impugnatur, eo quòd etiam ad actus exiſtētes ſub cōſilio ſpeciales dantur virtutes; noſtra autem ſolutio non recognoſcit inter prædictos actus diſcrimen, ſed in formalitate mouēte, quòd nempè, quādo ſecūdaria eſt, & annexa alteri priori honeſtati, ad illamque ſubſecuta, non mouet per ſe primò regulariter operantem, niſi adſit præceptum illam per ſe primò præſcribens. Doctrina ergo ſolutionis traditæ à Nobis non euacuat vim impugnationis, qua *num.* 11. reiecimus ſolutionem ibi traditam. Mitto aliorum ſolutionem, qui argumento facto conuicti conſtituunt in hominibus iuſtis ſpecialem virtutem ad merendum ordinatam: licet namque non poſsit

facilè

facilè falsitatis conuinci; quia tamen à paucis Theologis huiusmodi virtus fuit cognita, & in hominibus iustis admissa, non est conclusionis nostræ veritas illi alliganda.

§. III.

Statuitur secunda conclusio.

35. *Secunda conclusio*

Alvar. Nazar. Cornejo. Arauj.

VIRTVS ista, à qua elicitur in Christo intentio formalis satisfaciendi pro nobis, & per quam regulantur actus aliarum virtutum, & imperantur in quantum satisfactorij, formalitèr est virtus iustitiæ commutatiuæ. Ita Magister Aluarez in præsenti *disp.* 4. *conc.* 4. Nazarius 4. *p. secundæ controu. conc.* 5. Cornejo *disp.* 5. *dub.* 8 Illustrissim⁹ Araujo *dub.* 6. & frequentius cæteri Theologi, qui satisfactioni Christi rigorè strictæ iustitiæ concedunt. Et ostenditur primò; nam iuxta D. Thom. in hac 3. *p. infra q.* 85. *art.* 3. virtus pœnitentiæ, qua homines Deo pro peccatis propriis satisfaciunt, & satisfacere intendunt, est pars iustitiæ non perfecta, & subiectiua, sed potestatiua, & imperfecta, eo quòd iustum simpliciter solū inter æquales esse potest; homo autem vt satisfaciēs Deo, vt offenso æqualis non est, ideſt, quia satisfactio ab homine exhibita nō æquatur in morali æstimatione cū offensa ab homine Deo irrogata; sed satisfactio à Christo Dño præstita æqualis est, imò & superabūdans pro offensa irrogata Deo: ergo virtus, mediāte qua, à Christo Dño elicitur formalis intentio satisfaciendi, iusq; diuinum læsum resarciendi, & per quam illius satisfactio in quātum talis formalitèr regulatur, & imperatur, est pars perfecta, & subiectiua iustitiæ, cumque non sit iustitia distributiua, vindicatiua, aut legalis, vt monstrauimus, necessariò est à ferendum, esse iustitiam commutatiuam.

Probatur primo. S. Tho.

Respondebis ex Vincentio *vbi supra*, iustitiam commutatiuam solum esse inter æquales, licet autem Christus, vt Deus sit Patri æqualis, vt homo est inferior Patre, & quia virtutis, qua satisfecit, non est subiectū Christus vt Deus, sed vt homo, qua ratione satisfactionē elicuit, fit consequens, vt hæc virtus esse nequeat iustitia cōmutatiua. Sed contra primò, nam ad iustitiam cōmutatiuam non requiritur entitatiua extremorū, vel personarum æqualitas, aliàs inter personas inæqualis dignitatis, v. c. inter vasallos, & Regē exerceri non posset iustitia cōmutatiua, quod est falsum, cum inter illos plures iustitiæ contractus celebrari possint, vt contractus emptionis, & venditionis, qui non minus erit ex iustitia cōmutatiua inter Regē, & vasallos, quam inter particulares personas, & omninò inter se æquales, sed sufficit æqualitas in ratione cōtrahentium formalitèr, ideſt, in actionibus, de quibus celebrantur contractus, & in præsenti sufficit æqualitas extremorū in ratione satisfacientis, & offensi; sed licet inter Christū vt hominē, qua ratione satisfactionē elicuit, & Deum in se ipso entitatiua æqualitas non detur; est tamen æqualitas in ratione satisfacientis, & offensi, cum satisfactio à Christo exhibita, per quā constituitur formalitèr satisfaciens, adæquet offensam ab homine Deo irrogatam, per quam Deus constituitur offensus: ergo virtus, qua Christus satisfecit, non deficit à ratione perfectæ iustitiæ, & quæ sub iustitia contineatur, non tanquam pars potentialis, sed tanquam pars subiecta ex capite inæqualitatis.

36. *Solutio M. Vincentij.*

Reijcitur primò.

Deindè, nam conditio æqualitatis non minus requiritur ad rationē iustitiæ in actu satisfaciēte, quā ad rationē & speciē iustitiæ in habitu virtutis ad actū iustitiæ inclinate, ipsumq; vt principio *quo* eliciente, regulante, vel imperante; sed nō obstante inæqualitate prædicta, nēpè entitatiua, & inferioritate Christi vt hominis ad Deum in actu, quo satisfecit, inuenitur species

37. *Secundo reijcitur*

iuſtitiæ actualis perfectæ, cùm actualẽ Chriſti ſatisfactionẽ fuiſſe ex toto rigore iuſtitiæ fateatur Vincẽtius: ergo illa inæqualitate entitatiua nõ obſtante, reperietur in virtute eliciente, aut regulante ſatisfactionẽ Chriſti eſſentia, ſeu ſpecies habitualis iuſtitiæ perfectæ, & cõſequenter ex capite in æqualitatis non deficiet à ratione iuſtitiæ commutatiuæ.

38. *Secũdo probatur concluſio.* Secũdò principaliter ſuadetur cõcluſio: virtus inclinans ad ſatisfactionẽ æqualẽ pro iniuria alicui irrogata ex motiuo æqualitatis cõſtituendæ inter ſatisfactionẽ, & offenſam, & reparandi ius alienũ per iniuriã læſũ, eſt iuſtitia cõmutatiua; ſed virtus, quam in Chriſto ſtatuimus, inclinans ad ſatisfaciendũ Deo pro peccato humani generis inclinat ad ſatisfactionẽ perfectã, & æqualẽ cũ offenſa Deo irrogata ex motiuo æqualitatis cõſtituẽdæ inter ſatisfactionẽ, & offenſam, & ius diuinũ læſum ad æqualitatẽ reparandi: ergo eſt iuſtitia cõmutatiua. Minor cũ cõſequẽtia tenet; maior autẽ oſtẽditur primò; nã virtus pœnitẽtiæ, qua nos Deo pro peccatis proprijs ſatisfacimus iuxta D. Tho. *loco proximè citato*, non alia de cauſa deficit à ratione iuſtitiæ perfectæ, & à ratione iuſtitiæ cõmutatiuæ, niſi quia nõ inclinat ad ſatisfactionẽ æquiualẽtẽ offẽſæ, & illi æqualẽ in morali æſtimatione, ſed ad ſatisfactionẽ imperfectã, quæ ſolũ à puro homine poteſt præſtari: ergo virtus inclinans in ſatisfactionẽ perfectã, æqualẽ, & æquiualẽtẽ offenſæ alicui irrogatæ eſt perfecta, & commutatiua iuſtitia.

Maior probatur primo.

39. *Secũdò. Ariſt.* Secundò probatur; nã iuxta Ariſtotelẽ 5. *Ethic. cap.* 3. tunc in reſarciẽdis iniurijs ſeruatur iuſtitia cõmutatiua inter ſatisfaciẽtẽ, & offẽſum, cum id, quod offertur pro offenſa eſt æquale iniuriæ illatæ: ergo virtus inclinans in ſatisfactionẽ æqualẽ, æquiualẽtẽq; iniuriæ alicui irrogatæ in morali æſtimatione eſt iuſtitia cõmutatiua. Deniq; nã actus ipſe æqualiter cõpẽſans offenſam, illi æquiualẽs in morali æſtimatione, habenſq; alias cõditiones requiſitas ad rigorẽ iuſtitiæ eſt in ſpecie iuſtitiæ actualis perfectæ: ergo virtus in talẽ actũ inclinans, vel vt principiũ *quo* elicitiuũ, vel vt regulans, & imperans eſt in ſpecie habitualis ſtrictæ iuſtitiæ, cumq; diſtributiua, legalis, aut vindicatiua eſſe nequeat, erit neceſſariò iuſtitia cõmutatiua, & cõſequẽter cũ virtus in Chriſto reſidens ad ſatisfaciendũ pro hominibus inclinet in actualẽ ſatisfactionẽ æqualẽ offenſæ irrogatæ Deo, & cui conueniũt cæteræ conditiones exactæ ad rigorẽ iuſtitiæ, vt *præcedẽti diſp.* mõſtrauimus, & fatetur Vincẽtius, neceſſariò eſt aſſerendum, eſſe in ſpecie iuſtitiæ perfectæ, eſſeque iuſtitiam commutatiuam.

40. *Reſpondet M. Vincentius.* Reſpõdebis ex Vincẽtio vbi *ſupra pag.* 172. virtutẽ inclinantẽ in ſatisfactionẽ æqualẽ offẽſæ qualitate ab ipſa virtute præſtita, & ab illa deſumpta, eſſe iuſtitiã perfectã, & cõmutatiuã; ſecus verò quãdo æqualitas cõpetens ſatisfactioni actuali, à tali virtute non ſumitur, nec ab illa præſtatur: licet autẽ ſubſtãtia actuũ, quibus Chriſtus ſatisfecit, à virtute in Chriſto reſidente eliciatur; valor tamen, ratione cuius actus ſatisfactorij Chriſti æquales fuerunt offenſæ irrogatæ Deo in morali æſtimatione, & æquiualẽs ſatisfactio pro illa, nõ fuit ſumptus ab habitu alicuius virtutis reſidente in Chriſto Domino, nec ab illa fuit præſtitus, ſed ab infinita dignitate ſuppoſiti terminãtis humanitatẽ, valoratiſq; & dignificantis actus media humanitate elicitos, ideoq; nullus habitus virtutis in anima Chriſti reſidẽs, eſto inclinet in ſatisfactionẽ æqualẽ, & æquiualentẽ offenſæ, poteſt rationẽ iuſtitiæ perfectæ obtinere, & conſequenter nec poteſt ſortiri rationem iuſtitiæ commutatiuæ.

41. *Reijcitur ſolutio.* Sed contra, nam vt virtus aliqua perfecta iuſtitia ſit, non eſt neceſſarium, quòd ipſa præſtet actui ſatisfactorio æqualitatem valoris, nec quòd valor, ratione cuius ſatisfactio adæquat offenſam à tali virtute ſumatur, ſed ſufficit, quòd inclinet ad eliciẽdũ actũ voluntatis habentẽ pro obiecto, & motiuo prædictã æqualitatem, medio quo regulẽtur, & imperẽtur actus æquales offenſæ, illaq; ad æqualitatẽ

com-

cõpensantes, vt constat in iustitia cõmutatiua humana; hæc nãq; non dat homini sufficientia ad æqualitatẽ cõstituendã in cõmercijs, & cõtractib⁹; sed ista sufficiẽtia suppositahabita ex alijs principijs inclinat volũtatem ad actũ æqualitatẽ habẽtẽ pro obiecto, & illam imperantẽ; in eo enim, qui debitũ ad æqualitatem soluit, sufficiẽtia solutionis æqualis nõ sumitur à virtute iustitiæ, nec præstatur ab illa, sed aliundè prouenit; quia nẽpè pecunias habet, quib⁹ debitũ cõtractũ ad æqualitatem soluat: ergo licet virtus constituta in Christo Dño ad eliciendum actũ, quo intendit satisfactionẽ æqualẽ, illamq; imperandam, non præstet actibus satisfactorijs dignitatẽ valorẽ, & æqualitatẽ cum offensa Deo irrogata, erit nihilominus perfecta, & cõmutatiua iustitia; si, quauis nõ præstet actibus satisfactorijs prædictam æqualitatem, inclinet tamen ad actũ illam habentẽ pro obiecto, & illo mediante, imperet actus cæterarum virtutum, quatenus ad æqualitatem satisfaciunt pro offensa.

42. *Respõd. M. Vincentius.*

Respondebis ex doctrina Vincentij, concesso, ad rationẽ iustitiæ perfectæ, & commutatiuæ sufficere, quòd imperet satisfactionẽ æqualẽ, & æqualitatẽ offensæ, quamuis illi valorẽ, & dignitatẽ, quibus offensam adæquat, non præstet, adhuc non sequi, virtutẽ residentẽ in Christo ad satisfaciendũ inclinantẽ perfectã iustitiã esse, quia saltim requiritur ad virtutẽ, quæ sit perfecta iustitia, quòd imperet satisfactionem offensæ æqualem prout illi æqualẽ formaliter; licet autem virtus residens in Christo ad satisfaciendum inclinãs posit actus satisfactorios cæterarũ virtutũ, quantum ad suam entitatẽ, & substantiã imperare; non tamen potest imperare illos secundum valorẽ à persona Verbi sumptum, ratione cuius cũ offensa Deo irrogata adæquantur, eo quòd valor iste non sumitur ab alijs virtutibus, quæ imperio voluntatis subdũtur, sed à supposito Verbi, quod in dignificando actus non subijcitur imperio voluntatis creatæ, & consequenter actus satisfactorij, prout æquales offensæ formaliter, non imperantur à prædicta virtute; ex quo vlterius fit, vt non sit perfecta iustitia; vt enim perfecta iustitia esset, saltim necessariũ erat, vt actus aliarum virtutũ, nõ solum quoad substantiam, sed etiam quoad valorẽ, ratione cuius cum offensa adæquantur, à tali virtute imperatiuè procederẽt.

43. *Reijcitur primò eius solutio.*

Sed contra primò, nam etsi valor satisfactionis Christi in abstracto sũptus liber non sit, est tamen liber sumptus concretiuè, vt constat ex ijs, quæ diximus *disp. 3. §. 3. à num. 36.* & deinceps: ergo sic sumptus constitutus est in libera volũtate Christi, vt hominis; sed quidquid subest libertati voluntatis humanæ Christi, subesse potest imperio alicuius virtutis residẽtis in illo, cum volũtas Christi humana, medijs habitibus virtuosis, actus virtutũ eliciat, & mediante vnius virtutis actu imperet actus alterius: ergo satisfactio valorosa Christi potest à virtute iustitiæ imperari, & cõsequentèr vt æqualis offensæ ab illa imperatiuè procedere.

Secũdò.

Secundò, nã Christus liberè satisfecit ad æqualitatẽ pro nobis: ergo potuit liberè velle actus cõdignè satisfactorios prout æquales offensæ ex motiuo cõstituẽdi æqualitatẽ satisfactionis cum offensa, & consequentèr potuit illos ex isto motiuo imperare.

Tertiò.

Tertiò, nã actualis satisfactio Christi est in specie iustitiæ perfectæ, vt nobiscum fatetur Vincẽtius: ergo fit ex motiuo cõpẽsandi offensam ad æqualitatem. Patet consequentia; nam vt actus sit in specie alicuius virtutis, respicere debet proprium talis virtutis motivũ; sed motivũ, & obiectum proprium iustitiæ cõpẽsatiuæ iniuriæ est æqualitas cõpensationis illius: ergo si actualis satisfactio Christi fuit in specie iustitiæ cõpensatiuæ iniuriæ irrogatæ Deo, debuit pro motiuo habere æqualitatem cõpensationis cum illa. Tunc vltra, & tamen æqualitas valoris satisfactionis Christi, & cõpensationis factæ ab ipso non fuit causata ab actu satisfactorio, sed sumpta formaliter à supposito Verbi illam dignificante, & valorante: ergo etiã si æqualitas valoris cõpensationis Christi cũ offensa Deo irrogata non causetur a

virtute speciali, sed à supposito Verbi proueniat, poterit talis virtus habere pro motiuo æqualē cōpēsationē: Patet consequentia; si namque æqualitatē cōpensationis nō causari ab actu satisfactorio non impedit, quòd talis æqualitas sit motiuū actus satisfactorij, nulla est ratio, cur dictam æqualitatem ab habitu virtutis non causari impediat, vt à tali virtute pro motiuo inspiciatur, & cōsequēter nec impedire poterit, vt illi speciē iustitiæ tribuat.

44. *Vltimo probatur conclusio.* Denique principaliter suadetur conclusio; nā directio actuum aliarū virtutū in Christo ad satisfaciēdū pro peccatis hominū prouenit ab aliqua virtute speciali, & ab alijs virtutibus specificè distincta, vt *in prima conclusione* contra Vazquez ostendimus, & doctissimus Vincentius admittit; sed nō ab alia, quā à iustitia cōmutatiua: ergo virtus in Christo residens ad dirigendas cæteras virtutes, & illarum actus imperandos ex motiuo, & fine satisfaciēdi pro offensa irrogata Deo; illamque ad æqualitatē cōpēsandi est in specie iustitiæ cōmutatiuæ. Probatur minor; nō enim est iustitia distributiua: tùm, quia iuxta D. Th. 1. *p. q.* 21. *art.* 1. & 2. 2 *q.* 61. *art.* 1. & 2. iustitia distributiua dicit ordinē ad bona cōmunia diuidēda inter particulares personas non secundū arithmeticā æqualitatē, sed secūdū geometricā proportionē, vt scilicèt digniori, & illi, qui magis meretur, plus ex bonis cōmunibus tribuatur, etsi inter dignitatē, & præmium æqualitas arithmetica non seruetur; iustitia autē seruata in satisfactione Christi nō est in ordine ad bona cōmunia secundū geometricā proportionē inter particulares personas partienda, sed secundū perfectā æqualitatē satisfactionis à Christo exhibitæ cum offensa Deo irrogata, quā attendebat, & per se primò intendebat. S. Tho. Tùm etiam, quia vt docet D. Thom. in hac 3. *p. infra q.* 85. *art.* 3. *ad* 3. *Sicut est cōmutatio quædā in beneficijs (cum scilicet aliquis pro beneficio recepto gratiā rependit) ita etiam est cōmutatio in offensis, cū aliquis pro offensa in alterum cōmissa, vel inuitus punitur, quod pertinet ad vindicatiuā iustitiā, vel voluntarie recompensat emendā.* Verba sunt Diui Thomæ. Vnde colligit, pœnitentiā, per quā homo Deo satisfacit pro peccatis à seipso cōmissis sub iustitia cōmutatiua cōtineri; tametsi iustitia per facta non sit, eo quòd deficit ab æqualitate simpliciter: ergo satisfactio à Christo exhibita pro peccato humani generis, & pro offensa Deo irrogata, non ad distributiuā, sed ad cōmutatiuā iustitiā pertinebit. Cumque talis satisfactio non deficiat ab æqualitate simpliciter, pertinebit ad iustitiā cōmutatiuā perfectā, virtusq; in illā inclinans cōtinebitur sub iustitia cōmutatiua, nō tanquam pars potētialis, & imperfecta, sed vt pars perfecta, & subiectiua.

Nec est iustitia legalis, quæ, vt docet D. Th. 2. 2. *q.* 58. *art.* 5. *in corpore*, & *q.* 61. *art.* 1. *ad* 4. ordinat ea, quæ sūt priuatarū personarū ad bonū cōmune Reipublicæ, scilicet; iustitia autē Christi in ordine ad Deū prout satisfaciētis pro offensa in ipsū cōmissa istū ordinē non attēdit, scilicet priuatarū personarū ad bonū cōmune Reipublicæ, sed attēdit ordinē æqualis satisfactionis ad offensā Deo irrogatā, quo nō ordinatur bonū partis ad bonū totius, sed bonū satisfactionis ad æqualē recōpēsationē offēsæ, & cōsequēter virtus residēs in Christo inclinās ad satisfaciendū Deo pro peccato humani generis, & ad ius diuinū per peccatū læsum reparādum iustitia legalis non est. 45. S. Tho.

Nec est iustitia vindicatiua: tùm, quia vt docet D. Thom. 2. 2. *q.* 108. *art.* 1. iustitia vindicatiua est in solo Deo offenso tāquā in proprio subiecto, & in humanis iudicibus, vt in exequētib⁹; Christus autē quatenus satisfaciens nec Dei offensi vices gerebat, nec iudicis exequentis personam, sed hominis offensoris, cuius onus, & debitum à se soluendum suscepit titulo fideiussoris. Tùm etiam, quia vt docet idem D. Thom. in hac 3. *part. infra q.* 85. *art.* 3. pœnitentia, quia respicit per se primò satisfactionem voluntariam pro culpa à nobis commissa, nō ad iustitiam vindicatiuam, sed ad cōmutatiuam pertinet: iustitia autem 46. S. Tho. S. Tho.

Christi

Christi primariò intendebat satisfactionem pro culpa ab homine in Deū commissa, & compensationem æqualem pro illa. ergo dicendum, virtutē residentem in Christo, inclinantemque ad regulandos actus cæterarum virtutū, illosque, vt satisfactorij sunt, imperandos ex motiuo, & fine compensationis æqualis pro offensa irrogata Deo, & ius diuinum læsum reparandi, non esse iustitiam vindicatiuā, sed commutatiuam. Nec obstat huic doctrinæ D. Thom. *in 4. Sentent. dist. 15. q. 1. art. 1. quæstiunc. 2. in corpore*, vbi pœnitentiam sub iustitia vindicatiua constituit; nam interpretandus est D. Thom. quantum ad pœnam, quam peccator sustinet, & hoc non absolutè, & simplicitèr, sed quodammodo, & secundum quid, vt ibidem Angelicus Doctor docet, non autem penès ordinem ad satisfactionem, quæ voluntariè à nobis exhibetur, & quam primariò respicit pœnitentia; nam sub hac consideratione sub iustitia commutatiua continetur, etsi nō tanquam pars perfecta, & subiectiua; sed tanquam imperfecta, & potentialis, quia deficit ab æqualitate simplicitèr, vt proximè dicebamus. Cum ergo virtus residens in Christo ad satisfaciendum inclinans, & satisfactionem dirigens per se primò intendat satisfactionem pro culpa, illiusque compensationem, & aliàs satisfactio à Christo exhibita non deficiat ab æqualitate simplicitèr cū offensa Deo irrogata, erit species perfecta, & subiectiua iustitiæ commutatiuæ.

Pœnitētia non continetur sub iustitia vindicatiua simpliciter, sed tātū secundū quid.

47. *Respondet M. Vincentius.*

Respondebis primò ex Vincentio vbi *supra pag.* 275. virtutem proximè dirigentem in Christo actus cæterarum virtutum in satisfactionē pro offensa, illosque imperantem ex motiuo, & fine compensationis iniuriæ irrogatæ Deo sub nulla ex partibus subiectiuis iustitiæ fuisse contentam, sed sub potestatiuis: vndè nec fuit iustitia legalis, nec distributiua, nec vindicatiua, nec commutatiua, sed fuit virtus religionis, quam esse partē potentialem iustitiæ, docet D. Thom. 2. 2. q. 80. art. 1. *in corpore*. Quòd autē virtus religionis fuerit, suadet Vincentius primò; nam pœnitentia, per quam nos Deo pro peccatis propriis satisfacimus, est virtus à religione indistincta, vt docet Caietanus in hac 3. *part. infra q.* 85. *art.* 2. cur ergo, inquit Vincentius, in Christo, in quo virtuti pœnitentiæ non est locus, eo quòd non potuit peccatum committere; pœnitentia autem respicit peccatum a pœnitente commissum, formidabimus asserere religionem, quā Christo nullus Theologorum negat, munus nostræ pœnitentiæ subijsse? Secundò, nam licet Christus operatus fuerit nostram salutem, nostramque redemptionem per modum meriti, satisfactionis, efficientiæ, & sacrificij; præcipuè tamen illam per modum sacrificij fuit operatus; sacrificium autem pertinet ad religionē: ergo ad illam pertinuit in Christo actus aliarum virtutum proximè in satisfactionem dirigere, illosque imperare ex motiuo, & fine compensationis offensæ.

Primū motiuū

Solutionis.

Caietan.

Vincēt.

Secūdū.

Cæterum contra hanc solutionē obijcio sic primò; nam obiectum religionis, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 81. *art.* 3. & 4. est reuerentia vni Deo debita secundum vnam rationem, nempè in quantum est primum principiū creationis, & gubernationis rerum; sed virtus in Christo residens ad satisfaciendum inclinans, non tendit per se primò ad cultum Deo exhibendū tanquam primo principio creationis, & gubernationis, sed ad Deum placandum, eique satisfaciendum per æqualem offensæ compensationem: ergo huiusmodi virtus in Christo ad satisfactionem inclinans, & proximè regulans actus cæterarum virtutum, illosque imperans ex motiuo, & fine æqualis compensationis, religio nō fuit; nam ad hoc necessū erat, quòd obiectū religionis, videlicet cultum Dei, prout primum principium est, intenderet per se primò.

48. *Reijcitur primo.* S. Tho.

Deindè, quia vt docet idem D. Thom. 2. 2. q. 61. *art.* 1. *ad vltim.* ex diuersa ratione debiti diuersificantur partes iustitiæ; sed debitum, quod per se primò attendit religio, diuersum quid est à debito primario inspecto à

49. *Secundo.* S. Tho.

virtute satisfactiua Christi; illa enim respicit primariò cultum Deo debitum ratione supremi dominij, & quia est principium creationis, & gubernationis: hæc autem respicit satisfactionem debitam Deo ratione iniuriæ ab homine in ipsum commissæ, quæ debita diuersa sunt, vt per se manifestum videtur: ergo virtus inclinans ad satisfaciendum in Christo virtus religionis non est. Præterea, nam pœnitentia iuxta D. Thomam *in 4. dist. 14. q. 1. art. 1. quæstiunc. 5. in corpore*, est virtus à religione distincta, quia religio reddit Deo debitum contractum, ex eo, quòd aliquid ab illo recipimus; pœnitētia verò respicit debitum ex culpa contractum, & *dist. 15. q. 4. art. 7. quæst. 1. ad. 2.* docet, orationem vt satisfactoriam pro culpa imperari à virtute pœnitentiæ, & elici à virtute Latriæ, quæ est virtus religionis inclinans in cultum Dei, quæ doctrina stare non posset, si pœnitentia esset virtus à religione indistincta; nam virtus imperans, & imperata virtutes distinctæ sunt: ergo actus aliarum virtutum, quatenus satisfactorij pro offensa irrogata Deo non à religione, sed à virtute ab illa distincta regulantur, & imperantur in Christo ex motiuo, & fine satisfactionis, & compensationis æqualis pro culpa in ipsum commissa.

Tertiò.

S. Tho.

Nec motiua, quibus Vincentius ducitur, vrgent; falsum enim est, pœnitentiam in nobis inclinantē ad satisfaciendum Deo esse virtutem à religione indistinctam, quidquid Caietanus velit. In quo cōmunitèr à Thomistis deseritur, & meritò sanè, cum ex D. Thoma contrarium constet, vt vidimus, nec standum sit Caietano, cum à D. Thoma discedit, vt aliquoties fecit, aliquando enim bonus dormitat Homerus.

50. *Ad primū motiuū respōdetur.*

Nec secundum; nam esto Christus Dominus fuerit nostram salutem per modum sacrificij operatus; ex hoc tamen non colligitur, illius satisfactionem fuisse a religione elicitam, nec proximè regulatam, & imperatam ab illa ex motiuo, & fine æqualis compensationis offensæ, ex quo fine virtus satisfactiua Christi, vt satisfactiua procedit, sed solum quòd imperata fuerit à religione ex motiuo cultus diuini, quod commune est actibus omnium virtutum, quatenus ad diuinū cultum ordinari possunt, vt docet D. Thom 2. 2. q. 81. art. 4. ad 1. illis verbis: *Ad primum dicendum, quòd omne opus virtutis dicitur, esse sacrificium, in quantum ordinatur ad Dei reuerentiam: vndè, ex hoc non habetur, quòd religio sit generalis virtus, sed quod imperet omnibus alijs virtutibus, vt supra dictum est.* Verba sunt D. Thomæ. Ex quibus apertè constat, vt opera virtuosa elicita ab alijs virtutibus rationem sacrificij sortiantur, sufficere, quòd à religione imperentur, & ex illius directione, & imperio ad diuinum cultum, & Dei reuerentiam ordinentur: ac proindè, ex eo quòd satisfactio à Christo Domino exhibita sacrificij rationem obtineat, non sequitur, intentionem formalem satisfaciendi pro nobis elicitiuè à virtute religionis procedere, sed sufficit, quòd ab illa imperetur, à qua etiam omnes actus aliarum virtutum, quibus Christus satisfecit, imperatiuè procedunt, & etiam regulatiuè, non vt satisfactio sunt, sed quatenus sunt sacrificium. Nec, quod Vincentius addit, est verum, nempè Christum operatum fuisse nostram salutē principalius per modum sacrificij, quam per modum meriti, satisfactionis, & redemptionis; nam præscindendo à comparatione absoluta istarum formalitatum conuenientium actibus à Christo elicitis, quænam, scilicet ex his honestatibus sit in illis absolutè principalior, prout tamen nostram operati sunt salutem, quod principalius in illis consideratur, est ratio satisfactionis, redemptionis, & meriti, quia in illa expressius offensæ destructio explicatur, in qua nostra salus consistit.

Ad secūdum.

S. Tho.

51. *Secūda solutio aliorum*

Respondebis secundò cum alijs, satisfactionem Christi fuisse elicitam, imperatam, vel proximè regulatam, non à iustitia speciali, nec à religione, nec ab aliqua ex his virtutibus, quæ circumferuntur communitèr, sed à

Ipe-

specialissima quadam virtute ab omnibus illis distincta innominata, & incognita. Sed contra primò, nam ad virtutem recurrere innominatam, & a Theologis hucusque non cognitam est ex proprio cerebro loqui, & absq; fundamento virtutes multiplicare, & confingere, quod viro Theologo decens non est. Deindè, nam motivum virtutis residentis in Christo ad satisfaciendum pro nobis, scilicet compensatio æqualis pro iniuria irrogata Deo, est motivum proprium iustitiæ, sed virtus iustitiæ communiter circumfertur, & est à Philosophis, & Theologis cognita: ergo intendere satisfactionem pro culpa à nobis commissa, illamque ex prædicto motivo imperare, non pertinet ad innominatam virtutem, nec ad virtutem distinctam ab illis, quæ inter Theologos circumferuntur communiter.

Reiicitur primò.

Secùdo.

Tertiò.

Denique, nam talis virtus, etsi distincta sit ab his, quæ circumferuntur communiter; eo tamen ipso quòd detur, aliquo nomine erit significabilis, & nominabilis, sed auctor solutionis traditæ nomen tali virtuti non ponit: ergo talis virtus non datur, & quidem si virtutem confingere licuit, cur & virtutis nomen cõfingere non licebit?

§. IIII.

Argumentis in contrarium occurritur.

52. *Arguitur primo contra conclusionẽ*

CONTRA nostram conclusionẽ opponit Vincentius primò; si namque in Christo daretur virtus iustitiæ commutatiuæ ad merendum, & satisfaciendum pro nobis, sequeretur, meruisse, & satisfecisse non vt Patri inferiorem, sed vt illi æqualem: consequens est falsum; meruit enim, & satisfecit pro nobis per actiones media humanitate elicitas, consequenterque per actiones, quas eliciebat vt homo, & per mortẽ, & passionem, quam Christus non vt Deus, sed vt homo sustinuit, qua ratione est minor Patre: ergo talis virtus constituenda in Christo non est ad merendum, & satisfaciendum pro nobis. Probatur sequela; nam iustitia commutatiua ex sua essentiali ratione respicit æqualitatem: ergo illius operatio, quatenus ab ipsa elicitiuè, vel regulatiuè procedit, non est inferioris in ordine ad superiorem, sed æqualis in ordine ad æqualem formaliter; ac proindè, si admittitur in Christo virtus iustitiæ commutatiuæ, vt ex illa satisfactio elicitiuè, aut regulatiuè procedat, sequitur, Christum satisfecisse non vt inferiorem Patri, sed quatenus illi æqualem, quod est falsum, nam satisfecit vt homo, qua ratione æqualis Patri non est, sed infinitè distans ab illo.

53. *Respõdetur.*

Respondeo, ex dictis in præcedentibus constare, qualiter Christus satisfecerit vt Deus, & qualiter satisfecerit, & meruerit vt homo; satisfecit namque vt Deus dignificatiuè, quia satisfactionis dignitas à Deitate, vt à forma fuit sumpta, & vt homo elicitiuè, quia mediante humanitate actus, quibus satisfecit, elicuit, & consequenter satisfecit dignificatiuè, vt æqualis Patri ratione Deitatis dignificantis, & satisfecit vt inferior elicitiuè, ratione humanitatis, mediãte qua operationes satisfactorias elicuit; quia tamen argumentum videtur contendere, sequi ex nostra conclusione, satisfeciſſe Christum, quatenus æqualem Patri, non solum dignificatiuè, sed etiam elicitiuè, neganda est absolutè sequela: ad cuius probationem dicatur, iustitiam commutatiuam nõ respicere ex sua ratione essentiali æqualitatem naturarum satisfacientis, & creditoris, quæ sunt extrema, inter quæ iustitia exercetur, sed æqualitatẽ vel actionum dati, & accepti, vel obsequij ad iniuriam illatam, ad hoc autem, quòd iustitia in Christo ad satisfaciendum posita, & satisfactionem regulans respiciat æqualitatem satisfactionis cum iniuria Deo irrogata, non est necessarium, quòd vt æqualis

Patri eliciat operationes ſatisfactorias, quia valor, ratione cuius prædictæ operationes adæquant grauitatem iniuriæ, non ſumitur à principio *eliciente*, ſed à ſuppoſito vt *quod* operante: ac proindè, ex eo, quòd conſtituatur in Chriſto iuſtitia commutatiua ad ſatisfaciendum pro nobis, & ex illa ſatisfactio à Chriſto exhibita eliciti uè, aut regulatiuè proceſſerit, nõ ſequitur, Chriſtum ſatisfeciſſe, vt æqualem Patri elicitiuè, ſed ſolũ quòd dignificatiuè, vt æqualis ſatisfecerit. Et quidem hoc argumentum inſtatur in actu ſatisfactorio, quem fuiſſe de toto rigore iuſtitiæ concedit Vincentius, & tamen non fuit à Chriſto, vt æquali Patri elicitiuè, ſed dignificatiuè tantum: cur ergo idem non poterit dici de virtute iuſtitiæ ad ſatisfaciendum inclinante, & ſatisfactionẽ regulante?

54. *Secũdo arguitur.*

Secundò ſic arguit; nam eſſentialis ratio iuſtitiæ commutatiuæ poſtulat, quòd poſsit prodire in actum, cui tribuat condignitatem ad præmium, ſi fuerit meritorius, vel æqualitatem ad offenſam illatam, ſi ſatisfactorius fuerit; ſed nulla virtus in anima Chriſti reſidens poteſt illius operationibus ſatisfactorijs condignitatem iſtam, & æqualitatem cum offenſa præſtare: ergo non eſt dabilis in Chriſto iuſtitia commutatiua ad ſatisfaciendum inclinans. Maiorem ſupponit, minorem autem probat; omnis namque virtus reſidens in anima Chriſti eſt finitæ, limitatæque perfectionis, non ſolum in eſſe phyſico, ſed etiam in linea moris: vtramque enim perfectionem tam phyſicam, quam moralem virtutes animæ Chriſti à ſuis obiectis deſumunt, à quibus nihil infinitudinis poſſunt participare; ſed dignitas meritoria, & ſatisfactoria operationum Chriſti, per quam offenſæ adæquantur, eſt infinita moraliter: ergo non poteſt in aliquo habitu virtutis talis dignitas præcontineri, & conſequenter nulla virtus reſidens in anima Chriſti poteſt actibus meritorijs, & ſatisfactorijs præſtare valorem, vel dignitatem, ratione cuius ſunt æqualis ſatisfactio pro offenſa.

Huic argumento, cui maximè fidit Vincentius, reſpondeo, negando maiorem, quam non probat, ſed vt notam ſupponit, cum tamen eius probationi principaliter deberet incumbere; licet namque ſit de ratione iuſtitiæ commutatiuæ, quòd æqualitatem meriti cum præmio, aut ſatisfactionis cum iniuria reſpiciat, & illam primariò intendat; non tamen petitur ad rationem iuſtitiæ, quòd ipſa operi ſatisfactorio tribuat huiuſcemodi æqualitatem, ſed ſufficit, quòd vires ex alio capite ad illam præſtadam ſupponat, & quòd voluntatem inclinet ad eliciendum actum, quo ex motiuo æqualis compenſationis pro iniuria imperet actus illam in morali æſtimatione adæquantes. Vndè, cum æqualitas operationum Chriſti cum iniuria Deo irrogata à ſuppoſito Verbi proueniat, vt conſtat ex dictis in ſecundo argumento, quod fecimus pro noſtra ſententia, & in ſolutione argumenti præcedentis, & Chriſto non repugnet habitus virtuoſus eliciens actum motũ à compenſatione æquali, & ex hoc motiuo actus ſatisfactorios æquales cum offenſa imperantem, fit, quòd illi non repugnet iuſtitia commutatiua in ſatisfactionem inclinans, illam imperans, & regulans.

55. *Reſpõdetur.*

56. *Replicabis.*

» Sed obijcies: actus aliarum virtutum eliciti à Chriſto Domino non ſunt imperabiles ab aliqua virtute ſpeciali, quantum ad dignitatem, & valorem, quem à ſuppoſito Verbi recipiunt, ſed ſolum quoad ſuam ſubſtantiam; ſed non ratione ſubſtantiæ, vel entitatis actuum, ſed ratione valoris ſumpti à ſuppoſito Verbi adæquant grauitatem offenſæ: ergo non poſſunt ab aliqua virtute ſpeciali imperari, prout ſunt æquales offenſæ, & conſequenter virtus imperans iuſtitia non eſt. Secunda conſequentia ex prima colligitur; nam iuſtitia debet ab æqualitate moueri, & conſequenter actus, vt æquales ſunt, imperare: ergo ſi virtus in Chriſto Domino reſidens imperare nequit actus ſatisfactorios, prout ſunt æquales offenſæ, talis virtus iuſtitia non eſt. Prima in-

fertur ex præmissis, si namque tales actus quoad valorē à supposito sumptum non imperantur, nec imperari possunt vt æquales, cum æqualitas à valore sumatur. Minor autem certa est: vndè tota difficultas reducitur ad maiorem, & ostenditur primò; nam suppositum, à quo, vt à forma sumitur valor, aut dignitas actuum, quibus Christus satisfecit, non est voluntati humanæ Christi subiectum: ergo tales actus quatenus valorati à supposito nullius virtutis imperio possunt subesse.

Secundò, nam valor à supposito sumptus non est Christo liber, nec vitalis, nec ab illius voluntate procedens, vt *disp.* 3. docuimus, aliàs moraliter infinitus non esset, vt ibidem dicebamus: ergo non subijcitur voluntaris imperio, & consequenter actus satisfactorij quatenus valorosi, & prout dignificati à supposito, nō possunt ab aliqua virtute imperari, nam quælibet virtus imperans subditur voluntati, quoad vsum, & consequenter si voluntas Christi humana actus satisfactorios, prout valoratos à Verbo imperare non potuit, nullius virtutis in illa residentis imperio sic sumpti subesse potuerunt.

57. *Respōdetur.* Respondeo, negando maiorem: ad primam probationem dicatur, suppositum Verbi non subijci voluntati humanæ Christi quoad esse, nec quoad significare formaliter actus media humanitate elicitos, nec quoad quantitatem valoris, & dignitatis, quam prædictis actibus præstat; non enim potest actus semel à Christo Domino elicitus non recipere totam dignitatem personalem, quam Verbum præstare potest ad extra; subijcitur tamē antecedenter libertati voluntatis humanæ, quia in illius arbitrio erat positum, hos, vel illos actus elicere, aut non elicere pro sua libertate, etsi illos non eliceret, non reciperent dignitatem à Verbo, & hoc sufficit, vt actus satisfactorij eliciti à Christo Domino imperio humanæ voluntatis subdantur, non solum quoad suam substantiam, sed etiam quoad valorem personalem sumptum à supposito Verbi: ac proindè sufficit, vt subvtraque ratione possint à virtute satisfactiua Christi imperari.

Ad secundam probationem dicatur, valorem personalem illarum operationum, quibus Christus satisfecit, sumptum in abstracto, nec vitalem esse, nec liberum voluntati humanæ Christi, cum sic sumptus sit vel personalitas, vel diuinitas Verbi, quæ nec vitales, nec liberæ sunt; in concreto autem sumptum, ideſt, actus valoratus, & dignificatus à Verbo, vitalem, ac liberum esse, vt *disput. allegat.* docuimus. Quod sicut sufficit, vt actus satisfactorij, vt satisfactorij, & meritorij sunt, de condigno, & ad æqualitatem sint liberi voluntati humanæ Christi, sufficit etiam, vt quatenus æquales offensæ, subesse possint imperio virtutis residentis in Christo ad satisfaciendum inclinantis.

58. *Instabis.* Sed instabis adhuc; nam etsi actus valoratus à Verbo sit liber voluntati humanæ Christi; non tamen est liber ratione valoris, sed ratione physicæ entitatis, & substantiæ, vt docuimus *disput. citata*: ergo non ratione valoris, ratione cuius adæquat grauitatem offensæ, sed solum ratione suæ physicæ entitatis, ratione cuius cum grauitate offensæ non adæquatur, subesse potest voluntati Christi humanæ, & imperio virtutis residentis in illa; sed, vt virtus imperans actum satisfactorium pro offensa esset in specie iustitiæ, deberet illos imperare, non solum ratione entitatis, sed etiam ratione valoris: ergo virtus imperās actus satisfactorios in Christo iustitia specialis non est. Minor, cui ineſt difficultas, probatur; etenim virtus iustitiæ ad satisfaciendum inclinans primò, & per se intendit satisfactionem æqualem cum offensa, quia æqualis est, & ratione æqualitatis: æqualitas namque est motivum iustitiæ perfectæ: ergo satisfactio æqualis, vt æqualis reduplicatiuè, & ratione æqualitatis, subesse debet imperio talis virtutis, vt sit iustitia perfecta, ac per cōsequens, vt virtus satisfactiua Christi, eius voluntatem ad satisfaciendum inclinans, iustitia perfecta sit, necessa-

rium

rium erit, quòd imperet actus ſatisfactorios media humanitate elicitos, non ſolum ratione entitatis phyſicæ, ratione cuius non adæquant grauitatem offenſæ, ſed etiam ratione valoris, ratione cuius cum grauitate offenſæ adæquantur.

59. *Reſpondetur.* Reſpondeo, conceſſo antecedenti, & prima conſequentia, negando minorem ſubſumptam, quòd nempè vt virtus ad ſatisfaciendum inclinans perfecta iuſtitia ſit, requiratur, quòd imperet actus ſatisfactorios ratione valoris ſumpti à ſuppoſito Verbi: ad illius probationem, cōceſſo antecedenti, nego conſequentiam; aliud enim eſt, quod per ſe primò intenditur ab aliqua virtute, & aliud id, ratione cuius actus virtuoſus libertati voluntatis ſubijcitur, vt conſtat in iuſtitia humana, cuius motivum eſt æqualitatem in rebus conſtituere; & tamen huiuſcemodi æqualitas, quà intēdit per ſe primò, non ratione ſui, ſed ratione actus interioris voluntatis illius imperio ſubijcitur, nec iſta æqualitas à virtute imperante cauſatur, ſed prouenit ex alijs principijs, vt ſuperius dicebamus contra Vincentiū arguentes. Vndè, ex eo, quòd æqualitas ſatisfactionis à Chriſto Domino exhibitæ cum offenſa Deo irrogata ſit primò intenta à virtute ſatisfactiua Chriſti, non ſequitur, quòd æqualitas eſſe debeat ratio, ob quam æqualis ſatisfactio ſubordinetur imperio voluntatis humanæ, & virtutis inclinantis ad ſatisfaciendum reſidentis in illa.

60. *Inſtatur argumētum in principijs Auctoris cōtrarij.* Et quidem etiam hoc argumentum, cui, vt dixi, potiſsimè fidit Vincentius, inſtantiam patitur in actuali Chriſti ſatisfactione, quam fuiſſe de toto rigore iuſtitiæ fatetur doctiſsimus iſte Magiſter; & tamen prout æqualis offenſæ reduplicatiuè libera non fuit, hoc eſt, non fuit libera ratione formæ illam valorantis, & dignificantis, præſtātiſque æqualitatem: ergo ſaluatur in ſatisfactione actuali perfecta ratio iuſtitiæ, quin ſubijciatur imperio voluntatis reduplicatiuè vt æqualis offenſæ, hoc eſt, quin ratione formæ valorantis, & adæquatis ipſam cū offenſa à voluntate Chriſti humana imperetur, eiuſque imperio ſubdatur, & conſequentèr ſaluabitur in virtute inclinante ad ſatisfaciendum, & ſatisfactionem imperante, perfecta ratio iuſtitiæ habitualis, ſeu virtutis iuſtitiæ, abſque eo quòd imperet actualem ſatisfactionē prout æqualē offenſæ reduplicatiuè, ideſt, ratione formæ, à qua habet cū offenſa æqualitatem. Patet hæc ſecunda conſequentia: ſicut namque ad rationem virtutis iuſtitiæ in habitu requiritur, quòd imperet ſatisfactionem æqualem iniuriæ: ita ad rationem iuſtitiæ actualis requiritur, quòd actus offenſæ æqualis liberè à volūtate procedat, & ab illa imperetur: ergo ſi in ſatisfactione actuali ſubſiſtit perfecta ratio iuſtitiæ in actu, abſque eo quòd imperetur, ſitque libera reduplicatiuè vt æqualis offenſæ, etiam ſubſiſter perfecta ratio iuſtitiæ habitualis in virtute ad ſatisfaciendum inclinante, abſque eo quòd imperet actum ſatisfactorium reduplicatiuè, vt æqualem iniuriæ, per hoc ſolum quòd concretum reſultans ex entitate actus, & valore præſtito à Deitate, ſit liberum voluntati humanæ Chriſti, & illius imperio, & virtutis in illa reſidentis ſubdatur ratione vnius partis, nempè ratione phyſicæ entitatis actus; nam per hoc ſolum ſaluatur, quòd Chriſtus liberè ſatisfaciat, & liberè nobis mereatur.

61. *Tertio arguitur, & replicatur contra dicta.* Tertiò arguitur, & hucuſque dicta impugnantur: vt enim virtus ſatisfactiua in Chriſto reſidens, illiuſque voluntatem ad ſatisfaciendum inclinans eſſet perfecta, & commutatiua iuſtitia, ſpecificari deberet ab operibus Chriſti ſatisfactorijs, prout condignè ſunt ſatisfactoria pro offenſa, & quatenus illi æqualia; ſed non poteſt ſpecificari ab illis ſic ſumptis: ergo nec poteſt rationem iuſtitiæ perfectæ, & commutatiuæ obtinere. Cōſequentia tenet, maior conſtat ex dictis; nam motivum iuſtitiæ ſatisfactiuæ perfectæ eſt æqualitas ſatisfactionis cum iniuria; ſed quælibet virtus ſpecificatur à proprio motiuo: ergo, vt virtus in Chriſto reſidens, & ad ſatisfa-

tisfa-

tisfaciendum inclinans rationem perfectæ iustitiæ sortiatur, specificari debet ab operibus Christi satisfactorijs, prout condignè satisfactorijs, & prout æqualibus offensæ formaliter.

Minor autem probatur; nam si specificaretur ab operibus Christi, vt æqualibus offensæ, specificari deberet ab illis ratione dignitatis, & valoris, per quem constituuntur in ratione cõ dignæ, & æqualis satisfactionis; sed nõ potest specificari ab operibus Christi ratione valoris: ergo nec potest specificari ab illis, prout condignè, & æqualiter satisfactorijs pro offensa. Minor, in qua sola est posita difficultas, probatur; nam valor operationum Christi sumitur vt à forma à supposito Verbi ratione diuinitatis: ergo virtus specificata ab illis ratione valoris, quo adæquant offensam, a diuinitate sumit suam specificationẽ formaliter; sed hoc repugnat virtuti morali (qualis est virtus posita ad satisfaciendum in Christo) cum sola virtus Theologica Deum possit habere pro obiecto: ergo virtus, quam ponimus ad satisfaciendum in Christo, & in satisfactionem inclinans, nequit ab operibus Christi satisfactorijs ratione valoris, per quem cum offensa adæquantur, suam specificationem formaliter sumere.

62. *Respõdetur.* Respondeo, concessa maiori, negando minorem: ad illius probationem, concessa etiam maiori, nego minorem: ad cuius probationem, cõcesso antecedenti, & prima consequentia, quòd nempè virtus ad satisfaciendum inclinans specificetur ab operibus Christi satisfactorijs ratione valoris, ratione cuius cum offensa adæquantur, negãda est minor subsumpta, quam non cõuincit probatio; etenim ad virtutem Theologicam, prout à virtute morali distinctam, non sufficit, quod obiectum *quo* illius aliquid diuinum sit, vel quòd ratio formalis, *sub qua*, *seu motiua* sit diuina, sed insuper est necessarium, quòd ratio formalis *quæ* obiectiua primariò à tali virtute inspecta sit aliquid increatum: quo circa 2. 2. *q.* 1 *art.* 1. communiter à discipulis D. Thomæ docetur, obiectum primarium *quod* nostræ fidei non esse aliquam veritatem creatam, nec aliquid abstrahens à creato, & increato, sed veritatem increatam; quia nempè fides, virtus Theologica est, idemque *q.* 23. *art.* 5. de charitate docetur, quòd nempè ratio formalis *quæ* primaria in obiecto illius non est bonitas creata, nec abstrahens à creata, & increata, sed bonum increatum, & diuinum, eo quòd charitas etiam est virtus Theologica, idemque de spe docetur 2. 2. *q.* 17. *art.* 2. & eadem ratione: quæ doctrina non esset vera, si ad rationem virtutis Theologicæ sufficeret, quòd obiectum *quo* motivum esset aliquid increatum. Vndè, etsi virtus satisfactiua Christi à diuinitate, vt valorante illius operationes, suam specificationem accipiat; non sequitur, esse virtutem Theologicam, quia diuinitas non specificat, vt ratio formalis *quæ*, sed vt ratio formalis *qua*, vel *motiua*: ratio autem formalis *quæ* terminans, nempè opus valoratum, aliquid creatum est, & ideò virtus ab illo specificata non est virtus Theologica, sed moralis.

63. *Instabis.* Sed instabis; nam saltim sequitur ex nostra resolutione, & doctrina, virtutem positam ad satisfaciendum in Christo esse perfectissimam inter omnes virtutes morales: consequens est falsum, cum iuxta D. Thomam 2. 2. *q.* 81. *art.* 6. virtus religionis primatum teneat inter omnes virtutes morales, illisque omnibus præferatur in ratione virtutis, & in honestate morali eo quòd proximius accedit ad Deũ, cuius cultum habet pro obiecto: ergo nostra resolutio non potest cum doctrina D. Thom. subsistere. Probatur sequela: nam sicut perfectio potentiæ pensatur penes perfectionem obiecti; quo circa in doctrina D. Thom. intellectus voluntati in perfectione præfertur, quia verum, à quo intellectus specificatur, est in ratione obiecti perfectius bono, à quo specificatur voluntas: ita perfectio habitus, aut virtutis mensuratur penès perfectionem obiecti. Vndè, virtutes Theologicæ, quia Deum pro obiecto

S. Tho.

habent,

habent præferuntur ab Angelico Doctore omnibus virtutibus moralibus, quæ ab obiectis creatis ſuam ſpecificationem deſumunt; ſed ſi obiectum formale *quo* virtutis ſatisfactiuæ Chriſti eſſet perſonalitas, aut diuinitas Verbi, vt in noſtra reſolutione docuimus, haberet obiectũ obiecto religionis perfectius, quæ vt docet D. Thomas *q. allegata art. 5. in corpore, & ſolut. ad 2.* Deum pro obiecto non habet, ſed cultum ipſi exhibendum, vt primo creationis, & gubernationis principio: ergo ſi virtus in Chriſto ad ſatisfaciendum reſidens haberet pro obiecto *quo*, & formali diuinitatem, vt valorantem opera ſatisfactoria, eſſet virtus religione perfectior, quod, vt vidimus, doctrinæ D. Thomæ aduerſatur.

S. Tho.

64. *Reſpõdetur primo.*

Huic obiectioni reſponderi poteſt primò, concedendo ſequelam, & negando minorem: ad cuius probationem dicatur, comparationem fieri à D. Thoma, cum docet, religionem alias virtutes morales excedere in perfectione cum virtutibus moralibus conuenientibus puræ creaturæ, non autem cum virtute iſta ſatisfactiua ad æqualitatem pro offenſa, quæ ob ſui maximam perfectionem ſoli Chriſto competere poteſt, & in illo reperiri, maximè ſi dicatur, vt Nos aſſeruimus, à valore operationum, quibus Chriſtus ſatisfecit, & à perſonalitate, aut diuinitate Verbi dictas operationes valorante, adæquanteque cum offenſa, ſumere ſuam ſpecificationẽ. Et quidẽ, ſi ab hac comparatione excipitur iuſtitia legalis, quam D. Thomas *2. 2. q. 58. art. vlt.* præfert omni virtuti morali, eo quod reſpicit bonum commune, & ab illo ſpecificatur, cur virtutẽ iſtam hypoſtaticam ita excellentem, quòd repugnat puræ creaturæ, & ſolum reperitur in Chriſto, excipere non licebit à prædicta comparatione, & aſſerere, quòd religionem excedat in honeſtare morali; cum bonum cõmune, & ita diuinum reſpiciat?

S. Tho.

Secũdò reſpondetur.

Secundo reſponderi poteſt, negando ſequelam: ad cuius probationem dicatur, quòd licet religio nõ habeat Deum pro obiecto formali *quod*, ſed cultum illi exhibendum, tanquam ſupremo principio; habet tamen Deũ pro obiecto formali *quo*; id enim eſt obiectum formale *quo* alicuius virtutis, ex cuius vnitate vnitas virtutis deſumitur. Cum ergo D. Thom *2. 2. q. 81. art. 3.* ex vnitate Dei, & rationis primi principij, ſub qua à religione colitur, inferat vnitatem ſpecificam religionis, & in *art. 4.* ex eo, quòd prædicta ratio, videlicet primi principij, eſt creaturæ incommunicabilis, inferat diſtinctionem religionis à virtute, qua cultum exhibemus creaturæ, videtur conſequenter ex eius doctrina dicendum, obiectum *quo* religionis eſſe excellentiam diuinam vt diuinã, eſto obiectum *quod* illius aliquid creatum ſit, nempè cultus Deo exhibitus, maximè cum ex hoc non ſequatur, religionem virtutem Theologicam eſſe, ſicque accipiendus, & interpretandus eſt D. Thom. *art. 5. citato*, cum docet, religionem non habere Deum pro obiecto, quòd nempè nõ habeat Deũ pro obiecto formali *quod*, cum hoc ſufficiat, vt Theologica virtus non ſit, ſed moralis; ac proindè ex eo, quòd virtus reſidens ad ſatisfaciendum in Chriſto, inclinanſque in ſatisfactionem æqualem offenſæ habeat pro obiecto *quo* perſonalitatem, aut diuinitatem Verbi, vt dignificantem, & valorantem actus ſatisfactorios à Chriſto Domino exhibitos, illoſque cum offenſa adæquantem, non ſequitur, virtutem religionis excedere in perfectione morali.

S. Tho.

65. *Quartò arguitur.*

Quartò arguitur; nam filij ad patrem non eſt iuſtitia ſimpliciter iuxta Ariſtotelem *5. Ethic. cap. 5. & 6.* ſicut nec iuſtum ſimpliciter eſt inter illos, vt docuit D. Thom. *2. 2. q. 57. art. 4.* eo quòd ius, ſiuè iuſtum dicitur per commenſurationem ad alterum, & conſequenter iuſtum ſimpliciter per comparationem ad ſimpliciter alterum: filius autem eſt aliquid patris, & ideo filij ad patrem non eſt comparatio tanquam ad ſimpliciter alterũ, ſed ſolum vt ad alterum ſecundum quid, & conſequenter inter filium, & patrem non eſt ius, ſiuè iuſtum,

Ariſt. S. Tho.

ſimpli-

simpliciter; sed Christus multo magis est aliquid Dei, quam filius sit aliquid patris, cum inter Deum, & Christum suppositalis distinctio non sit, quæ in creaturis inter patrem, & filium reperitur, & consequenter comparatio Christi ad Deum non est ad simpliciter alterum: ergo Christi ad Deum nequit esse iustum, vel iustitia simpliciter: ac proindè virtus residēs in Christo ad satisfactionem inclinās, & satisfactionem regulans, commutatiua iustitia non est, cuni hæc sit iustitia simpliciter, & consequenter iustum simpliciter habeat pro obiecto, & alteritatem simpliciter inter extrema requirat.

66. *Respōdetur.* Respondeo, concessa maiori, distinguendo minorem: Christus vt homo est multo magis aliquid Dei, quā filius sit aliquid patris in creaturis quoad physicam identitatem, concedo minorem; quoad rationem iuris, & dominij, nego minorem, & consequentiam; quòd namque filij ad patrem in creaturis non sit ius, nec iustitia simpliciter, non prouenit ex physica identitate, quæ inter illos reperitur, & ex eo, quòd filius physicè sit aliquid patris, cum hæc physica identitas inter filium emancipatum, & patrem reperiatur, & filij emancipati ad patrem esse possit iustum, & iustitia simpliciter, sed prouenit ex identitate iuris, & dominij, nēpè ex eo, quòd filius non emancipatus, sed constitutus sub patria potestate, de quo Aristoteles, & Angelicus Doctor loquūtur, sui iuris non est, nec dominium aliquod rei familiaris habet, sed totum, plenumque rei familiaris dominium residet in patre: & quia iustitia petit esse ad alterum iure, & dominio, vt *disp.5.§.vlt.num.76.* cum cōmuni sentētia docuimus, ideo filij ad patrem iustitia simpliciter esse nō potest; Christus autē vt homo, etsi à Deo nō distinguatur suppositalitèr realiter; quia tamen ratione naturæ humanæ, & humanæ volūtatis est sui iuris, habetque speciale dominium super actiones satisfactorias, ratione libertatis creatæ, vt *loco proximè allegato* explicuimus, etsi tale dominium subordinatum sit supremo dominio Dei, sicut & ab illius efficientia dependēs, consequens sit, quòd Christi ad Deū posit esse comparatio tanquam ad simpliciter alterum alietate sufficiente ad rationem iusti simpliciter, & vt inter Christum, & Deum iustitia simpliciter exerceatur, instoque argumentum in actuali Christi satisfactione, quam fuisse de rigore iustitiæ, fatetur Vincentius, non obstante identitate, quæ inter Christum, & Deum reperitur, cum tamen identitas filij cum patre in creaturis impediat, ne inter illos possit actualis iustitia rigorosa exerceri: ergo ex eo, quòd inter filium, & patrem ratione identitatis non possit esse iustitia habitualis simpliciter, non sequitur, inter Christū, & Deum reperiri non posse.

67. *Quinto arguitur.* *Arist.* S. Thom. Quintò arguitur: obiectum iustitiæ commutatiuæ, prout à distributiua iustitia distinguitur, est æqualitas arithmetica inter acceptum, & datū, ablatum, & restitutum, iniuriam, & satisfactionem, vt docent Aristotel. *lib.5. Ethic. cap.3. & 4.* & D.Thom. *2.2. q.61. art. 2.* & cum illis tam Philosophi, quam Theologi hoc discrimen inter iustitiam commutatiuam, & distributiuam statuentes, quòd iustitia commutatiua respicit ius alterius secundum arithmeticam æqualitatem rei ad rem; distributiua autem respicit bona communia, non secundum arithmeticam æqualitatem, sed secundum geometricam proportionem; sed Christus quatenus satisfaciens huiusmodi obiectum non habuit: ergo virtus in illo residens, ad satisfaciendumque inclinans commutatiua iustitia non fuit. Consequentia cum maiori tenet; minor autem, cui difficultas inest, probatur; nam Christi satisfactio fuit infinitè maior omnibus offensis Deo ab hominibus irrogatis, quo circa *disp.4.* cum frequentiori, & veriori sententia docuimus, fuisse, non ab extrinseco, aut ex Dei acceptatione, sed ab intrinseco, & ex natura rei superabundantem, & super excedentem pro offensa irrogata Deo, ita vt vnus solus actus satisfactorius Christi excesserit in morali

æstima-

æſtimatione omnes offẽtas Deo irrogatas collectiuè: ergo nõ habuit cum illis arithmeticam æqualitatem, cum hæc petat omnimodam negationem excelſus vnius extremi ad aliud inter illa, quæ verſatur, & conſequentèr virtus ſatisfactiua Chriſti non potuit habere pro obiecto æqualitatẽ arithmeticam, quæ, vt diximus, eſt obiectum, & motivum iuſtitiæ commutatiuæ, prout à diſtributiua diſtinctæ.

68. *Reſpõdetur primò.* Si forte dicatur, ſatisfactionem Chriſti quantum ad ſuperexceſſum, quo eminebat ſupra offenſam in morali æſtimatione, non reſpici à virtute iuſtitiæ, ſed à charitate ſumma, qua homines diligebat, & hoc argumento facto conuinci; prout verò adæquabat offenſam, potuiſſe reſpici à virtute reſidẽte in Chriſto, ac proindè talis virtus, prout æqualitatem reſpiciebat, potuiſſe rationem iuſtitiæ cõmutatiuæ obtinere. Si, inquam, ſic reſpondeatur, in contrarium arguitur; nam licet huius ſolutionis doctrina poſsit veritatem habere in rebus pretij determinati diuiſibilis in partes, quarum aliquæ adæquentur cum debito, licet ſimul ſumptæ debitum excedant; non tamen habet locum in ſatisfactione Chriſti, quæ eſt omninò indiuiſibilis, & licet poſsit per rationem noſtram in plures virtualitates quaſi partiri, ſeu diuidi; quælibet tamen illarum excedit grauitatem offenſæ: ergo non poteſt ſatisfactio Chriſti quoad exceſſum reſpici à miſericordia, vel charitate, & quantum ad æqualitatem reſpici à virtute iuſtitiæ: vt enim æqualitas reſpiciatur, attẽdaturque à virtute, debet æqualitas dari: ergo ſi ſatisfactio Chriſti ſub nulla ratione eſt conſiderabilis vt tantum æqualis offenſæ, non poteſt intendi vt æqualis.

Reſicitur iſta ſolutio.

Cõfirmatur. Quod amplius vrgetur, & explicatur; nam in actu ſatisfactorio Chriſti non fuit æqualitas arithmetica in re cum offenſa Deo irrogata, ſed nec eſſe potuit in illo æqualitas arithmetica conſiderato in ratione obiecti intentionis Chriſti Domini intendentis ſatisfacere pro illa: ergo eſſe non potuit obiectum iuſtitiæ commutatiuæ prout arithmeticè æqualis offenſæ. Conſequentia patet; nam ſolum aliquo ex prædictis modis exiſtens eſſe poterat obiectum iuſtitiæ commutatiuæ: ergo ſi nullo ex illis exiſtit, illam terminare non potuit. Maior etiam conſtat; nam in actu ſatisfactorio Chriſti non fuit cum offenſa in Deum commiſſa æqualitas arithmetica formalis, cum formalitèr illam exceſſerit, nec æqualitas arithmetica virtualis, cum nulla virtualitas ſit conſiderabilis in illo, quæ poſsit cum offenſa ſine exceſſu cõparari. Minor etiam non minus manifeſta videtur: tùm, quia non poteſt prudentèr à Chriſto intendi, quod poſsibile non eſt: ergo ſi æqualitas arithmetica cum offenſa Deo irrogata nõ eſt poſsibilis in actu ſatisfactorio, non potuit à Chriſto intendi, cuius omnis intentio, & omnis voluntatis actus ſumma regulabatur prudentia. Tùm etiam, nam Chriſtus totam dignitatem, & totum valorem ſuæ ſatisfactionis intendebat ob eximium amorẽ, quo erga Deum flagrabat, & ob nimiam charitatem, qua homines diligebat: ergo in actu ſatisfactorio Chriſti non æqualitas cum offenſa, ſed exceſſus ſupra illam inuenitur in ratione obiecti à Chriſto Domino intenti.

69. *Reſpõdetur ſecundò.* Si reſpondeatur ſecundò, arithmeticam æqualitatem inter datum, & acceptum, ablatum, & reſtitutum, vel ſatisfactionem, & offenſam, eſſe obiectum iuſtitiæ commutatiuæ noſtræ, quæ ob ſui limitationem, & ſubiecti, in quo inuenitur, ſolum reſpicit æquale, & ſolũ ab æqualitate monetur, illamque tantum intendit, non vero iuſtitiæ commutatiuæ vt ſic ex communi, & formali conceptu, atq; adeo non requiritur, quòd hæc cõditio cõueniat iuſtitiæ repertæ in Chriſto, qua intẽdebat ſatisfacere pro peccato humani generis, & offenſa Deo irrogata. Cum enim iuſtitia conueniens Chriſto excellẽtior ſit illa, quæ inter homines reperitur, illaque multo eminentior, non habet rationem iuſtitiæ ſolum, ſed etiam rationẽ miſericordiæ: ita vt vtriuſque virtutis honeſtas indiuiſibilitèr illi conueniat;

ſicut

ſicut ſolet dici de habitu noſtræ Theologiæ, quòd nempè, quia altioris ordinis eſt ad alios habitus ſcientificos, habet in ſe ſub indiuiſibili, & eminēti ratione adunatas rationem practici, & rationem ſpeculatiui, quæ alios inferiores habitus ſpecificè multiplicant iuxta communem doctrinam, qua aſſeritur, quod illa, quæ in inferioribus ſparſa, & diuiſa inueniuntur, in ſuperioribus ſunt adunata. Quia ergo virtus ſatisfactiua Chriſti, quia ſuperioris ordinis eſt ad virtutes conuenientes puræ creaturæ, vna & indiuiſibilis manens, nō ſolum iuſtitia eſt, ſed etiā rationem miſericordiæ ſortitur, ideo non petit ad æqualitatem arithmeticam, vt obiectum terminari, nec ab illa moueri, ſed potius terminari petit ad exceſſum ſatisfactionis comparatæ cum offenſa.

70. *Contra primo.* In contrarium obſtat primò; nam eſto in vno virtutis habitu poſſint adunatæ inueniri, quia ſuperioris ordinis eſt ratio iuſtitiæ, & ratio miſericordiæ; debet tamen vtrique ex his rationibus correſpondere ſuum proprium obiectum; cum enim virtus à proprio obiecto ſuam ſpecificationem ſumat, non poteſt, obiecto ablato, ſpecies virtutis manere, nec ſola, nec alteri virtuti aſſociata, & adunata cum illa; ſed obiectum proprium iuſtitiæ commutatiuæ, vt à diſtributiua diſtinctæ, eſt æqualitas arithmetica, vt ex Ariſtotele, & D. Thom. ſupponimus: ergo habitus iuſtitiæ commutatiuæ, eſto ſimul rationem miſericordiæ ſortiatur, debet habere pro obiecto arithmeticam æqualitatem, & ab illa moueri, & conſequentèr vt virtus in Chriſto reſidēs, & ad ſatisfaciendum inclinans obtineat rationem iuſtitiæ commutatiuæ, quamuis ſimul miſericordia ſit, debet intendere ſatisfactionem arithmeticè æqualem offenſæ, nec poteſt ab hac conditione abſolui, ex eo quòd ſimul rationem miſericordiæ ſortiatur.

71. *Secūdo.* Deindè, nam habitus iuſtitiæ exiſtens in Chriſto Domino intra ordinem ſupernaturalem continetur: ergo nequit indiuiſus ſpecificè manens adunatas in ſe habere rationem virtutis miſericordiæ, & rationem virtutis iuſtitiæ. Antecedens negari non poteſt; conſequentia autem probatur: vt enim in vno habitu manente indiuiſo ſpecificè, inueniantur adunatæ duæ rationes formales eſſentialitèr diuerſæ, requiritur, quòd ſit ordinis ſuperioris reſpectu illorum habituum, quos tales rationes formales eſſentialitèr multiplicant, & ſpecificè diſtinguunt, vt conſtat in habitu noſtræ Theologiæ, qui in ſententia probabiliori ſupernaturalis eſt, ideoquè indiuiſus manens identificat in ſe rationē practici, & rationem ſpeculatiui, quæ rationes in habitibus naturalibus ſparſæ, & diuiſæ inueniuntur, illoſque diſtinguunt ſpecificè; ſed virtus miſericordiæ, & virtus iuſtitiæ ſunt in ordine ſupernaturali, & in hoc ordine ſpecificè diſtinguuntur: ergo in habitu non extracto ab ordine ſupernaturali, & in ſuperiori ordine conſtituto, qualis eſt habitus virtuoſus poſitus ad ſatisfaciendū in Chriſto, non poſſunt formalitates illæ ſub vna indiuiſibili ratione adunatæ inueniri, & conſequentèr virtus ſatisfactiua Chriſti nō fuit formalitèr eminentèr miſericordia, & iuſtitia, ſed ſolum rationem iuſtitiæ obtinuit, ac proindè ex iſto capite non poteſt eximi à prædicta conditione reſpiciēdi, & intrēdendi arithmeticam æqualitatem, illamque habendi pro obiecto.

72. *Tertiò.* Denique, nam ſi ex eo, quòd virtus ſatisfactiua Chriſti ſit eminentioris rationis, quam iuſtitia ſupernaturalis nobis infuſa, & gratiam adoptionis concomitans, continet in ſe indiuiſa ſpecificè manens rationem iuſtitiæ, & rationem miſericordiæ, ſequeretur, quòd etiam contineret ſub vna ratione indiuiſibili rationes ſpecificas omnium virtutum moralium: conſequēs eſt falſum: ergo etiam falſum eſt, quòd rationem iuſtitiæ, & miſericordiæ ſub vna indiuiſibili ratione contineat. Conſequentia probatione nō indiget; minor etiam eſt certa; nullus enim Theologorum hucuſq; aſſeruit, in anima Chriſti Domini vnū ſolum habitum adunatas in ſe continere rationes ſpecificas omnium moralium

ralium virtutũ, ſed omnes, quos Ego viderim, virtutes morales in Chriſto, ſicut in nobis multiplicant, & in habitus ſpecificè differentes diſtinguunt. Sequela autem probatur; nam eadem ratio eſt continendi rationes duarum virtutum, & cõtinendi rationes omnium virtutum moralium: ergo ſi ex eo, quòd virtus ſatisfactiua Chriſti eminentior ſit iuſtitia nobis infuſa, aſſeritur, in ſe continere ſub vna indiuiſibili ratione rationes ſpecificas iuſtitiæ, & miſericordiæ ſupernaturalis, quæ in nobis ſpecificè multiplicatæ inueniuntur, ſequitur ex eodem principio, quòd ſub vna indiuiſibili ratione contineat eſſentias, & ſpecies omniũ virtutum ſupernaturalium moraliũ, & conſequenter quòd in Chriſto cõſtituatur vnus habitus virtutis loco omnium habituum, qui multiplicantur in nobis, quod, vt dixi, à nullo hucuſque fuit dictum.

73. *Reſpõdetur igitur primo ad argumentum.*

Vndè, his prætermiſſis ſolutionibus, ad quintum argumentum reſpondeo primò, obiectum virtutis iuſtitiæ commutatiuæ prout cõtractæ ad materiam ſatisfactionis eſſe æqualitatem arithmeticam ſatisfactionis cũ offenſa negatiuè per defectum, non tamen per exceſſum, ideſt, quòd vt aliquis ſatisfaciat ex toto rigore iuſtitiæ, & ſatisfactione ſpecificante virtutem iuſtitiæ commutatiuæ, requiritur, quòd exhibeat ſatisfactionem, cuius dignitas, ſeu valor non excedatur à grauitate offenſæ, & in hoc conſiſtit, eſſe illi æqualem arithmeticè negatiuè, quòd illi inferior nõ ſit in morali æſtimatione; non autem petitur, quòd ſatisfactio exhibita grauitatem offenſæ non excedat, ac proindè nec quòd ſit illi æqualis arithmeticè negatiuè per exceſſum ſatisfactionis ſupra offenſam. Vndè, ex eo, quòd ſatisfactio Chriſti Domini ſuperet in dignitate, & valore grauitatem iniuriæ irrogatæ Deo, non colligitur, non poſſe ſpecificare iuſtitiam commutatiuam, eſſeque motivum illius. Et quidem, quod non obſtat, vt ſatisfactio actualis ſit re ipſa de rigore iuſtitiæ, obſtare nequit, vt motiuè ſpecificet habitum virtutis iuſtitiæ, quæ vera iuſtitia ſit, & perfectam rationem iuſtitiæ ſortiatur. Sed exceſſus dignitatis ſupra grauitatem offenſæ irrogatæ Deo nõ obſtat in ſatisfactione actuali exhibita à Chriſto Domino, vt ſit de rigore iuſtitiæ: ergo nec obſtare poteſt, vt motiuè ſpecificet virtutem reſidentem in illo, quæ ſtricta iuſtitia ſit. Cũque, vt oſtendimus, non pertineat ad alias ſpecies iuſtitiæ, legalis nempè, vindicatiuæ, aut diſtributiuæ, aſſerendum eſt, fuiſſe iuſtitiam commutatiuam: ac proindè quòd pro motiuo illius non requiratur æqualitas arithmetica per negationem exceſſus ſatisfactionis ſupra offenſam, ſed ſolũ per negationem defectus, & inferioritatis ſatisfactionis reſpectiuè ad illam.

74. *Replicabis primo.*

Sed oppones aduerſus iſtam ſolutionem primò; nemo enim poteſt obligari à creditore ex iuſtitia ad præſtandam ſatisfactionem excedentem grauitatem offenſæ in æſtimatione morali; ſed vt ſatisfactio ſpecificet iuſtitiam commutatiuam, & ſit motivum illius requiritur, quòd ſubiectum ſatisfaciens obligetur ex iuſtitia ad præſtandam ſatisfactionem: ergo ſatisfactio excedens grauitatem offenſæ nequit eſſe obiectum iuſtitiæ commutatiuæ, ac proindè falsũ eſt, quod in noſtra ſolutione docuimus, quòd nempè ſufficiat pro motiuo iuſtitiæ commutatiuæ prout contractæ ad materiam ſatisfactionis æqualitas arithmetica per negationem defectus, non autem per negationem exceſſus ſatisfactionis ſupra offenſam, pro qua ſatisfactio exhibetur.

Secũdò.

Secundò, nam remunerator dans præmium excedens dignitatem meriti non tribuit ex virtute iuſtitiæ id, quod dat vltra operis dignitatẽ: quo circa Deus, qui iuſtorum merita præmiat vltra condignum, vt docet cõmune Theologorum axioma, non ex iuſtitia, ſed ex miſericordia operatur, quantum ad id, quod iuſtis vltra meritorum condignitatem largitur: ergo pariter ſubiectum ſatisfaciens, ſi ſatisfactionem exhibeat ſuper excedentem grauitatem offenſæ, non ſatisfacit ex iuſtitia ſaltim quantum ad

id,

id, in quo satisfactio iniuriæ grauitatem excedit, & consequenter vt satisfactio ex virtute iustitiæ commutatiuæ procedat, & sit motivum illius, requiritur, quod sit æqualis arithmeticè offensæ, non solum per negationē inferioritatis satisfactionis ad offensam, sed etiam per negationem excessus eiusdem satisfactionis ad illam.

75. *Ad primā replicam respōdetur primò.*

Respondeo ad primam instantiam, distinguendo maiorem: si satisfaciens possit exhibere satisfactionem rātum æqualem offensæ, concedo maiorem: si non possit satisfactionem æqualem tantum præstare, sed necessariò illius opera superexcedentia sunt ad offensæ grauitatem, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; nam opera Christi Domini talis conditionis sūt, quòd eo ipso quòd à Verbo vnito humanitati procedant, non possunt non excedere grauitatem iniuriæ irrogatæ Deo, ideoque potuit Christus ex iustitia obligari à Deo creditore ad præstandam satisfactionem excedentem offensam. Et ratio doctrinæ est, quia offensus habet ius ad exigendam satisfactionem non inferiorē offensæ in morali æstimatione. Cumque non possit præstari satisfactio non inferior offensæ, quin præstetur satisfactio offensam excedens, habet consequenter ius ad exigendam excedentem satisfactionem.

Secūdo respōdetur.

Vel secundò aliter, distinguo maiorem: non potest satisfaciens obligari absolutè ad præstandam satisfactionem excedentem grauitatem offensæ, omitto maiorem: ex suppositione, quòd gratis in se susceperit officium fideiussoris, onusque obligationis alienæ, & aliàs nequeat præstare opera, quæ solum adæquēt, & non excedant grauitatem offensæ, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; nam Christus liberè in se ipso suscepit onus nostræ obligationis, & debiti ex offensa à nobis commissi contracti, officiumque fideiussoris pro hominibus, & aliàs non potest offerre satisfactionem tantum æqualem offensæ, sed eo ipso quòd ab illo opus aliquod satisfactorium procedit, non potest non excedere in morali æstimatione grauitatem iniuriæ irrogatæ Deo à nobis. Ideoque iustissimē à Deo offenso, & creditore obligatur ad præstandam satisfactionem, quamuis offensæ grauitatem excedat.

76. *Ad secūdā replicam respōdetur*

Ad secundam replicam respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam; ratio autem discriminis est, nā remunerator potest merenti tribuere præmium non excedēs merita, sed illis æquale in morali æstimatione, ideoque non potest meritorum vi ex iustitia obligari ad conferendum præmium excedens dignitatem, & valorem meritorum: vndè, quod vltra illorum condignitatē tribuit, non ex iustitia, sed ex liberalitate, aut misericordia largitur; in nostro autem casu oppositum, oppositā de causā contingit; Christus enim, qui onus nostræ obligationis in se ipso suscepit, non potest satisfactionem æqualem arithmeticè cum offensa præstare, sed eo ipso, quòd satisfacere velit, opus satisfactorium ab illo media humanitate procedens, in quacumque minima intensione eliciatur, non potest non excedere grauitatem offensæ ratione valoris, & dignitatis, quam recipit à supposito Verbi; & idcirco ex iustitia obligatur ad præstandam satisfactionem grauitatem offensæ superantem, & excedentem, & satisfactio offensam excedens in morali æstimatione potest virtutem satisfactiuam, quæ iustitia perfecta, & commutatiua sit, specificare, illamque obiectiuè mouere.

77. *Instabis.*

Sed dices, sequi ex ista solutione casu, in quo non esset possibile præmium, cui in æstimatione morali meritum adæquaretur, posse merentem remuneratorem ex iustitia obligare ad remuneranda eius merita præmio illorum dignitatem excedente: consequens est falsum: ergo & tradita solutio. Consequentia probatione non indiget, minor videtur certa: tùm, quia à nullo, quem viderim, oppositum est assertum, quòd scilicèt, possit in aliquo casu retributor obligari ex iustitia à merente ad conferendum præmium excedens meritorum valorem. Tùm etiam, nam omnes Theologi

logi aſſerentes, iuſtos ſuis bonis operibus gloriam de cõdigno, & ex iuſtitia mereri, laborant in explicando, quo modo etſi opera bona iuſtorum phyſicè à gloria excedantur, non tamen excedãtur abilla moralitèr, & in æſtimatione, & conſideratione morali, quorum labor inanis, & fruſtraneus eſſet, ſi poſſet remunerator in aliquo caſu à merente ex iuſtitia obligari ad conferendum præmium meriti valorem, & dignitatem excedens. Sequela autem probatur; nam ſatisfaciens non poteſt à creditore obligari ex iuſtitia ad ſatisfactionem excedentem offenſam, quando eſt poſsibilis ſatisfactio ab ipſo exhibita offenſæ ſolum æqualis; & tamẽ, ſi eſt impoſsibilis ſatisfactio à ſatisfaciente exhibita ſolũ æqualis offenſæ, poteſt, vt Nos diximus, obligari à creditore offenſo ad præſtandam ſatisfactionem excedentem grauitatẽ offenſæ: ergo paritèr, etſi in caſu poſsibilitatis præmij ſolũ adæquantis meriti dignitatem, non poſsit remunerator obligari à merente ex iuſtitia ad conferendum præmiũ excedens dignitatem meriti; caſu tamen, quo repugnaret præmium ſolũ adæquatum cum merito, poſſet remunerator à merente obligari ex ſtricta, & rigoroſa iuſtitia, vt præmium ſupra operis dignitatem conferret.

78. *Reſpõdetur.*

Reſpondeo, negando ſequelam, ad illius probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ratio autem differentiæ eſt; nam merens nõ habet ius aduerſus remuneratorem ex ſtricta, & rigoroſa iuſtitia, vt illius merita præmiet, niſi æqualitate ſuppoſita meritorum cum præmio: vnde, ſi præmium merito æquale repugnet, non poteſt à merente remunerator ex iuſtitia obligari, vt illius merita præmiet; ſicuti laborans in vinea non poteſt dominum vineæ ex ſtricta iuſtitia obligare ad mercedem ſui laboris tribuendam, niſi labore ſuppoſito adæquante mercedem in æſtimatione morali: perſona autem offenſa ratione iniuriæ ſibi irrogatæ habet ius cõtra offenſorem ad exigendam ab illo ſatisfactionem non inferiorem iniuriæ: vndè, ſi eſt impoſsibilis ſatisfactio non inferior exhibita à debitore, quin ſit excedens offenſam, habet ius exigendi ab offenſore, vel ab eius vices gerente, & illius onus, & obligationem in ſe ipſo ſuſcipiente, vt ſibi ſatisfaciat pro offenſa, & iniuria ipſi irrogata, quamuis ſatisfactio præſtanda offenſæ grauitatem excedat in morali æſtimatione.

79. *Reſpõdetur ſecũdo ad quintũ argumẽtum.*

Vel ſecũdo ad quintũ argumentũ reſpõdeo, diſtinguendo maiorẽ: obiectum iuſtitiæ commutatiuæ prout à iuſtitia diſtributiua diſtinctæ eſt æqualitas arithmetica formalitèr, aut æqui ualentèr talis, concedo maiorem: æqualitas arithmetica ſempèr formaliter talis, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam; nã licet ſatisfactio Chriſti Domini, eo quòd ratione valoris à perſona Verbi ſumpti excedit grauitatem offenſæ ab homine in Deum commiſſæ, nequeat formalitèr adæquari cum illa; eſt tamen illi æquiualentèr æqualis, ideſt, æquialet ſatisfactioni æquali grauitati offenſæ: vndè poteſt reſpici à virtute iuſtitiæ, illamque mouere, quatenus offenſæ æquiualentèr æqualis, etſi non poſsit reſpici à virtute iuſtitiæ, nec illam mouere, quatenus æqualis offenſæ formalitèr, eo quòd modum iſtum æqualitatis cum offenſa non habet.

Ad cõfirmationẽ

Ad confirmationem, & augmentum difficultatis, quatenus huic doctrinæ obſtare poteſt, dicatur, in ſatisfactione Chriſti non eſſe æqualitatem cum offenſa formalitèr, eo quòd illa excedit; eſſe tamen æqualitatẽ æquiualentem cum illa, & ſub hac æquiualentia poſſe reſpici à virtute iuſtitiæ, illamque obiectiuè mouere. Nec obſtat, quòd Chriſtus Dominus ob miniũ amorem, quo in Deum, & homines ferebatur, voluerit ſatisfactionẽ ſecundum totum valorem exhibere, & cõſequentèr quatenus offenſæ grauitatem excedebat; nam ex hoc tantũ colligitur, per actum feruentiſsimæ charitatis ſatisfactionem à ſe præſtitam, vt ſuperexcedentem intendiſſe; non autem ſequitur, quòd per alium

actum

actum voluntatis non voluerit, & intēderit eandem satisfactionem prout æquiualentèr æqualem offensæ irrogatæ Deo, & huiusmodi intentio fuit actus iustitiæ cōmutatiuæ, ab illa elicitiuè procedens, regulansque, & imperās actus cæterarum virtutum, quatenus satisfactorios ex motiuo prædictæ æqualitatis.

80. *Sexto arguitur.*

Sextò arguitur: ad rationem iustitiæ commutatiuæ, quæ est pars, non imperfecta, & potentialis, sed perfecta, & subiectiua iustitiæ, non sufficit æqualitas inter datum, & acceptum, inter ablatum, & restitutum, vel inter satisfactionem, & iniuriam, sed insuper est necessarium in subiecto satisfaciente debitū strictum operādi ex iustitia, vt docet D. Thom. 2. 2. *q.* 80. *art.* 1. vbi ad rationem perfectam iustitiæ exigit Angelicus Doctor æqualitatē, & debitum: ex quo infert, quòd sicut deficiente æqualitate à ratione perfectæ æqualitatis deficit ratio perfecta iustitiæ, & constituitur aliqua virtus pars imperfecta, seu potentialis illius: ita deficiente debito in subiecto constituente æqualitatem, etsi æqualitas non deficiat, non potest virtus aliqua sub iustitia cōtineri, vt pars perfecta, & subiectiua illius; sed Christus Dñs nō fuit ex iustitia obligatus ad satisfaciendum pro hominibus: ergo nō satisfecit ex virtute iustitiæ commutatiuæ, & consequentèr virtus in illo residens, ad satisfaciendum inclinans, & satisfactionē regulans, iustitia cōmutatiua non fuit.

S. Tho.

81. *Prima solutio Patris Suarez.*

Huic argumento respōderi solet primò, ad rationem perfectam iustitiæ, & quæ sit virtus sub iustitia contenta, non tanquam pars potentialis, sed tanquam pars subiectiua, non requiri in subiecto debitum simplicitèr tale operandi, sed sufficere operari ex motiuo constituendi æqualitatē simplicitèr, vel inter datum, & acceptū, vel inter satisfactionem, & iniuriam: vt constat in illo, qui suas merces iusto pretio alteri vendit, qui quidem exercet actum iustitiæ commutatiuæ; & tamen illas vendit absque obligatione vendendi, cum posset absque vllius iniuria non vendere, sed domi retinere, & in vtius proprios consume re. Vndè, ex eo, quòd Christus Dominus non fuerit ex iustitia obligatus, nec habuerit debitum simplicitèr tale satisfaciendi pro hominibus, non sequitur, non satisfeciſſe pro illis ex stricta, & perfecta iustitia, & quòd virtus in illo residens ad satisfaciendum inclinans non sit pars subiectiua iustitiæ. Ita Pater Suarez *disput. 4. sect. 5. §. secunda difficultas.* Suarez.

Exēplū.

82. *Motiua solutionis. Primum.*

Cuius doctrinam iuvare possum primò; nam ad operandum in materia aliarum virtutum non est necessarium ex debito, & obligatione operari; exercet enim quis verum charitatis actum, non solum quando adest obligatio diligendi Deum, sed etiam quando talis obligatio nō adest, & verum, propriumq; misericordiæ actū, quamuis præceptum miserendi non adsit: ergo paritèr ad exercendum verum, & proprium actum iustitiæ, necessarium non est debitum operandi, & consequentèr sine debito simplicitèr tali poterit aliquis ex virtute perfecta iustitiæ operari, constituendo æqualitatem inter datum, & acceptum, vel inter satisfactionem, & iniuriam.

Secundū.

Deindè, nam Deus, cum punit peccatores, exercet actū iustitiæ vindicatiuæ, quæ vera iustitia est, & sub commutatiua continetur, vt docet D. Thom. 2. 2. *q.* 108 *art.* 2. *ad* 2. & tamen Deus non punit peccatorem, quia ad hoc ex iustitia teneatur, cum, si vellet, posset ipsum non punire sine aliqua iniustitia: ergo debitum simplicitèr tale necessarium in subiecto operante non est, vt ex perfecta iustitia operetur.

S. Tho.

Tertiū.

Denique, nam vt actus sit proprius alicuius virtutis, & ab illa procedat, sufficit, vt in obiecto illius reperiatur talis virtutis honestas, & quòd fiat intuitu talis honestatis; sed totum hoc potest saluari sine debito, & obligatione operandi: ergo vt actus aliquis sit virtutis iustitiæ specialis, & ab illa procedat, debitum simplicitèr tale operandi in subiecto operante necessarium non est, & consequentèr ex eo, quòd Christus Dñs

ſine tali debito pro hominibus ſatisfecerit, non ſequitur, non ſatisfeciſſe ex propria, & perfecta iuſtitia, nec virtutem regulantem illius ſatisfactionem partem ſubiectiuam iuſtitiæ nõ fuiſſe.

83. *Reiicitur primò*

Hæc tamen ſolutio non placet; nam manifeſtè aduerſatur doctrinæ Angelici Præceptoris *loco proximè allegato*, vbi ad rationem partis ſubiectiuæ iuſtitiæ debitum, & obligationem requirit, & docet, quòd ſicut deficiente æqualitate ſimpliciter, deficit virtus à ratione partis ſubiectiuæ iuſtitiæ, & fit pars potentialis: ita deficiente debito ſimpliciter tali, deficit ratio iuſtitiæ perfectæ, & partis ſubiectiuæ illius, & conſtituitur pars potentialis.

Secũdò. S. Tho.

Deindè, nam iuxta D. Thom. 2. 2. *q.* 58. *art.* 11. actus proprius iuſtitiæ eſt, vnicuique reddere, quod eſt ſuum, id eſt, quod ei ſecundum proportionis æqualitatem debetur. Quæ doctrina manifeſtè cõſtat ex diffinitione iuſtitiæ tradita à D. Thom. in *eadem quæſtione*, & ab omnibus admiſſa, nempè, iuſtitia eſt conſtans, & perpetua volũtas ius ſuum vnicuique tribuendi: ergo iuſtitia ex ſuo eſſentiali conceptu reſpicit æqualitatem, ad quam in altero eſt ius; ac proindè alteri debitam; iuri enim vnius debitum reſpondet in alio, & conſequenter ſicut deficiente æqualitate tali ſimpliciter, deficit ratio perfecta iuſtitiæ; ita deficiente debito ſimpliciter tali, deficit virtus à ratione partis perfectæ, & ſubiectiuæ iuſtitiæ, & cõtinetur ſub illa tanquam pars imperfecta, & potentialis. Vndè, ſi Chriſtus Dñs ſatisfecit pro hominibus ſine debito, ſimpliciter tali, præſtandi ſatisfactionem, virtus ſatisfactionem eius regulans, & imperans perfecta iuſtitia non fuit, nec contenta ſub iuſtitia tanquam pars illius ſubiectiua.

84. *Ad primũ motiuum.*

Nec vrgent ea, quæ in fauorem traditæ ſolutionis adduximus. Non primum: tùm, quia non eſt vniuerſaliter verum actus aliarum virtutum ſine obligatione exerceri; actus enim obedientiæ neceſſariò obligationem ſupponit: vndè, ex eo, quòd de Chriſto afferatur in Scriptura, actum obedientiæ exercuiſſe, mortemque ſuſtinuiſſe ex obedientia, colligunt communiter Theologi, fuiſſe obligatum præceptis, habuiſſeque præceptum ſtrictum moriendi: quæ illatio bona non eſſet, ſi vera obedientia poſſet ſine obligatione ſubſiſtere. Tùm etiam, nam eſto prædicta doctrina admittatur in actibus aliarum virtutum, adeſt ratio ſpecialis in virtute iuſtitiæ, vt illius actus non poſsint ſine debito, & obligatione exerceri, eo quòd habet ius alienum pro obiecto; ius autẽ alicuius dicitur, quod alicui debetur.

Nec ſecundum, nam licet Deus peccatorem puniens nõ teneatur abſolutè illum punire, ſed poſsit abſque iniuſtitia non punire peccata, & gratis illa dimittere, eo quòd non eſt ius in peccatore contra Deum, vt ab illo puniatur, ſed potius in Deo eſt ius ad peccatorem puniendum, cui iuri cedere poteſt pro ſua libera voluntate; tenetur tamen, & obligatur nõ ex lege alicuius ſuperioris, cuius incapax eſt Deus, vtpote ſuperiorem non habens, nec potens habere, ſed ex rectitudine ſuæ voluntati eſſentiali, quòd ex ſuppoſitione, quòd puniat, non excedat in puniendo demeriti grauitatem, ad quod ius in peccatore inuenitur, vt nempè, ex ſuppoſitione, quòd puniatur à Deo, non puniat ipſum ſupra id, quod meretur, ſed iuxta ſuorũ peccatorum, delictorumque grauitatem: ſicut in homine criminoſo eſt ius, vt à iudice creato non puniatur ſupra id, quod ob crimina ab ipſo cõmiſſa meretur. Quod in Dei punitione obſeruari conſtat ex illo: *Quantum in delitys fuit, tantum date illi tormentorum, & luctus*: & hoc ius reſidens in peccatore attenditur, & inſpicitur, illæſumque ſeruatur à iuſtitia Dei vindicatiua, & punitiua. Vndè, non datur actus perfectæ, & ſtrictæ iuſtitiæ abſque debito tali ſimpliciter.

85. *Ad ſecũdum.*

Apocal. cap. 18.

Ad tertium, conceſſa maiori, nego minorem; cum enim obiectum iuſtitiæ ſit ius alienum illæſum conſeruandum, vel læſum reparandum, & ius alienum abſque debito nequeat ſubſiſtere, conſequens fit, vt non poſſit per aliquem actum intendi honeſtas

86. *Ad tertium.*

S. Tho.

stas obiectiua iustitiæ absque debito in subiecto simpliciter tali operandi: vt enim docet D. Thom. 2. 2. q. 58. art. 11. *Hoc dicitur esse suum vnicuique quod ei secundum proportionis æqualitatem debetur*: ergo si iustitia est voluntas ius suum vnicuique tribuendi, est voluntas necessariò in subiecto supponens obligationem, & debitum ius alienum obseruandi, & consequenter non saluatur absque debito honestas obiectiua iustitiæ. Quod intelligendum est non de debito determinatè absoluto, sed absoluto, vel conditionato, quod tamen simpliciter tale sit, vt saluetur perfecta ratio iustitiæ, & quæ sub iustitia in communi tàquam pars subiectiua contineatur.

87. *Ad exemplum P. Suarz.*

Et ex his ad exemplum venditoris, quo in sui fauorem vtitur P. Suarez, constat solutio; licet namque in venditore non sit obligatio absoluta vendendi proprias merces, sed possit illas absque alterius iniuria non vendere, domi retinendo, & in proprios vsus consumendo, nec in emptore sit ius absolutum, vt illi merces vendantur; est tamen ius in emptore cõditionatum, quòd nempè, si venditor velit illi vendere merces, in venditione iustum pretium non excedat, & in venditore debitum conditionatum iustè vendendi, vt, scilicet, si velit suas merces pretio exponere, non excedat iustum pretium, illas plus iusto vendendo, & prædictum ius in emptore respicit iustitia residens in venditore, operaturque vendendo ex prædicta obligatione, scilicèt, conditionata. Vndè, nullo exemplo probatur, posse actum iustitiæ strictæ, & quæ perfecta iustitia sit, exerceri absque debito tali simpliciter: ac proindè nec quòd sine tali debito potuerit Christus Dominus satisfacere pro nobis ex virtute regulante illius satisfactionem, quæ fuerit perfecta iustitia, & sub illa vt pars subiectiua, & non vt pars potẽtialis contenta.

88. *Obijcies*

Cæterum contra nostræ resolutionis doctrinam obstat non leuis obiectio; si namque de essentiali conceptu iustitiæ, & actus procedentis ab illa esset debitum simpliciter tale, & obligatio operandi, sequeretur, Christum liberum non fuisse in adimplẽdo prædictam obligationem, & in satisfaciẽdo ex iustitia pro nobis: consequens absurdum est: ergo doctrina hucusque à nobis tradita est falsa. Minor cum consequentia tenet; sequela autem probatur: si actui procedenti ex virtute iustitiæ esset obligatio operandi essentialis, carentia talis actus essentialiter esset priuatio peccaminosa; sed Christus nõ fuit indifferens ad carentiam actus, cui essentialis esset ratio peccaminosæ priuationis, vel omissionis: ergo si esset actui procedenti ex iustitia essẽtialis obligatio, Christus nõ fuisset liber in exercitio illius. Consequentia tenet; nam ad libertatem in actu requiritur in operante potentia in actu primo expedita, & indifferens, saltim ad illius omissionem: ergo sine tali potentia nequit actus liberè exerceri. Minor etiam est certa; nã Christus prout in actu primo indifferẽs ad actum, & negationẽ actus non potuit in extremis suæ indifferentiæ præscindere inter prædicata essentialia, sed tantum inter illa prædicata, quæ inter se essentialem connexionẽ non habent: ergo si carẽtiæ, vel omissioni actus iustitiæ specialis essentialis esset ratio priuationis moralis, & peccaminosæ, nõ posset in Christo saluari potentia in actu primo expedita ad illam sub cõceptu negationis præscindens à conceptu priuationis moralis illi essẽtialiter annexo, & cõsequẽter nõ posset esse liber in exercitio actus iustitiæ specialis sine potentia ad peccandum, quæ essentialiter illi repugnat. Maior autem probatur; nam carẽtia actus essentialiter debiti ex præcepto est essentialiter carentia priuatiua moralis, & omissio peccaminosa; sed si actus procedens ex virtute iustitiæ specialis essentialiter supponeret debitum, & obligationem operandi, carentia talis actus esset carentia actus essentialiter debiti ex præcepto: ergo esset essentialiter carentia priuatiua moralis, & peccaminosa omissio, & cõsequenter nõ posset in Christo saluari potentia in actu primo expedita ad carentiam talis actus sub

conceptu negationis, quod ad libertatem requiritur sine potentia ad eandem sub conceptu priuationis moralis, & omissionis peccaminosæ, quæ, vt dixi, essentialiter Christo repugnat in communi, & verâ Theologorum sententia.

89. *Reſpõdetur.* Hæc obiectio tangit difficultatẽ omnium consensu grauissimam inter omnes, quæ in Theologia tractantur, versantem in componendo impeccabilitatem Christi cum illius libertate in obediẽdo præceptis, & illorum obseruantia, quam Nos *infra tractat. de merito Christi*, Deo dante, latè examinaturi sumus, & prout ad præsens attinet, sufficit illam in actu obedientiæ initare, cui essentiale esse præsupponere superioris præceptum, à quo obiectiuè moueatur, docent Theologi communiter, Nosque *loco proximè allegato* ex Angelico Doctore mõstrabimus; & tamen carentia illius nõ est priuatio moralis, nec omissio peccaminosa essentialiter, aliàs non potuisset saluari in Christo potentia in actu primo expedita ad carentiam actus obedientiæ sine potentia ad peccandum ob rationem in argumento insinuatam, quia, scilicet, potentia, quamvis antecedens sit, & non consequens, non potest inter prædicata essentialiter connexa præscindere: ex quo vlterius fieret, vt Christus in actu obedientiæ liber non manssisset, nec liberè obediuisset præceptis à Patre impositis, vt ibi latè explicabimus, & ex eisdem dicendis breuiter ad obiectionem respondeo, negando sequelam: ad illius probationem, nego maiorem: ad cuius probationem distinguo maiorem: carentia actus essentialiter debiti debito, & obligatione instante pro omni duratione temporis est priuatio moralis essentialiter, & omissio peccaminosa, concedo maiorem: carentia actus essentialiter debiti debito non instante pro omni duratione temporis, sed tantum pro aliqua, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam; nì actus ex virtute iustitiæ procedens, etsi supponat essentialiter debitum, & obligationem operandi; non tamen supponit essentialiter obligationem instantem pro omni duratione temporis; præcepta namque affirmatiua, & si semper obligent, non tamẽ obligant pro semper; ideoque obligatio, vt instans, non est tali actui essentialis, sed potest sine obligationis instantia exerceri: ac proindè illius carentia nõ est essentialiter priuatio moralis, sed est negatio essentialiter, & ex accidenti priuatio; etenim carentia actus debiti non est priuatio moralis, nisi sit carentia illius, quatenus debitus est, & prout subest obligationi vt instanti: vndè potest prædicta carentia, prout negatio est, terminare potentiam antecedentẽ Christi in actu primo expeditam, præscindentemque à conceptu priuationis moralis, & peccaminosæ omissionis.

90. *Inſtabis* Nec sequitur, vt tacitæ obiectioni occurramus, quòd pro tempore instantiæ præcepti, & obligationis non possit carentia actus ex iustitia debiti terminare in Christo sub conceptu negationis potentiam antecedentẽ in actu primo expeditam præscindentem ab illa sub conceptu priuationis moralis, & omissionis peccaminosæ: non, inquam, sequitur, quia etiam in duratione, pro qua instat præceptum operandi ex iustitia, non est præceptum vt instans, vel instantia obligationis actui prædicto essentialis, cum essentia talis actus in omni duratione sit eadem, & consequenter non possit ex diuersa duratione variare prædicata essentialia: & ideò adhuc in duratione, vel instanti temporis, pro quo instat præcepti obligatio, datur locus præcisioni, & vt potentia antecedens Christi, vt in actu primo expedita possit respicere carentiam actus iustitiæ, & ad illam terminari sub conceptu negationis, quod sufficit, vt in eius exercitio sit liber libertate contradictionis, & præscindere à conceptu priuationis moralis, & omissionis peccaminosæ, quod sufficit, vt sit impeccabilis; nam eo ipso quòd actui præcepto in duratione, in qua præceptum instat, non sit essentialis

lis

lis instantia obligationis, negationi talis actus essentialis esse non potest ratio priuationis moralis, sed eo ipso manet essentialiter negatio, & ex accidenti priuatio: ac proinde manet potens terminare potentiam antecedentem suo conceptu negationis, quæ præscindat ab illa, quatenus priuatio est. Sed de his plura *tract. de merito Christi allegato*, vbi fusè tractabimus illius hoc certatem in obedien do præceptis.

91. *Secunda solutio aliorum*

Aliorum solutio est, quòd licet de ratione iustitiæ inter homines sit operari ex obligatione, & debito tali simpliciter; non tamen est de ratione iustitiæ vt sic, & ex suo formali conceptu, ac per consequens necessarium nō est, prædictam conditionem competere virtuti iustitiæ regulanti satisfactionem Christi, & ex qua pro hominibus satisfecit; hæc enim, cum altioris ordinis sit, non petit easdem conditiones, quas iustitia inter homines petit. ac proinde, etiam si iustitia nostra petat in subiecto debitum operandi simpliciter tale, respiciatque actum simpliciter debitum, non sequitur, iustitiam commutatiuam Christi tale debitum necessariò supponere, sed potest sine illo saluari.

92. *Reiicitur primo.*

Cæterum contra hanc solutionē obstat primò, D. Thom. vbicumque meminit iustitiæ, hæc duo ad illius perfectā rationē semper exegisse, nempè debitum operandi tale simpliciter, perfectamque æqualitatem, asserēdo, quodcumque horum deficiat, deficere virtutem à ratione perfectæ iustitiæ, & sub iustitia vt sic contentæ vt pars subiectiua: ergo vel D. Tho. diminutè processit non faciendo mētionem huius specialis, & eminentioris iustitiæ, quæ reperitur in Christo, illamque à prædictis conditionibus excipiendo, vel asserendum est, etiam ad illam debitum tale simpliciter in subiecto requiri.

Secundò.

Deindè, nam eadem ratione posse mus concedere Christo fidem, asserēdo de ratione fidei, quæ reperitur in nobis esse obscuritatem subiectiuam, non autem de conceptu fidei vt sic, & cōsequentèr nec de ratione fidei, quæ poneretur in Christo; at hoc non admittunt præfatæ solutionis Auctores: ergo nec solutionem traditam possunt admittere. Denique, nam de essentiali conceptu iustitiæ vt sic est respicere ius alienum secundum æqualitatem seruandum, vt cōstat ex diffinitione iustitiæ superius adducta; sed suum vniuscuiusque id dicitur, quod alicui debetur secundum æqualitatē proportionis, vt ex D. Thom. vidimus: ergo de essentia iustitiæ in cōmuni est respicere debitum, & de ratione iustitiæ perfectæ respicere debitū tale simpliciter: sicut quia de ratione iustitiæ vt sic est respicere æquale, de ratione iustitiæ perfectæ est æquale simpliciter, & consequenter non poterit in Christo saluari ratio iustitiæ perfectæ, & quæ sit pars subiectiua iustitiæ absque debito simpliciter tali. *Tertiò.*

93. *Vera solutio.*

Vndè, his prætermissis solutionibus, ad sextum argumentum respondeo, concessa maiori, negando minorem: licet enim Christus Dominus absolutè non habuerit debitum satisfaciendi, vtpotè qui nullum peccatum cōmisit, nec cōmittere potuit; eo tamen ipso quòd sponte se pro hominibus obtulit, & fuit factus hominū fideiussor, suscepit in se onus, & obligationem soluendi debitum ab hominibus ex culpa contractū, & satisfaciēdi pro illis, tuitque obligatus ad præstandam satisfactionem: sicut inter homines fideiussor alicuius suscipit in se illius obligationē, & onus, obligaturque ad soluendū, & satisfaciendū pro illo: ac proinde Christus satisfaciens ex motiuo æqualis cōpēsationis operatus fuit ex virtute iustitiæ specialis, & perfectæ, & quæ sub iustitia vt sic continetur tanquam pars subiectiua.

94. *Replicabis primò.*

Sed contra hanc solutionem obijciet aliquis primò: sicut enim virtus temperantiæ non inclinat ad frænandam, & tedandam carnem alienam, sed propriam: ita nec virtus iustitiæ inclinat ad soluendum debitum alienum, sed proprium; sed Christus etiā vt hominum fideiussor non habuit debitum proprium soluendi, nec satisfaciendi pro peccato humani generis, cum debitum satisfaciēdi ex illata in-

iuria oriatur; Chriſtus autem nullam iniuriam irrogauerit Deo, nec irrogare potuerit: ergo non potuit ſatisfactionem ex virtute iuſtitiæ præſtare.

Secũdò. Secundò, nam ſi Chriſtus titulo fideiuſſoris obligatus ex iuſtitia ad ſatisfaciendum manſiſſet, ſequeretur, fuiſſe ex iuſtitia obligatum, non ſolum Deo creditori, ſed etiam hominibus, quorum onus, & obligationem ſuſcepit: conſequens falſum videtur: ergo & tradita ſolutio. Probatur ſequela: fideiuſſor in humanis, non ſolum obligatur ex iuſtitia creditori, verum etiã debitori, cuius onus in ſe ſuſcipit: ergo ſi Chriſtus titulo fideiuſſoris eſſet obligatus ad ſatisfaciendum ex iuſtitia, obligatus eſſet ex iuſtitia, non ſolum Deo creditori, ſed etiam hominibus debitoribus ad ſatisfaciẽdum pro illis; quod tamen videtur eſſe contra ſupremum dominium, quo gaudebat ſupra homines.

95. *Tertiò.* Tertiò, nam Chriſtus titulo fideiuſſoris ſolũ potuit ſuſcipere in ſe obligationem, qua homines tenebantur Deo offenſo ſatisfacere pro peccatis in ipſum commiſsis, & iniuria illi irrogata; ſed obligatio hominum ad ſatisfaciendum Deo ex perfecta iuſtitia non erat: ergo Chriſtus vt hominum fideiuſſor nõ tenebatur ex iuſtitia perfecta ad ſatisfaciendum pro illis. Conſequentia tenet, & maior videtur certa; etenim ſubſtitutus, & pro alio ad aliquid obligatus non aliam in ſe ſuſcipit in ſe obligationem, quam illam, qua debitor principalis obligatus eſt creditori; ſed Chriſtus vt fideiuſſor erat hominum ſubſtitutus, viceſque illorum in ſatisfaciendo gerebat: ergo tantum ſuſcepit in ſe obligationẽ, qua homines tenebantur ad ſatisfaciendum Deo pro peccatis in ipſum commiſsis, & pro offenſis Deo irrogatis. Minor autẽ exindè colligitur, nam homines erant impotes ad ſatisfaciendum Deo ſatisfactione æquali cum offenſa ipſi irrogata, vt *diſput. 2.* monſtrauimus, & cum communi ſententia docuimus; ſed obligatio ad ſatisfaciẽdum ex perfecta iuſtitia eſt ad præſtandam ſatisfactionem æqualem cum iniuria, pro qua ſatisfactio fit. ergo obligatio hominum ad ſatisfaciendum Deo ex perfecta iuſtitia nõ erat.

96. *Ad primã replicam reſpõdetur* Reſpondeo ad primam replicam, diſtinguendo maiorem: iuſtitia non inclinat ad ſoluendum debitum alienum, ſed propriũm, vel ratione cauſæ, ex qua contrahitur debitum, vel ratione pacti, & fideiuſsionis à ſolvente admiſſæ, omitto maiorem: proprium ratione cauſæ, ex qua originatur debitum, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego cõſequẽtiam; quia licet debitum ex peccato contractum non fuerit propriũ Chriſti ratione cauſæ, ex qua cõtrahitur debitũ, nẽpè peccati, quia particeps peccati non fuit, nec illud potuit cõmittere; fuit tamen propriũ Chriſti ratione pacti, & titulo fideiuſsionis, quem modum proprietatis debiti ad ſoluendum ex virtute iuſtitiæ ſufficere conſtat in fideiuſſore humano; nam eo ipſo quòd vnus homo fideiuſſor ſit pro alio, illius onus in ſe ſuſcipit, illiuſque debita ſoluit ex perfecta iuſtitia; quia licet ipſe debita nõ contraxerit, & cõſequentèr non fuerint propria ipſius proprietate orta ex cauſa debitum inducente; fuerunt tamen facta propria titulo fideiuſsionis: ergo iſte modus proprietatis fuit etiam ſufficiens in Chriſto, vt ex perfecta iuſtitia pro hominibus ſatisfaceret, & illorum debitum Deo creditori ſolueret.

97. *Inſtabis.* Sed dices: quia pœnitentia reſpicit vt deſtruendum proprium pœnitentis peccatum non poteſt quis pro altero pœnitere, nec ex virtute pœnitentiæ ad ſatisfaciendum imperfectè pro peccato alterius obligari, etiam ſi fideiuſsionis pactum intercedat, quo illius fideiuſſor conſtituatur, aliàs virtus pœnitentiæ eſſet concedenda in Chriſto, vt de peccatis hominum pœniteret, vt illorũ fideiuſſor, quod doctrinæ D. Thom. & frequentiori, veriorique ſententiæ aduerſatur: ergo paritèr nec ex virtute iuſtitiæ poterit quis obligari ad ſatisfaciendum perfectè pro peccato ab alio commiſſo titulo fideiuſsionis, & pacti ſatisfaciendi pro illo, & conſequentèr non ſufficit iſte modus proprietatis, & quòd

debi-

debitum alienum fiat alterius titulo fideiussionis, vt ab illo ex virtute iustitiæ tale debitum extinguatur, & cõsequenter quòd Christus fuerit hominum fideiussor, & quòd debitum ab ipsis ex peccato contractum fuerit Christi proprium titulo fideiussionis, non sufficit, vt fuerit ex perfecta iustitia obligatus ad hoc debitum extinguendum, & ad satisfaciendum pro illis.

98. *Respõdetur.* Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam, & constituẽdo rationem discriminis; nam pœnitentia respicit debitum proprium ratione causæ, ex qua debitum contrahitur, nẽpè ratione peccati; ideoque non potest aliquis titulo fideiussoris pro altero pœnitere, nec ex virtute pœnitentiæ obligari ad satisfaciendum pro illo. Cuius ratio est; nam virtus pœnitentiæ respicit peccatum vt destruendum per actus disponentes subiectum ad illius remissionem, nẽpè auersionem à malo, & conuersionem ad bonum: & quia vnus non potest pro alio ad peccati remissionem disponi, nec pro alio auerti à malo, & ad bonum finem conuerti, ita consequens, vt non possit vnus per virtutẽ pœnitentiæ de peccato alterius dolere, nec ex illa obligari ad satisfaciendum pro alio; satisfactio autem pro offensa ex virtute iustitiæ procedens non est per modum dispositionis subiecti ad remissionem offensæ, nec tendit ad disponendum hominem, vt à peccato auertatur, & conuertatur ad bonum, sed ad præstandum obsequiũ æquè placens Deo offenso in morali æstimatione, ac illi offensa displicuit; & quia potest vnus pro alio obsequiũ ita excellens præstare, vt adæquet grauitatem offensæ, vel illam excedat, potest pro alio obligari ad satisfaciendum, & ad eius debitum extinguendum titulo fideiussoris, & hoc titulo supposito, ex virtute iustitiæ obligari ad satisfaciendum pro illo, illiusque debitum extinguere ex virtute iustitiæ perfectæ.

99. *Ad secũ-dã replicam respõdetur.* Ad secundam replicam respõdeo, omittendo primũ consequens, quòd, nempè, Christus vt homo fuerit ex iustitia obligatus, non solum Deo creditori offenso, sed etiam hominibus debitoribus, quorum onus, & obligationem in se ipso suscepit, & negando minorem: ad cuius probationem dicatur; vel supremum dominium non obstare obligationi ex iustitia, vt *disput. seq.* constabit, vbi Deum ex iustitia obligatum fuisse acceptare satisfactionem Christi monstrabimus, non obstante, quòd Christi satisfactio sit sub supremo Dei dominio: vel Christum non fuisse ex pacto obligatum ad satisfaciendum vt Deum, qua ratione supremus dominus hominum est, sed vt hominem, secundum quam rationem supremum dominium supra homines non habet: ac proindè non repugnat ex hoc capite titulo fideiussionis hominibus ex iustitia obligari, si semel ex tali titulo resultat obligatio ex iustitia, non solum in ordine ad creditorem, sed etiam respectiuè ad debitorem, cuius onus à fideiussore suscipitur.

100 *Ad tertiam.* Ad tertiam dicatur, veram esse maiorem, quando fideiussor, & principalis debitor capaces sunt eiusdem obligationis: secus autem quando in debitore non est ad eandem obligationem capacitas, cuius capax est fideiussor: & quia homines nõ sunt capaces obligationis satisfaciẽdi Deo pro offensa in ipsum commissa ex perfecta iustitia ob rationem in argumento assignatam; quia nempè non possunt satisfactionẽ perfectam, & æqualem cum offensa præstare, quæ à perfecta iustitia satisfactiua respicitur; Christus autem prædictæ obligationis est capax; quia potest æqualem, imò & superexcedentem satisfactionem exhibere; consequens fit, quòd homines non teneantur ad satisfaciẽdum Deo pro offensa ab ipsis cõmissa ex stricta, & perfecta iustitia, sed solum ex iustitia potentiali, videlicet, pœnitentia, quam esse partem potentialem iustitiæ, docet D. Thom. *infra q. 85. art. 3.* Christus verò, quia capax pœnitentiæ non est, est autem capax iustitiæ perfectæ, quia potest æquale reddere pro offensa irrogata Deo, obligatur ad satisfaciẽdum ipsi obligatione S. Tho.

tione ex perfecta iuſtitia, imò ex hoc ipſo robur accipit noſtra ſententia; homines namque obligantur ad ſatisfaciendum Deo ex iuſtitia ſolum potentiali, quia non ſunt capaces ſatisfaciendi ex perfecta iuſtitia, eo quòd non poſſunt ſatisfactionem offenſæ æqualem præſtare; ſed Chriſtus capax eſt ſatisfaciendi ex perfecta iuſtitia, præſtandique æqualem, imò & ſuperexcedentem ſatisfactionem: ergo ex illa ad ſatisfaciendum fuit obligatus, ex illaque ſatisfecit.

§. V.

Occaſione vltimi argumenti explicatur, an in quolibet peccato inveniatur ratio ſpecialis iniuſtitiæ contra Deum?

101. *Vltimo argui-tur, & replica-tur contra data ſolutio-nem.*

CÆTERVM contra hanc ſolutionem obſtat vltimum cõtrariæ ſententiæ argumentum: nam etiam ſi homines eſſent capaces præſtandi ſatisfactionem æqualẽ peccato ab ipſis commiſſo, & offenſæ Deo irrogatæ, non obligarentur ad præſtandam prædictam ſatisfactionẽ ex perfecta, & ſpeciali iuſtitia: ergo Chriſtus titulo fideiuſſoris non fuit ex tali iuſtitia obligatus ad ſatisfaciendum Deo pro peccato humani generis. Conſequẽtia tenet ex dictis; ideo namque proximè aſſeuerabamus, obligationem in Chriſto ſatisfaciendi pro hominibus fuiſſe ex perfecta iuſtitia, quamuis in hominibus talis obligatio non ſit, ſed ex iuſtitia potentiali, & imperfecta, quia homines nõ poſſunt præſtare æqualem ſatisfactionem; Chriſtus autem poteſt æqualẽ, & ſuperexcedentem exhibere: ergo ſi adhuc data, & conceſſa hominibus facultate ad præſtandam æqualem ſatisfactionem, non tenerentur ſatisfacere ex perfecta iuſtitia, nec Chriſtus fuit obligatus ex illa ad ſatisfaciendũ pro hominibus.

Antecedens autem probatur; nã obligatio ſatisfaciendi ex iuſtitia ſolum poteſt oriri ex violatione iuſtitiæ illius, cui fit ſatisfactio; ſed per hominum peccata Dei iuſtitia non violatur: ergo etiam ſi homines eſſent capaces præſtandi æqualem ſatisfactionem cum offenſa Deo irrogata, non tenerentur ex iuſtitia ad eius exhibitionem. Maior cum conſequentia tenet; minor autem oſtenditur primò; ſi namque omnibus peccatis violaretur Dei iuſtitia, ſequeretur, omnia peccata præter proprias, & ſpecificas rationes à ſuis obiectis deſumptas eſſe in ſpecie iniuſtitiæ contra Deum: conſequens eſt falſum, aliàs circunſtantiam iſtam teneremur aperire in confeſsione, quod nullus hucuſque dixit: ergo per peccata hominum non violatur Dei iuſtitia. *Minor proba-tur primo.*

Deinde, nam ſtatim atque alicuius iuſtitia violatur, tenetur, qui illã violauit ad reſarciendum damnum, & ſatisfaciendum pro iniuria, vel iniuſtitia commiſſa, quod manifeſtum eſt in humanis; eo namque ipſo quod aliquis damnum patiatur in bonis fortunæ, aut famæ, ille, qui damnum intulit, ſtatim reſtituere tenetur, & cõtinuo peccat non reſtituendo, ſi potens eſt reſtituere, quia alterius iuſtitiam violauit; ſed peccator non tenetur ſtatim confiteri peccata, nec pœnitentiam agere de illis, ſed temporibus ab Eccleſia ſtatutis, vt fatentur omnes Theologi: ergo non omni peccato diuina iuſtitia violatur. 102. *Secundo.*

Quod amplius confirmari poteſt; quia namque affirmans, Deum eſſe mendacem, aut omnipotentem non eſſe, & ſuo dicto falſam opinionem de Deo in aliorum mentibus generans eius iuſtitiam violauit, tenetur ad ſtatim ſatisfaciendum Deo ſuum dictum retractans, & aliorum veram de Deo opinionem recuperans: ergo ſi per omne peccatum violatur diuina iuſtitia, tenentur homines ſtatim ac peccant pœnitere de peccato, & ſatisfacere Deo. *Cõfirma-tur.*

De-

103. Denique probatur: nam tunc solum aliqua iustitia violatur, cū Deus iure dominij, quod super homines habet, illorum actiones petit, non verò quando iure imperij, utitur Legislatoris supremi illas præcipit, vt constat in humanis Principibus; quorum non violatur iustitia, nec contra illos iniustitia committitur, si solum contra ea mandatis, quibus non præcipiantur titulo dominij, quod supra subditos habent, sed solum titulo gubernationis, aut legislationis, quo gaudent; sed quamuis Deus titulo supremi dominij posset petere omnes hominum actiones, quòd autem illas omnes hoc titulo petat, aut præcipiat de facto, nullo firmo fundamento traditur, nec sine illo id licet asserere, & circumstantias peccatorū augere: ergo non omne peccatum est contra iustitiam diuinam, nec omni peccato Dei iustitia violatur: ac proindè non potuit Christus ex speciali iustitia obligari ad satisfaciendum pro peccato humani generis, nec pro illo ex speciali iustitia satisfecit.

Tertiò.

Reijcitur primò.

104 *Prima solutio argumenti.*

Huic argumento variè occurritur ab Auctoribus nostræ sententiæ. Quidam illo conuicti distinguunt inter peccata, quæ sunt contra iustitiā specialem Dei, quibusque diuina iustitia violatur, vt murmuratio generans falsam opinionē de Deo, blasphemia, & alia huiusce generis, & peccata, quæ contra iustitiam Dei specialem non sunt, nec illis diuina iustitia violatur, & asserunt, Christum ex iustitia speciali satisfecisse pro peccatis primi generis, & ad satisfaciendum pro illis fuisse ex iustitia obligatum; quia homines ex iustitia tenentur ad satisfaciendum Deo pro peccatis primi generis, & consequentèr Christus, qui titulo fideiussoris illorum onus, & obligationem in se ipso suscepit, ex eadem virtute ad satisfaciendum pro talibus peccatis tenetur: secus autem pro peccatis secundi generis, ad quorum satisfactionem homines ex iustitia non obligantur, & consequentèr nec Christus, qui hominum vices gerebat titulo fideiussionis.

105. Hæc tamen solutio fulminenda nō est primò, quia in Scriptura & Patribus ad huiusce modi distinctionem nullum adest fundamentum, cum eodem modo de satisfactione Christi pro omnibus peccatis sine vllo inter illa discrimine Scriptura & Patres loquantur: ergo absque vllo fundamento dicta distinctio confingitur in Christi satisfactione, asserendo pro peccatis primi generis ex iustitia speciali processisse, Christumque ad satisfaciēdum pro illis fuisse ex iustitia obligatum, non autem pro alijs peccatis, quæ contra specialem Dei iustitiam non sunt, nec illis diuina iustitia violatur. Deindè, quia disputatio de satisfactione Christi, an fuerit ex rigore iustitiæ, & an ex virtute iustitiæ specialis processerit, & per illam fuerit regulata, vel non, præcipuè circa peccatum originale versatur, quod fuisse principale Incarnationis motiuum docent communitèr Theologi, & ex dicendis *disput.* 8. constabit; sed peccatum originale primi generis non fuit; non enim fuit murmuratio, nec blasphemia contra Deum, aut in alia specie ex illis, quibus in aliorum mentibus falsa opinio generatur, & Dei perfectionibus detrahitur: ergo tradita solutione præcipua controuersia deseritur.

Secūdò.

106 *Tertiò.*

Denique; nam disputatio nostra est de satisfactione Christi pro peccatis hominum sub ea consideratione, sub qua non possunt ab illis sufficientèr, & ad æqualitatem compensari; sed pro peccatis primi generis sub ea ratione, sub qua ab alijs peccatis differunt, nempè vt ratione iniustitiæ specialis contra Dei iustitiam sortiuntur, potest ab homine puro, imò & ab homine in statu culpæ existēte, & in statu inimicitiæ diuinæ sufficientèr, & æqualitèr compensari: ergo iustitia Christi ad ea peccata referri non debuit ita vt pro illis tantum satisfactionem Christi regulauerit. *Maior* cum consequētia tenet; minor autem probatur; nam peccata primi, & secundi generis conueniunt in ratione offensæ diuinæ, in qua sunt infinitæ grauitatis simpliciter, vel superioris ordinis ad satisfactionem puræ creaturæ, & solum

ſolum inter ſe differunt in eo, quòd per peccata primi generis falſa opinio generatur de Deo in ijs, ad quorũ veram exiſtimationẽ, veramque opinionem datur ius ſtrictæ iuſtitiæ in illo: at licet homo purus non poſsit pro ratione offenſæ illis omnibus communi æqualitèr ſatisfacere, nec illam ad æqualitatem compenſare; damnum tamen falſæ opinionis, falſæque exiſtimationis inductæ in aliorum mentibus poteſt ad æqualitatem reſarcire, dictum proprium efficacitèr retractando, & veram de Deo opinionem ſcandalizatorum mentibus reſtituendo, etiam ſi exiſtat in peccato mortali: ergo peccata primi generis ſecundum id, in quo ab alijs diſcriminãtur, poſſunt ad æqualitatem compenſari à puro homine, etiã in peccato mortali exiſtente, & conſequentèr de illis ſic ſumptis non agitur, cum de ſatisfactione Chriſti tractatur, aſſerẽdo, neceſſariam fuiſſe ad ſatisfaciẽdum Deo pro peccatis à nobis commiſsis, & an eius ſatisfactio fuerit de rigore iuſtitiæ, & ex virtute iuſtitiæ ſpecialis proceſſerit.

Cõfirmatur.

Explicatur, & vrgetur; etenim homo plebeius, qui, Regi falſo teſtimonio impoſito, eius famam denigrauit, etſi pro iniuria Regi irrogata nõ poſsit æqualem præſtare ſatisfactionem; damnum tamen falſo teſtimonio inductum poteſt ad æqualitatem reparare: ergo paritèr homo, qui blaſphemia in Deum prolata illius denigrauit honorem, falsò aliquid Deo negãdo, vel falsò illi aliquid attribuendo, hancque falſitatem ſua prædicatione in aliorum mentibus ſeminauit, falſamque exiſtimationem induxit, etſi pro iniuria Deo irrogata non poſsit ad æqualitatem ſatisfacere; damnum tamen Deo illatum ex falſa exiſtimatione in aliorum mentibus inducta, poterit æqualitèr reſarcire, ſuum dictum efficacitèr retractando, & oppoſitum efficacitèr ſuadendo; ſed ſolum in damno contra Dei iuſtitiam illato peccata primi generis differunt ab alijs peccatis: ergo ſecundum id, in quo differunt, poſſunt à puro homine ad æqualitatem compenſari, & ſolum ſecundũ id, in quo prædicta peccata conueniunt, eſt in puro homine inſufficientia ad ſatisfactionem æqualem pro illis, nempè ſecundum rationem offenſæ diuinæ, ſecundum quam ſunt grauitatis infinitæ ſimplicitèr, vel ſaltim ſuperioris ordinis ad ſatisfactionem à pura creatura præſtabilẽ: ideoque ſolũ ab homine Deo poteſt pro illis æquiualens ſatisfactio exhiberi; ac proindè de illis ſolum ſub prædicta ratione agitur, cum de Chriſti ſatisfactione, illiuſque neceſsitate tractatur, & cum diſputatur à Theologis, an ſatisfactio Chriſti fuerit ex perfecta iuſtitia.

107 *Secũda ſolutio aliorum*

Aliorum ſolutio eſt in Deo præter ius imperij, & ſupremi Legislatoris, ratione cuius illi obedientia debetur, & præter excellentiam ſupremã, ratione cuius ei debetur cultus ex Religione, & præter ſummam bonitatẽ, ratione cuius illi ex charitate omnes actiones noſtræ ſunt debitæ, & vltra rationem beneficiẽtiæ, & creationis, & gubernationis, ratione cuius ei debentur ex gratitudine, eſſe ius ſtrictæ iuſtitiæ in ſupremo dominio fundatum, ratione cuius illi ex iuſtitia ſpeciali debẽtur omnes noſtræ operationes, ac proindè omne peccatum eſt contra iuſtitiam ſpecialem Dei, & iniuſtia ſpecialis: ex quo vlterius fit, vt ſatisfactio pro quocumque peccato ſit debita ex iuſtitia perfecta, ſuppoſita ſufficientia in ſubiecto præſtandi æqualem ſatisfactionem, quæ eſt obiectum iuſtitiæ ſatisfactiuæ: & quia hæc ſufficientia reperitur in Chriſto, ideo ex iuſtitia perfecta obligatur titulo fideiuſſoris ad præſtandam ſatisfactionem æqualem offenſæ irrogatæ Deo, ex illaque ſatisfecit; homo autem purus, quia eſt incapax ad æqualem ſatisfactionem præſtandam, non obligatur ex iuſtitia perfecta ad ſatisfaciendum pro offenſa ab ipſo commiſſa, ſed ex iuſtitia imperfecta, & potentiali, videlicet pœnitentia, quam eſſe partem potentialem iuſtitiæ, docet D. Thom. in hac 3. *p. infra q.* 85. *art.* 3. eo quòd deficit ab æqualitate ſimplicitèr. Vndè, ſi homo purus poſſet præſtare perfectam, & æqualẽ

S. Tho.

ſatiſ-

satisfactionē pro offensa ab ipso commissa, obligaretur ad satisfaciendum pro illa ex perfecta, & stricta iustitia.

108 *Reijcitur primo.*

Cæterum contra hāc solutionem obstat primò, quòd licet in Deo præter omnes titulos recensitos, quibus ei actiones nostræ sunt debitæ, sit etiā ius strictum iustitiæ supra illius dominium fundatum; nō tamen probatur ab Auctoribus traditæ solutionis, per quodlibet peccatum ius strictum iustitiæ lædi, quod tamē probare debebāt, vt cum fundamento assererent, omne peccatum esse violationem iustitiæ specialis Dei, & iniustitiam cōtra Deum specialem. ergo solutionis doctrina sine fundamento traditur.

Secūdo. Deindè, & explicatur magis hoc ipsum: nam licet Deo petente, & præcipiente hominis operationes titulo supremi dominij, quo gaudet super omnes creaturas, per transgressionē præcepti ius strictæ iustitiæ lædatur; Deo tamen non petente, nec præcipiente operationes nostras titulo supremi dominij, sed alio ex prædictis titulis, ius strictum iustitiæ nō læditur: sicut ius dominij in creatura non læditur, si dominus non præcipiat titulo dominij, quod habet, sed tantum titulo legislationis; sed nullū est fundamentum, vt asseratur, Deum, quādocumque aliquid hominibus præcipit, aut prohibet, præcipere, aut prohibere illorum actiones titulo supremi dominij: ergo nullum est fundamentum ad asserendum omnibus peccatis hominum ius strictæ, & rigorosæ iustitiæ violari, & omnibus, præter alias malitias, malitiam specialis iniustitiæ contra Deum reperiri.

Tertiō. Denique, nam esto ita sit, quòd in omni peccato probabiliter asseratur, rationem specialis iniustitiæ contra Deum reperiri, negari tamen non potest, esse sententiam probabilem, quæ strictam rationem iniustitiæ negat vniuersaliter reperiri in omni peccato, cum illam plures docti Theologi teneant, nec ieiū fundamento fulciatur, ex quibus principijs prouenit probabilitas alicuius sententiæ: ergo operantes cum hac probabilitate, & cum illa peccantes non contrahunt specialem iniustitiæ rationē, sed ab hac malitia excusantur; & tamē pro illorum peccatis ex eadem virtute satisfecit Christus, ex qua satisfecit pro peccatis illorum, qui in opposita existente sententia, & cum illa peccantes contrahunt malitiam specialis iniustitiæ contra Deum: ergo absque circumstantia iniustitiæ specialis inuenitur in peccato compensabilitas ex virtute perfectæ iustitiæ, & consequentèr vt in Christo saluetur obligatio satisfaciendi pro peccatis hominum ex perfecta iustitia, ex illaque de facto satisfeciisse, recursus ad specialem iniustitiam contra Deum in omni peccato repertam necessarius non est.

109 *Tertia solutio bimēbris.*

Tertiò alij respondent, omne peccatum esse iniustitiā, vel ex eo, quòd contrariatur iustitiæ diuinæ, quæ per omne peccatum violatur, vel per oppositionem cum iustitia legali, quæ bonum commune respicit, & attendit. Primum docet D. Thomas S. Tho. 2. 2. *q. 59. art. 1. ad 1.* his verbis: *Dicendum, quòd sicut iustitia legalis dicitur per cōparationem ad bonum commune humanum: ita iustitia diuina dicitur per cōparationem ad bonum diuinum, cui repugnat omne peccatum: & secundum hoc omne peccatum dicitur esse iniquitas.* Ex quibus verbis manifestè colligitur, Angelicum Doctorem sensisse, per omne peccatum diuinam iustitiā violari: ac proindè esse iniustitiā ex oppositione cum iustitia diuina. Secundum docuit *q. 58. art. 5. ad 3.* & *q. 79. art. 2. ad 1.* his verbis: *Dicendum, quòd sicut iustitia legalis est omnis virtus subiecto, & quasi materialitèr: ita iniustitia legalis est materialitèr omne peccatum, & hoc modo peccatum diffinit Ambrosius, secundum, scilicet, rationem iniustitiæ legalis.* S. Tho. Quibus verbis manifestè indicat D. Thomas, omne peccatum iustitiæ legali opponi, ac proindè ex hac oppositione rationem iniustitiæ sortiri. Cum ergo omne peccatum iniustitia verè sit, verè iustitia per omne peccatum violatur, ac per consequens ex omni peccato nascitur in homine obligatio ex iustitia ad satisfaciendum Deo. Nec est necessarium, quòd obligatio sit ex eadem

dem ſpecie iuſtitia, quæ per peccatum violatur, ſed poteſt obligatio ſatisfaciendi eſſe ex iuſtitia commutatiua, quamvis iuſtitia violata nō fuerit cōmutatiua, ſed legalis: vt enim docet D. Thom. 2.2.q.62.*art.* 1.*ad* 3. violatio iuſtitiæ diſtributiuæ, debitumque ex iniuſta diſtributione contractum per iuſtitiam commutatiuam reſarciuntur, vt quando aliquis minus dat alicui, quam debebat ex iuſtitia diſtributiua, tenetur ad reſarciēdum damnum ex iuſtitia commutatiua, & ad reſtitutionem ſecundum æqualitatē rei ad rem. Ita doctiſsimus ille Magiſter toto orbe celebris ſapientia, & eruditione Frater Petrus de Herrera bis in Vniuerſitate Salmanticenſi Primarius, & Tarazonenſis Epiſcopus *in M.S. ad artic. 2. huius quæſtionis dub. 2. in ſolution. ad 1. argum.*

S. Tho.

M. Herrera.

Sed contra primam partem iſtius ſolutionis facit primò, quòd ſi omne peccatum eſt contra iuſtitiam ſpecialem diuinam, ſequitur, dari in nobis iuſtitiam in ordine ad Deum inclinantem ad ſeruandum ius diuinum illæſum, & illud læſum reparandum, quæ ſit ſtricta, & perfecta iuſtitia: at hoc eſt contra id, quod doctiſsimus iſte Magiſter aduerſus Suarez *dub. relato concl.* 4. docuerat: ergo non omni peccato violatur iuſtitia ſpecialis Dei, nec ex oppoſitione cum illa ratio ſpecialis iniuſtitiæ in omni peccato inuenitur. Probatur ſequela; nam ſpecialis malitia peccati ſemper ſumitur ex oppoſitione ad virtutem reſidentem in ſubiecto peccante, vt malitia intēperantiæ opponitur virtuti temperātiæ, quæ in ſubiecto intemperato inuenitur, vel poteſt inueniri, & malitia iniuſtitiæ opponitur virtuti inclinanti ſubiectum ad oppoſitam rectitudinem: ergo ſi in omni peccato datur ſpecialis ratio iniuſtitiæ ex oppoſitione ad iuſtitiam diuinam, neceſſariò admitti debet in nobis virtus, quæ inclinet in oppoſitam rectitudinem; ſed eo ipſo quòd huiuſcemodi virtus admittatur in nobis, neceſſariò debet habere pro obiecto ius diuinū ſeruandū illæſum, & reparandum læſum, nam ideo non ſeruando illæſum, vel non reparando illud læſum, contra iſtam virtutem delinquitur: ergo ex tradita ſolutione ſequitur, eſſe in nobis cōſtituēdam iuſtitiam in ordine ad Deū inclinantem ad ius diuinum illæſum conſeruandum, & læſum reparandū, quod, vt dixi, doctrinæ huius viri ſapientiſsimi aduerſatur.

110. *Reiicitur primo quoad primā partem.*

Facit ſecundò, quòd iuxta Diuū Thomam iuſtitia diuina, de qua loquitur *in teſtimonio allegato*, non eſt propriè, & ſtrictè iuſtitia, ſed largè: ergo ex oppoſitione cum illa non adſtruitur in omni peccato ratio iniuſtitiæ ſpecialis, & quæ propriè rationem iniuſtitiæ ſortiatur. Conſequētia patet; nam ratio propriæ iniuſtitiæ ſumi debet ex oppoſitione cū iuſtitia, quæ propriè iuſtitia ſit: ergo ſi iuſtitia diuina, de qua loquitur D. Thom. propriè iuſtitia non eſt, non poteſt ex oppoſitione cum illa ratio propriæ, & ſpecialis iniuſtitiæ omni peccato competere.

111. *Secūdò.*

Antecedens autem probatur: iuſtitia namque, de qua ibi loquitur Diuꝰ Thomæſt virtus, per quam homo, & illius actus ordinantur ad bonum diuinum, ſicut per iuſtitiam legalem ordinantur actus hominis ad bonum commune humanum, vt ex ipſa littera conſtat; ſed virtus, per quam actus hominis ſic ad bonum diuinum ordinantur, eſt charitas, vt expreſsè docet D. Thom. 2.2.q.58 *art.* 6. *ad medium corporis*, illis verbis: *Sicut enim charitas poteſt dici virtus generalis in quantum ordinat actus omnium virtutum ad bonum diuinum: ita etiam iuſtitia legalis in quantum ordinat actus omnium virtutum ad bonum commune.* Verba ſunt D. Thom. Ex quibus apertè conſtat, ordinationem hominis, & omnium actuum illius ad bonum diuinū fieri per charitatem, & ad illam pertinere; charitas autem propriè iuſtitia non eſt, nec talis ſimplicitèr: ergo virtus de qua loquitur D. Thom. *in teſtimonio allegato* docēs, illi omne peccatum opponi, & ex tali oppoſitione omne peccatum dici iniquitatem, non eſt iuſtitia ſpecialis, nec ſimplicitèr, & propriè iuſtitia, & conſequentèr ex oppoſitione cum

S. Tho.

illa

illa, non probatur in omni peccato ratio iniustitiæ specialis.

112. *Quoad secundæ partem reiicitur tertia solutio.* Deindè contra secundam partem eiusdem solutionis facit, ex eo, quòd omne peccatum sit iniustitia legalis, & iustitiæ legali opponatur, tantum sequi, esse iniustitiam respectu boni cõmunis, quod iustitia legalis attendit, & ad quod ordinat actus aliarum virtutum, ob quam rationem dicitur omnis virtus subiecto, non autẽ quòd respectu Dei rationẽ specialis iniustitiæ sortiatur; sed ratio iniustitiæ, quã in præsenti indagamus, non est respectu boni communis humani, sed respectu Dei, & respectu boni diuini, cum Deus sit, cui ex obligatione iustitiæ facienda est satisfactio, & respectu cuius satisfactio à Christo exhibita rationem iustitiæ sortitur, si verè ex illa procedit, & per illam regulatur, vt intendit nostra sententia: ergo solutione tradita non soluitur argumentum, neque ex oppositione peccati cum iustitia legali sufficienter illi occurritur. Minor cum consequẽtia tenet; maior autẽ probatur: nam iniustitia opposita virtuti iustitiæ solum fit illi, ad quem iustitia, cui opponitur, ordinat subiectum, & actus illius; sed iustitia legalis non ordinat hominem ad Deum, sed ad bonum commune, quod esse obiectum iustitiæ legalis, docet D. Thom. 2. 2. q. 58. *art.* 5. & 6. ergo iniustitia legalis non Deo fit, sed bono communi, sub quo, vt partes homines continentur, & consequenter ex oppositione cum iustitia legali non potest omni peccato competere ratio specialis iniustitiæ contra Deum, ex qua in homine nascatur obligatio satisfaciendi Deo ex propria, & speciali iustitia: ac proindè nec ex qua probetur, consurgatq; talis obligatio in Christo.

S. Tho.

113. *Respondebis.* Si forte dicatur, bonum diuinum esse maximè bonum commune, ac proindè, ex eo, quòd iustitia legalis hominem, & eius actus ordinet ad bonum commune tanquam ad propriũ obiectum, non sequitur, quòd ad bonum diuinum ordinario per iustitiam legalem non fiat, & hoc bonum est obiectum iustitiæ legalis. *Contra primo.* In contrarium obstat primò, D. Thomam non quodlibet bonum commune, sed bonum commune humanum assignare pro obiecto iustitiæ legalis, prout distinctæ ab alijs speciebus iustitiæ, & ab alijs partibus subiectiuis illius; bonum autem diuinum non est bonum commune humanum, sed altius omni humano bono: ergo non comprehenditur sub obiecto iustitiæ legalis. Deindè, nam D. Thom. 2. 2. q. 58. *art.* 6. verbis *num.* 11. relatis comparat charitatem, & iustitiam legalẽ quoad rationem generalis virtutis: quia sicut charitas ordinat actus omnium virtutum ad bonum diuinum: ita iustitia legalis ordinat actus omnium virtutum ad bonum commune: ergo iuxta D. Thomam bonum diuinum non comprehẽditur sub bono communi, quod cõstituit pro obiecto iustitiæ legalis. Præterea, nam bonum commune, ad quod ordinat iustitia legalis, est commune per modum totius, ad quod homo comparatur vt pars, *vt locis alleg.* docet Angelicus Doctor. Sed bonum diuinum hac communitate non gaudet, sed cõmunitate causalitatis per modum principij, & finis, & per modum participabilis ab omni bono creato: ergo sub obiecto iustitiæ legalis nõ claditur. Deniq; quia aliàs iustitia, ex qua Christus satisfecit, & ex qua fuit ad satisfaciendum obligatus, esset iustitia legalis: Consequens est falsum, vt cõmunitèr asserunt Auctores nostræ sententiæ, & Nos inter probandam secundam conclusionem monstrauimus: ergo falsum etiam est, quòd per iustitiam legalẽ homo, & illius actus ordinentur ad bonum diuinum, & quod huiusmodi bonum sub obiecto iustitiæ legalis contineatur. Probatur sequela, nam per iustitiam, ex qua Christus satisfecit, actus ab ipso in satisfactionem exhibiti ordinabantur ad bonum diuinum, nempè ad ius diuinum læsum resarciendum, & reparandum per satisfactionem æqualem: ergo si iustitia legalis ordinat actus hominis ad bonum diuinum, virtus, ex qua Christus satisfecit, iustitia legalis erit.

Secundò. S. Tho.

Tertiò.

Quartò.

Vndè,

114. *Vera solutio.*

Vnde, quidquid sit de ratione strictæ iniustitiæ contra Deum, an in omni peccato inueniatur, ad argumentum respondeo, negando antecedens, quòd nempè, si homines essent capaces præstandi Deo æqualē satisfactionem pro culpa ab ipsis commissa, non obligarentur ex iustitia stricta, & speciali ad satisfaciendum Deo: ad illius probationem, nego maiorem, quòd scilicet, obligatio satisfaciendi ex iustitia solum ex iustitiæ violatione possit oriri. Et quidem, quòd hoc vniuersaliter verum non sit, constat manifestè in eo, qui aliquid mutuo accepit ab alio; tenetur enim ex iustitia speciali ad restitutionem ratione rei acceptæ; & tamen accipiendo nullius iustitiam violauit: nō ergo est vniuersaliter verum, quòd obligatio ex iustitia solum ex illius violatione possit oriri, & quòd necessariò supponat iustitiæ alterius violationem. Et licet ad satisfactionē restitutiuam, siue honoris, siue pecuniarum ex obligatione iustitiæ exercendam necessariò supponatur violatio strictæ iustitiæ; ad satisfactionem vero compensatiuam iniuriæ præstandam ex prædicta obligatione id necessarium nō est, sed sufficit, quòd ratio iniuriæ intercesserit, quæ sit iuris alicuius transgressio, & debitum satisfaciendi simpliciter: in omni autem peccato veram rationē iniuriæ contra Deum reperiri, docet Angelicus Doctor *q.* 28. *de Veritate art.* 2. *in corp.* & probat manifesta ratione: *Quicumque enim rem aliquam digniorem indigniori postponit, iniuriam ei facit, & tanto amplius, quanto res est dignior; quicumque autem in re temporali finem sibi constituit, quod facit omnis mortaliter peccans, ex hoc ipso quātum ad affectum suum præponit creaturam creatori, diligens plus creaturam, quam creatorem; finis enim est, quod maximè diligitur. Cum ergo Deus in infinitum creaturam excedat, erit peccantis mortaliter contra Deum infinita offensa ex parte dignitatis eius, cui per peccatum quodammodo iniuria fit, dum ipse Deus contemnitur, & eius præceptum.* Verba sunt D. Thomæ. Ex quibus apertè constat, in omni peccato veram rationem iniuriæ cōtra Deum reperiri, nec ex eo, quòd illam explicuerit D. Thom. per particulam *quodammodo* sequitur, Angelicum Doctorem sensisse, quòd deficiat à ratione vera iniuriæ, vt *disput.* 1. *num.* 20. notauimus ex eodem D. Thom. *q.* 2. *de Malo art.* 9. *ad* 5. vbi docet, in omni peccato reperiri aliquam habitudinem ad bonum infinitum, quin ex hoc, quòd habitudo peccati ad Deum per modum auersionis ab ipso explicetur per particulam *quamdam*, liceat colligere, vt de mēte D. Thom. quòd deficiat à ratione veræ habitudinis. Quòd autem sit in hominibus debitū simpliciter tale satisfaciendi Deo, nemo, quem viderim, negat, & patet ex eo, quòd D. Thom. *infra q.* 85. *art.* 3. pœnitentiam esse, non subiectiuam, sed potentialem partem iustitiæ, non ex defectu debiti, sed ex defectu æqualitatis probauit, quia nempè non potest homo æquiualens reddere Deo pro offensa in ipsum commissa; si autem nō esset in homine debitū simpliciter tale ex vtriusq; defectu probasset D. Thom. pœnitentiam deficere à ratione partis subiectiuæ iustitiæ, cum vtrumque sit necessarium, vt ex D. Thom. vidimus: ac proindè, si in homine esset facultas ad satisfactionem æqualem præstandam pro offensa ab ipso commissa, ex perfecta iustitia obligaretur ad satisfaciendum Deo. Ex quo vlterius fit, Christum Dominum titulo fideiussoris obligatum ad satisfaciendum pro nobis, cum posit perfectam, æqualemque exhibere satisfactionem, fuisse obligatum ex stricta, & speciali iustitia ad satisfaciendum Deo pro peccato humani generis, ex illaque de facto satisfeciſſe, etiam si peccatum, pro quo Christus satisfecit, stricta iniustitia non fuerit, nec ius Dei strictæ iustitiæ violauerit: quia licet iniustitia stricta non sit; est tamen iniuria Dei, vt ex D. Thom. vidimus. Et hoc sufficit, vt ex illo obligatio satisfaciendi ex perfecta iustitia nascatur in illo, qui potēs est æqualem satisfactionem præstare.

S. Tho.

S. Tho.

S. Tho.

§. VI.

Vltima differentia virtutis satisfactiuæ Christi explicatur.

115. *Tertia cõclusio.*

SIT TERTIA CONCLVSIO. Virtus iustitiæ, ex qua Christus pro hominibus satisfecit, est diuersæ speciei ab omni virtute, quæ in puro homine reperitur.

Suarez. Contrarium huius conclusionis docuit Suarez *disput. 4. alleg. sect. 5.* vbi ait, virtutem, ex qua Christus satisfecit, esse eiusdem speciei cum virtute pœnitentiæ, ex qua purus homo satisfacit, etsi in Christo pœnitentia dici non debeat; quia hoc nomen *Pœnitentia* significat prædictam virtutẽ, non adæquatè secundum extensionẽ ad omnem actum, quem elicere potest; sed solum inadæquatè prout inclinat in retractationem prioris delicti, prioristque voluntatis, secundum quam rationem esse non potuit in Christo, qui, cum non peccauerit, nec peccare potuerit, incapax est ab intrinseco retractandi peccatum à se commissum; ac proindè illi repugnat virtus pœnitentiæ sub prædicta consideratione, sub qua, inquit Suarez, nomen pœnitentiæ sortitur, ideoque licet virtus illa sit eiusdem speciei cum virtute pœnitentiæ, non debet pœnitentia vocari, nec in Christo sub hoc nomine admitti. Tenent etiam contrarium nostræ cõclusionis docti Recentiores Thomistæ, qui, etsi contra Suarez defendant, virtutem, ex qua Christus satisfecit, non esse eiusdem speciei cum virtute pœnitentiæ, nec cum iustitia puri hominis in ordine ad Deum; docent tamen, esse eiusdem rationis cum iustitia infusa nostra inclinante ad ius suum vnicuique reddendum ad æqualitatem in quacumque materia, etsi in puro homine inclinare non possit ad reddendum Deo æquale ex defectu facultatis.

116. *Nazar. Alvar. Cornejo. Probatur primo.*

Nostram tamen conclusionem tuentur Nazarius vbi *supra conclusione sexta*, Aluarez *disputatione quarta solutione ad sextum argumentum*, Cornejo vbi *supra*, & frequentius alij Thomistæ, & ostenditur primò impugnando sententiam Suarez; partes enim potentiales iustitiæ à partibus subiectiuis illius specificè distinguuntur, vt inconfesso est apud Theologos; sed virtus, ex qua Christus Dominus pro peccatis hominum satisfecit, est pars perfecta, & subiectiua iustitiæ, perfectaque iustitia commutatiua, vt *secund. concluſ.* probauimus, eo quòd nec deficit à ratione debiti simplicitèr tali, nec ab æqualitate rei ad rem, quæ sit talis simplicitèr, cum illius satisfactio æqualis fuerit, imò & superabundans pro offensa; virtus autem pœnitentiæ, vel si quæ alia in puro homine inuenitur, inclinans hominem ad satisfaciendum Deo pro culpa propria mortali, nõ est pars subiectiua, sed potentialis iustitiæ, vt docet D. Thom. in hac 3. *p. infra q. 85. art. 3.* constatque ex eo, quòd deficit ab æqualitate simplicitèr, quam perfecta iustitia requirit: ergo virtus illa, ex qua Christus satisfecit, non est eiusdem speciei cum virtute pœnitentiæ, ex qua purus homo satisfacit. S. THO.

117. *Respondet P. Suarez.*

Respondet Suarez vbi *supra §. nihilominus tamen propter alias rationes*, virtutes per se, ac formalitèr non respicere in subiecto, cui insunt, facultatem, sed voluntatem, nec effectum, sed affectum, vt constat in homine paupere, qui ob defectum facultatis non potest magnificos sumptus facere; in quo tamen virtus magnificentiæ esse potest, si quamuis magnificos sumptus non faciat ex defectu facultatis, ad illos tamen faciendos voluntatem habeat, & affectum ordinatum: licet autem puri homines non potuerint Deo in effectu æqualem satisfactionem præstare pro offensa ab ipsis com-

commiſſa ex defectu facultatis; habere tamen poſſent ſimplicem, ſeu conditionatum affectum, quo vellent Deo exhibere condignam, & æqualem ſatisfactionem, ſi in ſua eſſet poteſtate: qui affectus ſimplex, & inefficax eſt eiuſdem ſpeciei cum affectu abſoluto, & efficaci ſatisfaciendi æqualiter Deo, ſit conſequens, quòd pertineat ad virtutem eiuſdē ſpeciei cum illa, ex qua Chriſtus Dominus ſatisfecit, & ex qua elicuit affectum efficacem, & abſolutum præſtandi Deo æqualem ſatisfactionem; cum namque virtutes ſpecificentur per actus, ſi actus efficax, & inefficax ſunt eiuſdem ſpeciei, pertinent ad eandem ſpecie virtutem.

118. *Reijcitur primo.* S. Tho.

Cæterum contra hanc ſolutionem facit primò, ſequi ex illa pœnitentiam, & religionem in nobis eſſe partes perfectas, & ſubiectiuas iuſtitiæ: conſequens aduerſatur D. Thom. *in 3. q. 85. art. 3.* vbi id de pœnitentia negat, & *2. 2. q. 80. art. 1.* vbi docet, religionem non eſſe partem perfectã, & ſubiectiuam iuſtitiæ, ſed imperfectam, & potentialem, eo quòd vtraque deficit a iuſto, & æquali ſimpliciter: ergo ſolutio tradita eſt falſa. Pater ſequela; nam iuxta iſtum Auctorem ad rationem perfectam iuſtitiæ non attenditur, nec requiritur æqualitas in effectu, nec in affectu efficaci, ſed ſufficit æqualitas in affectu conditionato, ſimplici, & inefficaci; ſed licet pœnitentia, & religio non inclinent in nobis ad æquale in effectu, nec in affectu efficaci, elicere tamen poſſunt in ſententia iſtius Auctoris conditionales, & ſimplices affectus ad æquale Deo reddendum in materia ſatisfactionis, & cultus, quandoquidem impotentia ſubiecti ad æqualitatem conſtituendam non obſtat, vt ab illo eliciantur affectus ſimplices, conditionati, & inefficaces ad æqualitatem præſtandam: ergo pœnitentia, & religio non eruat partes potentiales, & imperfectæ iuſtitiæ, ſed ſubiectiuæ, & perfectæ.

119. *Secundo.*

Deindè, nam eſto in ſubiecto, cui ab intrinſeco non repugnat affectus abſolutus, & efficax erga obiectum alicuius virtutis, poſsit virtus reſidere, & elicere affectus conditionatos, ſimplices, & inefficaces, quo circa in homine paupere exiſtit virtus liberalitatis, & magnanimitatis, quia ſolum ex accidenti eſt impotens ad magnos ſumptos faciendos, non tamen illi ab intrinſeco repugnant; in eo autem, cui ab intrinſeco repugnat affectus abſolutus, & efficax erga materiam, & obiectum virtutis, talis virtus reſidere non poteſt: quo circa temperantiam in Angelo nullus, quē viderim, poſſuit; quia Angelo ab intrinſeco repugnat affectus efficax erga obiectū temperantiæ; ſed reddere Deo æquale pro offenſa in ipſum commiſſa, & affectus efficax conſtituendi æqualitatem inter ſatisfactionem, & culpam mortalem repugnat ab intrinſeco puræ creaturæ, & non ex aliqua conditione accidentali; repugnat namque illi, quia pura creatura eſt, quod illi eſſentialiter conuenit: ergo, eſto elicere poſsit affectum ſimplicem, conditionatum, & inefficacem circa æqualem ſatisfactionem Deo pro culpa mortali exhibendam, in nulla pura creatura conſtitui poteſt virtus ad ſatisfaciēdum pro ipſa, quæ ſit pars perfecta, & ſubiectiua iuſtitiæ.

120 *Tertio.*

Denique tradita ſolutio reijcitur; ex illa namque ſequitur, virtutē ſpei eſſe in Chriſto conſtituendam contra communem Theologorum ſententiam, & in Angelis virtutem Temperantiæ, quod nullus Theologorum admiſit: conſequens quoad vtramq; partem eſt falſum: ergo & tradita ſolutio. Probatur ſequela: etiam ſi Chriſtus Dominus non poſsit affectu abſoluto, & efficaci gloriam animæ ſperare, quia illam de facto poſsidet; ſpes autem eſt de bono non poſſeſſo; poteſt tamen ſimplicem affectum, & cōditionatum habere ſperandi gloriam animæ, ſi illam non poſsideret: non enim poteſt iſtius affectus repugnantia moſtrari; & quamuis Angelus nequeat habere abſolutum, & efficacem affectum erga materiam, & obiectum Temperantiæ; cōditionatum tamen, & ſimplicem affectum erga obiectū temperantiæ habere non eſt vndè il-

li repugnet, cum talis affectus erga impossibile possit versari, & consequenter, quamuis Angelo materia temperantiæ repugnet, possit illi affectus conditionatus, & inefficax erga talem materiam competere: ergo si affectus simplex, & conditionatus circa materiam alicuius virtutis sufficit, vt in subiecto capaci illum eliciendi virtus a tali obiecto specificata resideat, admittenda erit spes Theologica in Christo, quamvis illi affectus efficax spei erga gloriam animæ repugnet, & in Angelo virtus temperantiæ, quamuis Angelo repugnet affectus efficax, & absolutus erga materiam illius. Et ratio à priori, cur affectus inefficax, & conditionatus erga obiectum alicuius virtutis cum repugnantia ab intrinseco affectus absoluti, & efficacis non sufficiat, vt virtus à tali obiecto specificata in aliquo subiecto constituatur, est; nam repugnãte actu primariò alicuius virtutis, repugnat etiam virtus in talem actum inclinãs; actus autem primarius alicuius virtutis est affectus absolutus, & efficax erga obiectum primarium illius, non autem affectus abstrahens a conditionato, & absoluto, à simplici, & efficaci: ideoque repugnante alicui subiecto ab intrinseco actu absoluto, & efficaci circa obiectum primarium alicuius virtutis, non potest virtus in tali subiecto dari, etiam si illi non repugnet affectus simplex inefficax, & conditionatus, qui secundariò ad virtutem comparatur. Et hac ratione ducti communiter Theologi virtutem spei relegant à Christo Domino, & ab Angelis temperantiæ virtutem.

121. *Secũdo probatur conclusio.* Deindè, suadetur conclusio impugnando modum dicendi Recentiorum Thomistarum; nam ius Dei ad exigendam satisfactionem pro offensa in ipsum commissa altius est omni humano iure, & omni iure conueniẽte puræ creaturæ: debitum etiam ex offensa contra Deum commissa contractum altius est debito contracto ex offensa hominibus irrogata, & diuersæ rationis ab illo: sicuti & offensa Dei supra quam fundatur prædictũ ius, & ex qua oritur debitum satisfaciendi, diuersæ rationis est ab offensa facta hominibus: ergo virtus inclinans ad satisfaciendum Deo pro offensa in ipsum commissa, & ad resarciendum ius illius per peccatum læsum non est eiusdem rationis, & speciei cum virtute iustitiæ inclinante ad satisfaciendum hominibus, vel ad illorum ius illæsum seruandum, & reparandum læsum in alijs materijs. De antecedenti dubitari non potest; cum enim offensa contra Deum commissa diuersæ rationis sit ab omni offensa hominibus irrogata, debitum ex illa contractum, & ius exigẽdi satisfactionem super illam fundatũ non possunt nõ esse diuersæ rationis ab omni debito, & iure, quæ in hominibus reperiũtur. Consequentiã autem probo primò; nam virtus iustitiæ respicit ius alterius, & alteri debitum tanquam proprium obiectum: ergo si ius, & debitum diuinum sunt diuersæ rationis à iure, & debito humanis, virtus iustitiæ erga Deum necessariò specie distinguitur à virtute iustitiæ erga homines; virtutes namque speciem, & distinctionem ex obiectis desumunt. *Cõsequẽtia probatur primo.*

122. *Secundò.* Deindè, quia namque virtus Religionis, seu virtus, qua aliquem reueremur, respicit cultum illi debitum ratione propriæ excellentiæ, & excellentia Dei est diuersæ, & superioris rationis ad omnem excellentiam creatam, & cuiuscumque creaturæ, ideo, vt docet Divus Thomas, religio, qua Deum colimus, eique propter propriam excellentiam cultum debitum præstamus, virtus specialis est, & specificè distincta ab illis, quibus colimus creaturas, vt sunt pietas ad parentes, obseruantia ad personas in dignitate supra nos constituras, & dulia, qua colimus Sanctos: ergo si ius Dei excellentius est, & diuersæ rationis ab omni iure creato, virtus iustitiæ erga Deum, & illius ius attendens diuersæ speciei est à virtute iustitiæ erga homines illorum ius attendente, intendenteque ius hominum illæsum conseruare, & læsum reparare.

123. *Tertiò.*

Præterea, quia namque ius ad exigendum promiſſa eſt diuerſæ rationis in Deo, & in hominibus, virtus inclinans ad promiſſa Deo ſeruanda diuerſæ rationis eſt à virtute inclinante ad ſeruanda promiſſa hominibus: ergo ſi ius ad exigendam ſatisfactionem Deo competens pro offenſa in ipſum commiſſa, & ſupra offenſam fundatum diuerſæ rationis eſt à iure conuenienti hominibus, vel exigendi ſatisfactionem pro offenſa ipſis irrogata, vel ea, quæ ipſis aliſs titulis debentur, virtus inclinans ad ſatisfaciedum Deo, & ius illius per offenſam læſum reparandum diuerſæ rationis eſt à virtute inclinante ad ſatisfaciendum hominibus pro offenſa ipſis irrogata, & ad alia illis debita ad æqualitatem ſoluenda, & conſequentèr ſpecificè diſtinguitur à virtute iuſtitiæ erga homines. Conſequentia tenet à paritate rationis: antecedens autem conſtat; nam virtus inclinans ad ſeruanda Deo promiſſa eſt religio; virtus autem, qua hominibus promiſſa ſeruamus, eſt Fidelitas; ſed fidelitas, & religio ſpecificè diſtinguũtur: vndè, fracto voti, quod conſiſtit in promiſsione deliberata Deo facta, eſt peccatum ſpecificè diſtinctum à fractione ſimplicis promiſſionis, qua hominibus obligamur: ergo virtus inclinans ad Deo promiſſa ſeruanda diuerſæ ſpeciei eſt à virtute inclinante ad ſeruanda promiſſa hominibus.

124. *Effugiũ contrariorum.*

Per quod euertitur contrariorum effugium aſſerentium, iuſtitiam per ſe primò reſpicere æqualitatem alteri debitam, quod autem Deo, aut hominibus reddatur æquale, omninò materialitèr comparatur ad illam: vndè, non variatur ſpecificè virtus ex hoc, quod inclinet ad reddendum Deo æquale, & ad ius illius illæſum conſeruandum, vel læſum reparandum, & ad reddendum æquale hominibus debito in illorum iure fundato; materialis enim diſtinctio obiectorum non ſufficit ad multiplicandas ſpecie virtutes, ſed vna, & eadem ſpecificè virtus plura reſpicit ſpecie materiali diſtincta: ſicut vna, & eadem potentia ad omnia illa obiecta extenditur, quæ continentur ſub illius ratione formali obiectiua, quamvis inter ſe diſtinguantur materialitèr ſpecificè. Ex dictis, inquam, hoc effugium manet præcluſum; nam eadem ratione poſſet quis affirmare, religionem per ſe primò reſpicere rationem cultus, vt ſic, debitam alicui propter eius excellentiam; quod autem huic, vel illi debeatur, ſiuè creatura ſit, ſiuè Deus, de materiali ſe habere; ac proindè eadẽ virtute ſpecificè coli à nobis, & honorari Deum, parentes, ſuperiores, & homines iuſtos, quod Angelico Doctori, & communi Theologorum ſententiæ, aduerſatur. Et etiam eadem ratione poſſet quis affirmare, fidelitatẽ perſe primò reſpicere debitum ortũ ex promiſsione; quod autem promiſſio Deo, vel homini facta fuerit de materiali ſe habere, & conſequentèr eadem ſpecie virtute, Deo, & hominibus promiſſa ſeruari, quod falſum eſt, vt oſtendimus. Sicut ergo hoc aſſerere non licet, ita nec eſt aſſerendum materialitèr ad iuſtitiam ſe habere, quod Deo, aut hominibus æquale redatur, & quod ius Dei in ratione obiecti iuſtitiæ materialitèr ſolum à iure hominum diſtinguatur, ac proindè neceſſariò eſt aſſerendum, iuſtitiam ad Deum à iuſtitia erga homines ſpecificè diſtingui.

Præcluditur.

125. *Vltimo probatur concluſio.*

Denique principalitèr ſuadetur concluſio: nam ſpecifica differentia virtutum ſumitur præcipuè à ratione *ſub qua* obiecti ſpecificantis; ſed ratio formalis *qua*, vel *ſub qua* obiecti virtutis ſatisfactiuæ Chriſti eſt diſtincta ab obiecto formali, vel ratione formali *ſub qua* obiecti cuiuſcumque virtutis in puro homine reſidentis: ergo virtus ſatisfactiua Chriſti, illumque ad ſatisfaciendum inclinans eſt diuerſæ ſpeciei ab omni virtute, quæ in puro homine reperitur. Maior cum conſequentia tenet; minor autem, in qua ſola eſt poſita difficultas, probatur: obiectum formale *quo* virtutis ſatisfactiuæ Chriſti eſt aliquid increatum, nempè Deitas valorans illius operationes, per quam dignificantur formalitèr, cõſtituunturq; in ratione ſatisfactionis æqualis offenſæ irroga-

tæ

tæ Deo; sed nulla virtus residens in pura creatura à Deitate, vt valorante, & dignificante sumit specificationem: ergo obiectum *quo* formale virtutis satisfactiuæ Christi est distinctum ab obiecto *quo* formali omnis virtutis in pura creatura repertæ. Probatur maior: virtus satisfactiua Christi respicit vt proprium obiectum satisfactionem à Christo Domino exhibitã formalitèr vt æqualem offensæ, & ab illius æqualitate mouetur; sed satisfactio à Christo Domino præstita constituitur æqualis offensæ per Deitatẽ illam dignificantem, & valorantem: ergo respicit satisfactionem formalitèr vt à Deitate valoratam, & consequentèr respicit illam ratione Deitatis, vt obiecti *quo* formalis.

126. *Respõdebis primo.* Respondebis primò, virtutem inclinantem ad satisfaciendum in Christo non respicere per se primò æqualitatem satisfactionis theandricæ ab ipso exhibitæ vt talem, & prout distinctam ab æqualitate constituenda in alijs materijs, qua ratione prouenit à Deitate vt à forma, sed æqualitatem alteri debitam, illique reddendam, vt sic, abstrahendo ab omni materia, & ab omni subiecto, cui æqualitas est facienda, & cui est debita æqualitas: talem verò æqualitatem, nempè satisfactionis theandricæ à Christo Domino exhibitæ, Deoque ratione offensæ debitæ de materiali respicere: ac proindè, licet operationes Christi valorentur à Deitate vt à forma, ab illaque constituantur æquales offensæ irrogatæ Deo, non sequitur, Deitatem valorantem illas, & cum offensa adæquantem esse obiectum formale *quo* virtutis satisfactiuæ Christi, & ex qua pro hominibus satisfecit; si namque satisfactio ipsa Christi vt tali gaudẽs æqualitate materialitèr solum à prædicta virtute respicitur, forma talem præstans æqualitatem non potest esse obiectum formale *quo* illius: nam obiectum *quo* formale est id, quod vt forma cõstituit obiectum formale *quod*: ac proinde, si satisfactio Christi, vt æqualis offensæ non est obiectum *quod* formale virtutis satisfactiuæ, nec Deitas vt forma illam constituens æqualẽ potest esse obiectum formale *quo*.

127. *Contra primo.* Sed cõtra primò, nam bonitas diuina, & bonitas creata nõ possunt contineri sub ratione cõmuni specificante aliquam vnam virtutem, & ab illa inspecta primariò; si namque hoc esse posset, maximè esset respectu charitatis; quod tamẽ falsum est, cum obiectum charitatis non sit bonitas abstrahens à creata, & increata, sed bonitas diuinas illam terminat, & mouet primariò, secundariò autem extenditur charitas ad bonitatem creatam ratione bonitatis diuinæ, vt *tract. de charitate* docuimus, & tenet frequẽtior, veriorque Theologorum sententia: ergo æqualitas præstita à diuinitate vt à forma, & æqualitas proueniẽs ab aliqua entitate creata, nõ possunt cõtineri sub æqualitate in communi specificante aliquam vnam virtutem, ac per cõsequens eo ipso, quod virtus satisfactiua Christi respiciat æqualitatẽ sumptam à Deitate vt à forma, nõ potest illam respicere sub conceptu cõmuni sibi, & alijs æqualitatibus sumptis à forma creata, sed necessariò illam debet respicere per se primo: ex quo vlterius fit, vt satisfactionem æqualẽ à Christo Domino exhibitam, non de materiali respiciat, sed vt obiectum *quod* formale, & Deitatem illi, vt forma præstãtem æqualitatem, vt obiectum *quo* formale.

128. *Secũdo.* Contra secundo, & explicatur magis hoc ipsum: nam excellentia Dei, & excellentia creaturæ non continentur sub aliqua ratione communi specificante aliquam vnam virtutem, & ab illa primò inspecta, aliàs vna, eademque virtute Deum, & creaturas coleremus; & consequentèr Religio, pietas, obseruantia, & dulia non distinguerentur specificè, quod, vt proximè dicebam, D. Thom. & communi Theologorum sententiæ aduersatur: ergo æqualitas diuina, & æqualitas creata non possunt contineri sub aliqua ratione communi per se primò terminante habitudinem alicuius virtutis, illamque specificante, & consequentèr æqualitas diuina eo ipso quod ab aliqua virtute inspiciatur, nõ potest ab illa respici de ma-

reriali. Patet conſequentia à paritate rationis: tùm ſic; ſed æqualitas ſatisfactionis Chriſti cum offenſa Deo irrogata eſt æqualitas diuina, cum à diuinitate præſtetur; æqualitas autem hominibus debita, & reddita eſt æqualitas creata, cum à forma creata prouenial: ergo huiuſcemodi æqualitates non poſſunt conuenire in vna ratione communi terminante vnam virtutem, illamque ſpecificante, & conſequenter, eo ipſo, quòd ſatisfactio à Chriſto Domino exhibita, vt æqualis offenſæ irrogatæ Deo à virtute ſatisfactiua Chriſti inſpiciatur, non poteſt ab illa reſpici de materiali.

129. *Reſpõdebis ſecũdò.* Reſpondebis ſecundò, quòd licet nulla virtus in pura creatura exiſtens poſſit ſatisfactionem à Chriſto Domino exhibitam vt Deitate valoratam, & dignificatam per affectum efficacem reſpicere, illamque imperare, vtpotè voluntati puri hominis non ſubiectam; poteſt tamen homo purus in ſatisfactione Chriſti, quatenus Deitate valorata, & prout æquali offenſæ irrogatæ Deo æqualitate præſtita à diuinitate ſibi complacere, & virtus in huiuſcemodi actum ſimplicis complacentiæ inclinans erit eiuſdem ſpeciei cum virtute regulante Chriſti Domini ſatisfactionem, illamque efficacitèr imperante; cum enim ſimplex complacentia ſuper aliquod obiectum ſit eiuſdem ſpeciei in cõſideratione morali cum affectu efficaci ad illud terminato, conſequens ſit, vt poſſit terminare, & ſpecificare virtutem eiuſdem ſpeciei cum illa, quæ in affectum efficacem inclinat. Ita cenſet Recens quidam Theologus ſufficientèr argumento facto occurri.

130. *Reijcitur ſolutio.* Cæterum hæc ſolutio ex dictis præcluſa manet, & in hunc modum reijcitur: ſequitur namq; ex illa, temperantiam, & caſtitatem in Angelis reperiri, & quod magis eſt in Deo: conſequens quoad vtramque partem eſt contra communem Theologorum ſententiam: ergo ſolutio tradita non ſubſiſtit. Probatur ſequela: etſi nec Deus, nec Angeli poſſint in actus abſolutos, & efficaces circa materiam temperantiæ, & caſtitatis verſantes; poſſunt tamen in actibus temperantiæ, & caſtitatis ab hominibus elicitis circa materiam prædictarum virtutum complacere: ſicut dæmon complacet in peccatis, quæ ab hominibus in materia iſtarum virtutum committuntur: ergo ſi quòd purus homo in ſatisfactione theandrica à Chriſto Domino præſtita complacere ſibi poſſit, cum impotentia ad affectum efficacem illam imperantem ſufficit vt in illo conſtituatur virtus eiuſdem rationis cum illa, quam Chriſto ad ſatisfaciendum concedimus, & ex qua pro hominibus ſatisfecit, id ipſum ſufficiens erit, vt in Angelis, & in Deo virtus temperantiæ adſtruatur, & in Deo poterit virtus pœnitentiæ admitti, cum ſuper actum pœnitentiæ à peccatore elicitum ſibi complaceat, quod etiam communi Theologorum ſententiæ aduerſatur.

§. VII.

Quatuor argumentis occurritur, & explicatur, an Religio exiſtẽs in Chriſto ſit eiuſdem ſpeciei cum illa, quæ in hominibus iuſtis exiſtit?

131. *Arguitur primò.* CONTRA iſtam cõcluſionem arguitur primò: virtutes, quæ ſunt in anima Chriſti Domini nõ conueniunt illi immediatè ratione diuinitatis, ſeu ratione perſonalitatis Verbi terminantis humanitatem, ſed ratione gratiæ habitualis iuſtificantis, ad quam in veriori ſententia, vt ad principium phyſicæ dimanationis omnes virtutes ſequuntur: ſicut potentiæ animæ dimanatiuè ſequuntur ad illam; ſed gratia habitualis in Chriſto, & in puro homine eiuſdem rationis eſt quoad phyſicam

enti-

entitatem, secundum quam rationem ad illam consequuntur virtutes: ergo nō potest virtus aliqua existere in anima Christi, quæ in hominibus iustis non sit, & consequentèr virtus satisfactiua Christi illius satisfactionem regulans, & imperans non potest specie distingui ab omni virtute existente in puro homine. Secunda consequentia ex prima euidentèr colligitur; prima autem probatur; nam stante eodem principio dimanationis, etsi possit impediri dimanatio alicuius virtutis ob subiecti incapacitatem, quo pacto in Christo fides, spes, & pœnitentia à gratia habituali non dimanant, quia illarum capax non est; non tamē potest noua virtus resultare præter illas, quæ ex tali principio suaptè natura dimanare possunt, illudque concomitantur, in quocumque subiecto existat: ergo si virtutes omnes consequuntur physicè ad gratiam, & ab illa physicè dimanant, & gratia eiusdem rationis est in Christo, & in puro homine, non potest ad illam consequi aliqua virtus in Christo, quæ in puro homine non reperiatur.

Cōfirmatur. Explicatur, & vrgetur; nam virtutes omnes, quæ in humanitate Christi manerent, casu in quo dimitteretur à Verbo, & dissolueretur vnio, comitantur gratiam habitualē puræ creaturæ, cum in tali casu humanitas pura creatura maneret; sed virtus ista satisfactiua Christi perseueraret in illius humanitate casu, in quo à Verbo dimitteretur, vnioque dissolueretur, cum perseueraret in illa gratia habitualis, ad quam virtutes sequuntur eiusdem prorsus rationis quoad physicam entitatem: ergo hæc virtus comitatur gratiam habitualem puri hominis, & existit in illo.

132. *Respōdetur.* Respondeo, concessa maiori, & minori, negando consequentiam: ad cuius probationem dicatur, gratiam habitualem iustificantem esse ex se, & suaptè natura indifferētem ad existendum in subiecto capaci æqualis satisfactionis cum offensa Deo irrogata, & in subiecto incapaci ad præstandum æqualem satisfactionem: sicut est de se, & ab intrinseco indifferens ad existendum in subiecto capaci credendi fide diuina, sperandi, & pœnitendi, & in subiecto incapaci ad huiusmodi actus: vndè, sicut ad gratiam habitualem existentem in subiecto capaci ad actus fidei, spei, & pœnitentiæ consequuntur fides, pœnitentia, & spes: secus autem ad illam, vt existētem in subiecto incapaci ad prædictos actus eliciendos, vt constat in Christo Domino ad cuius gratiam habitualem non sequuntur istæ virtutes: ita similitèr iustitia commutatiua in ordine ad Deum consequitur ad gratiam habitualem vt existentem in Christo; quia Christus est capax præstandi æqualē satisfactionē cū offensa Deo irrogata, quæ est obiectum iustitiæ perfectè satisfactiuæ, non verò ad gratiam habitualem iustorum, quia incapaces sunt præstandi æqualem satisfactionem. Nec video, cur ad gratiam iustificantem in puro homine existentem resultare possint virtutes, quæ in Christo ad illam non cōsequuntur, & non possit ad gratiam habitualem existentem in anima Christi Domini, consequi aliqua virtus, & ab illa dimanare, quæ non dimanet à gratia habituali iustorum: sicut enim in hoc casu fit additio dimanationis, cōparatione facta Christi ad puras creaturas, quandoquidem aliqua virtus sequitur ad gratiam existentē in Christo, quæ non sequitur ad gratiam existentem in illis: ita in primo casu fit additio dimanationis aliquarum virtutum, facta comparatione creaturarum ad Christum, quandoquidem ad gratiam illarum cōsequuntur aliquæ virtutes, quæ non consequuntur ad gratiam existentem in Christo, quamuis gratia habitualis in Christo, & in alijs iustis existens eiusdem rationis sit, quoad physicam entitatem.

Cuidam obiectioni occurritur. Nec sequitur; gratiam habitualē ex defectu illius virtutis esse in hominibus iustis in statu inconnaturali, aut violento; quia ob dictam indifferentiam non petit in omni subiecto resultantiam talis virtutis, aut eius dimanationē, sed solum in Christo Domino: sicut nec in Christo gratia habitualis est in statu inconnaturali, aut

violento, ex eo, quòd non dimanent ab illa fides, spes, & pœnitentia, quia hon petit tales virtutes vniuersaliter in omni subiecto, sed solum in puro homine, in quo ad illas capacitas inuenitur: & hoc non in omni statu, nã in statu beatitudinis spes, & fides nõ manent.

Ad cõfirmationẽ respondetur.

Et ex his ad confirmationem, concessa maiori, nego minorem; quia licet gratia habitualis perseuerans in humanitate dimissa esset eiusdem rationis quoad physicam entitatẽ; quia tamen humanitas à diuino Verbo dimissa capax non esset præstandi æqualem satisfactionem, quæ est obiectum iustitiæ perfectè satisfactiuæ, hæc virtus non perseueraret in illa; sicut in eodem casu ad gratiam habitualem nouæ consequerẽtur virtutes, nempè fides, spes, & pœnitentia, quæ in humanitate Verbo hypostaticè vnita non erant, nec ab illius gratia dimanabant, quia humanitas à Verbo dimissa capax esset credẽdi fide diuina, sperandi, & pœnitendi, qui sunt actus prædictas specificantes virtutes: sicut etiam dissoluta vnione, capax esset ad peccandum, quæ potentia, vel capacitas in humanitate vnita Verbo non erat.

133. *Secundo arguitur.*

Secundo arguitur: ius diuinum, vt illæsum conseruandum, & læsum reparandum est obiectum iustitiæ satisfactiuæ Christi; sed hoc ipsum est obiectum virtutis pœnitentiæ: ergo virtus satisfactiua Christi est eiusdem speciei cum virtute pœnitentiæ. Consecutio est legitima; cum enim virtutes speciem ab obiectis sortiantur, illæ virtutes, quarum vnum est obiectum, sunt vnius, & eiusdem speciei: ergo si idem est obiectum pœnitentiæ, & virtutis satisfactiuæ Christi, virtutes istæ nõ distinguũtur specificè. Maior autẽ probatur; nam iustitia hominis ad hominem non habet pro obiecto ius humanum solum vt reparãdum læsum, sed etiam vt conseruandum illæsum: ergo obiectum iustitiæ Christi in ordine ad Deum non est ius diuinum præcisè vt reparandum læsum, sed etiam vt illæsum conseruandum, & ex his probatio minoris habetur; pœnitentia namque est pars iustitiæ in ordine ad Deum, quamuis non perfecta, & subiectiua, sed imperfecta, & potentialis, vt docet D. Thom. in hac 3. p. *infra q. 85. art. 3.* sed iustitia humana, hoc est, hominis ad hominem non habet pro obiecto ius hominis præcisè, vt reparandum læsum, sed etiam illud respicit vt illæsum conseruandum: ergo obiectum pœnitentiæ non est ius diuinum tantum vt læsum reparandum, sed etiam vt seruandum illæsum. Et vtriusque probatio vrgeri, & confirmari potest; nam ius humanum, vt conseruandum illæsum, & læsum reparãdum pertinet ad eandem speciem virtutem: ergo id ipsum de diuino iure est dicendum, quòd nẽpè sub vtraque cõsideratione ad eandem virtutem pertineat, & ab eadem virtute intendatur, & consequenter tam virtus satisfactiua Christi, quam virtus pœnitentiæ, habebunt pro obiecto motiuo, non solum iuris diuini læsi reparationem, sed etiam eiusdem illæsi conseruationem.

S. Tho.

Cõfirmatur.

Hoc argumentum tangit difficultatem de obiecto formali pœnitẽtiæ, de qua fusè agitur *infra q. 85. art. 2.* vbi frequentior Thomistarum sententia, & aliorum Theologorum assignat pro formali obiecto illius, per quod ab alijs virtutibus distinguitur, & in ratione specialis virtutis constituitur, non ius diuinum in prædicta communitate, nempè vt conseruandum illæsum, & reparãdum læsum, sed ius speciale Dei aduersus homines illos puniendi, & satisfactionem ab illis exigendi supra offensam ipsi irrogatam fundatum, & peccati compensationem. Cæterum hæc difficultas præsentis instituti non est, & ideo ad argumentum factum, prætermissa maiori, distinguo minorem: obiectum pœnitentiæ est ius diuinum, vt illæsũ conseruandum, & vt læsum reparandum ad æqualitatem, seu per satisfactionem æquiualentem, & æqualem cum offensa, nego minorem: vt reparandum per satisfactionem inæqualem iniuriæ irrogatæ Deo, transeat minor, & nego consequentiam; nam eo ipso quòd obiectum pœnitentiæ sit ius diuinum inæqualiter reparan-

134.

Respõdetur.

dum

dum pœnitentia est pars imperfecta, & potentialis iustitiæ, & consequenter distincta specie à virtute satisfactiua Christi, quæ est pars iustitiæ perfecta, & subiectiua, vt probauimus. Nec conuenient in obiecto formali; nam obiectum virtutis satisfactiuæ Christi est ius diuinum, vt perfectè, & ad æqualitatem reparandum: sic autè sumptum, distinguitur in ratione obiecti à se ipso, vt imperfectè, & inæqualiter reparando, qualiter à virtute pœnitentiæ respicitur.

135. *Replicabis primò.* S. Tho.

Sed obijcies contra istam solutionem primò D. Thom. 2.2.q.81.art.6. *ad* 1. vbi, cum ad probandum Religionem non esse præferendam omni virtuti morali, sic obiecisset: *Perfectio virtutis consistit in hoc, quòd attingit medium; sed religio deficit in attingendo medium iustitiæ, quia non reddit Deo omnino æquale: ergo religio non est potior alijs virtutibus moralibus.* Huic difficultati ita respondet. *Ad primum dicendum, quòd laus virtutis in voluntate consistit, non autem in potestate; & ideo deficere ab æqualitate, quæ est medium iustitiæ, propter defectum potestatis non diminuit laudem virtutis, si non fuerit defectus ex parte voluntatis.* Hæc D. Thom. Quibus verbis videtur tradidisse eandem doctrinam, quam Nos *supra* ex Patre Suarez retulimus, & impugnauimus, & ex ipsis infertur, reddere æquale in affectu sufficere ad rationem iustitiæ, & consequenter licet virtus pœnitentiæ æquale in effectu pro iniuria Deo irrogata non reddat ex defectu potestatis, dummodo non sit defectus ex parte voluntatis, erit perfecta iustitia, & eiusdem speciei cum virtute satisfactiua Christi, quamvis hæc æquale in effectu reddat, quia in Christo defectus potestatis ad reddendum Deo æquale non est.

Secundò. Secundò, nam ad minus pro peccatis venialibus homo purus ad æqualitatem satisfacit, vt *disput.* 2. cum cõmuni sententia docuimus, eo quòd peccatum veniale, cum non grauis, sed leuis offensa sit, non excedit dignitatem satisfactionis à pura creatura præstabilis vt per Dei gratiam formatæ: ergo virtus inclinans in puro homine ad satisfaciendum pro peccatis venialibus est pars perfecta, & subiectiua iustitiæ, vtpotè in satisfactionẽ æqualem inclinans, & consequenter erit eiusdem speciei cum virtute satisfactiua Christi, quandoquidem in doctrina solutionis prolatè tradita, ideo pœnitentia non est eiusdem speciei cũ virtute, ex qua satisfecit Christus, quia non est pars perfecta, & subiectiua iustitiæ, nec in satisfactionem æqualem offensæ mortali inclinat.

136. *Ad primã replicam respondetur* S. Tho.

Respondeo ad primam replicam admissa, vt iacet, doctrina D. Thomæ, negando sequi ex illa, quòd ad rationem partis perfectæ, & subiectiuæ iustitiæ sufficiat reddere æquale in affectu cum inæqualitate in effectu ex defectu potestatis; hoc enim expresè aduersatur doctrinæ eiusdem Angelici Præceptoris 2.2.q.80.art.1. vbi docet, religionẽ esse partẽ non subiectiuam, sed potentialẽ iustitiæ, eo quòd nõ reddit æquale Deo, quod intelligẽdũ est in effectu, nam in affectu simplici, & inefficaci potest reddi ab homine puro æquale, & consequenter non ex defectu æqualitatis in affectu, sed ex defectu æqualitatis in re, excluditur religio in sententia D. Thom. à ratione partis perfectæ, & subiectiuæ iustitiæ. Cum ergo in *solutione allegata* docet, virtutem non inclinantẽ ad æquale in effectu ob impotentiam subiecti, dummodo non sit ex parte voluntatis defectus, non deficere à laude virtutis, nec virtutis laudem ex solo defectu æqualitatis realis per illam constitutæ diminui, non intendit, talem virtutem perfectam rationẽ iustitiæ obtinere, aliàs sibi ipsi aduersaretur; & contradictoria doceret, sed solum intendit ex defectu æqualitatis exhibitæ in re ratione incapacitatis subiecti, & non ob contrariam voluntatem, vel ex voluntatis defectu laudem, & meritum virtutis, illiusque moralem honestatem, & perfectionem non minui, vt per hoc saluet, religionem, etsi in ratione iustitiæ ita perfecta non sit, ac sunt in ratione iustitiæ perfectæ partes subiectiuæ illius; in ratione tamen virtutis, honestatis, & laudabilitatis illis posse præferri, quia quòd

ipsa

ipsa æquale non reddat, non prouenit ex defectu voluntatis, quod eius laudabilitatem minuerit, sed ex defectu facultatis subiecti, quod illius laudabilitatem, & honestatem moralem non minuit.

137. *Ad secundã replicã respõdet communiter Thomistæ.*

Ad secundam replicam communis nostrorum Thomistarum solutio est, satisfactionem pro peccatis venialibus non esse actum primarium alicuius virtutis in homine puro existentis, sed esse actum secundarium pœnitentiæ, quæ primario inclinat ad satisfaciendum pro peccatis mortalibus, & illorum destructionem; secundariò autem ad satisfaciendum pro peccatis venialibus, & in destructionem illorum; ideoque etsi satisfactio ab homine iusto præstita pro peccato veniali formata, & valorata per gratiam iustificantẽ sit illi æquiualens, & æqualis, non datur in homine iusto virtus satisfactiua, quæ sit pars perfecta, & subiectiua iustitiæ, nam species cuiuscumque virtutis non sumitur ab actu secundariò, sed ab illo, quem primariò respicit, & in quem primariò inclinat: sicut non ab obiecto secundariò, sed ab obiecto primariò in pecto specificantur potẽtiæ, & virtutes: vndè, licet pœnitentia secundariò inclinet ad præstandam pro venialibus æqualem satisfactionem, ex hoc respectu, vel inclinatione non mutat speciem virtutis: ac proindè non potest ex illa sortiri rationem partis perfectæ, & subiectiuæ iustitiæ, aliàs ex actu, & obiecto secũdariò nouam, & distinctam speciem reciperet ab illa, quam ex actu primariò sortitur. Alia illius obiectionis solutio ex dicendis ad tertium argumentum constabit.

138. *Instabis contra illam solutionem.*

Pungit tamen contra hanc doctrinam scrupulus sanè non leuis: nam actus, quo homo iustus vult Deo satisfacere pro peccato veniali satisfactione æquali, & perfecta, repararet; ad æqualitatem ius diuinum læsum per peccatum veniale, est actus perfectus iustitiæ: ergo non procedit secundariò à pœnitentia, sed procedit primariò ab aliqua virtute per se primò in illum inclinante, & consequentèr, quæ sit pars perfecta, & subiectiua iustitiæ. Hæc secunda consequentia ex prima colligitur, nã virtus per se primò inclinans in actum iustitiæ perfectum iustitia perfecta est; prima verò ex antecedenti infertur: tùm, quia omni actui honesto speciali honestate correspondere debet virtus ab illo specificata, & ad illum primariò terminata: ergo si actus ille est honestus honestate speciali, nempè honestate iustitiæ perfectæ, constituenda est pro principio elicitiuo illius virtus primariò in illum inclinans. Tùm etiam, nam actus gaudens honestate iustitiæ simplicitèr tali, nõ potest elici à virtute, quæ sit pars imperfecta, & potentialis iustitiæ, cum iustitia perfecta, & iustitia potentialis specificè distinguantur; actus autem vnius virturis non possit ab alia, etiam secundariò procedere: sicut actus spei non potest, etiam secundariò, procedere à charitate, neque è contra actus charitatis potest à virtute spei procedere secundariò. Antecedens autem probatur: sicut enim iustitia simplicitèr talis est, quæ inclinat in æquale simplicitèr: ita actus ille est actus honestus honestate iustitiæ simplicitèr talis, per quem æquale simplicitèr constituitur; sed satisfactio ab homine iusto præstita pro peccato veniali est illi æquiualens, & æqualis simplicitèr: ergo gaudet honestate actuali iustitiæ.

139. *Respõdetur.*

Huic obiectioni sustinendo communem Thomistarum doctrinam, de qua *infra q. 85. art. 3.* respondeti potest, negando antecedens, quòd nempè, actus, quo homo iustus vult Deo satisfacere pro peccato veniali, gaudeat honestate iustitiæ, quæ talis simplicitèr sit: ad cuius probationem dicatur, ad rationem perfectam iustitiæ tam in actu, quam in habitu non sufficere solam æqualitatem, sed insuper necessarium esse debitum simplicitèr tale, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 80. *art.* 1. inferens ex hac doctrina *q.* 109. *art.* 3. virtutem veritatis non esse partem subiectiuam, sed potentialem iustitiæ, quia licet per illam æqualitas cõstituatur: *Deficit autem*, inquit Divus Thom. *à propria ratione iustitiæ, quan-* S. Tho.

tum

tum ad rationem debiti : non enim hæc virtus attendit debitum legale, quod attendit iustitia, sed potius debitum morale, in quantum, scilicet, ex honestate vnus homo alteri debet veritatis manifestationem. Verba sunt D. Thomæ. Ex quibus apertè constat ad rationē perfectam iustitiæ, nō sufficere, quòd per illam constituatur æquale, sed insuper etiam requiri debitum simpliciter tale: vndè, licet satisfactio ab homine iusto præstita pro peccato veniali sit illi æquiualens, & æqualis, non sequitur, gaudere honestate perfecta iustitiæ, quia deficit aliud requisitum ad huiusmodi honestatem, nempè debitum tale simpliciter; cum enim peccatum veniale sit iniuria, & offensa Dei, non simpliciter, sed secundum quid, non potest ex illo oriri debitum tale simpliciter satisfaciendi Deo, sed solum secūdum quid, ideoque potest à virtute pœnitentiæ secundariò procedere, quamuis non sit pars perfecta, & subiectiua iustitiæ, sed contineatur sub illa, vt pars imperfecta, & potentialis.

140 *Tertio arguitur.* Tertio arguitur: etenim datur in nobis iustitia stricta infusa in ordine ad Deum: at ista virtus est eiusdem speciei cum illa, ex qua Christus Dominus pro hominibus satisfecit, eiusque satisfactionem imperauit, & regulauit: ergo virtus satisfactiua Christi non est specie distincta ab omni virtute in puro homine existente. Consequentia est bona; vtraque autem præmissa indiget probatione. Maior exindè constat: qui enim honorem Deo abstulit dicendo, esse iniustum, mendacem, aut non omnipotentem, vel aliam Dei excellentiam negādo, aliisque falsitates illas prædicando, tenetur ex stricta iustitia ad restituendum honorem à Deo ablatum sua dicta retractando, & oppositas veritates suadendo, non minus, quam ille, qui alterius hominis honorem violauit, cum non minus habeat Deus ius strictum ad suum honorem, quam homo habet ad suum: ergo datur in nobis virtus strictæ iustitiæ inclinans ad nō auferendum honorem à Deo, & ad illū ablatum restituendum. Minor etiam probatur: nam obiectum huius virtutis est ius strictum Dei illæsum conseruandum, & læsum ad æqualitatem reparandū; sed virtus satisfactiua Christi hoc ipsum ius, vt illæsum conseruandum, & læsum reparandum habet pro obiecto: ergo virtus illa eiusdem speciei est cum virtute, ex qua Christus Dominus satisfecit, illiusque satisfactionem regulauit, & imperauit.

141 *Respondebis.* Respondebis, negando maiorem, quòd scilicet detur in homine iusto virtus stricta iustitiæ penès ordinem ad Deum; honor enim Dei, siuè vt cōseruandus illæsus, siuè vt læsus reparandus à virtute religionis respicitur. Quod patet; nam iuxta D. Thom. 2. 2. q. 117. *art. 3. in corpore.* S. Tho. omnia illa, quæ directè pertinent ad irreuerentiam Dei, religioni opponuntur; nihil autem magis directè pertinet ad Dei irreuerentiam, quam ab illo honorē auferre, eius honorem minuere, aut violare, falsum aliquid contra illius perfectiones suadendo, & consequenter diuini honoris violatio, vel diminutio directè religioni aduersatur. Præterea, nam sicut honorare parentes pertinet ad virtutem pietatis: ita honorare Deum, eiusque honorem illæsum conseruare, pertinet ad religionem: ergo sicut inhonorare parentes opponitur virtuti pietatis inclinati in honorem illis debitum à filijs: ita inhonoratio Dei opponitur religioni inclinanti in honorem Deo debitum ab omnibus. Cum autem virtus quælibet vitio sibi opposito auersetur, & in illius destructionem inclinet, ad religionem spectabit honorem à Deo ablatum restituere, læsumque reparare, & non ad iustitiam specialem, quæ sit pars perfecta, & subiectiua iustitiæ.

142 *Reiicitur solutio.* Cæterum contra hanc solutionē, & solutionis doctrinam obstat, non minus distare ius dominij proprietatis, quod Deus habet ad suum honorem, & famam à iure excellentiæ suprēmæ ex ratione primi, & vniuersalis principij creationis, & gubernationis, quod esse religionis obiectum docet D. Thom. 2. 2. q. 81. *art. 3. & 4.* S. Tho. quam ius legislationis, seu iurisdictionis

nis ſupremæ, quod eſt obiectum obedientiæ; ſed ob diſtantiam iuris legiſlationis, & iuriſdictionis à iure excellentiæ, obedientia eſt virtus à religione diſtincta, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 104. *art.* 2. ergo ob diſtantiam iuris
S. Tho. dominij proprietatis à iure excellentiæ virtus inclinans ad ius dominij proprietatis cõſeruandum illæſum, & reparandum læſum, illumque habens pro obiecto, erit ſpecie diſtincta à virtute religionis, quæ pro obiecto habet ius Dei ſupra illius excellentiam fundatum, & cõſequenter non ad religionem, ſed ad virtutem ſpecie ab illa diſtinctam pertinebit, honorem à Deo ablatum ipſi reſtituere. Nec oppoſitum conuincitur, ex eo, quòd auferre à Deo honorem religioni opponatur, poteſt enim religioni opponi, & ſimul ſtrictæ iuſtitiæ; blaſphemia namque opponitur fidei: vndè Divus
S. Tho. Thomas 2. 2. q. 13. *art.* 3. blaſphemiam inter vitia fidei oppoſita numerauit; & tamen etiam religioni aduerſatur: vndè, blaſphemia hæreticalis habet duplicem malitiam ſpecificè diſtinctam neceſſariò in cõfeſsione aperiendam, vnam ex oppoſitione cum fide, aliamque ex oppoſitione cũ virtute religionis: poterit ergo inhonoratio Dei, quamuis religioni opponatur, opponi etiam iuſtitiæ ſpeciali inclinanti ad ius dominij proprietatis, quod Deus ad ſuum honorem habet illæſum conſeruandum, & læſum ad æqualitatem reparandum.

143. *Vera ſolutio.* Quidquid tamen ſit de veritate ſolutionis traditæ, quod determinare ad præſens inſtitutum non attinet, ad tertium argumẽtum reſpondeo, prætermiſſa maiori, negando minorem: ad illius probationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: virtus ſatisfactiua Chriſti, habet pro obiecto ius Dei, vt læſum reparandum per actiones theandricas, & Dei viriles à diuinitate dignificatas, & valoratas formaliter, concedo minorem: per actiones purè humanas, & dignificatas ab aliqua forma creata, nego minorem, & conſequentiam; nam cum motivũ virtutis ſatisfactiuæ Chriſti ſit æqualitas compenſationis cum offenſa Deo irrogata, & huiuſcemodi æqualitas in eius ſatisfactione à valore ſumpto à diuinitate vt forma proueniat, fit conſequens, vt obiectum formale virtutis ſatisfactiuæ Chriſti ſit aliquid increatum, nempè diuinitas ipſa eius ſatisfactionem dignificans, & valorans, vt. §. *præcedenti* arguebamus: ac proindè, quòd ſpecie diſtinguatur ab omni virtute ſatisfactiua reſidente in puro homine, & etiam à iuſtitia infuſa inclinante ad honorem Deo reſtituendum in puro homine prætermiſſa, quarum obiectum formale Deitas eſſe non poteſt, nec aliquid increatum, ſed æqualitas perfecta, vel imperfecta ſumpta ab aliqua forma creata.

144. *Secũdò reſpondetur.* Vel ſecundo ad minoris probationem reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem, quòd nempè ipſum ius Dei, quod vt læſum reparandum reſpicitur à iuſtitia ſtricta reſidente in homine iuſto, reſpiciatur etiam à virtute ſatisfactiua Chriſti, ſed aliud diuerſum ius eſt iſtius virtutis obiectum, pro cuius explicatione aduerto in Deo præter ius dominij proprietatis, quod habet ad ſuam formam, & honorem, dari aliud diuerſum, & ſpeciale ius ſupra offenſam ipſi irrogatã fundatum, & ex illa aduerſus peccatorem cõſurgens, vt Deo ſatisfaciat pro offenſa, quam in ipſum commiſit. Quod patet; nam ille, qui blaſphemãdo Dei honorem denigrauit, duplici obligatione tenetur: prima ad reſtituendum honorem à Deo ablatum, & hæc obligatio inſtat ſtatim, atque honor aufertur à Deo: ſicut obligatio reſtituendi homini honorem ab ipſo ablatum inſtat ſtatim, atque honor aufertur ab homine: ſecũda obligatio eſt ad ſatisfaciendum Deo pro offenſa in ipſum commiſſa, & hæc non eſt ad ſtatim ſatisfaciendum, alias præceptum pœnitendi poſt offenſam Deo irragatam ſemper, & pro ſe ſemper inſtaret, quod eſt falſum, & cõtra communem Theologorum ſententiam. Datur ergo in Deo ius proprietatis ad proprium honorẽ, & famam, & hoc ius attenditur à iuſtitia infuſa nobis inclinante ad reſtitutionem æqualem honoris diuini ablati, & aliud

diſtin-

distinctum ius supra offensam ipsi irrogatam fundatum ad puniẽdum peccatorem pro offensa in ipsum commissa, & ad exigendam satisfactionem pro illa: & hoc ius est, quod respicitur a virtute pœnitentiæ, & à virtute satisfactiua Christi: ab illa vt imperfectè refarciendum, & ideo non est pars subiectiua, sed potentialis iustitiæ: ab ista verò vt refarciendum ad æqualitatem, & per æqualem compensationẽ, & ideo est pars iustitiæ perfecta, & subiectiua, distincta tamen à iustitia infusa, quam disputationis gratia, & non cum discussione doctrinæ admittimus in homine iusto, quia hæc primum ius attendit, & non tam satisfactiua, quam restitutiua est dicenda.

145. *Quarto arguitur.*

Quartò arguitur: nã sequitur ex nostra sententia, & ex hucusque dictis in defensione illius, religionem Christi, & nostram, esse distinctæ speciei: consequens est falsum: ergo falsa est nostra conclusio. Probatur sequela; ex eo enim probauimus, virtutem pœnitentiæ specificè distingui à virtute satisfactiua Christi, quia pœnitentia inclinat in satisfactionem imperfectam, & inæqualem offensæ irrogatæ Deo, ideoq; nõ est pars subiectiua, & perfecta, sed imperfecta, & potentialis iustitiæ; virtus autem satisfactiua Christi inclinat in satisfactionem æqualem, & æquiualentem offensæ: vnde continetur sub iustitia tanquam pars perfecta, & subiectiua; partes autem potẽtiales iustitiæ à partibus subiectiuis illius specificè distinguuntur; sed etiam religio nostra inclinat in cultum inæqualem debito ex religione; religio autem Christi inclinat in cultum æqualem debito ratione valoris à persona Verbi desumpti: ergo ex doctrina à Nobis tradita sequitur, virtutem religionis existentem in anima Christi specificè ab illa, quæ in nobis existit distingui. Deindè falsitas consequentis probatur: si namque religio Christi, & nostra specificè differrent, omnis virtus existens in Christo esset diuersæ speciei à virtutibus hominis puri, cũ omnis virtus in anima Christi residens inclinet in actiones theandricas, & valoratas à persona Verbi, in quas virtutes hominis puri inclinare non possunt: consequẽs est falsum; nullus enim Theologorum inter charitatem Christi, & nostram specificam distinctionem agnouit, aliàs gratia habitualis Christi specificè à nostra differret, quod cõmuni Theologorum sententiæ aduersatur, cum etiam gratia habitualis in Christo radicaliter inclinet in actiones infinitè dignificatas à Verbo, ad quas non inclinat in nobis: ergo falsum etiam est, religionem Christi, & nostram specificè distingui.

146. *Respõdebis.*

Respondebis, concedendo sequelam, & negando minorem: ad cuius probationem negabis paritatem rationis: disparitas autem est, nam etsi aliæ virtutes, v. g. charitas, & misericordia in Christo actus infinitè valoratos à persona Verbi eliciant, & in illos inclinent, non tamen habent pro obiecto valorẽ à persona Verbi sumptum, nec diuinitatem illis præstantẽ valorem, sed idem ipsum obiectum habet virtus charitatis in Christo, quod habet charitas nostra, videlicet bonitatem diuinam vt ratione sui in se super omnia diligibilem, idemque est de alijs virtutibus dicẽdum, & ideo aliæ virtutes non distinguuntur specificè in Christo, & in homine puro: & eadem ratione gratia habitualis Christi non distinguitur specificè à gratia habituali iustorum: & insuper quia essentia gratiæ habitualis consistit in hoc, quòd sit participatio diuinæ essentiæ, & naturæ, prout est radix videndi, & amandi Deum: & quia ratio ista non variatur per hoc, quòd in Christo sit, vel in nobis, consequens fit, quòd gratia habitualis Christi non distinguatur specificè à gratia habituali nostra. Religio autem Christi respicit cultum ab ipso exhibitum Deo, quatenus valoratum, & dignificatum à Verbo, adæquãtemque debitum ex religione: ex quo vlterius fit, vt respiciat Deitatẽ valorantẽ tanquam obiectũ formale; ac proindè, quòd differat specificè à religione nostra inclinante in cultum inæqualem debito, cuius dignitas, & valor ab aliquo creato sumuntur.

Sed

147. *Contra primo.*

Sed contra primò, nam sequitur ex hac solutione, religionem Christi esse partem subiectiuam iustitiæ: consequens est falsum: ergo & tradita solutio. Falsitas consequentis patet; nã S. Thom. 2. 2. q. 80. *art.* 1. de religione absolutè, & vniuersaliter loquens docet, esse partem potentialem iustitiæ; si autẽ religio Christi esset pars iustitiæ subiectiua, & religio nostra pars potentialis, non deberet ita vniuersaliter loqui, sed inter vtramque distinguere: ergo, religionem Christi specificè à nostra distingui, D. Thomæ, & veritati aduersatur. Sequelã autem probo; ex eo namque religio nostra non est pars subiectiua, sed potentialis iustitiæ, quia Deo cultũ æqualẽ nõ reddit, sed deficit abæqualitate simpliciter, vt ibidem docet D. Thom. & cum illo Theologi communiter: ergo si religio Christi in cultum æqualẽ quatenus æqualem inclinat, erit pars perfecta, & subiectiua iustitiæ.

S. Tho.

148 *Secũdo.*

Secundò, nam D. Thom. 2. 2. q. 81. *art.* 3. exindè probat, religionem esse vnam virtutem specificè, quia ad religionem pertinet exhibere cultum vni Deo secundum vnam rationem, in quãtum scilicet est primum, & vniuersale principium creationis, & gubernationis; sed hæc ratio probat religionem Christi, & nostram esse eiusdem speciei: ergo religio Christi non differt specificè à nostra. Maior cum consequentia tenet; minor autem probatur; nam etiam virtus religionis in Christo exhibet cultũ vni Deo, prout est primum principium creationis, & gubernationis: ergo respicit idem obiectum, quod à religione nostra respicitur, & consequenter non differt specificè ab illa, cum vnitas, & distinctio specifica virtutum ex obiectis desumantur, & consequenter cum identitate obiecti starenon posit inter virtutes distinctio specifica. Et quidem, vt proximè dicebamus, ideo charitas Christi, & nostra non distinguuntur specificè, quia habẽt idem obiectum, scilicet bonitatem diuinam, vt in se, & propter se diligibilem: ergo si religio Christi in eandem excellentiam Dei colendam inclinat, quam respicit nostra religio, non potest inter illas dari distinctio specifica.

S. Tho.

Deniq; nam ex solutione tradita sequitur, religionem Christi esse eiusdem speciei cum virtute, per quam pro hominibus satisfecit: consequens aduersatur dictis *conclus.* 2. ergo solutio tradita defendi non potest ab his, qui Nobiscum *in dicta concl.* conueniunt. Sequela probatur primò: vt enim primò arguebamus, ex solutione data sequitur, religionem Christi esse partem subiectiuam iustitiæ; sed non est iustitia distributiua, aut legalis: ergo est iustitia commutatiua, & consequenter eiusdem speciei cum illa virtute, per quam Christus satisfecit, quam probauimus, esse iustitiam commutatiuam. Secundo probatur sequela, nam iuxta hanc solutionem virtus religionis Christi specificatur à cultu Deo ab ipso exhibito reduplicatiuè vt à persona Verbi valorato, & significato, & virtus satisfactiua à satisfactione præstita à Christo quatenus ab eadem Verbi persona dignificata, & valorata; sed forma valorans cultum, & satisfactionem dignificans eadem est, nempè diuinitas, aut personalitas Verbi: ergo religio, & virtus satisfactiua habent idem obiectũ formale, & consequenter cõueniunt specificè.

149 *Tertiõ.*

Vndè, prætermissa hac solutione ad quartum argumẽtum respondeo, negando sequelam, quòd nempè ex nostra doctrina sequatur, religionem Christi, & nostram esse diuersæ speciei: ad illius probationem dicatur, esse manifestum discrimen consistens in eo, quòd religio habet pro obiecto formali *quo* excellentiam diuinam, & rationẽ vnicam primi principij, creationis, & gubernationis, & cum hæc ratio eadẽ sit respectu religionis Christi, & nostræ, fit consequens, esse eiusdem speciei; virtus autem satisfactiua habet pro obiecto offensam, vt compensabilem, seu offensæ compensationem. Vndè, cum virtus satisfactiua Christi respiciat compensationem æqualem, nostra autem inæqualem compensationem respiciat, fit consequẽs, quòd inter vtramque specifica

150 *Vera solutio.*

cifica differẽtia verſetur. Præterquàm quòd falſum eſt, cultum Deo à Chriſto exhibitum eſſe ad æqualitatem cũ excellentia diuina: vt enim *diſput. 3.* docuimus, etſi merita Chriſti prout à perſona Verbi valorata adæquẽt præmium per communicationem infinitum, non tamẽ adæquarent præmiũ, quod per eſſentiam infinitum eſſet: ex quo intulimus, quòd ſi eſſe Dei ſecundum ſe poſſet rationem præmij obtinere, non poſſet cadere ſub condignitate meritorum Chriſti, quæ ſolum infinita ſunt infinitate per communicationem. Cum ergo excellentia diuina infinita ſit per eſſentiam, conſequẽs fit, quòd cultus à Chriſto exhibitus, etiam vt à perſona Verbi valoratus illam adæquare nõ poſsit: ac proindè, quòd religio Chriſti non ſit pars ſubiectiua, ſed potentialis iuſtitiæ.

151. *Obiicies* Si opponas id, quod ſupra *diſput. 4.* aſſeruimus, nempè, Chriſtum Dominum ad æqualitatem reddidiſſe gratias Deo pro beneficijs in humanitate ſuſceptis; ſed gratiarum actio Deo pro beneficijs ab ipſo ſuſceptis actus religionis eſt, & ad religionem pertinet: vndè, gratitudo ad Deum virtus à religione diſtincta non eſt, vt docet S. Thom. D. Thom. *2. 2. q. 83. art. 17. & q. 106. art. 1. ad 1.* illis verbis: *Dicendum, quòd ſicut religio eſt quædam excellens pietas, ita eſt quædam excellens gratia, ſiuè gratitudo*: ergo religio Chriſti Deo reddit æquale, & cõſequentèr eſt pars ſubiectiua iuſtitiæ. *Reſpõdetur.* Reſpondeo, gratiarum actionem Chriſti duplicitèr poſſe conſiderari. Primò in ordine ad beneficia à Deo accepta ſecundum ſe: ſecundo quatenus Deo redditur ob ſupremam eius excellentiam. Primo modo docuimus *diſput. 4.* & modò iterum concedimus, gratiarum actionem Chriſti adæquaſſe beneficia à Deo in humanitate ſuſcepta, non autem ſecũdo modo; & ſolum in hac ſecunda conſideratione pertinet ad religionem: vndè non ſequitur ex doctrina à Nobis tradita, religionem Chriſti eſſe partem ſubiectiuam iuſtitiæ.

(.2.)

§. Vltimus.

Cætera argumẽta diluuntur, & explicatur, an eadem ſpecie virtutè Deo, & hominibus obedientia præſtetur?

152. *Quinto arguitur.* QVINTO arguitur in fauorem ſecundi modi dicendi Recentiorum Thomiſtarum: obiectum iuſtitiæ commutatiuæ inter homines, & virtutis ſatisfactiuæ Chriſti eſt formalitèr idem: ergo virtus ſatisfactiua Chriſti non diſtinguitur ſpecificè à iuſtitia commutatiua humana, quæ in hominibus iuſtis reperitur. Conſequentia eſt euidens; nam vnitas, vel diſtinctio ſpecifica virtutum, ſicuti & potentiarum, non attenditur penès vnitatẽ, vel diſtinctionem materialem, ſed formalem obiectorum, & conſequentèr ſi obiectum prædictarũ virtutum eſt formalitèr idem, non poteſt inter illas dari diſtinctio ſpecifica. Antecedens autem probatur; nam obiectum iuſtitiæ commutatiuæ humanæ eſt æquale reale, ſeu æqualitas in re conſtituta; ſed realis æqualitas eſt eiuſdem rationis formalitèr, etiam ſi reperiatur inter entitates ſpecificè inter ſe differentes: vndè, ad eandem ſpeciem iuſtitiæ pertinet æqualitatem conſtituere in pecunijs, & honoribus, licet pecuniæ, & honor ſpecificè diſtinguantur: ergo æqualitas ſatisfactionis Chriſti cũ offenſa Deo irrogata eſt eiuſdem ſpeciei in ratione obiecti iuſtitiæ cum æqualitate conſtituta inter homines in honore, fama, & diuitijs, & cõſequẽtèr obiectum formale virtutis ſatisfactiuæ Chriſti eſt formalitèr idem cum obiecto formali iuſtitiæ commutatiuæ humanæ.

Con-

153. *Cõfirmatur primo.* Confirmatur primò: æqualitas rei ad rem facienda cuicumque debito abstrahenti à diuino, & humano est vnius rationis formalis: ergo potest specificare aliquam vnam virtutem; sed non aliam, nisi iustitiam commutatiuam: ergo iustitia commutatiua specificatur ab æqualitate arithmetica rei ad rem in prædicta abstractione, & consequenter eadem virtus iustitiæ specificè invariata respicit æqualitatem debitam homini, & æqualitatem debitam Deo: ex quo vlterius per euidentem cõsequentiam deducitur, virtutem satisfactiuam Christi esse eiusdem speciei cum iustitia commutatiua nostra, cum hæc respiciat æqualitatem debitam homini, & illa æqualitatem debitam Deo; istæ autẽ æqualitates specificè in ratione obiecti iustitiæ conueniunt. *Cõfirmatur secũdo.* Confirmatur, & vrgetur secundò; nam ordo hypostaticus, Deus, & ordo gratiæ cadunt sub obiecto nostræ Theologiæ, quæ est habitus vnius athomæ speciei: ergo satisfactio hypostatica, & satisfactio supernaturalis purè creata possunt cadere sub obiecto iustitiæ commutatiuæ, quæ eiusdem sit speciei. Patet consequentia; non enim maior distantia reperitur inter satisfactionem hypostaticam, & satisfactionem supernaturalem præstitam à pura creatura, quam inter ordinem hypostaticum, Deum, & ordinem gratiæ: ergo si distantia, quæ inter hæc obiecta inuenitur, non obstat, vt contineantur sub obiecto vnius habitus, & virturis intellectualis, distantia inter satisfactionem hypostaticam, & satisfactionem supernaturalem præstitã à pura creatura obstare nequit, vt cadant sub obiecto eiusdem virtutis moralis, & eiusdem iustitiæ commutatiuæ.

154. *Respõdetur.* Respondeo hoc argumentum, si quid probat, conuincere, non esse diuidendam iustitiam in iustitiam legalem, distributiuam, & commutatiuam, & inter prædictas virtutes specificam differentiam non dari, quod cõmuni sententiæ aduersatur: cum namque iustitia, vt sic, respiciat æquale simpliciter, & æqualitas in individuis libi consistat, non variabitur in ratione obiecti formaliter per æqualitatem legalem, commutatiuam, & distributiuam. Deindè, nam si æqualitas rei ad rem, vt abstrahit ab æqualitate debita Deo, & æqualitate debita homini, specificare potest virtutem specificè vnam, cur æqualitas, vt sic, abstrahens ab æqualitate vnius personæ ad aliam, quam respicit iustitia commutatiua, & æqualitate partis ad totum, quam respicit iustitia legalis, non specificabit vnam speciem virtutem? Sicut ergo iustitia legalis iuxta D. Thom. 2. 2. q. 58. art. 7. ad 2. differt specificè à iustitia commutatiua, & distributiua, quia illa ordinat ad bonum commune, istæ verò ad bonum singularis personæ, inter quæ bona specifica differẽtia versatur, etiam si omnes conueniant in respiciendo æquale simpliciter: ita iustitia Christi in ordine ad Deum specificè distinguitur à iustitia commutatiua humana, quia illa ad bonum diuinum ordinat; ista vero ad bonum humanum, inter quæ maior est differentia, quam inter bonum commune, & bonum singularis personæ: & sicut iustitia distributiua, & iustitia commutatiua iuxta D. Thom. 2. 2. q. 61. art. 1. ad vlt. distinguuntur specificè penès diuersam debiti rationem: *Alio enim modo*, inquit D. Thom. *debetur alicui id, quod est commune, alio modo id, quod est proprium*: ita iustitia hominis ad hominẽ differt specificè à iustitia Christi ad Deum; alio enim modo debetur Deo satisfactio pro offensa, ac debetur homini; debitum enim ad Deum est altioris, & excellentioris rationis, quam debitum ad quãcumque creaturam: sicuti & offensa Deo irrogata diuersissimæ rationis est ab offensa irrogata creaturis. S. Tho. S. Tho.

155. Vndè, in forma ad argumentum respondeo, negando antecedẽs, quòd nempè obiectum iustitiæ commutatiuæ humanæ, & obiectum iustitiæ satisfactiuæ Christi sint idem formaliter: ad illius probationem distinguo maiorẽ: est æquale reale debitum homini, concedo maiorem: æquale reale, vt sic, nego maiorem, & distinguo minorem: æqualitas rei ad rem inter

puras

puras creaturas est eiusdem rationis formaliter, concedo minorem: æqualitas rei ad rem, vt abstrahit ab æqualitate debita Deo, & æqualitate debita puræ creaturæ, subdistinguo minorem: est eiusdem rationis loquendo mathematicè, vel methaphysicè, concedo minorem: loquendo moraliter, nego minorem, & consequentiam: vt enim specificarent eandem virtutem moralem æqualitas debita Deo, & æqualitas debita puræ creaturæ, necesse erat, quòd non solum methaphysicè essent eiusdem rationis, sed etiam in consideratione morali: licet autem methaphysicè conueniant, eo quòd æqualitas in hac consideratione in indiuisibili consistit, moraliter eiusdē rationis nō sunt ob rationes assignatas.

156 *Ad primā confirmationem.*

Et ex his ad primam confirmationem distinguo antecedens: æqualitas rei ad rem facienda cuicumque debito abstrahenti à diuino, & humano est vnius, & eiusdem rationis in methaphysica consideratione, concedo antecedens: in consideratione morali, nego antecedens, & cōsequentiam: vt enim eandem posset specificare virtutem, hoc secūdo modo debebat vnitatem habere. Ratio autem habetur ex dictis, nempè ob differentiam boni diuini à bono creaturæ, quorum primū attendit iustitia satisfactiua Christi: & secundum iustitia commutatiua humana, & ob distantiam debiti Deo supra offensam ipsi irrogatam fundati à debito homini, quorum primum respicit iustitia Christi; secundum autem à iustitia cummutatiua humana respicitur. Et quidē eodem argumento probaretur, si aliquid argumento facto probatur, gratitudinem hominis ad hominem esse eiusdē athomæ speciei cum gratitudine hominis ad Deum. Cur namque æqualitas vt sic, abstrahens ab æqualitate debita Deo, & ab æqualitate debita homini pertineoit ad vnam, & eandem virtutem specificè, & debitum supra beneficia fundatum abstrahens à debito Deo, & debito homini, non spectabit ad vnam specie virtutem? Ex quo exemplo sic poterit nostra conclusio firmari; quia namque beneficientia Dei, supra quam fundatur debitum gratitudinis, diuersæ rationis est à beneficientia hominis, debitum gratitudinis Deo, & debitum gratitudinis homini diuersæ rationis sunt in ratione obiecti gratitudinis, & specificant diuersas virtutes; sed offensa Deo irrogata, supra quam fundatur debitum satisfaciendi Deo, diuersæ rationis est ab offensa irrogata creaturis: ergo debitum satisfaciendi Deo, & debitum satisfaciendi creaturis pro offē sa ipsis irrogata diuersæ rationis sunt, & consequenter nō possunt cōtineri sub obiecto vnius, & eiusdē virtutis.

157 *Ad secūdam.*

Ad secundam confirmationem, concesso antecedenti, nego consequētiam. Ratio autem discriminis est; nam ordo hypostaticus, & ordo gratiæ non respiciuntur ab habitu Theologiæ primariò, sed Deus est primarium obiectum Theologiæ, & alia secundariò attinguntur ab ipsa; quando autem aliqua, et si maximè inter se differant, ordine primarij, & secundarij comparantur ad aliquem habitū, non diuersificant illum specificè, eo quod specifica differentia habituum solum sumitur ex diuersitate specifica obiecti primarij; satisfactio verò hypostatica per se primò attingitur à virtute satisfactiua Christi, & satisfactio supernaturalis purè creata per se primò attenditur à virtute satisfactiua nostra: vndè nō comparantur ordine primarij, & secundarij, ideoque non possunt attingi ab vna, & eadem virtute morali.

Obijcies

Nec refert, si dicas, quòd licet non attingantur ordine primarij, & secundarij; non tamen est ratio assignabilis, cur non possint materialiter respici, ideſt, vt stant sub vna ratione communi, scilicèt, iusti commutatiui, vt sic, in qua vna, & altera satisfactio conueniunt, quod etiam sufficit, vt aliqua plura ab vna, & eadem virtute attingantur. Non, inquam, refert; nam ratio, cur ita non contingat, nec possit contingere, habetur ex dictis, quia nempè, etsi formalitas diuina, & formalitas creata possint ad eundem habitum spectare cum ordine primarij, & secundarij: vndè,

Respōdetur.

bonitas diuina, & bonitas creata ad eundem pertinent habitum charitatis, bonitas diuina primariò, & bonitas creata ſecundariò, & veritas increata, & creata ab habitu fidei cum eodem ordine reſpiciuntur; non tamē poſſunt per conuenientiam in ratione illis communi, ſub qua materialitèr inter ſe diſtinguantur, vel ſaltim non ita contingit in virtutibus, quæ dantur de facto, aliàs non bonum diuinum, & increatum in quantum tale, ſed bonum abſtrahens à creato, & increato ſpecificaret charitatē Theologicam, nec veritas increata vt talis, ſed veritas abſtrahens à creata, & increata ſpecificaret habitū fidei. Quia ergo ſatisfactio hypoſtatica, quatenus æqualis offēſæ qualitèr à iuſtitia ſatisfactiua Chriſti reſpicitur diuinitate vt formacōſtituitur, fit cōſequens, vt non poſsit attingi ab aliqua vna virtute, vel ſaltim non attingatur de facto per conuenientiam in ratione æqualis vt ſic cum æqualitate iuſti commutatiui humani, quod per formam creatam conſtituitur.

158 *Inſtabis.* Sed dices: entitas creata, & entitas increata continentur ſub vna ratione formali obiectiua ſpecificante noſtrū intellectū, & intra hāc rationē materialitèr interſe diſtinguūtur; ideoque intellectus noſter poteſt Deum in ſe ipſo videre ex diuina eleuatione, vt docetur 1. *p. q.* 12. *art.* 1. idemque in diuina bonitate, & bonitate creata reſpectu noſtræ voluntatis contingit: ergo poſſunt formalitas increata, & formalitas creata conuenire in aliqua vna ratione ſpecificatiua alicuius extrinſeci, & intra illam materialitèr ſolum diſtingui, ac per conſequens licet ſatisfactio theandrica Deitate vt forma valoretur, & dignificetur, & ſatisfactio à pura creatura præſtita dignificetur à forma creata, poterunt conuenire in vna ratione obiectiua ſpecificante iuſtitiam, & intra illam diſtingui, non formalitèr, ſed materialitèr, quo admiſſo, per euidentem conſequentiam inferrur, vtramque ſatisfactionem reſpici, & intendi ab vna, & eadem virtute ſpecificè.

Reſpondeo, conceſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens: in vna ratione formali obiectiua ſpecificatiua potentiæ, concedo conſequentiam: in vna ratione formali ſpecificatiua habitus, nego conſequentiam, & quia virtus, non potentia, ſed habitus eſt, non ſequitur, poſſe formalitatem creatam, & formalitatem increatam ſub vna ratione formali obiectiua ſpecificante virtutem vnam ſpecificè conuenire cum diſtinctione materiali inter illas. 159 *Reſpōdetur.*

Ratio autem differentiæ ſumitur ex natura habitus, & potentiæ; hæc namque, quia eſt vniuerſalius principium, eſt maioris extenſionis, quam habitus: vndè videmus, plura, quæ ſub obiecto vnius potentiæ continentur, habitus ſpecificè multiplicare; virtutes namque intellectuales, nempè, intellectus, ſapientia, prudentia, & ars ſpecie interſe diſtinguuntur; habitus etiam ſcientifici ſpecie multiplicantur, & omnium illorum obiecta continentur ſub vna ratione obiectiua ſpecificante intellectū, & ſub illa ſolum materialitèr diſtinguuntur: cum tamen in ordine ad habitus, quos ſpecie multiplicant, gaudeant diſtinctione formali obiectiua. Et ideo ex eo, quòd formalitas increata, & formalitas creata conteneri poſsint ſub vna ratione obiectiua ſpecificante potentiam, & intra illam materialitèr ſolum diſtingui, non ſequitur, idem in ordine ad eundem virtutis habitum poſſe contingere.

160 *Vrgebis* Inſtabis: ens creatum, & increatum conueniunt in ratione obiectiua ſpecificante ſciētiam methaphyſicæ; & tamen methaphyſica, non potentia, ſed habitus eſt: ergo poſſunt entitas creata, & entitas increata contineri ſub vna ratione formali obiectiua, non ſolum vnius, & eiuſdem potētiæ, ſed etiam ſpecificante vnum habitum.

Minor cum conſequentia tenet; maior autem conſtat: tùm ex communi Methaphyſicorum ſentētia aſſignante pro obiecto methaphyſicæ, ens, vt abſtrahit à ſubſtantia, & acci-

denti,

denti, à creato, & increato. Tùm etiam; nam methaphysicus agit de Deo, illiusque existentiam à posteriori demonstrat, & de Deo plures proprietates, quæ ratione naturali possùt cognosci, vt esse vnum, immobilem, actu purum, & infinitum, quod Methaphysica præstare non posset, nisi sub illius obiecto Deus contineretur; nulla enim potentia, aut habitus potest limites sui obiecti specificatiui transcendere, vel illos excedere.

161. *Respõdetur.* Respondeo, negando maiorem: nam licet Methaphysica, non solum ens creatum, sed etiam increatũ consideret, & de vtroque proprietates demonstret; ita tamen attingit ens increatum, vt nullo actu ab ipsa elicito attingatur ens increatum secundum vltimam differentiam, qua ab ente creato distinguitur motiuè, & specificatiue, eo quod licet de ente increato prædictas proprietates, & attributa demõstret; quia tamẽ non cognoscitur per speciem propriam, sed per alienam, scilicet, per speciem entis creati ad nullam cognitionem à Methaphysica elicitam; entitas increata, prout à creata distinguitur, comparatur motiuè, sed purè terminatiuè: ac proindè nullã prout sic distincta specificat ratione sui, quia obiectum motivum est, à quo species actus desumitur, & consequentèr entitas increata, & entitas creata non continentur sub obiecto alicuius habitus, ita vt vtraque, à tali habitu attingatur motiuè. Cum ergo diuinitas dignificans satisfactionem theandricam motiuè comparetur ad actum virtutis satisfactiuæ Christi, & dignitas creata satisfactionis a pura creatura præstitæ comparetur motiuè ad virtutẽ satisfactiuam nostram, non possunt non distingui specificè huiusmodi virtutes. Et quidem instantiæ istæ, si quid probãt, conuincunt, bonitatem creatam, & increatam posse directè, & ex æquo attingi per charitatem theologicam, & veritatem creatam, & increatam directè, & ex æquo respici ab habitu fidei, quod negat frequentior, veriorque Theologorum sententia.

162 Denique arguitur: eadem virtute obedientiæ obedimus Deo, & hominibus; & tamen virtus, qua hominibus obedientiam præstamus, humanum debitum respicit, & virtus, qua obedimus Deo, respicit debitum diuinum: ergo debitum humanum, & debitum diuinum possunt cadere sub eadem virtute specificè, & consequentèr ex eo, quòd virtus satisfactiua Christi debitum diuinum attendat, & iustitia in homines debitum humanum respiciat, non sequitur, prædictas virtutes specificè distingui. Consequentia tenet, & minor videtur certa: nam ideo virtus satisfactiua Christi respicit diuinum debitum, quia inclinat ad satisfaciendum Deo, & quia Deo talis satisfactio debetur ratione offensæ in ipsum commissæ; sed virtus obedientiæ inclinat ad obediendum Deo, & ad actum Deo debitum; virtus autem, qua hominibus obedientiam præstamus, inclinat ad obediendum hominibus, & ad actum subiectionis, & obedientiæ ipsis debitum: ergo virtus, qua Deo obedientiam præstamus, respicit diuinum debitum, & virtus, qua hominibus obedimus, debitum humanum attendit. Maior autem ostenditur primò ex D. Thom. 2. 2. q. 104. *art. 2. ad 2.* illis verbis: *Dicendum, quod obedientia non est virtus theologica; non enim per se obiectum eius est Deus, sed præceptum superioris cuiuscumque, vel expressum, vel interpretatiuum.* Hæc D. Thom. In quibus verbis maior assumpta clarè contenta videtur; nam loquitur D. Thom. de obedientia, prout est species virtus, & specie ab alijs distincta, qua ratione est vna virtus in specie: nã per id ipsum aliquid in se, & in sua specie constituitur, per quod ab alijs specificè distinguitur; sed de illa sic loquendo, docet Angelicus Doctor, obiectum illius esse præceptum cuiuscumque superioris, vel expressum, vel interpretatiuum: ergo sentit, sub eadem specie virtutis obedientiæ cadere præceptum diuinum, & præceptum humanum, & consequentèr eadem virtute obedientiæ Deo præcipienti, & homini superiori etiam præcipienti obeditur.

Vltimo arguitur.

Maior probatur primo.

S. Tho.

163 Secundò. S. Tho

Secundò, & vrgentius probatur ex eodem D. Thom. *artic. alleg. in solutione ad quartũ argumẽtum*, quodita procedebat: *Virtutes differunt specie secundum obiecta; obiectum autem obedientiæ esse videtur superioris præceptum, quod multipliciter diuersificari videtur secundum diuersos superioritatis gradus: ergo obedientia est virtus generalis sub se multas virtutes speciales comprehendens.* Cui argumento in hunc modum respondet: *Ad quartum dicendum, quod reuerentia directè respicit personam excellentem, & ideo secundum diuersam rationem excellentiæ diuersas species habet: obedientia verò respicit præceptum personæ excellentis, & ideo non est, nisi vnius rationis.* Ex qua solutione cum argumento comparata maior in hunc modum probatur. Argumentum contendebat, obedientiam non esse vnam specificè athomè, eo quòd multiplicitèr illius obiectum variatur; species autem virtutum multiplicantur ad multiplicitatem obiectorũ; sed Divus Thomas hoc negat, asserendo, esse vnius tantũ rationis: ergo sentit, obediẽtiam, prout ad Deũ, & ad homines extẽditur, esse vnius athomæ speciei, & consequentèr eadem virtute obedientiæ Deo, & hominibus obediri.

Cõfirmatur.

Quod amplius vrgetur; nam eam multiplicitatem, & specificam variationem negat Divus Thomas virtuti obedientiæ, quam virtuti reuerentiæ concedit, eo quòd hæc respicit directè personam excellentem, & ideo iuxta diuersitatem excellentiæ personarum variatur; obedientia verò non excellentiam personæ præcipientis, sed illius præceptum respicit directè; præceptum autem eiusdem rationis est siuè ab hoc, siuè ab illo procedat; at multiplicitas, quam virtuti reuerentiæ concedit, non est specifica subalterna, sed athoma; virtus enim, qua colimus Deum, non differt genere à virtute, qua colimus homines, sed tantum specificè athomè: ergo hanc multiplicitatem negat virtuti obedientiæ, & consequentèr sentit, virtutem, qua Deo obedientiam præstamus, esse eiusdem athomæ speciei cũ virtute, qua hominibus obedimus.

164 Respondebis.

Ex his præcluditur effugium, quo poterat verbis D. Thom. occurri, asserendo, loqui Angelicum Præceptorẽ de vnitate specifica subalterna, per cuius differentiam virtus obedientiæ distinguitur ab alijs virtutibus, quæ obedientia non sunt, nec in actum obediendi superioribus, & subiectionis ad illos inclinant; non autem de vnitate specifica athoma illius in ratione obedientiæ, ita vt sub se non possit species infimas specificè distinctas habere. Hoc, inquam, effugium ex dictis præclusum manet: nam iuxta hãc doctrinam, & interpretationem nullum discrimen existeret inter reuerẽtiã, & obedientiam quoad vtriusq; multiplicitatem; sed D. Thom. *in solutione ad 4. arg.* quoad hoc inter reuerentiam, & obedientiam statuit discrimen, nẽpè, quòd reuerentia, quia directè respicit excellentiam personæ iuxta diuersitatem excellentiæ personarum, suscipit multiplicationem; obediẽtia verò, quia non respicit directè excellentiam personæ, sed præceptum personæ excellentis, est vnius, & eiusdem rationis, quamvis gradus superioritatis, & excellentiæ personarum varientur: ergo effugium illud doctrinam Diui Thomæ non saluat. Consequentia tenet, minor constat clarè ex littera D. Thom. maior autem probatur; nam omnes virtutes, quibus alijs cultus exhibetur specie subalterna in ratione reuerentiæ, idest, virtutis alterũ reuerentis conueniunt, v. g. obseruantia, qua exhiberur cultus superiorib⁹, Pietas, qua coluntur parentes, Dulia, qua Sãctos colimus, & Latria, qua colitur Deus in ratione reuerẽtiæ specificè subalternè cõueniunt, & inter se specie athoma distinguuntur: ergo si vnitas virtuti obediẽtiæ attributa à D. Thom. solũ est subalterna permittẽs, & sub se cõtinens plures obedientiæ virtutes specificè athomè differẽtes, non subsistit discrimen à D. Thoma statutum inter reuerentiã, & obedientiam quoad multiplicitatẽ, & vnitatem, quandoquidem vtraque est vna specificè subalternè, & neutra est vna specificè athomè, & consequentèr,

Reijcitur solutio.

S. Tho.

tèr, vt doctrina Diui Thomæ sit vera, & differentia statuta subsistat, necessariò est asserendum virtutem obedientiæ nō multiplicari specificè, sed esse vnam specificè athomè, & vna virtute obedientiæ Deo, & hominibus obedientiam præstari.

165. *Respõdebis secundò.* Secundo responderi potest, discrimen à D. Thoma statutum inter reuerentiam, & obedientiam quoad multiplicitatem, & vnitatem saluari, etiam si non eadem virtute obedientiæ Deo, & hominibus obediẽtia præstetur per hoc, quòd omni superiori creato eadem virtute obedientiæ obediatur, et si virtus obedientiæ ad Deum à virtute obedientiæ ad homines distinguatur specificè; nam reuerentia non solum specie distinguitur per respectū ad Deum, & ordinem ad creaturas, sed etiam in ordine ad diuersas creaturas excellentia diuersa gaudentes specificè variatur; pietas enim, qua colũtur parentes specie distinguitur à virtute obseruantiæ, qua personis cōstitutis in dignitate, nobisque superioribus reuerẽtiam præstamus, illosque reueremur, & colimus. *Motiuũ S. Tho.* Quæ doctrina videtur ab Angelico Doctore insinuari *in solutione ad 4. relata*, ex qua argumentum procedit; nam postquã distinctionem tradiderat inter reuerentiam, & obedientiam quantum ad multiplicitatem ob rationem explicatam, statim subiunxit: *Sed quia propter reuerentiam personæ obedientia debetur eius præcepto, consequens est, quòd obedientia hominis sit eadem specie; ex diuersis tamen specie causis procedens.* Quibus verbis solum de obedientia hominis, ideſt, de obedientia, qua hominibus obedimus, docet, esse vnius rationis, & vnius speciei, in quo manifestè videtur innuere, vnitatẽ, quam virtuti obedientiæ ad differentiam virtutis reuerentiæ concedit, solum concedere virtuti inclinanti ad obediendum superioribus creatis, non autem virtuti prout inclinanti ad obediendum omni superiori, comprehendendo etiam Deum.

166 *Reiicitur primo.* Sed nec ista solutio est sufficiens, nec ad mentem D. Thom. & reijcitur primò; quia si obediẽtia ad Deum est virtus specie distincta à virtute obedientiæ, qua obedimus superioribus creatis, esto ex ordine ad superiores creatos diuersa excellentia gaudentes non multiplicaretur specificè, iam virtus obedientiæ non esset vna specificè athomè; sed hoc est, quod argumentum contendebat, vt diximus, & ex ipso rectè meditato, & inspecto manifestè colligitur: ergo D. Thom. argumentum non solueret, saluando vnitatem specificam in virtute obedientiæ solum, prout respicit superiores creatos, non autem prout sub se continet ipsos, & Deum, & ad omnibus obediendum inclinat.

Secũdò. Deindè, nam saltim diminutè D. Thom. *in sua solutione* procederet non explicando in ordine ad quos superiores vnitatem specificam seruet, & in ordine ad quos multiplicetur specificè; hoc autem asserendum non est: ergo nec standum traditæ interpretationi, quòd nempè virtus obedientiæ sit vna specie athoma penès ordinem ad omnes superiores creatos, non autem in omni sua vniuersalitate, prout, scilicet, etiam ad præstandam Deo obedientiam, & subiectionem extenditur.

167 *Tertiò.* Denique, nam esto solutione, & interpretatione traditis saluetur vt cumque Angelici Præceptoris doctrina quantum ad differentiam, quam statuit inter reuerentiam, & obedientiam; non tamen saluatur ratio, quam assignat, differentiæ statutæ; sed vtrũque sustineri debet: ergo explicatio tradita est insufficiens, & ad mentem D. Thom. non est. Minor cum consequentia tenet; maior autem probatur; nam vel motivum obedientiæ est præceptum superioris, nullo modo illius excellentia attẽta, sed omninò præscindendo ab illa, vel excellentia superioris attẽditur à virtute obedientiæ, & formalitèr ingreditur in præcepto, quod est motivum illius. Si primum, virtus obedientiæ ad Deũ eiusdem rationis est cum virtute, qua hominibus obedientia præstatur. Si secundum, non solum variatur specificè virtus obedientiæ penès ordinẽ

ad Deum, & ad ſuperiores creatos, ſed etiam variatur penès ordinē ad ipſos propter diuerſam excellētiæ rationē: ergo, admiſſo, virtutē obediētiæ, qua Deo obediētiā præſtamus, ſpecificè diſtingui ab illa, qua hominibus obedimus, nō ſaluatur ratio differētiæ à D. Th. aſsignata inter reuerētiā, & obediētiā, vt hæc vna ſit, nō obſtante differentia excellentiæ inter ſuperiores repertæ; illa autem penès differentiā excellentiæ varietur. Conſequentia patet; nam ſi ratio aſsignata diſcriminis, vel probat vnitatem obedientiæ in ordine ad omnes, vel nō probat vnitatē illius in ordine ad ſuperiores creatos, vno admiſſo, & alio negato, non ſubſiſtit differentiæ ratio. Minor etiā pro prima parte perſpicua videtur; nam præceptum Dei ſolum differt à præcepto hominis per excellentiam Dei imponentis præceptum, quæ longiſsimè diſtat ab excellētia hominis, & cuiuſvis ſuperioris creati: ergo ſi præceptum ſuperioris eſt motivum obediētiæ formalitèr ſub expreſsione ſola præcepti nullatenus ingrediente ad mouendum excellentia perſonæ, à qua præceptum imponitur, virtus obedientiæ ad Deum erit eiuſdem rationis, & eiuſdem ſpeciei cum virtute, qua obedientia præſtatur hominibus.

Pro ſecunda vero parte probatur; nam excellentia patris maior eſt comparatiuè ad filium, quam excellētia ſuperioris creati comparatiuè ad ſubditos: ergo ſi præceptū mouet ad obedientiam non præſcindendo ab excellentia perſonæ imponētis præceptum, virtus obedientiæ filij ad patrem præcipientem ſpecificè diſtinguitur a virtute, qua ſubditus Prælati præceptis, vel cuiuſvis alterius ſuperioris creati præſtat obedientiam. Patet cōſequentia; nam obedientia ad Deum diſtinguitur ſpecificè ab obedientia ad hominem, quia excellētia Dei præcipientis ab excellentia hominis præcipientis diſtinguitur: ergo ſi excellentia patris comparatiuè ad filium diſtinguitur ab excellentia ſuperioris creati comparatiuè ad ſubditos, virtus inclinans ad obediēdum patri ſpecificè diſtinguitur à virtute inclinante ad obediendum Prælatis, & ſuperioribus creatis.

168 *Reſpōdebis.* Dices, diſtantiam excellentiæ diuinæ ab excellentia creata eſſe multo maiorem illa, qua excellentia patris diſtat ab excellentia ſuperioris conſtituti in dignitate; eſt enim diſtantia ordinis, & infinita, ac proindè ex eo, quòd excellentia Dei præcipientis, vel præceptū vt à Deo diſtinguat ſpecie virtutem illud pro motiuo habentem à virtute habente pro motiuo præceptum ſuperioris creati, & illius excellentiam, non ſequitur, excellentiam patris, aut præceptū à patre impoſitum diſtinguere ſpecie virtutem inclinantem ad obediendum patri à virtute inclinante ad præſtandam obedientiam ſuperioribus, & Prælatis, ſed poterit vna, eademque virtute parentibus, & Prælatis obedientia præſtari, licet virtus, qua obedimus Deo ſpecificè diſtinguatur ab illa, qua obedimus ſuperioribus creatis; à maiori namque ad minus rectum argumentum non fit.

169 *Contra primo.* Sed contra iſtam ſolutionem obſtat primò; quòd enim diſtantia excellentiæ Dei ab excellētia creaturæ maior ſit diſtantia excellentiæ vnius creaturæ ab alia, ſolum probat, virtutem, qua obedientia Deo præſtatur, diſtare magis à virtute, qua præſtatur obedientia creaturis, quam diſtet virtus, qua vni creaturæ obeditur, à virtute, qua alteri creaturæ excellentiori obedientia exhibetur; nō autem quòd inter virtutes inclinantes ad obediendum creaturis inæqualis excellentiæ non ſit diſtinctio ſpecifica, ſi ſemel ad obediendum non mouet ſolum præceptum perſonæ excellētis, ſed etiam excellentia præcipientis: ergo ſi excellentia præcipientis ingreditur formalitèr in motiuo obedientiæ, diſtinguitur ſpecificè virtus, qua filius obedit, & ſubijcitur parentibus à virtute inclinante ad obediendum Prælatis, & ſuperioribus, aliſque perſonis conſtitutis in dignitate, etſi diſtinctione minori, quam ſit illa, quæ inter obedientiam ad Deum, & obedientiam ad creaturas verſatur.

Se-

170 *Secundo.*

Secundo, & explicatur magis hoc ipsum; quia namque excellentia personæ est motivum reuerentiæ, & hæc directè tendit in personam excellentem, non solum reuerentia ad Deum distinguitur specie à reuerentia ad creaturas, sed etiam inter ipsas creaturas dantur virtutes specificè distinctæ, quarum vna cultus, & honor aliquibus creaturis præstantur, & alijs aliæ honorantur, & coluntur; & tamen distantia excellentiæ Dei ab excellentia creata infinitè maior est distantia inter creaturas reperta: ergo quòd distantia excellentiæ Dei præcipientis ab excellentia cuiusvis superioris creati maior sit distantia, quæ inter superiores creatos præcipientes in ratione excellentiæ inuenitur, nõ probat, primam distantiam distinguere specie virtutes, secus autem secundã, si tamen excellentia præcipientis formaliter ingreditur in motiuo obediẽtiæ.

Minor cum consequentia tenet; maior autem negari nẽ potest in doctrina D. Thom. vt enim docet Angelicus Doctor S. Thom. 2. 2. *q.* 101. *art.* 3. pietas, qua cultum exhibemus parentibus, est virtus specialis distincta specificè ab alijs, quibus cultum Deo præstamus, personisque in dignitate supra nos constitutis. Et vt docet idem D. Thom. 2. 2. *q.* 102. *art.* 3. pietas, qua coluntur parentes est inferior religione, qua colitur Deus, & superior obseruantia inclinante ad colendum personas constituras in dignitate, quod non aliundè prouenit, nisi ex diuersa ratione principij, & excellentiæ; pater namque est principium generationis, & gubernationis, personæ autem cõstitutæ in dignitate solum sunt gubernationis exterioris principiũ, & Deus est principium vniuersale creationis, conseruationis, & gubernationis: ergo reuerentia non solum distinguitur specie penès Deum, & creaturas, sed etiam penès ordinem ad diuersas creaturas, in quibus differentia excellentiæ inuenitur; & hoc ideo, quia motivum reuerentiæ est excellentia personæ, cui reuerentia exhibetur, & consequentèr, si excellentia præcipientis ingreditur formaliter in motiuo ad obediendum, dabitur distinctio specifica, non solum in virtute, qua Deo obedientia præstatur à virtute inclinãte ad obediendũ hominibus, sed etiam inter virtutes, quibus obedimus, & subijcimur hominibus distincta excellentia gaudentibus, & sic obedientia ad parentes erit specificè distincta à virtute, qua obedimus Prælatis, & superioribus.

171. *Ad motivum solutionis respondetur.*

Nec motivum, cui innitebatur solutio, ex verbis D. Thom. detumptum alicuius ponderis est; cum enim Angel. Doct. concludit, quòd obedientia hominis vnius rationis est, non sumitur ly *hominis* obiectiuè, ita vt sensus sit: obedientia, qua homini obeditur, vnius rationis est, sed sumitur subiectiuè, ita vt sensus sit: obedientia existens in homine, & qua homo inclinatur ad obediendum vnius rationis est: qualiter accepta verba Angelici Doctoris non restringunt doctrinam antecedentèr traditam, nec limitant ad virtutem obediẽtiæ in ordine ad superiores creatos, sed illam relinquunt in suâ amplitudine; nam obedientia hominis, subiectiuè accepto ly *hominis*, non est solum ad superiores creatos, sed etiam, & præcipuè in ordine ad Deum: & sensus doctrinæ D. Thom. est; quòd quia obedientia non attendit directè excellentiam personæ; sicut reuerentia, sed præceptum personæ excellentis, & abillo obiectiuè mouetur, non variatur, nec specificè multiplicatur ad differentiam excellentiæ personarum præcipientium; quia præceptum siuè ab hoc, siuè ab illo imponatur, eiusdem rationis est; ideoque obedientia hominis, ideſt, qua homo inclinatur ad obediendum superioribus, eiusdem rationis est, eiusdemque speciei in ordine ad omnes.

172. *Aliter respondet Dñs Caietanus.*

Caietanus *super artic. relatum notatione ad 4. argum.* difficultatem tentiens in doctrina D. Thom. solitaque subtilitate distinguens, asseruit, obedientiam respectu Dei, & hominis quodammodo vnius esse rationis, & quodammodò alterius, & diuersæ rationis; nam secundum propriam ra-

tionem obedientiæ, quæ ſumitur ex obiecto, vnius rationis eſt; quia præceptum formaliter, à quocumq; fiat, & de quocumq; fiat, eſt vnius, & eiuſdem rationis. Si autem ſumatur obedientia ſecundum communem rationē virtutis, aut vitij, ſecundum quam virtus diuiditur in virtutem in Deum, in proximum, & in ſe ipſum, & ſimiliter peccatum in peccatum in Deum, in ſe ipſum, & in proximum, ſic obedientia diuini præcepti, & obedientia humani præcepti diuerſarum ſunt rationum, & inobedientia ſimiliter: ſicut in naturalibus figura Cœli, & figura corporum inferiorum, ſecundū propriam rationem figuræ eiuſdem rationis ſunt, & ſecundum rationem entis ſunt generum diuerſorum, cum diſtinguantur per corruptibile, & incorruptibile, & propter hanc diuerſitatem, inquit Caietanus, Angelicus Doctor in littera ſubiunxit limitatè de obedientia hominis, docens, eſſe vnius, & eiuſdem rationis.

Explicatio in cōfirmationē ſolutionis.

Sed vt verum fatear, quamuis mea mens ea ſit, eaque in acutiſsimum Caietani ingenium affectio, vt optem nunquam ab illius ſententia, vel per latum vnguem diſcedere; in præſenti tamen non ſatis illius diſtinctionem, & Angelici noſtri Doctoris interpretationem percipio. Primò, quia virtus obedientiæ, non ſolum ſecundum vltimam differentiam, qua ab alijs virtutibus ſpecificè diſtinguitur, ſed etiam ſecundum genericam rationē virtutis ab obiecto ſpecificatur, cum virtus ex communi conceptu virtutis, imò & conceptu magis vniuerſali, nempè, habitus operatiui, ſpeciem ab obiecto ſumat: ergo ſi ſecundum vltimam differentiam, & propriam obedientiæ rationem, quia ab obiecto ſumitur, ſunt eiuſdem rationis obedientia hominis, & Dei, etiam ſecundum rationem communem, & genericam virtutis eiuſdem rationis ſunt.

173. *Reiicitur primò*

Deindè, quia non ſolum virtus vt ſic diuiditur in virtutem in Deum, & in virtutem in hominem, ſed etiam obedientia ſecundum proprium obedientiæ conceptum, propriamq; obedientiæ rationem diuiditur in obedientiam ad Deum, & in obedientiam ad hominem, cum virtus diuidatur ad diuiſionem obiecti; præceptum autē, quod eſt obiectum obedientiæ, ſecundum propriam rationem obedientiæ diuiditur in præceptum diuinum, & in præceptum humanum: ergo ſi ſecundum communem rationem virtutis, ſecundum quam virtus diuiditur in virtutem in Deum, in proximū, & in ſe ipſum, non ſunt eiuſdem rationis obedientia hominis, & obedientia Dei, nec etiam ſecundum propriā obedientiæ rationem eiuſdem rationis ſunt.

174. *Secundò.*

Denique, & vrgentius, quia non ſtat, obedientiam hominis, & obedientiam Dei diſtingui genericè, vel in genere virtutis, & conuenire ſpecificè, hoc eſt, in vltima differentia: ergo ſi ſecundum propriam obedientiæ rationem non diſtinguuntur, ſed ſunt eiuſdem rationis, non poſſunt ſecundum communem rationem virtutis eſſentialiter diſtingui. Conſequentia eſt bona; nam genus eſt ratio virtutis; differentia autem eſt propria obediētiæ ratio: ergo ſi nō poſſunt diſtingui in genere, & conuenire in vltima differentia, non poſſunt eſſe obedientia hominis, & obedientia Dei eiuſdem rationis ſecundum propriam rationē obedientiæ, & diuerſæ rationis ſecundum communem rationem virtutis.

175. *Tertiò.*

Antecedens autem oſtenditur primò; nam diuerſorum generum non ſubalternatim poſitorum nō poſſunt eſſe eædem differentiæ, vt communiter docetur à Logicis, & Methaphyſicis: vndè, quia ſubſtantia, quantitas, & qualitas diuerſa genera ſunt, & vnū ſub alio non ponitur, non poſſunt per eaſdem contrahi differentias: ergo non ſtat, quòd obedientia hominis, & obedientia Dei differant genere, & in vltima differentia cōueniant, alias differentia illa vltima, in qua conuenirent, genera diuerſa, & non ſubalternata contraheret cōtra illud commune axioma. Secundo probatur, & ratio axiomatis traditur; nam genus, & differentia comparantur vt potentia, & actus, genere ſe habente, vt potentia contrahibili, & determinabili

per

per differentiam; differentia autem vt actu contrahente, & determinante genus; sed potentiæ essentialitèr diuersæ non possunt eundem actum respicere: vndè, quia intellectus, & voluntas sunt potentiæ specie distinctæ, non possunt eundem elicere actum, nec respicere idem obiectum formale: ergo genera essentialitèr diuersa non possunt per eandem contrahi differentiam; ac proindè non stat, obedientiam hominis, & obedientiam Dei distingui genericè, hoc est secundum genus virtutis, & conuenire specificè, hoc est, in vltima differentia, per quam obedientia constituitur in propria obedientiæ ratione.

176 *Ad exē pl. Caiet. respōdetur*

Nec exemplum in confirmationem distinctionis traditæ adductum intentum conuincit; falsum enim est, figuram Cœli secundum propriam rationem figuræ esse eiusdem rationis cum figura corporum inferiorum, & ab illa secundum rationem entis essentialitèr distingui: si namq; figura Cœli secundum propriam rationem figuræ est eiusdem speciei cum figura corporum sublunarium, non est ex se, & essentialitèr incorruptibilis, sed ex accidenti illi incorruptibilitas conuenit: sicut calori ignis non conuenit essentialitèr esse productivum ignis, sed ex aliquo accidenti, per quod non essentialiter, sed solum accidentalitèr differt a calore ligni, qui productivus ignis non est. Ex hoc autem, quòd ex accidenti incorruptibilis sit, non probatur essentialis differētia secundum rationem entis inter figuram Cœli, & figuram corporum sublunarium; nam actus charitatis viæ eiusdem speciei est cum actu charitatis patriæ, nec inter illos distinctio essentialis datur, etiam secundum rationem entis; & tamen actus charitatis patriæ incorruptibilis est, & actus charitatis viæ est corruptibilis. Gratia etiam viatoris eiusdem speciei est cum gratia comprehensoris, imò eadem numero gratia, quæ in via exiitit, perseuerat in patria; cum tamen in via corruptibilis sit, & multoties de facto destruatur, & amittatur; in patria autē sit incorruptibilis: ergo ex eo, quòd figura Cœli incorruptibilis sit, & figura corporum sublunarium sit corruptibilis, nō probatur essentialis distinctio inter illas, etiam secundum rationem entis. Quod autem Caietanus notauit ex littera D. Thom. iam vidimus, non vrgere; non enim sumpsit *ly hominis* obiectiuè, sed subiectiuè, cum dixit D. Thomas, obedientiam hominis esse vnius, & eiusdē rationis; sumpto autem *ly hominis* subiectiuè, non limitatur obedientia ad illam, qua hominibus obedimus; nā homo per obediētiam in se subiectiuè receptam Deo, & hominibus obedit.

177 *Vera solutio.*

Relictis igitur his interpretationibus, ad argumentum respondeo, cōcessis maiori, & minori, distinguendo consequens: quando debitum humanum, & debitum diuinum fundantur in fundamento eiusdem rationis, concedo consequentiam: quando vtriusque fundamentum diuersæ rationis est, nego consequentiam, & nego secundam, quæ subinfertur; nam virtus satisfactiua Christi respicit debitum Deo supra illius offensam fundatum: quæ offensa diuersæ rationis est ab offensa irrogata creaturis; & ideò est diuersæ rationis à debito fundato supra offensam creaturis irrogatam: ex quo vlterius fit, vt virtus satisfactiua Christi pro offensa irrogata Deo diuersæ rationis sit à virtute satisfactiua pro offensis irrogatis creaturis, & à qualibet alia virtute debitum humanum attendente, & respiciente; præceptum autem, à quocumque superiore imponatur, eiusdē rationis est: vndè, obediētia, quæ pro obiecto respicit superioris præceptum, est etiam eiusdem rationis, prout inclinat ad obediēdum Deo, & superioribus creatis; quia præceptum Dei diuersæ rationis non est à præcepto ab homine imposito: ac proindè debitum obedientiæ supra præceptum fundatum eiusdem rationis est in hominibus, & in Deo. Et quidem, si hoc argumentum aliquid probat, cōuincit, eadem specie virtute Deum, & creaturas coli, & etiam eadem virtute specificè Deo, & hominibus gratos nos esse, quod Angelico Doctori, & cōmuni

sen-

ſententiæ aduerſatur. Sicut ergo argumentum ex obedientia ad huiuſmodi virtutes non valet, eo quòd debitum attentum ab obedientia fundatur ſupra præceptum, quod eſt eiuſdē rationis, à quocumque ſuperiore imponatur; debitum autem, quod à reuerentia, & gratitudine attenditur, diuerſæ rationis eſt in hominibus, & in Deo, quia fundamentum diuerſæ rationis habet, videlicet, excellentiam, & beneficiētiam, quæ in Deo, & in hominibus diuerſæ rationis ſunt: ita & ob eandem cauſam non conuincit paritas ab obedientia deſumpta reſpectu virtutis ſatisfactiuæ.

178 *Corollarium.* Ex qua doctrina licet obiter colligere, inobedientiam ſpecialem, quæ conſiſtit in non exequendo rem præceptam, quia à ſuperiore præcipitur, eiuſdem eſſe ſpeciei in ratione inobedientiæ per reſpectum ad Deum, & ad ſuperiores creatos. *Probatur.* Quod patet: nā quantum ad hoc eadem ratio eſt de obedientia, ac de inobediētia; ſed obedire Deo exequēdo rem præceptam, quia præcipitur ab ipſo, eſt eiuſdem ſpeciei cum actu, quo formaliter hominibus obedimus, operando ex animo, & intentione parēdi illorum præceptis: ergo inobedientia formalis ad Deum eſt peccatum eiuſdem ſpeciei cum formali inobedientia ad homines. *Cōfirmatur.* Quod amplius vrgetur, & explicatur; nam præceptum, quod proſecutiuè attactum eſt obiectum obediētiæ, attactum auerſiuè eſt inobedientiæ obiectum; ſed quia præceptū Dei eiuſdem rationis eſt cum præcepto ab hominibus impoſito proſecutiuè attactum non multiplicat ſpecie virtutes: ergo ob eandem cauſam attactū auerſiuè non multiplicat ſpecificè vitia; ac proindè inobedientia Dei eiuſdem ſpeciei eſt cum inobedientia hominis: ex quo vlterius fit, vt in ſententia probabili aſſerente, circumſtantias non mutantes ſpeciem peccati non eſſe neceſſariò in confeſsione aperiendas, conſequenter ſit dicendum, non eſſe neceſſarium in confeſsione explicare, an inobedientia fuerit reſpectu Dei, an fuerit reſpectu ſuperioris creati.

Sed dices: contēptus Dei diuerſæ ſpeciei eſt à contemptu cuiuſcumque creaturæ, cum ſit peccatum in Deum; peccata autem ſpecificè variētur per hoc, quòd ſint in Deum, in proximū, & in ſe ipſum, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 72. art. 4. ſed inobedientia formalis ad Deum eſt virtualis Dei contemptus: ergo diſtinguitur ſpecie ab inobedientia ad hominem, & conſequētèr neceſſarium erit in confeſsione explicare, an præceptum, quod contemnimus, diuinum ſit, an humanum. Conſequentia tenet, maior videtur certa ex doctrina D. Thomæ allegata; minor autem probatur; nam inobedientia Dei formalis eſt contemptus præcepti impoſiti à Deo; ſed legem, aut præceptum alicuius ſuperioris contemnens, ſuperiorem ipſum, ſaltim virtualitèr, contemnit: ergo inobedientia formalis ad Deum eſt contēptus, ſaltim virtualis Dei. 179 *Obijcies* S. Tho.

Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: cōtemptus Dei ſecundum ſuam intrinſecam excellentiam, & dignitatem eſt diuerſæ ſpeciei à contemptu cuiuſcumque creaturæ, concedo maiorem: contemptus Dei tantum vt præcipiētis, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: ſicut enim obedientia, quia non reſpicit directè excellētiam perſonæ, ſed præceptum perſonæ excellentis, eiuſdem rationis eſt in ordine ad Deum, & ad ſuperiores creatos, vt ex D. Thoma vidimus, & expreſsè ab ipſo traditur 2. 2. q. 104. art. 2. ad 4. ita quia inobedientia formalis non eſt contemptus excellentiæ perſonæ, ſed præcepti perſonæ excellentis, & præceptum eiuſdem rationis eſt, ſiuè à Deo, ſiuè ab homine imponatur, fit conſequens, vt inobedientia eiuſdem rationis ſit, ſiuè fiat ex cōtemptu præcepti impoſiti à Deo, ſiuè fiat ex cōtemptu præcepti impoſiti ab homine. Quia tamen ex irreuerentia ad perſonam, & ex contemptu excellentiæ, & dignitatis illius regulariter eius præceptum contemnitur, fit, vt regulariter loquendo, inobedientia formalis ad Deum naſcatur ex irreuerentia Dei, quæ eſt peccatū ſpecie diſtinctū 180 *Reſpōdetur.* S. Tho.

ab

ab irreuerentia hominis: sicut de obedientia loquendo *loco vbi proximè*, inquit D. Thomas, quòd quia propter reuerentiam personæ obedientia illius præcepto debetur, licet obedientia eiusdem rationis sit, ex diuersis tamen specie causis procedit: sicut autem hæc diuersitas non infert specificam differentiam in virtute obedientiæ in ratione formali obedientiæ: ita nec diuersitas illa, ex qua regulariter procedit peccatum inobedientiæ formalis, & specialis, arguit specificam differentiam intra inobedientiæ rationem, sed manet intra hanc lineam peccatum eiusdem speciei, siuè Dei præceptum, siuè præceptum hominis contemnatur.

DISPVTATIO SEPTIMA.

An Deus satisfactionem Christi acceptauerit ex iustitia stricta, & speciali?

§. I.

Referuntur sententiæ, & statuitur prima conclusio.

1. DEVM satisfactionẽ Christi acceptasse ex virtute, quæ aliquo modo iustitia sit, à nullo Theologorũ negatur, nec posse negari ex dicẽdis manifestè constabit; cum autem iustitia triplicitèr accipiatur: primò prout est quid commune per prædicationem ad omnem virtutem: qua ratione omnis virtus dicitur iustitia: secundò, pro virtute ad alterum, qualitèr accepta amplectitur, & partes subiectiuas, & partes potentiales iustitiæ, quæ ideo tales dicuntur, quia à perfecta ratione iustitiæ deficiunt, vel propter defectum debiti legalis, vel propter defectum æqualitatis simplicitèr: ac denique pro stricta iustitia, quæ respicit ius alterius cum debito legali, & æqualitate tali simplicitèr: qua ratione solum continet subiectas partes perfectas, & subiectiuas, in quibus omnes conditiones ad perfectam rationem iustitiæ requisitæ concurrunt, quales sunt iustitia legalis ordinans ad bonũ commune, iustitia commutatiua seruans, & attendens ius inter particulares personas secundum æqualitatem arithmeticam rei ad rem, & iustitia distributiua, quæ respicit bonum cõmune, vt inter particulares personas

diui-

diuidendum ſecundum æqualitatem, & proportionem geometricam. Cõtrouerſia noſtra non eſt de iuſtitia ſpeciali, quatenus contra iuſtitiam generalem per prædicationem diuiditur; in hoc namque parum, aut nihil diſsidij eſſe poteſt; actus enim reddendi præmium ad æqualitatem pro meritis, aut remittendi offenſam pro motiuo habens æqualem ſatisfactionem ſpeciali gaudet honeſtate, ac proindè ſufficiente ad ſpecificandam particularem virtutem: ergo acceptare Chriſti ſatisfactionem, & intuitu illius hominibus offenſam remittere, non pertinet ad iuſtitiam generalem per prædicationem de omni virtute, ſed ad aliquam virtutem ſpecialem, & conſequentèr ex illa Deus ſatisfactionem Chriſti acceptauit, & hominibus offenſã remiſit intuitu ſatisfactionis à Chriſto Domino exhibitæ. Ex qua doctrina etiam euidenti illatione colligitur, virtutem, ex qua Deus ſatisfactionem Chriſti acceptauit, eſſe iuſtitiam in ſecunda iuſtitiæ acceptione, nempè, pro virtute ad alterum; nam huiuſcemodi virtus attendit ius in ſatisfactione Chriſti fundatum, & conſequentèr eſt iuſtitia in ſecunda iuſtitiæ acceptione.

2. Punctus ergo difficultatis eſt, an hæc virtus, ex qua Deus ſatisfactionẽ Chriſti acceptauit, ſit ſtricta iuſtitia, hoc eſt, non pars potentialis, ſed ſubiectiua illius, & ad quam ex ſpeciebus perfectæ iuſtitiæ pertineat? In quo duæ verſantur Theologorum ſententiæ. *Prima ſẽtẽtia.* Prima eſt negatiua, quam tuentur omnes Theologi *diſput.* 5. pro prima ſententia relati. Cum enim ſatisfactioni Chriſti non tribuant totum iuſtitiæ rigorem ex defectu aliquarum conditionum, quas ſtricta, & rigoroſa iuſtitia requirit, conſequentèr negant, Deum illam ex ſtricta, & rigoroſa iuſtitia acceptaſſe. Inter quos in aſsignanda ſpeciali virtute, ex qua à Deo acceptata fuit Chriſti Domini ſatisfactio, & offenſa hominibus remiſſa, eſt diſsidium. Quibuſdam aſſerentibus, acceptaram fuiſſe ex gratitudine, & fidelitate. Alijs docentibus ex ſola fidelitate, eo quòd Deus promiſsit hominibus offenſam remittere ſub conditione ſatisfactionis Chriſti. Alijs denique affirmantibus, acceptatam fuiſſe à Deo Chriſti Domini ſatisfactionem ex virtute quadam ſpeciali diſtincta ab illis omnibus, quæ circumferuntur communitèr.

3. Secunda affirmans eſt, quam, præter Magiſtrum Vincentium, tuentur omnes Theologi *diſput.* 5. relati pro ſecunda ſententia. Illam etiam tenet Magiſter Sancto Thoma *tom.* 2. *in* 1. *p. diſput.* 6. *art.* 3. & 4. & *tom.* 3. *p. diſput.* 2. *art.* 3. vbi docet, ſatisfactionẽ Chriſti fuiſſe elicitam à virtute iuſtitiæ commutatiuæ, quæ ſpecialitèr, & regularitèr inuenitur in Chriſto, non autem in homine puro, & ex parte Dei acceptantis, illi correſpõdere ſpecialem virtutem iuſtitiæ, quam, ait, eſſe commutatiuam, non formalem, ſed eminentialem. Qui etiam inter ſe diuiduntur in aſsignando ſpecificã rationem iuſtitiæ, per quam Deus ſatisfactionem Chriſti acceptauit. Quibuſdam affirmantibus, eſſe iuſtitiam legalem. Alijs docentibus, eſſe diſtributiuam. Alijs denique aſſerentibus, eſſe commutatiuam; quibus, vt vidimus, adhæſit Mag. Sanct. Thoma cũ limitatione explicata, videlicet, eſſe commutatiuam, non formalem, ſed eminentialem.

Secũda ſẽtẽtia. *M. Sancto Thoma.*

Veram ſententiam ſequentibus aſſertionibus explico. Prima ſit: Deus acceptauit ſatisfactionem Chriſti ex iuſtitia ſtricta, & ſpeciali.

4. *Prima concluſio.* Hanc eſſe de mente D. Thom. abſque dubio verum cẽſeo; omnes enim Theologi iſtam diſputantes quæſtionem pro comperto habent, quòd ſi in Deo datur ſtricta, & ſpecialis iuſtitia, ex illa acceptauit ſatisfactionem Chriſti; ſed iuxta D. Thomam ſtricta, & ſpecialis iuſtitia datur in Deo, vt conſtat ex ipſo *in* 2. *Sent. diſtinct.* 23. *q.* 1. *art.* 3. *in* 4. *Sentent. diſt.* 46. *q.* 1. *art.* 1. & 1. *Contra Gentes cap.* 93. 1. *p. q.* 21. *art.* 1. quibus in locis, & paſsim alibi Deo concedit iuſtitiam diſtributiuam, quam eſſe partem perfectam, & ſubiectiuam iuſtitiæ, docet Angelicus Doctor 2. 2. *q.* 61. *art.* 1. ergo Deus ex mente D. Thom. ſatisfactionẽ Chriſti

Probatur primo.

S. Tho.

acceptauit ex iustitia stricta, & speciali, ex illaque intuitu satisfactionis à Christo Domino exhibitæ hominibus offensam remisit.

5. *Secundo probatur.*

Deindè suadetur conclusio; nam si Deus merita condigna iustorū præmiat ex iustitia stricta, & speciali, ex iustitia stricta, & speciali satisfactionē Christi acceptauit, & intuitu illius hominibus offensam remisit, in quo nullus Theologorum dissentiet; etenim si respectu alicuius datur in Deo stricta, & specialis iustitia, non potest respectu Christi negari, cum illius satisfactio ob infinitum valorem à persona Verbi sumptum, non solum æqualis fuerit, sed etiam superabundans pro offensa irrogata Deo; sed iustorū merita Deus remuneratur ex speciali, & stricta iustitia: ergo satisfactionem Christi ex hac virtute acceptauit, & ex eadem hominibus offensam remisit. Minor, in qua sola esse potest difficultas, probatur ex illis testimonijs Scripturæ, in quibus iustitia Deo attribuitur in meritis iustorū remunerā dis. 2. ad Timotheum 4. illis verbis: *Superest mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Ad Hebræos 6. ibi: *Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri.* Vndè Augustinus *lib. 4. contra Iulianum cap. 3.* sic habet. *Deus ipse* (quod absit) *erit iniustus, si ad eius Regnum verus non admittitur iustus:* & lib. de natura, & gratia cap. 2. sic ait: *Non est iniustus Deus, vt iustos fraudet mercede iustitiæ.* At prædicta testimonia cōgruentius explicantur de stricta, & rigorosa iustitia, & parte subiectiua illius, quam de iustitia, aut metaphoricè accepta, aut quæ solum sit pars iustitiæ potētialis, & aliàs ex hac interpretatione, congruentiorique & rigorosa acceptione nullum sequitur absurdum, vel inconueniens, vt ex solutione argumentorum constabit: ergo merita iustorum remuneratur Deus ex stricta, & speciali iustitia.

2. *Ad Timoth. 4.*

Ad Hebræos 6 S. Aug.

6. *Secundo ad Concil. Trident.*

Dices, Concil. Tridentin. *sess. 6. cap. 16.* testimonium Pauli de iustitia potentiali, nempè, de fidelitate explicasse illis verbis: *Atque ideo benè operantibus vsque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filijs Dei per Christum Iesum misericorditèr promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fidelitèr reddenda; hæc est enim illa corona iustitiæ, quam post suum certamen, & cursum repositam sibi esse aiebat Apostolus, à iusto iudice sibi reddendam, &c.* Quibus verbis illud *corona iustitiæ*, & illud *à iusto iudice*, ex quibus inferri poterat, retributionem meritorum iustorum esse actum iustitiæ in Deo, interpretatur Concilium de fidelitate, ex qua merita iustorum præmiat; fidelitas autem non est pars subiectiua, sed potentialis iustitiæ, & consequētèr ex prædictis testimonijs Pauli perperā à Nobis infertur, Deum iustorum merita ex iustitia stricta, & speciali, & quæ sit pars subiectiua iustitiæ remunerari, cum iuxta Concilium talis remuneratio ex fidelitate procedat, quæ iustitia dicitur, quia ad alterū est; non tamen est pars subiectiua, sed potentialis iustitiæ ex defectu aliquarum conditionum, quæ ad strictam iustitiam necessariæ sunt, & fidelitati non competunt.

7. *Contra primò.*

Concil. Trident.

Sed contra primò; nam ibi Tridētinum, etsi affirmet reddi iustis mercedem à Deo ex fidelitate illis verbis *ex Dei promissione*, & illis, *fidelitèr reddenda*; non tamen negat, reddi etiam ex alia virtute, quæ stricta iustitia sit, & pars subiectiua illius, imò ex tali virtute reddi iustis coronam iustitiæ, satis indicat Concilium, dum ait: *Ipsorum bonis operibus reddenda*; promissio namque sub cōditione operis onerosi, & condigni strictæ iustitiæ fundat obligationem, vt ex proximè dicendis constabit: ergo ex verbis Tridentini malè prædicta interpretatio colligitur, nec ex illis difficultas argumenti eleuatur.

Secūdò. S. Tho.

Deindè, nam D. Thom. super testimonium Pauli ad Timotheum *lect. 2.* explicans illa verba *Corona iustitiæ*, sic arguit: *Vita æterna ex gratia datur, vt constat ex Paulo ad Roman. 6. illis verbis: Gratia Dei vita æterna: non ergo ex iustitia.* Cui difficultati occurrit dicendo, *quod est ibi gratia quantum*

ad

ad radicem merendi; quia nempè, meritum gratiam ſupponit, & ex illa procedit, *iuſtitia quantum ad actum, qui procedit ex voluntate.* Sentit ergo D. Thom. vitam æternam iuſtis intuitu meritorum collatam nō eſſe gratiam formaliter, ſed ſolū radicaliter, quia merita fundantur in gratia, & in illa radicantur; at ſi virtus, ex qua Deus merita iuſtorum præmiat, eſſet iuſtitia tantum potētialis, recurſus ad iſtā diſtinctionem neceſſarius non eſſet ad componenda teſtimonia Pauli; nā id, quod ex iuſtitia tantum potentiali redditur, eſſe poteſt gratia, non ſolum in radice, ſed etiam in ſe ipſo formaliter, vt conſtat in gratia habituali iuſtificante, quæ datur à Deo homini ſe in ipſum conuertenti, illumque diligenti, ex iuſtitia potentiali, nempè, ex fidelitate; & tamen non ſolum in radice, ſed etiam in ſe ipſa formaliter rationem gratiæ ſortitur: ergo iuxta D. Thomam non loquitur Paulus in prædictis teſtimonijs de iuſtitia potentiali, ſed de ſtricta, & rigoroſa.

Tertiò. Denique prædicta interpretatio impugnatur ex eodem D. Thoma ad Hebræos 6. *lect.* 3. vbi explicans ſecundum Pauli teſtimonium ſic ait: *Dicendum eſt, quòd duplex eſt meritum, vnum, quod innititur iuſtitiæ, & iſtud eſt meritum condigni: aliud, quod ſoli miſericordiæ innititur, quod dicitur meritum congrui.* At ſi meritum condignum, non ſtrictæ, ſed potentiali iuſtitiæ inniteretur, Deuſque condigna iuſtorum merita ex iuſtitia ſolum potentiali præmiaret, diſcrimen à Diuo Thoma ſtatutum inter meritum condignum, & congruum non poſſet veritatem habere, cum miſericordia, cui meritum congruum innititur, iuſtitia potentialis ſit, vt potè virtus ad alterum ſine illis conditionibus, quæ ad ſtrictam iuſtitiam deſiderātur, in quo ratio potentialis iuſtitiæ conſiſtit: ergo iuxta D. Thomam iuſtitia, de qua loquitur Paulus, cui innititur meritum condignum, & ex qua Deus præmiat merita condigna iuſtorum, non eſt poteſtatiua, ſeu potentialis, ſed ſtricta, rigoroſa, & ſubiectiua iuſtitia.

S. Tho.

Tertiò principalitèr ſuadetur cōcluſio: pactum ſub conditione operis oneroſi, & condigni inducit in promittente obligationem ſtrictæ, & ſpecialis iuſtitiæ, adimpleta conditione adimplendi rem promiſſam; ſed Deus pepigit cum Chriſto de offenſa hominibus remittenda ſub conditione ſatisfactionis cōdignæ, & æqualis exhibendæ à Chriſto Domino, Chriſtuſque conditionem adimpleuit ſatisfaciendo æqualitèr, & condignè, imò & ſuperabundantèr pro offenſa irrogata Deo: ergo Deus acceptauit ipſius ſatisfactionem ex iuſtitia ſtricta, & ſpeciali, ex illaque hominibus offēſam remiſit intuitu ſatisfactionis à Chriſto Domino exhibitæ. Maior eſt communis Theologorum ſententia, minor etiā admiſſa ab omnib⁹ Theologis, conſtatq; ex illis verbis: *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum, videbit, & ſaturabitur.* In quibus verbis iuxta omnium Expoſitorum interpretationem pactum de remittenda offenſa hominibus ſub conditione mortis, & paſſionis Chriſti continetur. Conſequentia autem probatione non indiget.

8. *Tertio probatur concluſio.*

Iſai. c. 53. v. 10 & 11.

Reſpondebis, maiorem eſſe veram inter puras creaturas, quarum vna ſub alterius dominio non eſt, ideoque poteſt alteram ex iuſtitia obligare interueniente pacto ſub cōditione operis oneroſi, & condigni, conditionem adimplēdo, opuſque condignū, & æquale præſtādo, quia opus ab illa exhibitum talitèr ſub eius dominio cōſtituitur, vt ſub dominio promittentis non ſit, nec ei alijs titulis debeatur; ſecus autem inter hominem, & Deum; cum enim quidquid homo poteſt facere, ſit ſub perfectiſſimo dominio Dei, Deoque multis alijs titulis debitum, conſequens ſit, vt quamuis ex parte Dei promiſsio intercedat ſub conditione operis oneroſi, & condigni, & homo conditionem adimpleat opus cōdignum præſtando, non poſſit Deum ſibi ex ſtricta iuſtitia obligare: ſicut nec in creatis ſervus obligare poteſt dominum ex ſtricta iuſtitia, etiam ſi dominus pacificatur cum ſeruo ſub conditione operis oneroſi, &

9. *Reſpōdebis.*

seruus opus onerosum pro conditione positum exequatur, eo quòd tale opus est sub dominio, non serui, sed domini, illique titulo seruitutis debetur.

10. *Contra.* Sed contra istam solutionem in hunc modum obijcio: promissio sub conditione operis onerosi, & condigni, adimpleta conditione, inducit in promittente obligationem, non ex sola fidelitate: ergo inducit obligationem strictæ iustitiæ. Consequentia videtur bona, & ex dicendis cõstabit; antecedens autem probo: obligatio solius fidelitatis non obest rationi gratiæ; sed obligatio orta ex promissione sub conditione operis onerosi, & condigni cum ratione gratiæ opponitur, & rationem gratiæ excludit: ergo talis obligatio non est ex sola fidelitate. Consequutio est legitima; vtraq; autem præmissa indiget probatione: maior exindè constat; nemo enim negare potest, vnionem Verbi ad humanitatem esse maximam gratiarum ex illis, quas Deus fecit hominibus; & tamen huiusmodi gratiã diuina promissio præcessit, quod à nemine potest negari. Gratia etiam habitualis iustificans gratiosè à Deo confertur homini perfectè contrito; & tamen adest diuina promissio dandi homini contrito gratiam, vt constat ex illo: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*, & ex illo: *In quacumque die ingemuerit peccator, &c.* & alibi passim: ergo quod à Deo confertur obligato ex sola fidelitate, gratia est absolutè, & simplicitèr. Minor autem ostenditur primò ex Paulo ad Roman. 4. illis verbis: *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*: ergo Deus dans hominibus iustis gloriam intuitu bonorum operum, quæ in gratia operantur, dat ex debito excludẽte gratiam, & cõsequentèr obligatio orta in Deo ex pacto sub conditione onerosa operis condigni, & æqualis excludit rationem gratiæ formaliter. Secundo ex Tridentino *sess. 6. de iustificatione cap. 8.* vbi docet, ideò Paulum dicere hominem gratis iustificari à Deo, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siuè fides, siuè opera, iustificationis gratiam meretur: ergo apertè sentit Concilium, quòd si gratia iustificationis infunderetur à Deo obligato promissione onerosa sub conditione meriti condigni, iustificatio non esset gratia formalitèr, & consequentèr obligatio orta ex huiusmodi promissone cum ratione gratiæ incomponitur. Denique ex D. Thoma 2. ad Timotheum 4. *lect.* 2. vbi, vt saluet gloriam esse gratiam, & simul coronam iustitiæ, quia vtrumque à Paulo docetur, recurrit ad hoc, quod est gratia in radice; formalitèr autem ex iustitia dari, & esse coronam iustitiæ: ergo sentit D. Thom. gloriam, quia datur adultis à Deo in vi promissionis onerosæ sub conditione operis condigni, formalitèr gratiam non esse, ac proindè obligationẽ ex tali promissione ortam cum ratione gratiæ formalitèr talis, denique gratiosi non compati.

Zach. c. 1. v. 3.

Rom. 4.

Concil. Trident.

S. Tho.

11. *Respõdebis.* Respondebis, ex eo, quòd promissio onerosa sub conditione operis cõdigni, & æqualis, adimpleta conditione, inducat in promittente maiorem obligationem, quam ex sola fidelitate, & incompatibilem cum ratione gratiæ formaliter in dono sub conditione promisso, non rectè à Nobis inferri, obligationem inductam esse strictæ specialis iustitiæ, cum possit esse obligatio ex gratitudine, quæ est pars potentialis, & non subiectiua iustitiæ.

Contra primò. Sed contra hanc solutionem obstat primò, quòd si semel admittitur virtus gratitudinis in Deo, debet necessariò admitti in ipso virtus iustitiæ specialis: ergo, si Deus potest obligari ex gratitudine ab homine, poterit etiam obligari ex stricta, & speciali iustitia, & cõsequentèr ex illa merita iustorum præmiabit, & satisfactionem Christi acceptabit. Probatur antecedens: nam ratio excludendi strictam iustitiam à Deo apud aduersarios est, quia à nobis nihil recipere potest, nec nobis debere, debito in operibus nostris fundato; at hæc ratio, vel nihil probat, vel à fortiori conuincit, Dei ad nos gratitudinem esse non posse,

cum

cũ debitũ gratitudinis ſuper accepta beneficia fundetur, vt docet D. Tho. 2. 2. q. 106. art. 1. nos autem Deo benefacere non poſsimus: ergo admiſſa in Deo gratitudine reſpectu noſtri, non eſt cur in ipſo ſtricta iuſtitia in ordine ad nos negetur.

S. Tho.

Obſtat ſecundò nam id, quod datur ex gratitudine, eſt gratia in ſe ipſo formaliter; ſed id, quod datur debito fundato in promiſsione onerosa ſub conditione operis condigni, & æqualis, formaliter gratia non eſt, ſed corona iuſtitiæ: ergo obligatio orta ex prædicta promiſsione non eſt obligatio ſolius fidelitatis, nec ſolius gratitudinis. Conſequentia tenet, minor ex proximè dictis conſtat, & maiorẽ probo; in ſententia enim probabili aſſerente, vltimam diſpoſitionem ad gratiam iuſtificantem, illam de congruo mereri, Deus gratiam homini conferens intuitu vltimæ diſpoſitionis, ex gratitudine illam largitur; & tamen gratia iuſtificans eſt gratia abſolutè, & ſimpliciter, donumque gratioſum formaliter, nec ab aliquo Theologorum dicitur corona iuſtitiæ: ergo quod ex ſola gratitudine datur, formaliter gratia eſt.

12. Secũdò.

Tertiò tradita ſolutio reijcitur ex D. Thom. 2. 2. q. 106. art. 1. ad 2. quod ita procedebat: *Retributio proportionalis pertinet ad iuſtitiam commutatiuam, vt patet per Philoſophum lib. 5. Ethic. cap. 4. ſed gratiæ redduntur, vt retributio ſit, vt ibidem dicitur: ergo redditio gratiarum, quæ pertinet ad gratitudinem, eſt actus iuſtitiæ, non ergo gratitudo eſt ſpecialis virtus ab alijs diſtincta.* Cui argumento reſpondet D. Thom. his verbis: *Ad ſecundum dicendum, quòd retributio proportionalis pertinet ad iuſtitiam commutatiuam, quando attenditur ſecundum debitum legale, puta, ſi pacto firmetur, vt tantum pro tanto retribuatur; ſed ad virtutem gratiæ, ſiue gratitudinis retributio pertinet, quæ ſit ex ſolo debito honeſtatis, quam ſcilicet aliquis ſponte facit: vnde, & gratitudo eſt minus grata, ſi ſit coacta, vt Seneca dicit in lib. de beneficijs.* Hæc D. Thom. Ex quibus in hunc modum contra ſolutionem arguitur: retributio proportionalis pacto firmata, vt tantum pro tanto reddatur, non pertinet ad virtutem gratitudinis, vel gratiæ, ſed ad virtutem iuſtitiæ commutatiuæ, quæ ſtricta iuſtitia eſt, & pars non potentialis, ſed ſubiectiua iuſtitiæ; ſed Deus remittẽs homini offenſam intuitu meriti, & ſatisfactionis Chriſti retribuit retributione proportionali pacto firmata, vt tantum pro tanto reddatur, cũ meritum Chriſti adæquet, imò & ſuperexcedat offenſam, & remiſsionem illius, & hæc fuerit promiſſa à Deo ſub conditione ſatisfactionis exhibendæ à Chriſto Domino: ergo non remittit offenſam, nec acceptat Chriſti ſatisfactionem ex virtute gratitudinis, ſed ex ſtricta, & ſpeciali iuſtitia.

13. Tertiò. S. Tho.

Denique principaliter ſuadetur concluſio; nam in hoc, quòd Deus acceptet ſatisfactionem Chriſti ex iuſtitia ſtricta, & ſpeciali, & ex illa hominibus offenſam remittat intuitu meriti, & ſatisfactionis à Chriſto Domino exhibitæ, nulla imperfectio importatur: ergo acceptauit de facto ſatisfactionem Chriſti ex iuſtitia ſtricta, & ſpeciali, ex illaque hominibus offenſam remiſsit, nõ per reſpectum ad homines, ſed comparatione ad Chriſtũ: ita vt remiſsio offenſæ ex iuſtitia reſpectu Chriſti procedat, etſi gratioſa ſit per comparationem ad hominem, cui offenſa remittitur. Conſequentia patet; nam Deo attribuere debemus omnem perfectionem, quæ in ſuo cõceptu formali imperfectionem non dicit; ſed operari ex iuſtitia aliqua perfectio eſt, cum omnis virtus aliquam perfectionem importet: ergo ſi aliàs nullam imperfectionem dicit in ſuo conceptu formali, talis modus operandi Deo negandus non eſt. Antecedens autem probatur; nam acceptare ſatisfactionem Chriſti ex iuſtitia ſtricta, & ſpeciali, & ex illa hominibus offenſam remittere, eſt illam acceptare attendendo ad ius operationum Chriſti; ſed in iſto modo operandi nulla involuitur imperfectio: ergo in eo, quod Deus ſatisfactionẽ Chriſti acceptauerit ex iuſtitia ſtricta, & ſpeciali, & ex illa hominibus offenſam remiſerit

14. Vltimo probatur concluſio.

ſerit intuitu ſatisfactionis à Chriſto Domino exhibitæ, nulla imperfectio importetur.

15. *Respõdebis.* Respondebis, negando antecedens, quod nempè, in eo, quod Deus obligatus ex iuſtitia acceptet ſatisfactionem Chriſti, nulla imperfectio involvatur; nam in tali modo operãdi maxima imperfectio inuenitur, conſiſtens in eo, quod ſic acceptans, & operans obligatur à iure alterius; Deum autem ab aliquo extra ſe obligari ad aliquid retribuendum, vel offenſam remittẽdam, vel alio modo operandum, imperfectio maxima eſt incompatibilis cum ſupremo Dei dominio: obligatus namque ſubijcitur obliganti, & operatur cum dependentia ab illo; Deum autem ſubijci alicui extra ſe, & ab illo dependere imperfectionem maximam dicit, ideoque non poteſt in ipſo admitti.

16. *Contra.* Cæterum contra hanc ſolutionem ſic obijcio. Licèt Deum ab aliquo à ſe diſtincto abſolutè obligari obligatione independente ab illius libera voluntate, & ex illa nõ orta imperfectio maxima ſit obitans ſupremo dominio, & cum illo incompatibilis; obligari autẽ ex ſuppoſitione aliqua libera Deo, ab eius libera voluntate dependente, & ex illa ortum ducente imperfectionem non dicit; at ſic obligatum acceptare Chriſti ſatisfactionẽ eſt ſufficiẽs, vt illam acceptauerit ex iuſtitia ſtricta & ſpeciali: ergo in eo, quod acceptauerit Chriſti ſatisfactionem, ex ſtricta, & ſpeciali iuſtitia nulla imperfectio importatur, & conſequenter illum hoc modo acceptauit, & hominibus offenſam ex iuſtitia ſtricta remiſit. Conſequutio eſt legitima, minor exinde cõſtat: nam ſic acceptans ſeruat ius alterius ad æqualitatem, & cum debito, & obligatione ſimpliciter: ergo operatur ex ſtricta, & ſpeciali iuſtitia, quæ ſic diffinitur, *quod eſt conſtans, & perpetua voluntas ius ſuum vnicuique tribuendi.* Maior autem probatur; non enim minus eſt de ratione libertatis neceſsitatis excluſio, & de ratione potentiæ excluſio impoſsibilitatis, quam de ratione dominij excluſio obligationis; ſed cum ſuprema Dei libertate componitur neceſsitas orta ex ſuppoſitione ipſi libera; nam ſuppoſito, quod velit auxiliare efficaciter voluntatem creatam, neceſsitatur ad ſimultaneum concurſum illi præſtandum, & ſuppoſito, quod velit promittere aliquid, neceſsitatur ad promiſsi adimpletionem, & cum ſuprema Dei potentia componitur impotentia, vel impoſsibilitas ex ſuppoſitione ipſi libera, vt in eiſdẽ exẽplis apparet: nam ſuppoſita collatione libera auxilij efficacis, redditur impoſsibilis negatio concurſus ſimultanei, quæ de ſe poſsibilis erat, & ſuppoſita libera promiſsione, redditur Deo impoſsibilis negatio rei promiſſæ, quæ ante promiſsionem erat poſsibilis, quin ex hoc aliqua imperfectio ſequatur. ergo cum ſupremo Dei dominio compatitur obligatio operandi, vel aliquid retribuendi orta ex ſuppoſitione ipſi libera, quin ex tali obligatione, & tali modo operandi aliqua imperfectio Deo repugnans inferatur.

17. *Respondebis.* Respondebis, negando maiorem: ad cuius probationem negabis etiam maiorem; diſparitas autem eſt, quòd neceſsitas concurrendi concurſu ſimultaneo, & impoſsibilitas illum negandi oriuntur adæquatè ab intrinſeco, & ex libera Dei voluntate; ideoque non obſtant ſupremæ libertati Dei, nec eius omnipotentiæ, nec aliquam dicit imperfectionem: cæterum obligatio iuſtitiæ ſtrictæ, & ſpecialis, etiam ſi liberam Dei voluntatem ſupponat, non oritur adæquatè ab intrinſeco, nec proximè prouenit ex ſuppoſitione libera Deo, ſed ex iure creaturæ, quod aliquid creatum eſt, Deoque extrinſecum; eſt autem maxima imperfectio, quòd ab aliquo extra ſe Deus obligatus operetur obligatione proximè prouenient ab aliquo à ſe diſtincto, eo quòd ſic obligatus ſubijcitur obliganti, & dependenter ab illo operatur, vt proximè dicebamus.

18. *Contra.* Sed contra: nam quòd Deus ſemel conferens auxilium phyſicè prædeterminans, vel gratiam ex ſe efficacem, vel quodvis aliud cum aliquo à ſe didincto eſſentialitèr connexum, neceſsitetur ad cõcurſum ſimultaneũ

In leg. iuſtitia 10. de iuſt. & iur.

præstandum, vel ad extremum essentialis connexionis efficiendum, non prouenit solum ex actu libero voluntatis diuinæ, sed etiam prouenit obiectiuè ab entitate creata aliam entitatem sibi connexam essentialitèr exigente; & tamen nullam dicit imperfectionem supremæ libertati repugnantem, eo quod tota illa necessitas est ab aliquo dependente à Deo, ortoque ab illius libera voluntate: ergo obligari obiectiuè à iure creaturæ dependente à Deo, & ortum ducente à libera voluntate illius, nullam dicit imperfectionem, nec cum supremo Dei dominio repugnat. Minor cum consequentia tenet; maior autem probatur; Deus namque liberè conferens auxilium tantum sufficiens, nō necessitatur ad simultaneum concursum præstandum, eo quòd auxilium purè sufficiens, non exigit essentialitèr simultaneum concursum, & liberè producens hominem non necessitatur ad producendum equum, eo quòd homo cum equo necessariam connexionem non habet, nec illius existentiā ab intrinseco exposcit: ergo quòd Deus cōferens auxilium physicè prædeterminans necessitetur ad præstandum cōcursum simultaneum, & quòd producens aliquam entitatem creatam cum alia connexam necessitetur ad efficiendum extremū essentialis connexionis, non prouenit adæquatè ab intrinseco, sed obiectiuè proximè prouenit ab entitate cum alia connexionem habente, illamque exigente essentialitèr.

Cōfirmatur. Quod amplius vrgetur; Deum namque absolutè ab aliqua entitate creata obiectiuè necessitari imperfectio maxima esset, nec potest cum suprema libertate componi; & tamen ab entitate creata obiectiuè necessitari non absolutè, sed ex suppositione Deo libera imperfectio nō est, nec cū suprema libertate incōponitur: ergo paritèr, licet obligari absolutè ab aliquo iure creaturæ imperfectio maxima sit, nec cōponatur cū supremo dominio; obligari autē non absolutè ab aliquo iure creato, sed obligatione orta ex suppositione libera Deo, imperfectionem non dicit, nec cum supremo dominio repugnat.

§. II.

Argumentis in contrarium occurritur.

CONTRA istam conclusionē multa opponunt contrariæ sententiæ Authores, validiora sunt, quæ sequuntur. Primò sic arguunt; nam inter seruum, & dominum nequit esse stricta iustitia, vt docent Aristotel. 5. *Ethic. cap.* 6. & ex ipso D. Thom. 2. 2. *q.* 57. *art.* 4. cui alij Theologi, & Iurisperiti consentiunt, quod non alia ratione probatur, nisi quia seruus sui iuris nō est, & quia omne ius serui est sub dominio domini, & quia omne, quod seruus acquirit, domino acquirit, aliàs non esset sub perfecto illius dominio, nec illi perfectè subijceretur; sed Christus secundum humanitatem Dei seruus est, vtpotè ab illo, quatenus homo, dependens in fieri, cōseruari, & operari, supra quam dependentiam seruitus diuina fundatur, de quo D. Thomas in hac 3. *p. infra q.* 20. *art.* 1. *ad* 2. ergo Christus, vt homo, sui iuris nō est, & omne ius Christi est sub dominio Dei, & quidquid sibi acquirit, Deo acquirit, aliàs sub illius dominio perfectè nō esset, nec illi plenè subiectus: & cōsequētèr nō potest Deum ex iustitia stricta obligare, nec Deus potest illius satisfactionē acceptare obligatus ex iustitia, nec ex illa hominib⁹ offensā remittere intuitu satisfactionis à Christo Dño exhibitæ.

19. *Arguitur primò.* *Aristot.* S. Tho.

S. Tho.

Respondeo, concessa maiori, loquēdo de domino, & seruo creatis, & concessa minori, negando consequentiam. Ratio autem discriminis pulchrè traditur ab Angelico Doctore *in quarto sententiarum distinctione* 15. *quæstione prima artic. secundo ad secundum*, quod ita procedebat: *Seruus, quia totum, quod habet, domini est, non potest aliquid Domino recompensare; sed nos serui Dei sumus, quid-*

20. *Respōdetur.*

S. Tho.

quid

quid nos boni habemus, ab ipso habemus: cum ergo satisfactio sit recompensatio offensæ præteritæ, videtur, quòd Deo satisfacere non possimus. Cui argumento his verbis respondet: *Ad secundum dicendum, quòd homo, qui ad imaginem Dei creatus est, aliquid libertatis participat, in quantum est dominus suorum actuum per liberum arbitrium, & ideo ex hoc, quòd per liberum arbitrium agit, Deo satisfacere potest, quia licet Dei sit, prout a Deo est sibi concessum, liberè tamen traditum est, vt eius dominus sit, quod seruo non competit.* Ex quibus verbis manifestè colligitur discrimen inter seruum seruitute legali, qua seruitute homo subijcitur homini, & seruum seruitute naturali, qua seruitute Christus vt homo est seruus Dei, consistens in eo, quòd seruus seruitute legali sui iuris non est, nec habet alicuius rei dominium, sed quidquid habet est proprium domini, non solum positiuè, sed etiam priuatiuè, ideſt, talitèr domini, quòd sub dominio serui non sit: vndè, quidquid seruus hoc genere seruitutis acquirit, non sibi, sed domino acquirit, quòd si seruus aliquid sibi acquirit, quod illius sit, & non domini, de quo inter Doctores est controuersia, quantum ad illud seruus non est, & ideo inter dominum, & seruum creatum, in quantum seruus est, stricta iustitia esse nequit, nec seruus in quantum seruus potest dominum ex stricta iustitia obligare, quia ad hoc requirebatur, quòd esset domini capax; seruus autem Dei seruitute naturali, etsi, quidquid habet, acceperit à Deo, est tamen per liberum arbitrium suarum actionum dominus: vndè, licet ea, quæ sub illius dominio existunt, sint etiam sub dominio Dei positiuè, nō tamē existunt sub dominio Dei priuatiuè, & idcirco ab illis, quatenus existunt sub dominio serui, potest Deus ex iustitia stricta obligari; ac proindè, licet Christus quatenus homo sit seruus naturalis Dei, potuit per actus ab ipso liberè exercitos Deum ex iustitia obligare ad acceptandam illius satisfactionem, & vt hominibus offensam remitteret.

Secundò arguitur: Deus non potest per satisfactionem Christi obligari ad eius acceptationem, & ad remissionem offensæ sibi irrogatæ obligatione strictæ iustitiæ: ergo ex iustitia stricta, & speciali illam non acceptauit, nec hominibus offensam remisit. Consequentia tenet; nam operari ex stricta iustitia supponit in operante obligationem ex illa, & debitum legale operandi, vt ex sæpè dictis constat. Antecedens autem, in quo est difficultas, ostenditur primò; nemo enim potest a iure sibi proprio ex iustitia obligari, cum iustitia, & eius obligatio ius alienum respiciat, & sit ad alterum iure, vt vidimus *disputatione quinta §. vltimo*, & omnes fatentur; sed omne ius in satisfactione Christi fundatum est proprium Dei, vt potè existens sub illius perfecto dominio: ergo non potest in vi satisfactionis Christi Deus ex iustitia obligari.

Secundò, quia non solum principium satisfaciendi, sed ipsa actualis satisfactio à Christo Domino exhibita est donum Dei, vt potè ab ipso causata; sed dona propria Dei nequeunt strictum iustitiæ ius aduersus ipsum fundare, alias Deus se ipsum ex iustitia obligaret, sibique obligatus esset, quod est contra diffinitionem iustitiæ, ex qua constat, esse ad alterum, realemque distinctionem exigere inter obligantem, & obligatum: ergo à iure satisfactionis Christi non potuit Deus ex stricta iustitia obligari.

Tertiò probatur: nam obligatio ex iustitia dicit inferioritatem, & subordinationem in obligato ad illum, cui obligatur, cuius potest ab illo cogi ad obligationem adimplendam, & vt dependens ab illo operetur; sed inferioritas, subordinatio, & subiectio repugnant Deo, nedum respectu puræ creaturæ, sed etiam respectu Christi, cum dicant imperfectionem, vt ex ipsis terminis constat: ergo repugnat, & omninò implicat, Deum per satisfactionem Christi ex stricta iustitia obligari.

21. *Secundò arguitur.*

Antecedens probatur primò.

Secundò.

22. *Tertiò.*

Quartò. Quartò, nam Deus est Supremus Dominus satisfactionis Christi, cum sit aliquid creatum, & consequenter causatum à Deo, ac proindè illius dominio subiectum; sed cum supremo domino, etsi possit obligatio ex fidelitate componi, non tamen potest compati obligatio ex iustitia stricta, & speciali: ergo non potest hoc modo per satisfactionem Christi obligari. Minor, cui inest difficultas, probatur; etenim dominium consistit in facultate vtendi re sua in quoscumque vsus absque iniuria alterius; sed obligatio iustitiæ ad acceptandam Christi satisfactionem non potest cū huiusmodi facultate componi, nam eo ipso, quòd Deus ad illam acceptandam ex iustitia obligetur, illam non acceptando iniuriam Christo irrogaret: ergo obligatio ex stricta, & speciali iustitia, non potest in obligato cum supremo dominio componi.

23. *Cōfirmatur primo.* Et augetur difficultas primò: Deus namque est Supremus Dominus iuris fundati in satisfactione Christi, cum tale ius ab illius efficientia depēdeat, & consequenter illius subijciatur dominio, quod supra vniuersalem Dei efficientiam fundatur: ergo potest illud extinguere, aut destruere absque iniuria Christi, & consequenter absque iniuria Christo irrogata potest ius satisfactorium illius, supra eius satisfactionem fundatum irremuneratum relinquere, nam quæ maior irremuneratio, vel remunerationis negatio, quam iuris extinctio, aut destructio? ac proindè non est ex iustitia obligatus ad eius acceptationem: Deus namque non potest contra iustitiam agere, aliàs esset iniustus, quod implicat. Prima consequentia, ex qua cæteræ pendent, probatur: nam supremum dominium est facultas suprema vtendi re sua in quoscumque vsus absque iniuria alterius: ergo si Deus est supremus Dominus iuris fundati in satisfactione Christi, potest vti liberè illo, & consequenter potest, non solum illud conseruare, sed etiam illud extinguere, vel destruere absque iniuria Christo irrogata per talem destructionem.

Cōfirmatur secundo. Confirmatur, & vrgetur secundò: nam debitum ex iustitia stricta, & speciali, est debitum legale, vt ait Divus Thomas *secunda secundæ quæst. 80. artic. primo*, vbi docet, debitum, quod respicit iustitia stricta, esse debitum strictum, & legale, & quòd, deficiente debito rigoroso, & legali, non adest locus parti subiectiuæ, sed solum potentiali iustitiæ; sed Deus est incapax debiti legalis, cum debitum legale nascatur ex lege; Deus autem superiorem recognoscere nequeat, & consequenter nullius legibus subijci possit: ergo est incapax obligationis ex stricta, & speciali iustitia, & consequenter non potuit obligatus ex illa satisfactionem Christi acceptare, nec hominibus offensam remittere. Ex quo vlterius fit, vt acceptatio satisfactionis Christi non fuerit ex stricta iustitia: vt enim ex dictis constat, operari ex iustitia stricta, & speciali supponit in subiecto operante debitum, & obligationem operandi ex illa.

S. Tho.

Huic argumento, cui potissimè contraria sententia fidit, varijs modis respōderi solet ab Authoribus nostræ sententiæ. Sed, illis prætermissis, frequentiori, & veriori solutione respondeo, negando antecedens, quòd nempē non possit Deus per satisfactionē Christi ex iustitia stricta obligari ad eius acceptationem, & remissionē offensæ. *Ad primam* illius probationē, distinguo maiorē: si proprium sit positiuè, & priuatiuè, concedo maiorē, si positiuè, & non priuatiuè sit proprium, nego maiorem, & eadem distinctione, prætermissa, & negata minori, nego cōsequentiam; quia ius in satisfactione Christi fundatum ad remissionem offensæ, & satisfactionis acceptationem, esto sit Dei positiuè, hoc est, existens sub supremo dominio Dei, nō tamē est Dei priuatiuè, nā etiam est Christi, & sub aliqua ratione speciali, qua nō est Dei, vel aliquo modo speciali, quo Dei nō est, quatenus Christum satisfaciētem ex iustitia denominat, & habentem ius aduersus

24. *Respōdetur ad argumētum.*

Ad primā probationē antecedentis.

Deum,

Deum, qualitèr Dei creditoris nō est; nō enim illi tribuit istā denominationem: sicut satisfactio à Christo Domino exhibita, quamuis sit Dei, & sub illius existens dominio; non tamen denominat Deum satisfacientem; quia hæc denominatio solum tribuitur subiecto elicienti, & recipienti satisfactionem: satisfactio autem Christi, licet sit Dei vt causæ vniuersalis; non tamen est Dei vt subiecti elicientis, ideoque non denominat illum satisfacientem, & à iure supra satisfactionem Christi fundato, quatenus hoc modo est Christi, quo modo Dei non est, potuit Deus ex iustitia stricta obligari. Quam doctrinam latè explicuimus *disput. 5. n. 89. & seqq.* Nec sequitur, Deū esse sibi ex iustitia obligatum, quia licet obligetur à iure, quod est sui denominatiuè, non tamen obligatur à iure suo denominatiuè, quod requirebatur, vt sibi obligatus esset. Sicut nec sequitur, Deum satisfeciſſe per satisfactionē Christi, ex eo, quòd illam causauerit, & ex eo, quòd sit Dei, hoc est, sub illius existens dominio, quia satisfactio Christi non fuit Dei elicitiuè, & denominatiuè, sed tantum denominatiuè, & effectiuè efficientia causæ vniuersalis. Sicut etiam volitio à Christo Domino elicita Deum volentem non denominat, eo quòd, quamuis effectiuè sit Dei, vt causæ vniuersalis efficientis; Dei tamen elicitiuè non est, quod requirebatur, vt Deum volentem denominaret.

25. *Ad secūdam.* Et ex his ad secundā probationē, distinguo maiorē: satisfactio actualis à Christo Dño exhibita fuit donum Dei positiuè, & priuatiuè, nego maiorem: positiuè solum, concedo maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam; quia licet illa dona, quæ sunt Dei positiuè, & priuatiuè, hoc est, quæ talitèr Dei sunt, quòd non sint nostra, seu Christi ratione, & iure liberratis, nequeant Deū ex stricta iustitia obligare, aliàs Deus se ipsum obligaret ex iustitia, quod implicat; illa verò dona, quæ licet sint Dei, & sub illius existunt dominio titulo efficiētiæ vniuersalis, sunt etiam nostra, aut Christi, ratione dominij libertatis, & aliquo modo sunt Christi, quo sub Dei dominio non cadunt, possunt optimè fundare ius Deum obligans ex stricta iustitia, quin ex hoc inferatur, Deum obligare se ipsum, aut sibi obligatum esse, vt proximè dicebamus, & fusè *loco allegato* explicuimus. Et quidem negari à contrario non potest, ius meritorium condignum, promissione præsuppositā, aliter Deum obligare, ac simpliciter promissionē, vt §. 1. arguebam, cum huiusmodi obligatio excludat rationem gratiæ formalitèr, quam non excludit obligatio ex simplici promissione proueniens, aliàs iustificatio à Deo pœnitenti promissa formalitèr gratia non esset, & tamen merita, in quibus ius meritorium fundatur, dona sunt Dei sub illius dominio existentia, vtpotè ab illo causata, quin ex hoc inferri possit, Deum se ipsum iure meritorio obligare, vel sibi hoc iure obligatum esse, quod non aliundè prouenit, nisi quia merita, in quibus hoc ius fundatur, licet sint dona Dei purè effectiuè, non sunt Dei elicitiuè, & denominatiuè. Ita ergo Nos dicimus, quòd licet satisfactio Christi sit donum Dei, potest fundare ius Deum obligans ex stricta, & speciali iustitia, quin ex hoc inferatur, Deum sibi esse ex iustitia stricta obligatum, quia fundat prædictum ius sub eo modo speciali, quo Christi, & non Dei est.

26. *Ad tertiam.* Ad tertiam distinguo maiorem: obligatio orta ex iure independēte in fieri, & conseruari à subiecto obligationis dicit inferioritatem, & subiectionem in illo, concedo maiorē: obligatio orta ex iure dependente ab illo, qui obligatur, in fieri, & cōseruari, nego maiorem, & concessa minori, nego consequētiam; nam obligatio, qua Deus adstringitur ad acceptādā Christi satisfactionem, nascitur ex iure supra satisfactionem Christi fundato dependente à Deo vtroque ex prædictis modis, ideoque non dicit inferioritatem, nec subiectionem Dei ad Christum obligantem. *Obijcies* Si opponas: obligans aliquem obligatione strictæ iustitiæ potest ab illo, etsi inuito, mercedem extorquere, aut remissionem in-

iuriæ in ipſum commiſſæ; ſed hoc abſque inferioritate, & ſubiectione obligati ad obligantem ſaluari nō poteſt, & ex ipſis terminis imperfectionē dicit: ergo obligatio orta ex iure alterius vniuerſaliter importat inferioritatem, & ſubiectionem obligati ad obligantem, & ex ſuo conceptu dicit imperfectionem, ac proindè relegari debet à Deo. *Reſpōdetur.* Reſpondeo, veram eſſe maiorem, quando obligatio à voluntate obligati dependens non eſt; falſam autem, quando ab illius voluntate dependet in fieri, & conſeruari; tūc enim, cum obligatio voluntaria ſit ſubiecto obligationis, non poteſt redditio præmij, aut remiſſio offenſæ, quæ eſt obligationis terminus, eſſe ipſi involuntaria, ac proindè nō poteſt invitus mercedem ſoluere, præmium reddere, aut offenſam remittere.

27. *Ad quartā probationē reſpondent aliqui.* Ad quartam probationem, conceſſa maiori, nego minorem, ad illius probationem ſunt, qui reſpondeant, quòd licet Deus ex iuſtitia ſtricta, & ſpeciali fuerit obligatus ad acceptandam ſatisfactionem Chriſti, & ad remittendam homini iniuriam, nihilominus illam non acceptando, & offenſam non remittendo, nullam Chriſto iniuriam irrogaret, eo quòd tunc ſolum aliquis irrogat alteri iniuriam, quando agit contra ius alterius indepēdens à voluntate creditoris: vndè, cum ius Chriſti dependeat à voluntate Dei, Deus non acceptans Chriſti ſatisfactionem, & non remittens offenſam hominibus, etſi contra ius Chriſti ageret, nullam illi iniuriam irrogaret. Cæterum contra hanc ſolutionem obſtat, eſſe omninò voluntariā: ſicut enim diffinitur iuſtitia per ordinem ad ius alterius obſeruatum: ita diffinitur iniuria, vel iniuſtitia per ordinem ad ius alterius violatum; ſed vera ratio iuſtitiæ ſaluatur in Deo per ordinem ad ius Chriſti, etſi à diuina voluntate dependens, quandoquidem, vt Authores ſolutionis docent, ſatisfactionem Chriſti ex iuſtitia ſtricta, & ſpeciali acceptauit, & hominib⁹ offēſam remittēs per reſpectum ad Chriſtum, & merita illius verum actū exercuit iuſtitiæ: ergo iuris Chriſti violatio verè eſſet iniuria illius, etſi ius Chriſti violatum in fieri, & conſeruari, à diuina voluntate dependeat. *Reiicitur ſolutio.* Præterea; non enim ſtat agere contra obligationem iuſtitiæ abſque iniuria, & iniuſtitia alicuius; ſed Deus non acceptans ſatisfactionem Chriſti ageret cōtra obligationem iuſtitiæ: ergo iniuriam, & iniuſtitiam Chriſto irrogaret. Maior cum conſequentia tenet; minor autē probatur: nam Deus acceptauit ſatisfactionem Chriſti obligatus ex iuſtitia: ergo omiſsio acceptationis eſſet iſtius obligationis violatio: ſicut eo ipſo, quòd aliquis ad diligendum ſit obligatus, non poteſt nō violare huiuſcemodi obligationem non diligens.

28. *Vera ſolutio.* Vndè, prætermiſſa hac euaſione ad probationem minoris aliter reſpō detur, diſtinguendo, & explicādo maiorem: dominium conſiſtit in facultate, ſeu poteſtate abſoluta, & antecedēti vtēdi re ſua abſque iniuria alterius, cōcedo maiorem: in facultate, ſeu poteſtate conſequenti, & quacumque facta ſuppoſitione expedita ad vtendum re ſua abſque alterius iniuria, nego maiorem, & iuxta hanc diſtinctionem, nego minorem; quia cum poteſtate antecedenti, & abſoluta ad non acceptandam Chriſti ſatisfactionem abſque iniuria illius, quæ ſufficit ad rationem ſupremi dominij, ſtat impotētia ex ſuppoſitione aliqua libera Deo ad negationem acceptationis abſque iniuria Chriſti, quæ ſufficit ad obligationem ex iuſtitia ſtricta, & ſpeciali: vndè, huiuſcemodi obligatio cum ſupremo dominio compatitur. Quòd autem ad rationem ſupremi dominij non requiratur facultas conſequens, & in quacumque ſuppoſitione expedita ab omni obligatione, ſed ſufficiat ad illam poteſtas abſoluta, & antecedens, conſtat ex dictis inter probandam noſtram concluſionem; nō enim minus eſt contra libertatem neceſsitas, quam contra dominium obligatio; ſed quamvis neceſsitas antecedens obſtet ſupremæ libertati, neceſsitas cōſequens, & ex ſuppoſitione ſummæ libertati non obſtat, ſed cum illa componitur, vt ſuperius monſtrauimus

mus: ergo quamvis obligatio omninò antecedens obstet supremo dominio; obligatio tamen consequens, & libera subiecto obligato supremo dominio non obstat, & cõsequentèr nõ est de ratione illius potestas vtendi re sua absque iniuria alterius expedita ab omni obligatione consequenti: sicut nec est de ratione libertatis in agẽdo potestas non agendi expedita à necessitate consequenti.

29. *Ad primã cõfirmationẽ respõdẽt aliqui recẽtiores.*

Ad primam confirmationem docti Recentiores respondent, concesso antecedenti, & prima consequentia, distinguendo cõsequens subillarum, illudque cõcedunt, si Deus, vt potest, extinguat ius Christi supra illius satisfactionem fundatum; negant autem, supposita prædicti iuris conseruatione. Itaque asserunt, Deum vt supremum Dominum posse extinguere ius Christi, & cuiuscumq; creaturæ, absque eo quòd illorum ius destruendo, aut extinguendo, aliquam iniuriam irroget, & tali destructione suppositа, absq; iniuria illius, qui ius habebat, poterit eius merita irremunerata relinquere, vel non acceptare eius satisfactionem; ex suppositione tamẽ, quòd nolit ius destruere, vel extinguere, sed liberè illud conseruet; non potest absque iniuria alterius præmiũ, vel mercedem non dare, vel non acceptare condignam satisfactionem, supra quã fundatur ius; quia tamẽ libera est Deo iuris non extinctio, aut destructio, cõsequens fit, quòd prædicta obligatio supremo Dei dominio non obstet, sed cum illo componatur. Quòd si obijcias, Deum ex vi promissionis obligatum esse ad non extinguẽdum ius meritorum, & satisfactorium Christi; sed non potest promissioni non stare, aliàs esset infidelis, quod implicat: ergo non est potens ad destrictionem, vel extinctionem iuris, & consequentèr nec supremus dominus illius, quãdoquidem supremum dominium cõsistebat in potestate ad destruendum, & extinguendum ius satisfactionis, & meriti. Respondent, concesso antecedenti, & prima consequentia, negãdo secundam, qua infertur, non manere Deum supremum dominum iuris satisfactorij, & meritorij Christi: nam obligatio, & necessitas illa ad non extinctionẽ iuris nõ est ex iustitia, sed ex fidelitate; non autem opponitur cum supremo dominio iuris creati obligatio, vel necessitas ad non extinguendum illud ex fidelitate orta, sed solum quæ ex stricta iustitia oritur, eo quòd si per impossibile obligatus ex fidelitate ad non extinguendum ius, illud extingueret, contra fidelitatem agendo, ius alterius non violaret, nec ageret contra ius alicuius, & consequentèr, etsi infidelis esset, non esset iniustus in iustitia stricta, & speciali; de ratione autem dominij solum est facultas vtẽ di re sua in quoscumque vsus absque iniuria alterius.

Si illis obijciatur.

Respõdent.

30. *Reijcitur primo Recẽtiorum solutio.*

Cæterum contra hanc solutionẽ obstat primò; nã potest Deus promittere non extinguere ius Christi in eius satisfactione fundatum, vel ius meritorium cuiuscumque alterius creaturæ sub conditione onerosa operis condigni, & æqualis, & nõ solum promissione simplici; at obligatio orta ex vi promissionis onerosæ sub conditione operis condigni, & æqualis, non est obligatio solius fidelitatis, sed etiã strictæ iustitiæ, vt præfati Recentiores fatentur, & constat ex dictis: ergo potest Deus obligari ad non extinguendum ius satisfactorium Christi, & ius meritorium cuiuscumq; alterius creaturæ obligatione strictæ iustitiæ, & cõsequẽtèr talitèr quòd extinctio iuris esset contra ius alterius. Secundò, nã Deus de facto non alitèr promisit nõ extinguere ius nostrorum meritorũ, aut ius satisfactorium Christi, nisi promittendo nobis præmium sub conditione, quòd benè operemur, & Christo remissionẽ offensæ ab hominibus commissæ sub conditione satisfactionis exhibendæ ab ipso; sed huiusmodi promissio non est simplex, sed onerosa sub conditione operis condigni, & æqualis: ergo obligatio Dei ad non extinguendum ius Christi, aut nostrorũ meritorum, non est solius fidelitatis, sed etiam strictæ iustitiæ, & consequẽtèr extinguendo tale ius, non solũ infidelis, sed etiam iniustus esset, vtpotè contra ius alterius agens.

Secũdò.

31. *Tertio.* Denique, nam sequitur ex hac solutione solum ex vi fidelitatis, & obligationis ex illa, non autem ex vi obligationis ex iustitia stricta, & speciali esse certò certitudine fidei futuram acceptationem satisfactionis Christi, & remissionē offensæ irrogatæ Deo; consequens falsum videtur: ergo de facto Deus obligatus fuit obligatione, non solum fidelitatis, sed etiam strictæ iustitiæ ad non extinguendum ius satisfactorium Christi. Consequentia tenet, minor constat; nam certitudo futuræ acceptationis, & remissionis offensæ irrogatæ Deo habetur ex illis promissionibus, quibus Deus promisit Christo sub conditione passionis, & mortis remissionem offensæ ab hominibus commissæ; sed promissiones illæ, cum non simplices, sed conditionatæ sint, sub conditione operis condigni, & æqualis, inducunt in promittente obligationem, non solius fidelitatis, sed etiam strictæ, & rigorosæ iustitiæ: ergo certitudo futuræ acceptationis satisfactionis Christi, & remissionis offensæ irrogatæ Deo nō est ex vi obligationis ex sola fidelitate, sed etiam ex stricta, & rigorosa iustitia. Sequela autem probatur: nam eatenus acceptatio satisfactionis Christi, & remissio offensæ intuitu illius facta, sunt certò futuræ certitudine fidei, cui falsum subesse non potest, quatenus ius satisfactorium Christi à Deo extinguendum non est, cum eo ipso quòd à Deo tale ius extingueretur, nec acceptaret Christi satisfactionem, nec intuitu illius hominibus offensam remitteret; sed quod extinguendum non sit à Deo ius Christi in ordine ad acceptationem suæ satisfactionis, & remissionem offensæ Deo ab hominibus irrogatæ, non habetur ex vi obligationis Dei ex rigorosa, & stricta iustitia, sed solum ex vi obligationis fidelitatis iuxta solutionem traditam: ergo certitudo infallibilis acceptationis satisfactionis Christi, & remissionis iniuriæ, & offensæ diuinæ non habetur ex vi obligationis Dei ex iustitia stricta, & speciali, sed solum ex vi obligationis virtutis fidelitatis.

32. Vnde, quidquid sit de illius solutionis veritate, ad primam confirmationem respondeo, concesso antecedenti, distinguendo cōsequens, potest illud extinguere, & destruere absque iniuria Christi potentia antecedenti, & absoluta, concedo cōsequentiam; potentia consequenti, & ab omni necessitate sibi voluntaria, & libera expedita, nego consequentiam. Itaque sicut Authores prædictæ solutionis fatentur, quòd supposita iuris satisfactorij Christi conseruatione, non potest absque iniuria Christi non remittere offensam sibi irrogatam hominibus, & tamen, adhuc iuris conseruatione supposita, manet supremus Dominus talis remissionis, quia necessitas remittendi offensam non est antecedens, & absoluta, sed consequens libertatem diuinam, & ex suppositione libera conseruationis iuris: ita Nos dicimus, quòd supposita promissione remittendi offensam hominibus sub conditione operis condigni, & æqualis, & satisfactionis exhibendæ à Christo Domino, & supposito concursu, quem Deus Christo vt homini libere præstat, vt prædictum opus, & satisfactionem exhibeat, nō potest ius Christi satisfactorium extinguere, quia promittendo remissionem offensæ, virtualiter promittit non extinctionem, & destructionem iuris, quin ex hoc impediatur, quòd Deus prædicti iuris supremus Dominus sit, quia impotentia ad non extinguendum illud, aut necessitas illud conseruandi non est absoluta, & antecedens, sed consequens libertatem diuinam, ortaque ex suppositione libera Deo; impotentia autem, vel necessitas consequens sicut summæ libertati non obstat, ita nec cum supremo dominio incompatitur.

Ad primā cōfirmationē respondetur.

33. *Ad secūdam.* Ad secundam confirmationem dicatur, debitum legale, quod à D. Tho. petitur ad iustitiam specialem, & strictam, & quæ non sit pars potentialis, sed subiectiua iustitiæ 2. 2. q. 80. *art.* 1. ab eodem D. Thoma explicari q. 106. *art.* 1. *ad* 2. illis verbis: *Dicendum, quod retributio proportionalis pertinet ad iustitiam commutatiuam, quando attenditur secūdum debitum legale, pu-*

S. Tho.

ta

ta, si pacto firmetur, vt tantum pro tanto retribuatur; sed ad virtutem gratiæ, siuè gratitudinis retributio pertinet, quæ sit ex solo debito honestatis, quam scilicet aliquis sponte facit: vnde, & gratitudo est minus grata, si sit coacta, vt Seneca dicit in lib. de beneficijs. Hæc D. Thom. Ex quibus apertè constat, non petere aliud debitum legale ad rationem strictæ iustitiæ, & quæ non vt pars potentialis, sed vt pars perfecta, & subiectiua sub iustitia continea tur, quam illud, quod datur ad tantũ pro tanto reddendum pacto firmatũ; vndè, sicut tantum pro tanto reddere pacto, aut promissione præcedente prouenit inter homines ex obligatione legis extrinsecæ positæ à superiore; in Deo autem non prouenit ex lege extrinseca alicuius superioris, cuius est incapax, vtpotè superiorem se non habens, à quo possit legem recipere, & cuius legibus subijci possit, sed ex rectitudine essentiali, & intrinseca naturæ, & voluntatis propriæ, quæ sibi ipsi est lex, non quoad vim coactiuam, quæ reperitur in lege, sed solum quoad vim directiuam: ita debitum requisitum ad rationem iustitiæ specialis, & strictæ conuenit hominibus ex lege extrinseca superioris; Deo autem non ita, sed ex rectitudine voluntatis diuinæ, quæ est sibi ipsi lex, à qua non potest deficere.

34. *Obijcies* Sed dices, iuxta hanc solutionem non distingui debitum legale, & morale; at D. Thom. hæc duo debita distinguit 2. 2. q. 80. *art.* 1. docens, primum debitum requiri ad rationem partis subiectiuæ iustitiæ: ergo solutio tradita doctrinæ Diui Thomæ non congruit, nec cum illa potest subsistere. Minor cum consequentia tenet; maior autem probatur, nã distinctio à D. Thoma posita inter vtrumq; debitum est, quòd debitum legale prouenit à lege; debitum autem morale prouenit ex honestate virtutis, vt constat ex eius verbis, ibi: *Debitum legale est, ad quod reddendum aliquis lege adstringitur, & tale debitum proprie attenditur in iustitia, quæ est principalis virtus; debitum autem morale est, quod aliquis debet ex honestate virtutis, & quia debitum necessitatem importat, ideo tale debitum habet duplicem gradum, quoddam enim est sic necessarium, vt sine eo honestas morum conseruari nõ possit, & hoc habet plus de ratione debiti.* Et paucis interpositis ait: *Aliud vero debitum est necessarium, sicut conferens ad maiorem honestatem, sine qua tamen honestas conseruari potest, &c.* Hæc D. Thom. Ex quibus apertè cõstat, distinctionem inter debitum legale, & morale ab ipso statutam consistere in eo, quòd ad debitum legale reddendum adstringitur aliquis à lege; debitum autem morale esse, quod aliquis debet ex honestate virtutis; sed debitum Deo conueniens ex rectitudine propriæ voluntatis non est, ad quod reddendum Deus lege adstringatur, sed tantum ex honestate virtutis, cum rectitudo voluntatis diuinæ, & honestas virtutis sint idem: ergo iuxta doctrinam traditæ solutionis non saluatur distinctio à D. Thoma statuta inter debitum legale, & morale, nec debitum legale requisitum ad rationem strictæ iustitiæ, prout à Diuo Thoma explicatur, & à debito morali distinguitur, potest conuenire Deo, ac proindè nec ipsi potest cõpetere actus iustitiæ strictæ, & specialis.

S. Tho.

35. *Respondetur.* Respondeo, negando maiorem, ad illius probationem dicatur, distinctionem a D. Thoma statutam inter debitum legale, & morale, non consistere in eo, quod debitum legale ex lege superioris proueniat; morale autem non oriatur ex lege: nam debitũ morale necessarium ad cõseruandam honestatem virtutis, quod Angelic. Doctor. *loco allegato* dari fatetur, ex lege prouenit inter homines: tùm, quia honestas virtutis nõ perditur, nisi per legis transgressionem, nisi virtus sit tantum de actibus sub consilio cadentibus. Tùm etiam, quia homo rum veracitatis ad dicendum verum inclinantis, & ad cõformãda verba cũ mente debitum morale est, vt ibidem Angelic. Doctor. refertur; & tamen ex lege prouenit superioris, cum ex illa quis ad verum dicendum teneatur, legisque transgressor sit, qui aliter, ac

sentit,

ſentit, loquitur falſum dicendo. Diſcrimen ergo conſiſtit in hoc, quòd debitum à iuſtitia inſpectum maximè per leges attenditur, & idcirco legale appellatur in nobis ex lege extrinſeca à ſuperiori poſita ortum; in Deo autem ex rectitudine propriæ voluntatis, quæ, quia eſt indefectibilis eſſentia liter, & eſt ſuprema voluntas, lege extrinſeca nō indiget, nec illius capax eſt, ſed eſt ſibi ipſi lex: ſicuti ad nō mētiendum homines ex lege ſuperioris tenentur; Deus autem non ex aliqua extrinſeca lege, ſed ex propriæ volūtatis eſſentiali rectitudine ad nō mentiendum inclinatur, & tenetur. Vndè, ſicut iſta conſequentia non valet: debitum, quod attendit veracitas, prouenit in nobis ex lege; ſed Deus eſt incapax legis: ergo eſt incapax debiti veracitatis: ita ſimilis conſequentia in materia iuſtitiæ non tenet, neque ex eo, quòd in nobis debitum, quod attendit iuſtitia, ex lege ſuperioris oriatur, & Deus ſit incapax legis, non poteſt inferri, eſſe debiti iuſtitiæ incapacem, & ex tali debito operādi, actumque iuſtitiæ exercendi.

36. *Vltimo arguitur & replicatur cō tradicta*

Denique arguitur, & hucuſque dicta impugnantur: Deus non ſolum nō poteſt ex iuſtitia ſtricta ad aliquid faciendum abſolutè obligari, ſed nec etiam poteſt obligari ex ſuppoſitione ipſi libera: ergo non acceptauit ſatisfactionem Chriſti ex iuſtitia ſtricta, & ſpeciali, neque ex illa intuitu ſatisfactionis à Chriſto Domino exhibitæ hominibus offenſam remiſit. Conſequentia patet: vt enim ex dictis cōſtat, ad operandum ex ſtricta, & ſpeciali iuſtitia obligatio operandi requiritur, quam in Deo inueniri ſine imperfectione docuimus, quia non eſt abſoluta, & antecedens, ſed illius conſequens libertatem, ortaque ex ſuppoſitione ipſi libera: ergo, ſi adhuc illius modi obligationis eſt incapax, non potuit ex iuſtitia ſtricta, & ſpeciali acceptare Chriſti ſatisfactionem. Antecedens autem oſtenditur primò; nō enim ſolū abſolutè, ſed etiā quauis facta ſuppoſitione, manet Deus ſupremus dominus cuiuſcūque iuris creati, ſiuè ſit Chriſti, ſiuè puræ creaturæ; at de ratione ſupremi dominij eſt facultas libera vtēdi re ſua in quoſcūque vſus abſque iniuria alterius, cum qua facultate obligatio ſtrictæ iuſtitiæ, etiam ex ſuppoſitione, non poteſt cōpati: ergo Deus eſt incapax obligationis ſtrictæ iuſtitiæ, non ſolum abſolutè, ſed etiam quacumque facta ſuppoſitione.

Antecedēs probatur primo.

37. *Secūdò.*

Secundo probatur: nam Deus nō minus eſt ſupremus dominus, quam Iudex, & Prælatus ſupremus; ſed quia ſupremus Iudex eſt, & ſupremus Prælatus, non ſolum non poteſt alterum vt ſibi Prælatum, & Iudicem abſolutè reſpicere, ſed nec etiam ex ſuppoſitione poteſt alteri ſubijci tāquam Iudici, & Prælato, aliàs ex ſuppoſitione ipſi libera poſſet ſuperiorem habere, & ab illo leges recipere, quod admitti non poteſt: ergo quia eſt ſupremus Dominus cuiuſcumque creaturæ, & cuiuſcumque iuris creati, non ſolum non poteſt alteri ex iuſtitia abſolutè obligari, ſed nec etiam poteſt alteri obligari ex ſuppoſitione quantumcumque ipſi libera.

Tertiò.

Denique probatur; nam adhuc ſuppoſita promiſſione conditionata remittendi offenſam hominibus ſub conditione ſatisfactionis Chriſti, & conditione adimpleta, Chriſto Domino præſtante ſatisfactionem, poteſt Deus ſe expedire ab obligatione illam acceptandi, & remittendi offenſam abſque iniuria Chriſti: ergo tali ſuppoſitione, & alia quacumque facta, non manet Deus, nec manere poteſt ex ſtricta iuſtitia obligatus ad remittendam offenſam hominibus, & acceptandam Chriſti ſatisfactionem. Conſequentia videtur bona; nam ad id, à cuius adimpletione poteſt aliquis ſine alterius iniuria expediri, non eſt ex iuſtitia obligatus: ergo ſi Deus, qua cumque facta ſuppoſitione, poteſt ſine iniuria Chriſti non acceptare illius ſatisfactionem, nulla facta ſuppoſitione, manet Deus Chriſto ex iuſtitia obligatus. Antecedens autem probatur; nam Chriſtus, promiſſione Dei ſuppoſita, & cōditione ab ipſo adimpleta, nempè ſatisfactione exhibita, poteſt cedere iuri, quod habet, vt

Deus

Deus acceptet eius satisfactionem, & hominibus offensam remittat; sed Deus potest voluntatem Christi humanam præmouere efficacitèr ad actum cedendi, qua cessione facta, omninò liber ab obligatione acceptandi satisfactionem Christi, & remittendi offensam manebit: ergo factis illis suppositionibus, & quauis alia possibili, potest Deus se eximere ab obligatione acceptandi Christi satisfactionem, & remittendi offensam hominibus absque iniuria Christi.

38. *Respõdetur. Ad primã antecedentis probationem.*

Respondeo, negando antecedens, quòd nempè Deus non possit obligari ex iustitia stricta obligatione non absoluta, & antecedenti, sed cõsequẽti illius libertatem, & ex suppositione ipsi libera: ad primam antecedentis probationem, concessa maiori, distinguo minorem: de ratione dominij est facultas absoluta, & antecedens vtendi re sua in quoscumque vsus, absque iniuria alterius, concedo minorem: facultas consequens, & ab omni libera suppositione necessitante expedita, nego minorem, & consequentiam: sicut namque suprema libertas non excludit necessitatem ex suppositione, sed solum necessitatem antecedentẽ, & absolutam: ita supremum dominiũ non excludit obligationem ex suppositione libera subiecto obligato, sed solum excludit obligationem absolutam, & antecedentem: & sicut ad libertatem saluandam in aliqua suppositione, & componendam cũ illa sufficit, quòd cum tali suppositione cõponatur potentia absoluta, & antecedens ad extremum libertatis, v.c. ad libertatem in elicientia amoris conseruandam, & componendam cum suppositione gratiæ efficacis, sufficit cum tali suppositione componi potentiã absolutam, & antecedentem ad odiũ, vel ad omissionem amoris; non autẽ requiritur potentia, consequens ad illam expedita ab omni necessitate ex tali suppositione proueniente: ita, vt dominium alicuius rei componatur cum aliqua suppositione, & in tali suppositione saluetur, non requiritur potentia cõsequens ad omnem vsum illius expedita ab omni obligatione cõsequenti, sed sufficit cum tali suppositione coniungi potentiam absolutam, & antecedentem ad vtendum re sua in quoscumque vsus absque iniuria alterius: & sicut ista consequentia non tenet: voluntas in suppositione gratiæ efficacis libera manet ad amandum: ergo est potens cum tali suppositione coniungere negationem amoris: ita non valet huiusmodi consequẽtia: Deus, promissione onerosa supposita, manet dominus rei promissæ: ergo potest illam absque iniuria alterius negare negatione coniuncta cum tali suppositione, sed sufficit, quòd cum suppositione conseruet potestatem antecedentem, & absolutam ad omnem vsum rei suæ absque alterius iniuria.

39. *Ad secũdam.*

Ad secundam antecedentis probationem, concessis maiori, & minori, nego cõsequentiam; & ratio discriminis est; nam subiectio ad alterum, vt Prælatum, & Iudicem, in suo conceptu formali dicit imperfectionem, & idcirco non potest prædicta subiectio Deo conuenire, nec absolutè, neque ex suppositione; obligatio autem strictæ iustitiæ imperfectionem in suo conceptu formali non dicit, si non absolute conueniat, sed tantum ex aliqua suppositione libera subiecto obligato; ideoq; licet non possit Deus obligari ex stricta iustitia obligatione omninò antecedenti, & absoluta; potest tamen ex iustitia stricta obligari obligatione consequenti illius libertatem, ortaque ex suppositione ipsi libera, quin ex hoc aliqua imperfectio inferatur, sicut nec sequitur aliqua imperfectio contra illius libertatem ex hoc, quòd necessitetur necessitate consequenti, quamuis foret imperfectio necessitas omninò antecedens.

40. *Obijcies*

Sed dices: obligari alteri ex stricta iustitia absolutè imperfectionem dicit, sicut etiam imperfectio est subijci alteri, vt Prælato, vt superiori, & vt Iudici absolutè: cur ergo ab obligatione strictæ iustitiæ excluditur imperfectio per hoc, quòd non absolutè cõueniat, sed ex suppositione libera subiecto obligato, & à subiectione ad alterum vt Prælatum, superiorem, &

Iudi-

Iudicem per ſimilem ſuppoſitionem imperfectio nõ excludetur: ita vt ſubiectio abſolutè cõueniẽs imperfectio ſit; quæ tamen nõ abſolutè, ſed ex ſuppoſitione liberæ cõuenit, imperfectionem non dicatè. Vel cur ſubijci alteri tanquam Prælato, & Iudici imperfectionem dicit, ſiuè abſolutè, ſiuè ex ſuppoſitione conueniat, & obligatio ex iuſtitia ſtricta, & ſpeciali non dicit imperfectionem in conuenientia ex ſuppoſitione, ſed ſolum in conuenientia abſolutaè

41. *Reſpõdetur primò.* Reſpondeo, rationem diſcriminis eſſe, quòd obligatio ſtrictæ iuſtitiæ oritur ex iure creaturæ dependente in fieri, & conſeruari à voluntate libera Dei, & ideo inferioritatem non dicit in Deo obligato ad creaturam, cui obligatur, nec dependentiam ab illa, in quibus poterat imperfectio obligationis ex iuſtitia ſtricta, & ſpeciali conſiſtere: ſicut Deus non conſtituitur inferior creatura, nec illi ſubordinatus, aut ab illa dependens per hoc, quòd creaturæ obligetur, ſua promiſsione ſuppoſita, quia talis obligatio naſcitur ex promiſsione ipſi libera, ideoq; in Deo abſque imperfectione admittitur ab omnibus Theologis. cæterũ ſubiectio ad alterum, vt Prælatum, Superiorem, & Iudicem, nõ poteſt cum ſimili dependentia componi; quia nõ ſtat ſuperioritas ad aliquem cum dependentia ab illo; nihil enim ſuperioritati repugnantius, quam dependentia Prælati, vel Superioris ab inferiori, vel ſubdito; & ideo ſubiectio ad alterum vt Prælatum, Superiorem, & Iudicem in ſuo conceptu formali imperfectionẽ importat, à qua ex nulla ſuppoſitione depurari poteſt, ac proindè nequit Deo neque abſolutè, neque ex ſuppoſitione competere.

42. *Reſpõdetur ſecundò.* Vel ſecundò reſponderi poteſt ad ſecundam antecedentis probationẽ, conceſsis maiori, & minori, negando conſequẽtiam; nam ex eo, quòd Deus non minus ſupremus dominus ſit cuiuſcumque rei creatæ, quam ſupremus Prælatus, & Iudex, & ex ratione Iudicis, & Prælati ſupremi non poſsit nec abſolutè, neque ex ſuppoſitione alteri vt Prælato, & Iudici ſubordinari, ſolum ſequitur ex ratione ſupremi dominij, & quia ſupremus dominus eſt, non poſſe, neque abſolutè, neque ex aliqua ſuppoſitione alium recognoſcere vt dominum, nec alteri vt domino ſubijci; vel alterius dominio ſub ordinari, quod veriſsimum eſſe fatemur; non autem ſequitur, quòd non poſsit ab alterius iure à ſe dependenti obligari, quod rectè componitur cũ eo, quòd nullius ſubijciatur dominio: nam obligans alterum non eſt eo ipſo dominus perſonæ obligatæ, & conſequentèr poteſt Deus obligari creaturæ, quin illam habeat vt dominam, vel illius ſubijciatur dominio: ac proindè ex eo, quòd Deus neque abſolutè, neque ex ſuppoſitione poſsit dominum habere, quia ſupremus dominus eſt, quod ſolum ex præmiſsis, & paritate facta conuincitur, non probatur, non poſſe ex aliqua ſuppoſitione ſibi libera Chriſti, vel puræ creaturæ ex iuſtitia ſtricta, & ſpeciali obligari: ſicut nec poteſt ex paritate facta, & prædictis præmiſsis inferri, non poſſe Deum à creatura obiectiuè neceſsitari neceſsitate orta ex aliquo ſibi libero.

43. *Ad tertiã probationẽ.* Ad vltimam antecedentis probationem dicatur, duplicitèr Deum potuiſſe promittere remiſsionem offenſæ, vel collationem præmij ſub conditione ſatisfactionis, aut meriti condigni. Primò abſolutè, & independentèr ab eo, quòd Chriſtus ſatisfaciens, vel homo condignè merens cedat, vel non cedat iuri in ſatisfactione, vel in merito fundato. Secundò dependentèr ab hac conditione, quòd ſcilicet Chriſtus ſatisfaciens, vel homo cõdignè merẽs nõ cedat iuri fundato in ſatisfactione, vel merito. Si priori modo promittat, cum ex vi talis promiſsionis ſit infallibilis remiſsio offenſæ, aut exhibitio præmij, eſt etiam infallibile, quòd Chriſtus iuri ſuo nõ cedet, etſi poſsit potentia abſoluta, & antecedenti cedere: ſicut ſuppoſita gratia efficaci ad amandum, eſt infallibilis futuritio amoris, etſi voluntas, adhuc illa ſuppoſita, poſsit poteſtate antecedenti, & abſoluta nõ amare, & ſimilitèr ex vi promiſsionis diuinæ eſt infallibile Deum nõ præmoturum efficaci-

cacitèr voluntarem Christi humanã ad actum, quo cedat iuri in satisfactione fundato, etsi absolutè præmouere possit ad illum. Si vero fiat promissio secundo modo, nempè sub conditione, quòd Christus iuri non cedat; poterit Christus iuri suo cedere, & Deus poterit voluntatem Christi humanam præmouere efficacitèr ad actum cedendi, & nihilominus saluabitur obligatio strictæ, & specialis iustitiæ, & quòd Deus operetur ex illa; quia licet possit Deus ab ita obligatione se eximere, cessante iure, quod Christus habet aduersus Deum, vt satisfactionem acceptet, & offensam remittat per liberam cessionẽ illius; non tamen potest se eximere à tali obligatione, si ius non cesset per liberam Christi cessionem; & hoc sufficit ad obligationem strictæ iustitiæ, & vt Deus ex illa satisfactionem Christi acceptauerit, & offensam remiserit. Vnde in forma ad tertiam antecedentis probationem respondeo, distinguendo antecedens: promissione supposita ex parte Dei, & ex parte Christi conditione adimpleta, potest Deus se expedire ab obligatione acceptandi satisfactionem Christi, & remittendi offensam hominibus, perseuerante iure satisfactorio Christi, & in sensu composito illius, nego antecedens: non perseuerante iure, & in sensu diuiso, concedo antecedens, & nego consequentiam: vt enim Deus ex iustitia stricta obligatus acceptauerit Christi satisfactionem, & offensam remiderit, sufficit, quòd non possit à prædicta obligatione se eximere in sensu composito iuris, etsi possit ab illa se eximere in sensu diuiso.

(.?.)

§. III.

Deum ex iustitia commutatiua satisfactionem Christi acceptasse, probatur auctoritate, & ratione.

44. *Secũda cõclusio.*

SECVNDA CONCLVSIO. Deus acceptauit satisfactionẽ Christi ex virtute iustitiæ commutatiuæ, ex illaq; hominibus offensam remisit intuitu satisfactionis à Christo Domino exhibitæ.

Contrarium huius conclusionis tenent plures Recentiores tam ex nostris, quam ex alijs; nostram tamen conclusionem tuẽtur Aluarez in præsenti *disput.* 4. Nazarius *cõtrou.* 2. Cornejo *disput.* 5. & Illustrissimus Araujo *art.* 2. *dub.* 5. *et* 6. & ostẽditur primò ex D. Thom. 2. 2. *q.* 61. *art.* 4. *ad* 1. quod ita procedebat: *Iudicium diuinum est simpliciter iustũ; sed hæc est forma diuini iudicij, vt secundum quod alij quis fecit, patiatur, secundum illud Matth.* 7. *In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini, & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis: ergo iustum est simpliciter idem, quod contra passum.* Cui argumento respondet his verbis: *Ad primum dicendum, quòd illa forma diuini iudicij attenditur secundum rationem commutatiuæ iustitiæ, prout scilicet recompensat præmia meritis, & supplicia peccatis.* Hæc D. Thom. Ex quibus apertè constat, Angelicum Doctorem sentire, Deum præmiare nostra merita condigna ex virtute iustitiæ commutatiuæ, retributionemque nostrorum meritorum à Deo factam, esse actum illius virtutis: ergo acceptatio satisfactionis Christi, & intuitu illius remittere offensam hominibus ex iustitia commutatiua procedunt, & consequenter ex illa Deus satisfactionem

Aluar. Nazar. Cornejo. Araujo.

Probatur primo auctoritate Diui Thomæ.

nem Chriſti acceptauit, & hominibus offenſam remiſit.

45. *Reſpondebis.* Dices, D. Thomam ſolum aſſerere, formam diuini iudicij eſſe ſecundum modum iuſtitiæ commutatiuæ, non quia verè iuſtitia commutatiua ſit, ſed quia aliqualiter ſeruat modum illius, quatenus dat tantum pro tanto, etſi re vera retributio meritorum actus ſit iuſtitiæ diſtributiuæ. Sed cōtra primò, nam ſi hæc doctrina eſſet vera, D. Thom. argumētum non ſolueret; hoc admittendum non eſt: ergo ſolutio, & interpretatio tradita menti D. Thomæ aduerſatur. Probo minorē, nam D. Thom. *in corpor. artic.* docuerat, iuſtum ſimpliciter non eſſe idem, quod contra paſſum, quia licet contra paſſum reperiatur in iuſto commutatiuo; non tamen reperitur in iuſto diſtributiuo, quod iuſtum ſimpliciter eſt, & ad hanc concluſionem ſaluandam admittens in iudicio diuino contra paſſum reperiri, quatenus Deus retribuit præmia pro meritis, & ſupplicia pro peccatis, reſpondet primo argumēto, formam iudicij diuini attendi ſecundum rationem iuſtitiæ commutatiuæ; at ſi retributio pro meritis eſſet quoad ſubſtantiam actus iuſtitiæ diſtributiuæ, & ſolum haberet modum iuſtitiæ commutatiuæ, non ſaluaretur doctrina *corporis articuli*; cum iam in iuſto diſtributiuo contra paſſum reperiretur: ergo, ſi vera eſſet doctrina traditæ ſolutionis, D. Thom. argumentum tum non ſolueret.

Contra primò.

46. *Secundò.* S. Thom. Contra ſecundò ex eodem Diuo Thoma *art. citat. in corp.* quod ita cōcludit: *Et ſic contra paſſum eſt commutatiuum iuſtum; in diſtributiua autem iuſtitia locum non habet; quia in diſtributiua iuſtitia non attenditur æqualitas ſecundum proportionem rei ad rem, vel paſſionis ad actionem, vnde dicitur contra paſſum, ſed ſecundum proportionalitatem rerum ad perſonas, vt ſupra dictum eſt, nempè, in 2. ad. q. art. 2.* Verba ſunt D. Thomæ, in quibus apertè docet, iuſtitiam diſtributiuam nō attendere æqualitatem rei ad rem, ſed proportionē rerum ad perſonas; ſed Deus retribuens præmia pro meritis, & acceptans ſatisfactionem Chriſti, & intuitu illius remittens offenſam hominibus, nō attendit æqualitatem proportionalitatis rerum ad perſonas, ſed æqualitatem ſecundum proportionem rei ad rem: ergo retributio noſtrorum meritorum, & acceptatio ſatisfactionis Chriſti non ſunt actus iuſtitiæ diſtributiuæ, ſed iuſtitiæ commutatiuæ.

47. *Tertio.* S. Thom. Tertiò tradita ſolutio impugnatur ex eodem D. Thoma *art. citat. ſolut. ad 2.* quod ita procedebat: *In vna quæque iuſtitiæ ſpecie datur aliquid alicui ſecundum quandam æqualitatem, in reſpectu quidem ad dignitatem perſonæ in iuſtitia diſtributiua, quæ quidem perſonæ dignitas maximè videtur attendi ſecundum opera, quibus aliqui communitati ſeruiunt; in reſpectu autem ad rem, in qua quis damnificatus eſt in iuſtitia commutatiua, ſecundum autem vtramque æqualitatem aliquis contra patitur ſecundum quod fecit: ergo videtur, quod iuſtum ſimpliciter ſit idem quod contra paſſum.* Cui argumento ita reſpōdet: *Ad ſecundum dicendum, quòd ſi alicui, qui communitati ſeruiſſet, retribueretur aliquid pro ſeruitio impenſo, non eſſet hoc iuſtributiuæ iuſtitiæ, ſed commutatiuæ; in diſtributiua enim iuſtitia non attenditur æqualitas eius, quod quis accipit ad id, quod ipſe impendit, ſed ad id, quod alius accipit ſecundum modum vtriuſque perſonæ*: ergo ſentit D. Thom. attendere æqualitatem præmij ad ſeruitium communitati impēſum, non pertinere ad iuſtitiam diſtributiuam, ſed ad iuſtitiam commutatiuam; at Deus retribuens præmia pro meritis, & acceptans ſatisfactionem Chriſti, intuituque illius hominibus offenſam remittens attēdit æqualitatem præmij ad ſeruitia, & obſequia ſibi impenſa: ergo non operatur prout ſic ex virtute iuſtitiæ diſtributiuæ, ſed iuſtitiæ commutatiuæ.

48. *Secundò probatur concluſio.* Secundò principaliter ſuadetur concluſio ex D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 1. ad 2. quod ita procedebat: *Retributio proportionalis pertinet ad iuſtitiam commutatiuam, vt patet per Philoſophum lib. 5. Ethic. cap. 4. ſed gratiæ redduntur, vt retributio ſit, vt ibidem*

dici-

dicitur: ergo redditio gratiarum, quæ pertinet ad gratitudinem, est actus iustitiæ, non ergo gratitudo est specialis virtus ab alijs distincta. Cui argumento respondet D. Thom. his verbis: *Ad secundum dicendum, quòd retributio proportionalis pertinet ad iustitiam commutatiuam, quando attenditur secundum debitum legale, puta, si pacto firmetur, vt tantum pro tanto retribuatur, sed ad virtutem gratiæ, siuè gratitudinis retributio pertinet, quæ fit ex solo debito honestatis, quam scilicet, aliquis sponte facit: vnde, & gratitudo est minus grata, si fit coacta, vt Seneca dicit in libro de beneficijs.* Ex quibus verbis probatur nostra cõclusio in hunc modũ: tantum pro tanto reddere pacto firmatum est actus iustitiæ commutatiuæ; sed remissio offensæ Deo ab hominibus irrogatæ intuitu satisfactionis à Christo Domino exhibitæ fit à Deo secũdum æqualitatem rei ad rem pacto firmatam: ergo est actus iustitiæ commutatiuæ.

49. *Respõdebis.* Respondebis, veram esse maiorem loquẽdo inter homines, & doctrinam D. Thomæ intelligendam, & accipiẽdam esse inter illos, quia interueniente pacto reddendi tantum pro tanto, ex iustitia commutatiua obligantur ad tantum pro tanto retribuendum, eo quòd in illis est capacitas ad huiusmodi obligationem, secus autem in Deo, qui obligationis ex iustitia commutatiua est incapax, & solum est capax iustitiæ distributiuæ, & obligationis ex illa, ideoque retributio proportionalis etiam pacto firmata actus cõmutatiuæ iustitiæ non est, sed distributiuæ, ac proindè, etsi Deus acceptans Christi satisfactionẽ, & intuitu illius hominibus offensam remittens atten derit æqualitatem rei ad rem, & tantum pro tanto reddiderit pacto firma tum, non sequitur, ex iustitia commu tatiua acceptasse Christi satisfactionem, nec quòd ex illa hominibus offensam remiserit.

50. *Reijcitur solutio.* Sed contra, nam iuxta D. Thom. 2. 2. q. 61. art. 2. *in corp. In iustitia distributiua non attenditur medium secundum æqualitatem rei ad rem, sed secundum proportionem rerum ad personas, vt scilicet sicut vna persona excedit aliam, ita etiam res, quæ datur vni personæ, excedit rem, quæ datur alij, & ideo tale medium est secundum geometricam proportionalitatem, in qua attenditur æquale, non secundum quantitatem, sed secundum proportionem.* Verba sunt D. Thomæ. At remissio offensæ facta à Deo intuitu satisfactionis Christi non fuit secundum proportionem rerum ad personas, nec secundũ geometricam æqualitatem, sed secundum proportionem rei ad rem, & secundum æqualitatem arithmeticam: ergo acceptatio satisfactionis Christi, & remissio offensæ intuitu talis satisfactionis non est actus iustitiæ distributiuæ, & consequentèr vel actus iustitiæ non est, vel ex iustitia commutatiua procedit. S. Tho.

51. *Tertiò probatur conclusio.* Denique principalitèr suadetur conclusio, & tradita solutio impugnatur: si namque Deus sit capax iustitiæ commutatiuæ, ex illa acceptauit satisfactionem Christi, & hominibus offensam remisit; sed in Deo est capacitas ad iustitiam commutatiuam: ergo acceptatio satisfactionis Christi, & remissio offensæ Deo ab hominib⁹ irrogatæ fuit actus illius. Consequentia est bona, maior videtur certa; omnes enim, qui negant, Deum ex iustitia commutatiua satisfactionẽ Christi acceptasse mouentur, ex eo, quòd in Deo non est ad iustitiam commutatiuam capacitas: ergo si Deus capax est iustitiæ commutatiuæ, ex illa satisfactionem Christi acceptauit.

Minor probatur primo. Minor autem, in qua est difficultas, ostenditur primò ex D. Thom. 2. 2. q. 61. art. 2. ad 2. illis verbis: *Dicendum, quòd generalis forma iustitiæ est æqualitas, in qua conuenit iustitia distributiua cum commutatiua; in vna tamen inuenitur æqualitas secundum proportionalitatem geometricam, in alia secundum arithmeticam.* Quam doctrinam tradiderat *in corp. eiusdem artic.* vt proximè vidimus, constatque ex illa, distinctivum iustitiæ commutatiuæ à iustitia distributiua esse attendere arithmeticam æqualitatẽ; sed Deus capax est, nõ solum attendendi æqualitatẽ geometricam, sed etiam arith-

S. Tho.

me-

Cõfirmatur.

meticam: ergo capax eſt, non ſolum iuſtitiæ diſtributiuæ, ſed etiam commutatiuæ. Secundò, & explicatur magis hoc ipſum: in reddendo alteri ius ſuum ſecundum æqualitatẽ arithmeticam nulla imperfectio inuenitur, vt ex argumentorum ſolutione conſtabit; at nihil aliud ad rationem iuſtitiæ commutatiuæ requiritur, vt conſtat ex doctrina D. Thomæ proximè adducta in hoc diſtinguentis iuſtitiam diſtributiuam à commutatiua, quòd illa attendit æqualitatẽ geometricam, hæc verò arithmeticam: ergo iuſtitia commutatiua in ſua ratione formali nullam dicit imperfectionem, & conſequenter eſt in Deo conſtituenda, in quo formaliter reperitur omnis perfectio in ſuo conceptu formali non dicens imperfectionem.

52. *Secũdo probatur minor.*

Secundò probatur minor: ſi aliqua imperfectio eſſet de conceptu formali iuſtitiæ commutatiuæ, ob quam repugnaret Deo, maximè quia reſpicit datum, & acceptum, & quod petit abdicationem dominij, quorum vtrũque diuinæ perfectioni repugnat; non enim poteſt aliquid à nobis recipere, nec à ſe alicuius rei dominium abdicare; ſed nulla ex his imperfectionibus eſt de conceptu illius formali, etſi inter homines cum vtraq; imperfectione inueniatur. ergo non repugnat Deo. Minor pro prima parte exindè probatur; nam gratitudo, teſte Diuo Thoma 2.2.*q.* 106. *art.* 1. benefactorem reſpicit, & debitum ſuper beneficia fundatum; & tamen in Deo ponitur à contrarijs gratitudo, in ordine ad homines, quin ab illis aliquod beneficiũ accipiat, ſed ſolum obſequiũ, & conſequenter reſpicere benefactorem propriè talem non eſt de conceptu formali virtutis gratitudinis: ergo quamvis iuſtitia commutatiua inter homines datum, & acceptũ cum imperfectione reſpiciat, hæc imperfectio non erit de conceptu formali iuſtitiæ commutatiuæ, ſed poterit ab illa præſcindere, & in Deo cũ omni proprietate conſtitui. Deindè pro ſecunda parte ſuadetur. Libertas namque inter homines nõ exercetur, niſi cum abdicatione dominij, eo namque ipſo quòd aliquid liberaliter largiuntur, domini rei donatæ non remanent, ſed illam in alterius dominium transferunt; & tamen huiuſcemodi imperfectio non cõuenit liberalitati ex ſuo conceptu formali, ſed ab illa præſcindit, cum Deus maximè liberalis ſit, & liberalitatem exerceat ſine abdicatione dominij: ergo quamvis iuſtitia cõmutatiua inter homines non exerceatur ſine hac imperfectione; non tamẽ erit de conceptu illius formali, & conſequenter poterit propriè Deo conuenire, etiam ſi nullius rei dominium à ſe poſsit abdicare.

S. Tho.

53. *Tertiò.*

Denique minor principalis ſuadetur: in Deo namque datur iuſtitia diſtributiua, vt ex D. Thoma vidimus, & admittunt plures ex contrarijs Authoribus: ergo etiam reperitur in Deo iuſtitia commutatiua. Probo conſequentiam; nam vtraque iſta iuſtitia obligationem reſpicit, & debitum legale requirit, vt conſtat ex D. Thoma 2.2.*q.* 80. *art.* 1. vbi docet, iuſtitiam propriè talem, & omnem partem ſubiectiuam illius debitum legale reſpicere, & ex defectu debiti legalis, non minus, quam ex defectu æqualitatis ſimpliciter deficere aliquam virtutem à ratione partis perfectæ, & ſubiectiuæ iuſtitiæ, & declinare in partem imperfectam, & potentialem illius. Cum ergo tam iuſtitia diſtributiua, quam iuſtitia commutatiua ſint partes ſubiectiuæ iuſtitiæ, vtraque debet debitũ legale reſpicere. Vtraque etiam ius alterius habet pro obiecto, vt conſtat ex D. Thoma 2.2.*q.* 58. *art.* 1. vbi iuſtitiam in communi per ordinem ad ius alterius ſeruandum diffinit, cuius diffinitio ab omnibus acceptatur: ergo cum ſolum repugnare poſsit Deo ratio iuſtitiæ ſtrictæ, & ſpecialis, aut ratione debiti, & obligationis, aut ratione iuris alieni, quod habet pro obiecto, vel vtraque debet concedi, vel vtraque Deo negari, & conſequenter Deo conceſſa iuſtitia diſtributiua, concedenda eſt in ipſo etiam iuſtitia commutatiua.

S. Tho.

54. *Reſpõdebis.*

Reſpondebis, negando conſequentiam, & rationem diſcriminis reddes:

nam

nam iustitia commutatiua importat obligationem, & debitum ex iure alterius ortum, & in illo fundatum ita, vt alter, non solum sit extremum, seu terminus obligationis, sed etiam fundamentum illius, in quo imperfectio subiectionis Deo repugnans importatur; iustitia autem distributiua solum petit debitum alteri, vt extremo *cui* obligationis, non verò vt fundamento illius, ideſt, talitèr quòd obligatio ex iure alterius aduersos retribuentẽ, operantemque ex iustitia distributiua nascatur; non autem repugnat Deo creaturæ obligari vt extremo, & termino *cui* obligationis, obligatione nõ fundata in iure creaturæ aduersus ipsum, sed in sua ordinatione: Deus nãque aliquid promittens hominibus, ipsis hoc modo obligatur, nempè obligatione ex hominum iure non orta, sed ex promissione diuina, ideoq; non repugnat Deo iustitia distributiua; cõmutatiua autẽ diuinæ perfectioni repugnat. Ita Magister Sancto Thoma vbi supra *disp. 6. art. 4. num. 27.* loquẽdo de iustitia commutatiua formali, quam à Deo relegat ob istam rationẽ discriminis, solum admittens in ipso iustitiam commutatiuam eminentialem.

M.S. Thoma.

55. *Contra primò.*

Sed contra primò; non enim solũ iustitia cõmutatiua, sed etiam iustitia distributiua respicit debitũ in iure alterius fundatum, & ortum ex illo: ergo discrimen assignatum est nullum, & consequentèr vel vtraque debet negari, vel vtraque Deo concedi. Consequentia tenet ex doctrina solutionis; antecedens autẽ ostenditur primò ex D. Thom. *2. 2. q. 61. art. 1.* vbi, vt probaret, iustitiam distributiuã non esse speciẽ iustitiæ, nec partem subiectiuã illius, sed imperfectam, & potestatiuã, sic arguit secũdo loco: *Iustitiæ actus est reddere cuique, quod suum est; sed in distributione non redditur alicui, quod suum erat, sed de nouo appropriatur sibi id, quod erat commune: ergo hoc ad iustitiam non pertinet.* Cui argumento respondet: *Ad secundum dicendum, quòd sicut pars, & totum quodammodò sunt idem: ita id, quod est totius, quodammodo est partis, & ita cum ex bonis communibus aliquid in singulos distribuitur, quilibet aliquo modo recipit, quod suũ est.* Ergo sentit D. Thom. debitum inspectum à iustitia distributiua in iure singulorum fundari, illis conueniente ratione communitatis.

Antecedens probatur primò.

S. Tho.

Secũdò. S. Tho.

Secundò id ipsum probatur ex eodem D. Thom. *art. citat. solut. ad vlt. arg.* illis verbis: *Dicendum, quòd iustitia distributiua, & commutatiua non solum distinguuntur secundum vnum, & multa, sed secundum diuersam debiti rationem; alio enim modo debetur alicui id, quod est commune; alio modo id, quod est proprium.* Ergo sentit Ang. Doct. vtrã que respicere debitum in alterius iure fundatum, etsi cum discrimine iuris ad ea, quæ propria sunt à iure ad bona communia; quia primum est strictius secundo.

Tertiò. S. Tho.

Præterea idem antecedens probatur ex doctrina D. Thom. *q. citata art. 2. ad 2.* illis verbis: *Dicendum, quod generalis forma iustitiæ est æqualitas, in qua conuenit iustitia distributiua cum cõmutatiua; in vna tamen inuenitur æqualitas secundum proportionalitatem geometricam, in alia secundum arithmeticam.* Ergo iuxta D. Thom. distinctiuũ iustitiæ commutatiuæ à iustitia distributiua est æqualitas arithmetica, quã iustitia commutatiua attendit; secus autem distributiua, & consequentèr conueniunt in respiciẽdo debitum in iure alterius fundatum.

56. *Quartò.*

Denique probatur ex doctrina D. Thom. *2. 2. q. 81. art. 1.* vbi docet, virtutem aliquam deficere à perfecta ratione iustitiæ, & à ratione partis subiectiuæ illi⁹, quia deficit ab æqualitate simplicitèr, vel ex defectu debiti simplicitèr talis; sed si iustitia distributiua non attendit debitum in alterius iure fundatum, sed ortum adæquatè ex diuina ordinatione debitum, quod attendit, non est tale simplicitèr: ergo iustitia distributiua non erit pars perfecta, & subiectiua iustitiæ, quod est contra D. Thom. *locis vbi proximè adductis*, & consequentèr necessario est asserendum, debitum inspectum à iustitia distributiua in alterius iure fundari. Minor, ex qua cætera pẽdent, probatur. Debitum ortum adæquatè, ab intrin-

S. Tho.

ſeco non eſt debitum ſimplicitèr, vt conſtat in debito attento à fidelitate, quod ſimplicitèr tale non eſt, nec ſufficiès ad rationẽ partis ſubiectiuæ iuſtitiæ, quia oritur adæquatè ab intrinſeco, nẽpè ex promiſſione diuina, vel alterius, qui promiſit; non autem ex iure extrinſeco, nempè illius, cui promittens obligatur: ergo ſi debitum inſpectum à iuſtitia diſtributiua non oritur ex iure alterius, ſed adæquatè ab intrinſeco ita, vt iuſtitia diſtributiua reſpiciat alterũ ſolum vt extremũ *cui* obligationis, non autem vt fundãs debitum, non eſt debitum tale ſimplicitèr ſufficiẽs ad rationẽ perfectæ iuſtitiæ, & conſequẽtèr iuſtitia diſtributiua pars perfecta, & ſubiectiua iuſtitiæ non erit, quod, vt dixi, Angelico Præceptori aduerſatur.

57. *Contra ſecũdò.* Deindè contra eandẽ ſolutionem arguitur, & præcedens argumẽtũ vrgetur: nam de ratione iuſtitiæ perfectæ vt ſic, eſt reſpicere debitum in alterius iure fundatũ; ſed iuſtitia diſtributiua eſt iuſtitia perfecta, cũ ſit pars ſubiectiua iuſtitiæ, vt ex D. Thoma vidimus: ergo reſpicit debitum non ortum adæquatè ab intrinſeco, ſed in alterius iure fundatum, & alterum reſpicit, non ſolum vt terminum, vel extremum *cui* obligationis, ſed etiam vt illam fundans. Minor cum conſequentia tenet; maior autem oſtenditur primo ex D. Toma 2. 2. *q.* 58. *art.* 11. vbi probat: *Actum iuſtitiæ, vt abſtrahit à diſtributiua, & commutatiua, eſſe reddere vnicuique, quod ſuum eſt*; ſed id, quod alicui debetur debito ex illius iure non orto, ſed adæquatè ab intrinſeco, nempè ex ſola ordinatione debentis, non poteſt dici eſſe ſuum, vt conſtat in eo, quod ex fidelitate debetur, quod nõ poteſt dici eſſe illius, cui promittens obligatur; quia debitum ex illius iure non oritur, ſed ſolum ex alterius promiſſione: ergo de ratione iuſtitiæ perfectæ vt ſic eſt reſpicere debitũ in alterius iure fundatum, & reſpicere alterum, non ſolum vt terminum, & extremum *cui* obligationis, ſed etiam vt fundamentum illius.

Maior probatur primo. S. Tho.

58. Secundò probatur: nam iuſtitia perfecta vt ſic, vt abſtrahit à diſtributiua, & commutatiua, non diffinitur per ordinem ad alterum tantum, ſed per ordinem ad ius alterius: *Eſt enim conſtans, & perpetua voluntas ius ſuum vnicuique tribuendi*: ergo eſſentialiter petit debitum in alterius iure fundatum, & eſſentialitèr reſpicit alterũ, non ſolum vt extremum *cui* obligationis, ſed etiam vt fundamentum illius. *Tertio* probatur: nam de ratione iniuſtitiæ ſpecialis eſt violare debitum in alterius iure fundatum, aliàs qui promiſsis non ſtaret, non ſolum infidelis eſſet, ſed etiam iniuſtitiam ſpecialem committeret, cum violaret debitum alteri, vt extremo *cui* obligationis, quod ad rationem iniuſtitiæ ſpecialis ſufficeret, ſi ad illam neceſſaria non eſſet violatio debiti in alterius iure fundati: ergo de ratione iuſtitiæ ſpecialis vt ſic eſt reſpicere debitum in alterius iure fundatum.

Secundò. *Tertiò.*

Quartò. Denique, nam debitum, quod reſpicit iuſtitia ſtricta vt ſic, excludit rationem gratiæ talis formalitèr ab eo, quod ex iuſtitia retribuitur, & ſub tali debito cadit, ſed debitum ortum adæquatè ab intrinſeco, & nõ ex alterius iure rationem gratiæ talis formalitèr non excludit, vt conſtat in gratia habituali, quam Deus homini cõtrito debet debito orto ab intrinſeco, nempè ex promiſsione diuina, & tamen eſt formalitèr donum gratioſum: ergo debitum, quod attẽdit iuſtitia ſtricta, & perfecta ex communi conceptu ſtrictæ, & perfectæ iuſtitiæ, petit non oriri adæquatè ab intrinſeco, ſed in alterius iure fundari, ita vt alter nõ ſit ſolũ extremum *cui* obligationis, ſed etiã fundamentum illius, & conſequentèr iuſtitia diſtributiua debitum huius conditionis attendit. Ex quo vlterius fit, vt ſit excludenda à Deo, vel in illo ſit admittenda iuſtitia commutatiua.

(22.)

✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻
✻✻✻✻✻✻✻✻
✻✻✻✻✻✻
✻✻✻✻
✻✻

§. Vltimus.

Argumentis in contrarium occurritur.

59. *Arguitur primò.*

CONTRA istam conclusionem arguitur primo ex Divo Thoma *in 2. Sententiarum distinctione 27. quæst.1.artic.3. in 4. Sententiarum distinctione 46.quæst.1.artic.1.Primo Contra gentes cap.93.& Prima parte quæst. 21.artic.1.* in quibus locis distinguens Angelicus Doctor inter iustitiam cõmutatiuam,& distributiuam,istã Deo conuenire concedit,illam verò negat reperiri in Deo. Verba Divi Thomæ loco ex Contragẽtes relato sunt hæc: *Iustitia quantum ad commutationis actum Deo competere non potest, cum ipse à nullo aliquid recipiat: vnde Romanorum 11. dicitur, quis prior dedit illi,& retribuetur ei: non igitur sibi competit commutatiua iustitia,sed solum distributiua.* At Divus Thomas explicari nõ potest,quod loquatur de iustitia commutatiua secundum imperfectiones, quas habet in nobis,cum illam à Deo excludit: ergo loquitur de iustitia cõmutatiua ex conceptu illius formali, & prout sic sentit,in Deo non reperiri,& consequentèr Deus ex iustitia cõmutatiua satisfactionem Christi non acceptauit, neque ex illa hominibus offensam remisit intuitu satisfactionis à Christo Domino exhibitæ.

S.THO.

Minor probatur primò.

Minor,in qua sola esse potest difficultas,ostẽditur primo ex Divo Thoma *propè finem cap.cit.* illis verbis: *Virtutes igitur prædictæ, secundum quod ordinant humanam vitam actiuam ad has actiones ordinantur,prout ad res humanas contrahuntur ab eis speciem sumentes,secundum quem modum Deo cõuenire non possunt; secundum verò quod actiones prædictæ in sua communitate accipiuntur, possunt etiam diuinis rebus aptari: sicut enim homo rerum humanarum,vt pecuniæ, vel honoris distributor est; ita & Deus omnium bonitatum vniuersi: sunt igitur prædictæ virtutes in Deo vniuersalioris extensionis,quam in homine; nam sicut iustitia hominis se habet ad ciuitatem, vel domum, ita iustitia Dei se habet ad totum vniuersum: vnde & diuinæ virtutes nostrarũ exemplares dicuntur,&c.* Sentit ergo Divus Thomas,magnificentiam, liberalitatem,& alias virtutes,quas *in illo capite* Deo conuenire concesserat,non esse in ipso admittendas secundum imperfectiones, cum quibus in creaturis involutæ reperiuntur, sed solum secundum suas rationes formales, secundum quas Deo, & creaturis sunt communes, & consequentèr relegans iustitiam commutatiuam à Deo, illam ab ipso remouet, non solum secundum imperfectiones, cum quibus reperitur in nobis, sed etiam secundum suam rationem formalem, aliàs nullum inter iustitiam commutatiuam,& alias virtutes,quoad hoc quod est in Deo reperiri, statuisset discrimen, cum iustitia commutatiua, & prædictæ virtutes conuenirent Deo secundum suas rationes formales, & nec iustitia commutatiua, nec virtutes illæ Deo conueniant secundum imperfectiones, quas in nobis habent.

60. *Secũdò.*

Secundo probatur minor,& explicatur magis hoc ipsum: in eo sensu negat Divus Thomas Deo iustitiam commutatiuam, in quo illi concedit iustitiam distributiuam, aliàs nullum inter vtramque discrimen staueret; sed iustitiam distributiuam nõ concedit Deo secundum imperfectiones, quas in creaturis involvit, cum omnis imperfectio Deo essentialitèr repugnet,sed tãtum secundum suam rationem formalem,quæ Deo, & creaturis est communis. ergo iustitiam cõmutatiuam negat reperiri in Deo secundum suum cõceptum formalem, & non solum secundum imperfectiones,cum quibus in creaturis involuta reperitur.

Tertiò.

Explicatur magis hoc ipsum, & minor probatur tertiò: aut est dabilis cõceptus iustitiæ commutatiuæ Deo, &

creaturis communis, aut non potest dari huiusmodi conceptus. Si secundum, corruit nostræ conclusionis veritas: primum littera D. Thom. *in præallegatis locis* non patitur: ergo conclusio nostra in doctrina Angelici Præceptoris sustineri non potest. Minor pro prima parte manifesta est; omnis enim perfectio, quæ in nobis, & in Deo reperitur, est conceptibilis sub ratione Deo, & creaturis communi, vt constat in sapientia, scientia, & alijs: quia namque nobis, & Deo cõueniunt scientia, & sapientia formaliter, dantur cõceptus scientiæ, & sapientiæ communes nobis, & Deo, etsi non secundum conuenientiam vniuocam, sed tantũ analogam: ergo si non est dabilis conceptus iustitiæ commutatiuæ Deo, & creaturis communis, non reperitur in Deo iustitia commutatiua.

Pro secunda verò parte in hunc modum probatur: nam ideò à Diuo Thoma Deo conceditur iustitia distributiua, quia est dabilis conceptus iustitiæ distributiuæ depuratus ab omni imperfectione, & ab illa præscindẽs, ideoque Deo, & creaturis communis; non enim reperitur in Deo iustitia distributiua nostra secundum vltimam differentiam, qua distinguitur à iustitia distributiua diuina, sed secundũ rationem cõmunem vtrique analogicè, vt omnibus est conspicuum: ergo si est dabilis conceptus iustitiæ cõmutatiuæ ab omni imperfectione præscindens, & communis Deo, & creaturis, nullum est discrimen inter iustitiam cõmutatiuam, & distributiuã quoad reperiri in Deo, & consequenter non subsistit littera D. Thom. quoad hoc inter vtramque iustitiam statuens discrimen.

61. *Cõfirmatur.* Quæ omnia vrgeri, & confirmari possunt: si namque daretur in Deo iustitia commutatiua, ex illa remuneraret merita condigna iustorũ; sed Deus non ex iustitia commutatiua, sed ex iustitia distributiua præmiat merita iustorum condigna: ergo in Deo iustitia commutatiua non datur. Consequentia tenet, maior constat ex dictis inter probandam nostram conclusionem; illam namque inter alia exindè probauimus, quia iuxta D. Tho. Deus ex iustitia cõmutatiua nostra merita condigna retribuit; minor autem probatur ex D. Thoma *in 2. Sentent. dist. 27. art. 3.* vbi inquirens, vtrum aliquis possit mereri ex condigno vitam æternam, pro parte negatiua quartum argumentum ita proponit: *A quocumque quis meretur, ille debitor sibi efficitur, quia præmium merito debetur; sed Deus non potest effici debitor: ergo apud ipsum nihil ex condigno mereri possumus.* Cui argumento his verbis respõdet: *Ad quartum dicendum, quòd Deus non efficitur debitor nobis, nisi forte ex promisso, quia ipse bona operãtibus præmium repromisit, & ideo non est inconueniens, si ab ipso quis mereri possit, ex quo aliquo modo debitor est. Vel dicendum, quòd in iustitia commutatiua ille, apud quem quis meretur, efficitur debitor ei, quod meretur, vt patet in illis, qui operationes suas locant in seruitium aliorum; sed in iustitia distributiua non requiritur ratio debiti ex parte eius, qui distribuit; potest enim ex liberalitate aliqua distribuere, in quorum tamen distributione iustitia exigitur secundum quod diuersis, prout eorum gradus exigit, proportionabiliter tribuit.* Hæc D. Thomas, in quibus duplici solutione argumento quarto occurrit, & ex vtraque colligitur, Angelicum Doctorem sensisse, Deum condigna iustorum merita non ex iustitia commutatiua, sed ex distributiua præmiare. Quod ex prima solutione in hunc modum probatur: in illa namque, docet D. Thom. Deum nobis debitorem esse non posse, nisi tantum ex promisso, hoc est, debito tantum orto ex sua promissione; sed ad iustitiam commutatiuam requiritur in operante ex illa debitum non ortum adæquate ab intrinseco, sed in alterius iure fundato, vt constat ex ijs, quæ §. *præcedenti* docuimus: ergo iuxta Diuum Thomam merita condigna iustorum non præmiantur à Deo ex iustitia commutatiua.

Minor probatur primo. S. Tho.

Ex secunda verò solutione facilius hoc idem colligitur: nam in illa apertè docet Diuus Thomas, quod quia Deus non potest esse debitor nobis,

quod

quòd ad iustitiam commutatiuam requiritur, non præmiat merita nostra cõdigna ex iustitia commutatiua, sed ex distributiua, quæ debitum in operante non petit, sed potest ex liberalitate aliqua distribuere: ergo sentit Angelicus Doctor, Deum non præmiare merita condigna iustorum ex iustitia cõmutatiua. Sentit etiam, debitum in distribuente non requiri ad rationem iustitiæ distributiuæ. Ex quo sequitur, malè à Nobis, & contra Diuum Thomam fuisse impugnatam rationem illam discriminis, quam Magister Sancto Thoma statuebat inter iustitiam commutatiuam, & distributiuam consistentem in eo, quod iustitia commutatiua attendit debitum in alterius iure fundatum; secus autem iustitia distributiua.

62. *Secũdò S. Thom.*

Deinde eadem minor probatur ex D. Thoma *artic. citat. solut. ad vltim. argum.* quod ita procedebat: *Nullus meretur præmium apud eum, qui eius opere, nec iuvatur, nec iuvari potest; sed Deus nostris bonis operibus non iuvatur, quia bonorum nostrorum non eget, vt dicitur Psalm. 15. illis verbis: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*: ergo videtur, quòd apud ipsum mereri non possumus. Cui argumento ita respondet: *Ad quintum dicendum, quòd illud tenet in iustitia cõmutatiua, sed in distributiua non est necessarium*: ergo sentit D. Thomas, de ratione iustitiæ commutatiuæ esse, quòd qui ex tali iustitia præmiat, operibus merentis iuvetur, illisque indigeat, quod diuinæ perfectioni repugnat, hoc autem à iustitia distributiua non peti, ideoque Deum merita nostra condigna non præmiare ex iustitia commutatiua, sed ex iustitia distributiua: ex quo viterius fit, vt Deus satisfactionem Christi non acceptauerit, nec merita illius præmiauerit ex iustitia commutatiua, cum eadem ratio militet quantum ad hoc in meritis Christi, & nostris.

63. *Communis solutio, & vera.*

Communis huius argumenti solutio est, D. Thom. *in præallegatis testimonijs* solum negasse Deo iustitiam cõmutatiuam cõmercialem, quæ in datis, & acceptis cõsistit cum dominij translatione, & quæ à Philosophis fuit cognita, & diffinita, non autẽ iustitiam commutatiuam Theologicè acceptam, qualitèr solum petit ius suum vnicuiq; seruare secundũ arithmeticam æqualitatem rei ad rem, in quo nulla elucet imperfectio. Iuxta quam solutionem, & explicationem discrimen inter iustitiam commutatiuam, & distributiuam consistit in eo, quòd prima prout à Philosophis fuit diffinita imperfectionẽ involvit, Deoque non potest conuenire, benè verò secunda: in qua etiam quatenus à Philosophis diffinita, & cognita nulla imperfectio Deo repugnans importatur, ideoque prout sic constituitur in ipso.

64. *Secũdò respondetur.*

Secundò respondeti potest, iustitiam cõmutatiuam considerari posse duplicitèr: primò secundum primam nominis impositionem, quod nomẽ primò impositum fuit ad significandam æqualitatem arithmeticam in datis, & acceptis cum mutua repassione, & translatione dominij. Secundò quatenus nomen iustitiæ commutatiuæ translatum fuit ad significandam æqualitatẽ arithmeticam rei ad rem, siuè in datis, & acceptis propriè cum dominij translatione, siuè inter præmium, & meritum, vel obsequium sine translatione dominij. Priori modo docet D. Thom. in testimonijs in argumento relatis, non reperiri in Deo iustitiam commutatiuam propter imperfectionem, quæ in translatione dominij, & in recipiendo importatur. Secundò autem modo Deo conuenire affirmat Præceptor Angelicus *locis* in confirmationem nostræ conclusionis *adductis*. Iuxta quam solutionẽ, & interpretationem discrimen à D. Thoma assignatũ inter iustitiam distributiuam, & commutatiuam consistit in eo, quòd secunda quoad primam nominis impositionem in Deo non reperitur, benè verò iustitia distributiua, cuius nomen primò impositum fuit ad significandam virtutem inclinantem ad tribuendum vnicuique iuxta suam dignitatem, in qua significatione nihil imperfectionis repugnantis Deo importatur.

65. Et in forma ad argumentum iuxta primam ſolutionem, & explicationem reſpondeo diſtinguendo, & explicando maiorem: negat D. Thomas Deo iuſtitiam commutatiuam prout à Phyloſophis cognitam, & diffinitam, & concedit hoc modo iuſtitiam diſtributiuam, concedo maiorem: negat iuſtitiam commutatiuam prout à Theologis diffinitur, nego maiorem; & conceſſa minori, nego conſequentiam: nam licet Divus Thomas explicari non poſsit, quòd loquatur de iuſtitia commutatiua ſecũdum illas imperfectiones, cum quibus in creaturis involuta reperitur, quia in hoc iuſtitia commutatiua conuenit cum diſtributiua, & cum omni alia perfectione Deo, & creaturis communi, & conſequenter explicato D. Thoma in hoc ſenſu, non ſubſiſteret eius diſcrimen, vt conuincunt probationes minoris; explicato tamen Divo Thoma iuxta primam ſolutionem, ſubſiſtit diſcrimen ſtatutum ab ipſo inter iuſtitiam commutatiuam ex vna parte, & iuſtitiam diſtributiuam, aliaſque virtutes ex alia: nam huiuſcemodi virtutes, etiam prout à Phyloſophis cognitæ, & diffinitæ, reperiuntur in Deo; ſecus autem iuſtitia commutatiua: & in iuſtitia diſtributiua, & alijs virtutibus, etiã prout à Phyloſophis diffinitis, datur conceptus communis Deo, & creaturis; non autem datur conceptus iuſtitiæ commutatiuæ, prout à Phyloſophis diffinitæ, ab imperfectione præſcindens, Deoque, & creaturis communis; prout tamen diffinitur à Theologis ab omni imperfectione præſcindit, & in Deo conſtituitur.

66. Et eodem modo eſt in forma ſecunda ſolutio applicanda, terminis ſolum mutatis. iuſtitia namque diſtributiua, & aliæ virtutes, quas *loco allegato* enumerat Divus Thomas, ſecundũ primam nominis impoſitionẽ in ſuo conceptu formali, imperfectionem non dicunt, ſed ab illa præſcindunt: vnde ſecundum illam habent conceptum Deo, & creaturis communem; iuſtitia autem commutatiua ſecundum primam nominis impoſitionem imperfectionem importat in ſuo cõceptu formali, videlicet, repaſsionis, acceptionis, & translationis dominij, à qua præſcindi non poteſt, ideoquè ſic accepta non reperitur in Deo; cum quo tamen ſtat, vt prout à Theologis illud nomen fuit tranſlatum ad ſignificandam virtutem inclinantem ad ſeruandum ius alterius, ſiue in datis, & acceptis, ſiue inter præmium, & meritum ſecundum arithmeticam æqualitatem rei ad rem, in quo nulla imperfectio importatur, in Deo ſit conſtituenda. Et ſic teſtimonia Divi Thomæ in confirmationem noſtræ concluſionis adducta cum illis, quæ in cõtrarium obijciuntur, concordant.

67. *Ad cõfirmationẽ reſpõdetur primò.* Ad confirmationem, ſi teneamus, inter condigna merita iuſtorum, etiã vt formata, & dignificata per gratiã, & præmium vitæ æternæ arithmeticam, & quantitatis æqualitatem non reperiri, facilè reſpondetur negando maiorem; cum enim iuſtitia commutatiua attendat, reſpiciatque arithmeticam æqualitatem, ſi hæc inter merita noſtra condigna, & æternam beatitudinem, quæ illis reſpondet in præmium, non reperitur, ſed ſolum æqualitas proportionis, vt plures probabiliter docent, Deus non præmiabit illa ex iuſtitia commutatiua, quamvis hæc virtus proprie reperiatur in Deo: neque ex hoc licebit inferre, Deum ex iuſtitia commutatiua non acceptaſſe Chriſti ſatisfactionem, neque ex illa remiſsille offentam hominibus intuitu ſatisfactionis à Chriſto Domino exhibitæ, cum nec offenſa, nec remiſſio illius excedant dignitatem, & valorem operationum Chriſti, ob quam cauſam, ſi vera eſt prædicta Theologorum ſententia, Deus ex iuſtitia cõmutatiua non præmiat merita cõdigna iuſtorum, nec illam exercet in retributione gloriæ; quia nẽpè æterna beatitudo, quæ illis in præmiũ reſpõdet, illorum valorẽ, & dignitatẽ excedit.

68. *Secũdo.* Quia tamen eſt probabilis aliorum Theologorum ſententia, tam ex noſtris, quam ex alijs, qui meritis condignis iuſtorum prout gratia adoptionis formatis, illaque dignificatis concedunt æqualitatem arithmeticam cum præmio beatitudinis æternæ in mora-

S.Tho.

li consideratione, etsi physicè considerata excedantur ab illa, quod satis insinuat D. Thom. 1 2. *quæst.* 114. *artic.* 3. *ad finem corpor. & solutione ad* 3. iuxta quam doctrinam nostram conclusionem probauimus, ideò aliter ad confirmationem respondetur, cõcessa maiori, negando minorem, ad illius probationem sumptam ex doctrina Diui Thomæ dicatur, iustorum merita considerari posse triplicitèr. Primò, quatenus à libero arbitrio procedunt, vt gratia auxiliante adiuto præscindendo à formatione, & dignificatione per gratiam iustificantem. Secundò, vt gratia adoptionis formata, & per illã dignificata præscindendo à diuina promissione, qua benè operantibus gloriam promisit. Tertio, vt diuinam promissionem, & ordinationem supponunt.

In prima consideratione, cum non adæquẽt gloriam, etiam in æstimatione morali, non sunt merita condigna illius. In secunda rationem meriti cõdigni quoad sufficientiam sortiuntur, quia moraliter cum gloria adæquantur; quia tamen nõ sunt efficacia ad inducendam obligationem in Deo absolutè ad illa remuneranda, non possunt Deum ex iustitia commutatiua obligare, ideoque sic inspecta nostra merita non præmiantur ab ipso ex iustitia cõmutatiua, sed solum ex iustitia distributiua, qua Deus largitur gloriam hominibus iuxta illorum dignitatem. Si verò in tertia consideratione sumantur, Deum efficacitèr obligant, Deusque intuitu illorum gloriam hominibus largiens ex iustitia commutatiua operatur, & obligatus ex illa, sicque accipiendam, & explicandam, esse Angelici Præceptoris doctrinam sentit Capreolus *in* 4. *Senten. dist.* 46. *q.* 1. *art.* 3.

Capreolus.

69. *Ad primam põderationem.*

Ad ponderationem ex prima solutione D. Thomæ desumptam, quatenus resolutioni traditæ obstare potest, respondeo distinguẽdo, explicandoque maiorem: Deus nobis debitor esse non potest, nisi tantum ex promisso promissione simplici, vel promissione onerosa sub conditione operis condigni, & æqualis, concedo maiorem: promissione simplici solum, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; nam licet debitum ex simplici promissione procedens oriatur adæquatè ab intrinseco, ideoque non sit sufficiens ad iustitiam commutatiuam in operãte cum illo; debitum autem ortum ex promissione onerosa sub conditione operis cõdigni, & æqualis non oritur adæquatè ab intrinseco, sed etiam ex iure operis onerosi, & æqualis, sub cuius conditione promittitur, & ideo tale debitũ est sufficiens ad iustitiam commutatiuam in eo, qui ex illo operatur. Nec sequitur ex nostra doctrina, D. Thomam nihil Deo speciale attribuisse, cum docuit, Deum non posse nobis debitorem effici, nisi tantum ex promisso, si semel potest ab alterius iure obligari, si promittat sub conditione onerosa: non, inquam, sequitur; etenim pura creatura potest ab alterius iure obligari, etiam si nihil promittat; cum enim dominium super aliam nõ habeat, nec ius ad illius opera alijs titulis petenda, potest ab illis ex iustitia stricta obligari, quamvis non præcedat promissio, vt si quis sibi non seruo præcipiat, vt in sua vinea laboret, eo ipso obligatur ex iustitia ad illi retribuendam mercedem suo labori cõdignam, quia non habet ex alijs titulis ius ad laborem præcipiendum; Deus autem, quia illi pluribus titulis opera nostra debentur, etsi illa nobis præcipiat, non potest debitor nobis constitui, nisi mercedem, & remunerationẽ promittat. Vndè, quamvis, promissione onerosa supposita, possit obligari à iure super opera nostra fundato; aliquid tamen speciale ipsi ab Angelico Doctore attribuitur, cum docet, non posse nobis debitorem effici, nisi tantum ex promisso.

70. *Ad secũdam respõdetur primo.*

Ad ponderationem sumptam ex secunda solutione respondeti potest primò, quòd cum D. Thom. duplicẽ solutionem argumento quarto dederit, & in prima Deum ex iustitia commutatiua merita condigna iustorum præmiare docuerit, quia ex promisso potest debitor nobis constitui, quamuis in secunda teneat, non ex iustitia

commutatiua, ſed ex iuſtitia diſtributiua merita condigna præmiare, nihil ſequitur contra noſtram ſententiam cum ſolum inferri poſsit, vtrãque eſſe in via D. Thomæ probabilem, & vtrique Angelicum Præceptorem fauere, quod inconueniens non eſt, nec à Nobis inconueniens cẽſetur, qui non ita proterue noſtris placitis adhæremus, vt oppoſita improbabilia cenſeamus.

71. *Reſpõdetur ſecũdò.* Secundò reſpondeo ex iam dictis, Deum vt retribuentem gloriam pro meritis attendendo ad proportionem gloriæ, quam retribuit cum dignitate perſonarum præſcindendo à promiſſione ſub conditione operis oneroſi, & condigni, non ex iuſtitia commutatiua, ſed ex iuſtitia diſtributiua operari, quia niſi attẽdatur promiſsio nobis debitor eſſe non poteſt, neque ex iuſtitia ſtricta obligari. Et in hoc ſenſu loquutus fuit D. Thom. in ſecunda ſolutione argumenti, cum quo ſtat, vt Deus ex iuſtitia commutatiua operetur largiendo hominibus gloriam ſecundum æqualitatem arithmeticã cum meritis condignis iuſtorum inſpectis prout ſupponita promiſsione diuina, Deum efficacitèr obligant, ipſumque debitorem conſtituunt adimplendi, quod ſub conditione oneroſa promiſsit, in quo actum iuſtitiæ commutatiuæ exercere, & ex illa obligatum operari ex doctrina Angelici Præceptoris monſtrauimus.

72. *Ad ſecũdam probationẽ minoris* Et ex his ad ſecundam probationem minoris ſumptam ex D. Thoma *ſolut. ad 5. argum.* dicatur, loqui Diuũ Thomam de meritis noſtris condignis, prout à promiſsione præſcindut, ſicque ſumpta, verum eſt, non poſſe Deum ex iuſtitia commutatiua obligare, quia vt vnus ſuis operibus alium poſsit obligare ex ſtricta iuſtitia ſine prævia promiſsione, & ſine eo quòd pactum de mercede retribuenda præcedat, oportet, vt qui obligatur operibus obligantis iuvetur, illiſque indigeat, quod Deo conuenire non poteſt; ex hoc autem non excluditur, vt ſuppoſita promiſsione diuina, Deus attendens meritorum cõdignitatem, quatenus prout illa ſuppoſita ipſum efficacitèr obligant, ex iuſtitia commutatiua operetur; nam ad Deum ex iuſtitia commutatiua obligandũ, promiſsione præſuppoſita, neceſſarium non eſt, vt operibus noſtris iuvetur, nec vt illis indigeat, ſed ſolum quòd ipſi ſint grata, factaque in obſequium illius.

73. *Obijcies* Sed dices: ideò iuxta D. Thomam Deus præmiat noſtra merita condigna ex iuſtitia diſtributiua, & non ex cõmutatiua, quia iuſtitia commutatiua debitum in operante requirit, cuius Deus capax non eſt, ſecus autem iuſtitia diſtributiua: *Ad hanc enim*, inquit Angelicus Doctor, *non requiritur ratio debiti ex parte eius, qui diſtribuit; poteſt enim ex liberalitate aliqua diſtribuere*: ergo iuxta D. Thom. iuſtitia diſtributiua non neceſſariò attendit debitum in alterius iure fundatum, & ortum ex illo, ac proinde malè, & contra doctrinam D. Thom. *ſupra num. 55. & ſeqq.* impugnauimus diſcrimen inter iuſtitiam commutatiuam, & diſtributiuã conſtitutum ab Autoribus contrariæ ſententiæ, quod nempè iuſtitia cõmutatiua in eo, qui ex illa operatur, neceſſario præſupponit debitum in alterius iure fundatum; ſecus autem diſtributiua, quandoquidem D. Thom. hoc diſcrimen inter vtramque iuſtitiam apertiſsimè tradit. S. Tho.

74. *Reſpõdetur.* Reſpondeo, D. Thomam *loco in contrarium adducto* non loqui de iuſtitia diſtributiua, prout eſt ſpecies, & pars ſubiectiua iuſtitiæ, & prout rationem iuſtitiæ ſtrictæ ſortitur, ſed largè ſumpta pro iuſta diſtributione, ideſt, pro diſtributione bonorum iuxta diuerſos dignitatis gradus inter illos, quibus diſtributio fit. Ex quo non ſequitur, iuſtitiã diſtributiuam expreſſe, & propriè acceptam pro parte ſub iectiua iuſtitiæ, de qua Nos ioquuti ſumus, debitum legale, & ſtrictum non ſupponere in diſtribuente; quod autẽ ſic accipiendus, & interpretandus ſit D. Thom. patet clarè: nam 2. 2. q. 61. *art.* 1. expreſsè ab ipſo docetur, iuſtitiã diſtributiuam debitum ſtrictum reſpicere, etſi non eodem modo, ac iuſtitia commutatiua ob diverſitatem iuris ad ea, quæ propria ſunt à iure ad ea, S. Tho.

quæ

quæ sunt communia, quorum primũ attendit iustitia commutatiua, & secundum iustitia distributiua. Deinde, vt enim ex eodem D. Thom. *§. præcedenti num. 57. & seqq.* monstrauimus, debitum legale attendere est de conceptu iustitiæ strictæ in communi, sub qua, vt pars subiectiua, & perfecta cõtinetur iustitia distributiua, vt cum D. Thom. omnes Theologi fatentur. Ne ergo in illius doctrina manifesta cõtraditio admittatur, necessariò est asserendum, cum *in solutione allegata* docet, non requiri debitum in operante ad iustitiam distributiuam in eo, qui ex illa operatur, non loqui de iustitia distributiua rigorosè accepta, prout est pars subiectiua iustitiæ, sed largè sumpta pro distributione attendente diuersorum dignitates sine debito operandi supposito in distribuente. Et iuxta hanc solutionem accipiendus venit Capreolus *in 4. Sentent. dist. 46. q. 1. art. 3. & in 2. Sentent. dist. 27. q. 1. art. 3. ad 1. Durandi*, vbi diuersa testimonia Angelici Præceptoris in hac materia considerans, illa concilianda censuit, asserendo, inspectos actus meritorios secundum valorem, quem habent ex sui substantia, præmiari à Deo ex virtute iustitiæ distributiuæ, quia sic gloriam non adæquant secundum quantitatem absolutam; sumptos verò prout formatos, & dignificatos per gratiam præmiari ex iustitia commutatiua, quia sic adæquantur cum gloria in morali æstimatione. Quod intelligendum est, diuina promissione supposita, & attentis nostris meritis, sine præcisione ab illa. Et per hãc distinctionem conciliat ea, quæ Angelicus Doctor *1. 2. & 2. 2.* docuit, cum ijs, quæ *in secundo, & in 4. Sent.* docuerat.

Capreo.

S. Tho.

75. *Instabis.*

Sed adhuc instabis: nam sequitur ex resolutione tradita, necessarium fuisse pactum, aut promissionem diuinam, vt Christus Deum ex iustitia obligaret ad acceptandam suam satisfactionem, & vt intuitu illius hominibus offensam remitteret; consequens est contra ea, quæ *tract. de merito Christi* docemus: ergo resolutio tradita substineri à Nobis non potest. Probatur sequela: vt enim explicando Diuũ Thomam docuimus, Deus nõ potest debitor nobis constitui, nisi tantum ex promisso, hoc est, nisi Dei promissio, vel simplex, vel onerosa præcedat: ergo Christus non potuit Deum ex iustitia obligare ad acceptandam suam satisfactionem, & ad remittendam offensam hominibus, nisi præcedente pacto, vel promissione diuina acceptandi Christi satisfactionem, & hominibus offensam remittendi sub conditione illarum operationum, quibus satisfecit pro nobis.

76. *Cõfirmatur.*

Quod amplius vrgetur: vt enim dicebamus *num. 72.* Deus non potest ex iustitia obligari à iure in meritis nostris fundato, nisi illius promissio præcedat, quia nemo potest alterius opere obligari ex iustitia sine præuia promissione, nisi tali opere indigeat, & illo iuuetur, quod Deo conuenire non potest; sed operibus à Christo Domino exhibitis Deus non indigebat, nec illis iuuari potuit: ergo nisi pactum, vel promissio intercesserit, non potuit Deus ex iustitia stricta obligari ad acceptandam satisfactionem Christi, & ad remittendam offensam hominibus intuitu satisfactionis à Christo Domino exhibitæ, si vera est resolutionis nostræ doctrina, & explicatio, quam testimonijs Diui Thomæ exhibuimus.

77. *Respõdetur.*

Respondeo, negando sequelam, ad illius probationem, concedo antecedenti, nego consequentiam. Ratio autem discriminis est: nam licèt operationes Christi, & opera puri hominis conueniant in eo, quòd Deo pluribus debeantur titulis; differunt tamẽ in hoc, quòd opera puri hominis ob sui limitationẽ tam physicam, quam moralem non adæquant omnes titulos, ex quibus debentur Deo, & ideo si aliquo ex illis petantur, nõ possunt ad aliud promerendum ordinari: ex quo nascitur, vt necessarium sit pactum de illis remunerandis, per quod Deus cedit alijs titulis, quibus ipsi opera nostra debentur, vt possint Deum debitorem constituere, ipsumq; obligare ad mercedẽ retribuendam; Christi autem operationes ob tuum infiniti-

tum

tum valorem, infinitamque dignitatē ſumptam à perſona Verbi omnes titulos, quibus Deo debentur, adæquant, & omne præmium poſsibile. Vnde, quamvis Deo alijs titulis debeantur, Deuſque ex illis operationes Chriſto præcipiat, ſi Chriſtus illas ordinat ad aliquid promerendum, quamvis non præcedat promiſsio, Deum debitorē conſtituunt, ipſumque obligant ad retributionem præmij, ad quod promerendum à Chriſto voluntate humana ordinantur, quin ex hoc in Deo aliqua imperfectio ſequatur, vt latè explicabimus *tract. de merito Chriſti*. Et ex his ad confirmationem cōſtat ſolutio: nam ratio, ob quam non poteſt aliquis operibus alterius obligari ſine præuia promiſsione, niſi illius operibus egeat, & illis iuvetur, eſt, nā qui illis non iuvatur, nec indiget, poteſt ea alijs titulis exigere, quibus illorum dignitas, & ſufficientia adæquatur, & expletur: vndè, vt per illa obligetur ad aliquid retribuendum, oportet, vt alijs titulis cedat, quod fit media promiſsione, vel pacto de retribuēda mercede. Cumque hæc ratio in operibus Chriſti non militet; nullus enim titulus, ex quo à Deo peti poſsunt, poteſt illorum ſufficientiam extinguere, fit conſequens, vt Deus poſsit operibus Chriſti obligari ad aliquid retribuendum ſine præuia promiſsione, & ordinatione extrinſeca, quamvis illis nec iuvetur, nec indigeat.

Ad cōfirmationē

78. *Secūdo arguitur.*

Secundò principaliter arguitur: obiectum formale, quod à Philoſophis, & Theologis communiter aſsignatur virtuti iuſtitiæ commutatiuæ, eſt æqualitas arithmetica dati, & accepti; ſed inter Deum, & creaturam intercedere non poteſt æqualitas dati, & accepti: ergo in Deo reſpectiuè ad creaturam commutatiua iuſtitia non datur, & conſequenter ex illa nō acceptauit ſatisfactionem Chriſti, nec hominibus offenſam remiſsit intuitu ſatisfactionis à Chriſto Domino exhibitæ. Secunda conſequentia ex prima euidenter colligitur, prima ex præmiſsis, maior eſt Ariſtotelis 5. *Ethic. cap.* 2. & 4. & Diui Thomæ *locis in primo argum. adductis*, & 2. 2. *q.* 61. *art.* 3. Minor etiam in *eiſdem locis* traditur à D. Thoma, & 1. 2. *q.* 114. *art.* 1. *ad* 2. & à Driedone *tract. de captiuitate generis humani cap.* 2. *p.* 3. *art.* 3. Et oſtēditur primò ex Paulo *ad Roman.* 11. illis verbis: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Secundò, & vrgentius ex illo Iob *cap.* 25. *Si iuſtè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* Tertiò hac ratione: donum namque cedit in vtilitatem recipientis; ſed operationes noſtræ in Dei vtilitatē cedere nequeunt, cum illis Deus nullatenus egeat: ergo nihil Deo poſſumus donare, nec Deus poteſt aliquid à nobis recipere. Denique, nam ſi Deo aliquid poſſemus dare, poſſemus eſſe liberales in Deum; ſed creatura liberalis in Deum eſſe nō poteſt, cum omnis eius operatio ſit Deo multis titulis debita; liberalitas autem excludat debitum in operante: ergo nec poteſt aliquid diuinæ maieſtati donare, & conſequenter, nec Deum obligare, vt ſibi aliquid ex iuſtitia commutatiua retribuat.

Ariſt. S. Tho. *Dried.* *Minor probatur primo.* *Rom.* 11. *Secundò.* *Iob cap.* 25. *Tertiò.* *Quartò.*

79. *Reſpondetur.*

Reſpondeo, datum, & acceptum dupliciter ſumi poſſe: primò pro dono in accipientis vtilitatem cedente ex illius libera facultate nullatenus orto, & quod ex libertate dantis poſſet extra cauſas poni, & extra dominium recipientis conſtitui: ſecundò pro obſequio liberè ab aliquo exhibito, gratoque illi, cui exhibetur, etiam ſi in facultate obſequentis non ſit, quod ſemel extra cauſas poſitum ſub dominio alterius non conſtituatur. Datum, & acceptum ſumptum priori modo erit ad ſummum materia iuſtitiæ commutatiuæ humanæ à Philoſophis cognitæ, & diffinitæ, non autem iuſtitiæ cōmutatiuæ Theologicè acceptæ, & ex communi iuſtitiæ commutatiuæ conceptu, ſed formale illius obiectum prout ſic eſt æqualitas arithmetica inter datum, & acceptū, ſiuè primo, ſiuè ſecundo modo.

Iuxta quam doctrinam, conceſſa maiori, nego minorem: ad cuius primam probationē dicatur, verbis Pauli ſolum excludi à nobis reſpectu Dei donationem independentem à Deo,

Ad primā probationē minoris.

&

& ab illius potestate nõ ortam, nec illi subordinatam, quam impossibilẽ esse creaturæ fatemur, cum nihil operari possit, nisi dependẽter à Deo, vt dãte, conseruante, & applicante virtutẽ, & simul cum illa operante. Ad secundã probationẽ dicatur, verba Iob eodem modo intelligenda esse, nẽpè, hominẽ nihil Deo à se posse donare, hoc est, cum independentia ab ipso, vt à priori donante facultatem, & auxilia, medijs quibus operatur. Vel nihil hominem Deo donare posse in illius intrinsecam cedens vtilitatem, quod verissimum est, cum Deus sine nostris operibus, & sine omni creatura æquè felix, ac beatus existeret.

Ad secũdam.

80. Et ex his ad tertiam probationem constat solutio; cedere namq; in recipientis intrinsecam vtilitatem solum est de ratione doni in priori acceptione, non autẽ prout secundò accipitur pro opere facto in obsequium alicuius, illique grato, quod esse sufficientẽ materiam iustitiæ cõmutatiuæ, prout diffinitur à Theologis, constat ex dictis. Ad vltimã probationẽ, nego sequelã; cum enim, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 117. art. 5. ad 1. liberalitas respiciat debitũ, quod attenditur ex quadã decentia ipsius, qui liberalitatem exercet, non autẽ ex hoc, quod alteri sit obligatus, & omne opus nostrum, siuè præcepti, siuè consilij Deo sit debitũ, saltim titulo gratitudinis, nosq; Deo tot titulis obligati simus, consequens sit, quòd in Deũ liberales esse nõ possumus, quantũvis in illius obsequium plura operemur. Et quidem, cum P. Vazquez in Deo respectu nostri virtutẽ gratitudinis esse fateatur, cuius materia, teste D. Thom. 2. 2. q. 106. art. 1. est beneficium acceptũ, nescio qua ratione vtatur hoc argumẽto ad excludendã à Deo iustitiam cõmutatiuã; si namq; nos Deo aliquid donare repugnat, ideoq; respectu nostri iustitiã cõmutatiuam exercere non potest, quo modo poterit homo benefacere Deo, illi beneficus esse, eiq; beneficiũ præstare, quod materia gratitudinis est, & obiectũ illius, et si gratitudinis materiã, & obiectũ extẽdit ad obsequia alicui exhibita, cur materiã iustitiæ commutatiuæ ad obsequia exhibita non extendit?

Ad quartam. S. Tho.

S. Tho.

81. Si opponas, D. Thom. 1. p. q. 21. art. 1. & *alijs locis in primo argumento relatis* excludere à Deo iustitiam cõmutatiuam, quia versatur inter datũ, & acceptũ; creatura autẽ Deo nihil potest dare iuxta illud Pauli ad Rom. 11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Et Iob cap. 15. *Si iustè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* Ergo sentit D. Th. datũ, & acceptum, quod est materia iustitiæ cõmutatiuæ sumi in priori acceptione, Deoq; conuenire non posse. Patet consequẽtia, nã datum, & acceptũ largè sumptum pro obsequio alicui facto, eiq; grato, non repugnat Deo: ergo si esset sufficiens materia iustitiæ commutatiuæ, malè D. Th. huiusmodi virtutem à Deo excluderet ex eo, quòd à nobis nihil recipere potest. Respondeo D. Th. loqui de iustitia cõmutatiua cõmertiali à Philosophis cognita, & diffinita, vel de iustitia cõmutatiua secũdũ primam nominis impositionẽ, qualiter sumpta, verũ est respicere datũ, & acceptum propriè, cedensq; in accipientis vtilitatẽ, & ab illo indepẽdẽs, & quod semel positũ nõ necessariò sit sub accipientis dominio, quod genus dati, & accepti Deo repugnare concedimus, & iustitiã sic accepta, rectè D. Th. excludit à Deo ex eo, quòd à nobis nihil recipere potest; ex hoc tamẽ non infertur, quòd in Deo constituenda nõ sit iustitia cõmutatiua sumpta Theologicè pro virtute inclinante ad seruandũ ius alienũ secundũ arithmeticam æqualitatem, qualiter accepta iustitia cõmutatiua sufficit pro illius materia opus factum in obsequiũ Dei illi gratum, & ab ipso remunerandũ.

Opposnes. S. Tho. *Rom.* 11. *Iob cap.* 25. *Respondetur.*

82. Tertio arguitur: nã iustum cõmutatiuũ est idem quod contrapassum, vt docet D. Th. 2. 2. q. 61. art. 4. ex Aristotel. *lib.* 5. *Ethic. c.* 5. sed Deo contrapassum repugnat, quia nihil lucri, vel damni à nobis recipere potest, in quo ratio contrapassi cõsistit, & quia contrapassũ fit cũ abdicatione dominij; implicat autẽ omninò Deum à se alicuius rei dominium abdicare: ergo repugnat Deo iustum cõmutatiuũ, &

Tertio arguitur. Arist. S. Tho.

con-

Reſpõdetur. conſequentèr etiam ipſi repugnat cõmutatiua iuſtitia. Reſpondeo ex D. Th. *loco alleg. ſolut. ad 2 arg.* manifeſtè conſtare, quòd non repugnat Deo cõtrapaſſum requiſitum ad iuſtũ cõmutatiuum, & ad rationẽ cõmutatiuæ iuſtitiæ: nam cõtrapaſſum dupliciter ſumitur. Primò pro vera repaſsione, & actione cum detrimento, & vtilitate, & abdicatione dominij: ita vt quantũ aliquis damnificatus eſt, tantũ cõmodi, & vtilitatis recipiat, & quantũ ab aliquo abſtulit, vel accepit, tantũ reddat, cũ vera dominij abdicatione. Secũdò prout ſignificat, quod tanta ſit retributio, quantũ eſt meritũ, tantũ ſit ſupplicium, quantũ eſt vitioſa, & peccaminoſa operatio. In priori ſenſu repugnat contrapaſſum Deo; non tamen petitur à iuſtitia commutatiua ex communi conceptu, & formali iuſtitiæ, ſed ſolum petitur à iuſtitia commutatiua commertiali, prout inter homines exercetur. In ſecundo autem ſenſu Deo non repugnare contrapaſsũ docuit D. Th. *loco in argumento relato*, & in hac 3. *p. infra q. 85. art. 3.* in ſatisfactione à nobis pro culpa exhibita docet reperiri rationem cõmutationis, quatenus Deo exhibemus opus ſatisfactoriũ pro offenſa in ipſum cõmiſſa; & tamen neque ex offenſa aliquod damnũ intrinſecum, neq; ex ſatisfactione noſtra emolumentum aliquod intrinſecũ percipit: non ergo eſt de ratione cõmutationis ex cõmuni conceptu iuſtitiæ cõmutatiuæ cõtrapaſſum propriè ſumptum. Et quidẽ liberalitas, & magnificẽtia inter homines non exercentur abſq; abdicatione dominij; & tamẽ in Deo perfectiſsimè reperiũtur, ab ipſoq; abſq; tali abdicatione exercẽtur. Quamvis ergo iuſtitia inter homines in datis, & acceptis abſque dominij abdicatione nõ exerceatur, poterit à Deo abſque tali abdicatione perfectiſsimè exerceri.

S. Tho.

83. *Inſtabis* Sed dices: contrapaſſum eſt materia iuſtitiæ cõmutatiuæ: ergo contrapaſſum propriè ſumptum eſt materia iuſtitiæ commutatiuæ propriè acceptæ, & conſequentèr vbi nõ interuenit ratio contrapaſsi propriè, nõ poterit iuſtitia cõmutatiua propriè accepta reperiri; ſed reſpectu Dei ratio contrapaſsi cũ proprietate non datur, ſicut nec ratio propria dati, & accepti: ergo non reperitur in ipſo iuſtitia cõmutatiua propriè ſumpta. Reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando conſequentiã: nam ratio contrapaſsi nõ eſt formale obiectũ iuſtitiæ cõmutatiuæ, ſed æqualitas arithmetica rei ad rẽ, ſiuè inter datũ, & acceptum, ſiuè inter obſequium, & præmium, aut ſatisfactionẽ, & offenſam, & quia hæc æqualitas à Deo propriè conſtituitur, & intenditur, cõſequens fit; quòd propriè in ipſo reperiatur iuſtitia cõmutatiua, quamvis capacitas in illo nõ ſit ad datum, & acceptum, & contrapaſſum propriè.

Reſpõdetur.

84. *Vltimo arguitur.* Denique argumentari poſſumus contra noſtrã ſententiam; etenim iuſtitia cõmutatiua reſpicit, attenditq; æqualitatẽ arithmeticam rei ad rem, ſiuè inter datũ, & acceptũ, ſiue inter præmiũ, & meritum, vt proximè dicebamus; ſed remiſsio offenſæ cõmiſſæ in Deũ nõ adæquat arithmeticè ſatisfactionẽ Chriſti, cũ ſatisfactio Chriſti offenſæ cõmiſſæ in Deũ grauitatẽ excedat in morali æſtimatione, & conſequẽtèr etiam excedat moralẽ æſtimabilitatẽ remiſsionis offenſæ, quæ maior non eſt offenſæ grauitate: ergo remiſsio offenſæ facta à Deo non eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ, & conſequentèr nec acceptatio ſatisfactionis Chriſti fuit actus iſtius virtutis.

Reſpõdetur. Reſpondeo, quòd vt remiſsio offenſæ facta à Deo ſit actus iuſtitiæ cõmutatiuæ, & ex illa procedat, ſufficit, quòd ſit æqualis ſatisfactioni Chriſti arithmeticè negatiuè, non per negationẽ exceſſus ſatisfactionis ad remiſsionẽ, ſed per negationem exceſſus remiſsionis ſupra ſatisfactionem, ideſt, talitèr, quòd præmium meritum non excedat: ſicut in ſimili *diſput. præcedenti* dicebamus loquendo de virtute ſatisfactiua Chriſti. Et hæc de iſta diſputatione applicanda cũ præcedentibus litteræ Magiſtri *in 3. diſt. 46. §. 1.*

DISPVTATIO OCTAVA.

An Verbum carnem assumeret in vi præsentis decreti, Adamo non peccante?

§. I.

Relatis sententijs, vera eligitur, & auctoritate probatur.

1. POTVISSE Deũ carnem assumere, & in illa venire, non peccante Adamo, nulloque existente peccato, adeo certum est, vt in controuersiam à nullo Theologorum vocetur; imò nec potest vocari; cum enim Incarnatio, seu à Deo carnis assumptio, nec essentialiter, nec connaturaliter cum peccato connectatur, in eo quod Deus carnem assumat, nullo existente peccato, repugnantia inveniri nõ potest: non igitur de possibili, sed de facto, & de eo, quod de facto accidit, controuersia Theologorum in hac parte procedit. S. Tho.

2. Sed adhuc potest duplicem sensum habere. Primus est, an Verbum carnem assumeret, & in illa veniret in vi alterius decreti, quod haberet Deus in alia rerum serie, & dispositione, in qua Adamus non peccaret, nullumque peccatum existeret, & in hoc sensu iuxta D. Thomam 1. *ad Timot.* 1. *lect.* 4. quæstio magnæ auctoritatis non est, & nullius vtilitatis esse est frequens Theologorum sententia, potiusque diuinationis, quam prudentis disquisitionis materia videtur. Cum enim ad aliud decretum de assumptione carnis à Deo in illa rerum serie statuendum non nisi ex ijs, quæ de facto sunt reuelata, discursum formare possimus, & ex ijs, quæ de facto reuelata sunt, nullum ad illius decreti illationem principium habeamus, diuinatio potius, quam probabile iudicium erit asserere venturum Christum, Verbumque assumpturum carnem in vi alterius decreti formandi à Deo, nullo peccato existente. Et quidem asserere incarnandum Patrem, vel Spiritum Sanctum in vi alterius decreti extituri in Deo, Verbo carnem non assumente, mera diuinatio est, quia ex ijs, quæ de facto reuelata sunt, talis decreti existentia coniectari non potest:

ergo

ergo, affirmare, Verbum in carne venturum, Adamo non peccante, nulloque peccato existente, in vi alterius decreti, tunc casus formandi à Deo, diuinare potius, quam prudenter discurrere est, cum istius decreti conditionata existentia non habeatur, nec adhuc probabiliter colligatur ex reuelatis de facto.

3. *Gratia habitualis nō cōnectitur per se cū Incarnatione.*

Probatur primo.

Quod enim Recentes quidam diuinatores Theologi in manu scriptis affirmant, nempè gratiam habitualē per se cum Incarnatione Verbi cōnecti, eumque gratia habitualis remaneret, etiam si Adamus non peccaret, fit consequens, quòd illius peccato non existente; Verbum in vi alterius decreti carnem assumeret, & in illa veniret, nullius prorsus probabilitatis est: nam inquiro, quæ gratiæ habitualis cum Incarnatione Verbi cōnexio? Aut enim cum illa connectitur, vt cū principio sui effectiuo, aut tanquam cum proprio subiecto. Non primum; non enim humanitas Christi est causa principalis illius, sed solus Deus, vt 1 2. q. 112. docetur ferè ab omnibus Theologis, & licet humanitas Christi sit causa physica instrumentalis gratiæ habitualis, vndè, probatur, esse connaturaliter exactam ab illa? Nec secundum; nam licet gratia habitualis Christi ex conceptu indiuiduali illius humanitatem Verbo vnitam, vt connaturale subiectum expoſcat; aliæ tamen gratiæ habituales, siuè hominum, siuè Angelorum illam vt connaturale subiectum non petunt, imò repugnare, quòd in illa recipiantur, tenet vera Thomistarum sententia asserentium implicare omninò accidens migrare de subiecto in subiectū eo, quòd ab illo indiuiduationem sumit; sed gratia, quæ, nō peccante Adamo, remaneret, non est illa, quæ in humanitate Christi recipitur, nam de huiusmodi gratia eadē est difficultas, ac de Incarnatione Verbi, an scilicet tunc casus existeret in vi alterius decreti: ergo ex connexione gratiæ, quæ perseueraret, Adamo non peccante, cum Incarnatione Verbi, non potest probabiliter, ac prudenter coniectari alterius decreti existētia, in vi cuius Verbum carnem assumeret, Adamo non peccante, nulloque peccato existente.

4. *Secūdo.*

Deindè eadem diuinatio reijcitur; non enim potest aliqua, vel apparens ratio assignari, cur habitualis grātia, quæ de facto à Deo communicatur Angelis, & hominibus, connectatur cum Incarnatione Verbi, & non cum Incarnatione Patris, aut Spiritus Sancti; sed cum Incarnatione Patris, aut Spiritus Sancti nullam connexionem habet gratia habitualis, quam Deus Angelis, & hominibus largitur, vt omnibus est in confesso: ergo omninò commentitium est, & sine vllo fundamento gratiam habitualē, Adamo non peccante, nulloque peccato existente, cum Incarnatione Verbi connecti, ac proindè chimericè ex tali connexione colligitur, Verbum carnem assumpturum, Adamo non peccante, nulloque pecato existente.

5. *Respōdetur.*

Si fortè dicatur, ideo gratiam habitualem de facto existentem, & in eo casu extituram cū Incarnatione Verbi connecti, quia per modum radicis inclinat in actum fidei, quo credimus, Verbū carnē assumpsisse, & cū tali actu cōnectitur, & cōsequenter cū obiecto illius actus, quod est Incarnatio Verbi, cūq; nō connectatur radicaliter cum actu fidei assentiente Incarnationi Patris, aut Spiritus Sancti, sed potius cum actu oppoſito; fide enim credimus, nec Patrem, nec Spiritum Sanctum carnem sumpsisse, sed tōlum secundam Trinitatis personam, videlicet, Verbum, consequens est, vt cū fundamento asseratur connexio gratiæ habitualis de facto existentis cum Incarnatione Verbi, & negetur cum Incarnatione Patris, aut Spiritus Sancti connecti.

6. *Reijcitur solutio.*

In contrarium sic obijcio: nam sequitur ex hac solutione gratiam habitualem de facto existentem, non solum cum Incarnatione Verbi, sed etiā cum illius morte, & passione connecti: consequens admitti non potest, etiam in illorum Recentiorum sententia: ergo nec possunt cum fundamento asserere, gratiam habitualem de facto existentem, & in eo casu extituram

tituram connecti cum Incarnatione Verbi. Falsitas consequentis exindè manifestè colligitur; quia namq; gratia habitualis existens de facto cum Incarnatione Verbi connectitur in sententia istorum Recentiorum, inferūt, Verbum fore incarnaturum in vi alterius decreti, Adamo non peccante, nullo q; peccato existente: ergo si gratia habitualis existens de facto, non solum cum Incarnatione Verbi, sed etiā cum illius morte, & passione connexionem haberet, Verbum non solum carnem assumeret, Adamo non peccante, sed etiam in hac hypothesi mortem subiret in vi alterius decreti; sed hoc nullus Theologorum docuit, nec ab istis Recentioribus potest doceri: ergo fateri tenentur, vt consequentèr loquantur, gratiam habitualem de facto existentem cum passione, & morte Christi connexionem non habere. Sequelā autem sic probo: ex eo namque in Recentiorum sententia gratia habitualis existens de facto cum Incarnatione Verbi connectitur, non autē cum Incarnatione Patris, aut Spiritus Sancti, quia per modum radicis inclinat in actum, quo credimus Incarnationem Verbi; secus verò in actum, quo credamus Incarnationem Patris, aut Spiritus Sancti; sed etiam radicalitèr inclinat in actum fidei, quo passioni, & morti Christi præbemus assensum, & credimus hæc misteria: ergo connectitur, nedum cum Incarnatione Verbi, sed etiam cum illius morte, & passione, nec defendi potest, gratiā habitualem existentem de facto cum Incarnatione Verbi substantialitèr sumpta connecti, & quòd similem connexionem non habeat cum passione, & morte Verbi.

7. Tertio probatur.

Denique prædicta sententia, aut diuinatio reijcitur; si namque gratia habitualis existens de facto cum Incarnatione Verbi connectitur, sine fundamento asseretur, eandem gratiam perseueraturam in vi alterius decreti extituri, Adamo non peccante: ergo sine fundamento docetur tunc casus, Verbum assumpturum carnem in vi alterius decreti. Consequentia patet; nam alterius decreti existentia tunc casus colligitur ex cōnexione gratiæ, quæ de facto datur cum Incarnatione Verbi: ergo si non est fundamentum ad permanentiam eiusdē gratiæ, tunc casus, nec etiam fundamentum adest ad formationem alterius decreti, & vt asseratur vi illius Incarnationem Verbi futuram. Antecedens autem probo: si namque gratia habitualis, quæ de facto datur, connexionem habet cum morte, & passione Christi, sine fundamento asseretur, eandem gratiā remansuram, casu in quo Adamus nō peccaret, aliàs inferretur ex illa, Christum non solum venturum, sed etiam moriturum in vi alterius decreti, Adamo non peccante, quod vt proximè dicebamus, nullus Theologorum docuit: ergo paritèr, si gratia habitualis in nobis de facto existēs cū Incarnatione Verbi substantialitèr sumpta connectitur, sine fundamento asseretur, eandem gratiam extituram in vi alterius decreti, Adamo non peccante, nullo que peccato existente.

8. Punctus difficultatis.

Secundus nostræ controuersiæ sensus, & in quo agitatur à Theologis, est, an in vi præsentis decreti Verbum assumeret carnē, sibiq; humanitatem vniret, etiam si Adamus nō peccaret? quod idem est, atque inquirere, an de facto detur in Deo decretum aliquod efficax mittendi Verbum in carne nō connexum cum peccato Adami, vel omne decretum efficax, quod circa Incarnationem Verbi de facto datur in Deo, sit cum peccato originali cōnexum? Si namque hoc secundum asseratur, nempè omne decretum efficax circa Incarnationem Verbi de facto existens in Deo esse cum peccato originali connexum, per euidentem consequentiam infertur, Verbum carnem non sumpturum, nec in illa venturum in vi præsentis decreti, Adamo non peccante: ablato namque obiecto, vel extremo connexionis decreti, decretum etiam aufertur. Si verò asseratur primum, veniret Verbum in carne, illamque assumeret, peccato Adami non existente in vi præsentis decreti; cum enim decretum efficax Dei, supposito, quòd existat, non possit non executioni mandari, & de-

cretum

cretum cum peccato non connexum perſeueret, peccato non exiſtente, per euidentem conſequētiam colligitur, quòd ſi datur de facto in Deo decretum aliquod efficax de Incarnatione Verbi non connexum cum peccato, Incarnatio Verbi exiſteret, nullo peccato exiſtente.

9. *Prima ſententia.*

Qua in re duplex, vtraque celebris, & è regione oppoſita, ſententia verſatur. Prima docet, Incarnationem Verbi efficacitèr fuiſſe prædiffinitam à Deo duplici decreto: alio terminato ad Incarnationis ſubſtantiam abſolutè, & diſiunctiuè circa proximam paſsibilitatem, vel proximam impaſsibilitatem: alio terminato ad circumſtantiam proximæ paſsibilitatis determinatæ, primumque indepẽdens fuiſſe à futuritione peccati; ſecũdum verò ab illa fuiſſe dependens, ac proindè vẽturum Chriſtum ex vi primi decreti, etiam ſi Adamus non peccaret, nulloque peccato exiſtente, nõ quidem in carne paſsibili, ſed in carne impaſsibili. Hanc tenent Scotus *in 3. Sent. diſt. 7. q. 3. & diſt. 19. q. vnic.* Alenſis *3. p. q. 2. membro 13.* Albertus *in 3. diſt. 20. art. 4.* Maior *diſt. 19. q. 4.* Gabriel *diſt. 32. q. vnic. art. 1. notab. 3.* Liquetus *diſt. 7. q. 3.* Albertus Pigyus *lib. 8. de libero arbitrio cap. 3.* & Caterinus *lib. 1. de eximia Chriſti prædeſtinatione*, quos referunt, & ſequuntur Rada *3. p. controuerſ. 5. art. 3.* Faber *in 3. Sent. diſt. 7. q. 3.* Theodorus Smiſing. *tom. 1. de Deo vno tract. 3. diſp. 6. q. 12.* & Franciſcus del Caſtillo *in hac 3. p. diſp. 4. q. 1.* Tenent etiam ex Patribus Societatis Suarez *tom. 1. in 3. p. diſp. 5. ſect. 5.* & Puente-Hurtado *diſput. 13. ſect. 12.*

Scotus. Alenſis. Albert. Maior. Gabriel. Liquet. Albert. Pigyus. Cater. Rada. Faber. Theod. Smiſin. Caſtillo. Suarez. Puent.

10. *Secũda ſententia.*

Secunda ſententia docet, nullum fuiſſe in diuina voluntate decretum efficax circa Incarnationem Verbi cum peccato Adami non connexum; ac proindè ex vi præſentis decreti Verbum incarnandum non fore, peccato Adami non exiſtente, Adamoque non peccãte. Ita Sanctus Thom. *in 3. Sent. diſt. 1. q. 1. art. 3. q. 29. de veritate art. 4. ad 3. argum. 1. ad Timotheũ 1. lect. 4. & in hac 3. p. q. 1. art. 3.* Angelicũ Præceptorem ſequuntur omnes eius diſcipuli, Capreolus *in 3. diſt. 1. q. vnic. art. 1. concluſ. 1.* Ferrarienſis *4. Contra Gentes cap. 55.* Caietanus, & Medina *in præſenti q. 1. circa art. 3.* Cabrera *diſput. 1.* Lorca *diſp. 10.* Alvarez, Nazarius, & Cornejo *circa eundem art.* & Illuſtriſsimus Araujo *art. 3. dub. vnic.* Tenent etiam ex Patribus Societatis Vazquez *diſp. 10. cap. 4.* Merazius *tract. de Incarnatione diſp. 9.* Lugo *diſp. 7.* quos alij Recentiores ex eadem familia frequentius ſequuntur.

Caiet. Medina Cabrer. Lorca. Alvar. Nazar. Cornejo. Araujo. Vazq. Meraz. Lugo.

Quæ ſententia à Nobis pro concluſione ſtatuitur, & oſtenditur primò auctoritate Patrum expreſsè affirmantium, Chriſtum non vẽturum, Adamo non peccante. Ita Auguſtinus *in Pſalmum 36. concione 2.* ad illa verba: *A Domino greſſus hominis dirigentur*, vbi ſic ait: *Si tu, ò homo non dimitteres Deum, non fieret pro te Deus homo. Serm. 8.* de verbis Apoſtol. ſuper illud: *Venit enim filius hominis quærere, & ſalvum facere, quod perierat*, ſic habet: *Si homo non periſſet, filius hominis non veniſſet.* Et 1. ad Timotheũ 1. ad illa verba: *Chriſtus Ieſus venit peccatores ſalvos facere*, glo ſa Auguſtini ſic dicit: *Nulla cauſa fuit Domino Chriſto veniendi, niſi peccatores ſalvos facere, tolle vulnera, tolle morbos, & nulla eſt cauſa medicinæ.* Id ipſum expreſsis verbis teſtantur Hirenæus *lib. 5. ad verſus hæreſes cap. 14.* Athanaſius *ſermone 3. contra Arrianos colum. 212.* Leo Magnus *ſerm. 3. in Penthecoſten.* Cyrillus *lib. 5. de Trinitate ante mediũ*, & ſuper Ioannem *lib. 2. cap. 3.* Gregorius Magnus *in 4. lib. Regum cap. 1.* quorum verba adducit, recteque ad noſtrum intẽtum expendit Vazquez *diſput. allegat. cap. 4.* ergo ex mente Patrum Verbum carnem non aſſumeret, nec homo fieret, Adamo non peccante.

11. *Concluſio probatur auctoritate. S. Aug.* *1. ad Timoth. 1. S. Aug.* *Hiren. Athan.* *S. Leo. Cyrill. Gregor. Mag.*

Commmunis huius argumenti ſolutio eſt, allegatos PP. loqui de aduentu Chriſti in carne mortali, proximeque paſsibili, & ſic verum eſt, Chriſtũ non venturum, Adamo non peccante: ſi namque Adamus non peccaret, Chriſtus vt Redemptor non veniret, & conſequentèr, etſi carnem aſſumeret, non tamen paſsibilem proximè,

12. *Communis ſolutio.*

eo quòd finis assumẽdi carnem in statu proximæ passibilitatis, & mortalitatis fuit hominem à peccato redimere: qui finis, Adamo non peccante, cessaret, ac proindè Verbum carnem proximè passibilem nõ assumeret; nõ autem prædictos PP. aliosq; rem hanc tractantes negare, quòd veniret Christus in carne impassibili, & immortali, Adamo non peccante, qualitèr vẽturum sententia cõtraria affirmat, ac proindè contra illam argumẽtum ex Patribus sumptum non vrget.

13. *Reijcitur primo.*

Cæterum contra hanc solutionẽ benè argumẽtatur Vazquez; id enim, quod potest fieri duobus modis, ex eo solum quòd vno modo non fiat, non dicitur verè absolutè non fieri, sed solum non fieri tali modo, cum absoluta negatio omnem modum excludat; sed locutio Patrum negantium, venturum Christum, Adamo non peccante, non est limitata ad vnum modũ aduentus, sed absoluta; nõ enim dicunt, non venturum, vel carnem non sumpturum hoc, vel illo determinato modo, sed absolutè docent, non venturũ, non sumpturum carnem, non esse fiẽdum hominem, Adamo non peccante, vt constat ex verbis relatis ex Augustino: ergo si, Adamo nõ peccante, Christus adhuc veniret, licet in carne impassibili, quamvis carnem passibilẽ non assumeret, falsa esset Patrũ locutio asserẽtium absolutè, Christum non venturum, Adamo nõ peccante.

14. *Secũdò.*

Secundò reijcitur: nam ista propositio: *Si non haberet caro saluari, nequaquam Verbũ Dei caro factum esset*; cõtradictoriè opponitur huic: *Etiam si non haberet caro saluari, Verbũ Dei aliquo modo caro factum esset*; sed primam expressè tradit Hirenæus *loco citato*; secundam autẽ docet contrariorũ sententia: nam assumere carnẽ impassibilẽ est aliquo modo carnem fieri: ergo sententia cõtraria est contradictoriè oppositа menti Hirenæi. Minor cum consequentia tenet, maior autẽ probatur: nam idem est, Verbum nequaquam carnem fieri, ac nullo modo fieri carnem; sed Verbum nullo modo fieri carnem, & Verbum aliquomodo carnem fieri contradictoriè opponuntur, vt ex ipsis terminis constat: ergo ista propositio: *Si non haberet caro saluari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset*, contradictoriè opponitur huic; *Etiam si non haberet caro saluari, Verbum Dei aliquo modo caro factum esset.*

15. *Tertiò.*

Tertiò prædicta solutio reijcitur: nam sequitur ex illa, posse istam propositionem absolutè cõcedi, *Verbum Dei non est factum caro*: consequens absurdum, & hæreticum est, vtpotè contra illud Ioann. 1. *cap. Verbum Caro factum est, & habitauit in nobis*: ergo solutio tradita sustineri non potest. Probatur manifestè sequela; quia namque, Adamo non peccante, Deus non assumeret carnem proximè passibilem, est vera iuxta aduersarios ista propositio Patrum: *Verbum non assumeret carnem, Adamo non peccante*, etiam si in prædicta hypothesi carnẽ impassibilem, immortalem, & gloriosam assumeret; sed de facto, etsi assumpserit carnem passibilem; non tamen assumpsit illam cũm modo impassibilitatis: ergo vera erit absolutè hæc propositio: *Verbum Dei non est facta caro, Deus non est factus homo*, poteritque catholicè dici Verbum carnem non assumpsit, contrà id, quod fide catholica credimus ex Ioãnne 1. *cap. Verbum Caro factum est.* Patet consequentia: si namque Incarnationem non esse vno modo futuram, videlicet in carne passibili, Adamo non peccante, sufficit, vt absolute non futura dicatur, peccato Adami non existente, etiam si in hac hypothesi alio modo esset futura, scilicet, in carne impassibili, nõ est cur Incarnationẽ vno modo factam non fuisse, nõ sufficiat, vt absolutè nõ facta dicatur, etiam si alio modo effecta fuerit; sed Incarnatio Verbi vno modo ex possibilibus facta nõ fuit, scilicet, in carne impassibili: ergo, licet alio modo facta fuerit, videlicèt, in carne passibili, & mortali, poterit absolutè dici non facta, & cõsequentèr, si vera est aduersariorũ solutio, poterũt istæ propositiones absolutè cõcedi: *Verbũ non est factum Caro: Deus non est factus homo*, quæ contradictoriè opponũtur huic propositioni:

Ioann. cap.1.

Ioann. cap.1.

Verbum Caro factum eſt, traditæ ab Euangeliſta Ioanne *in 1. cap.*

16. *Quartò.* Præterea reijcitur; ſi nāque propoſitio ab Auguſtino, & alijs Patribus tradita eſſet in Scriptura expreſſa, nemo abſq; periculo hæreſis aſſerere auderet, venturū Verbum, Adamo non peccante, etiā in carne impaſsibili: ergo nemo abſq; periculo Patribus contradicendi affirmare poteſt, vēturum Verbū, etiā in carne impaſsibili, Adamo non peccante, nec illius peccato exiſtente. Quod amplius vrgetur: nā D. Thom. eiſdem verbis docuit, non venturū Chriſtum, Adamo non pecāte, quibus id Auguſtinus, & alij Patres docuerunt; ſed Scotus, & illius ſequaces affirmando, venturū in illa hypotheſi Chriſtū in carne impaſsibili, exiſtimant, ſe apertè D. Thom. contradicere: ergo cenſere tenentur, ſe cū Auguſtini, & aliorū Patrum mēte pugnare, docentes, Verbum in carne impaſſibili fore vēturum, carnemq; impaſsibilē aſſumpturū, Adamo nō peccāte.

Cōfirmatur.

17. *Secundò reſpōdet aly.* Secundò reſpōderi poteſt, Patres nō negare abſolutè, Verbum aſſumpturum carnē, non peccante Adamo, ſed illam aſſumpturū pro nobis, propter noſtram ſalutē, & propter nos redimēdos, quod veriſsimū eſt, quia nō exiſtente peccato, redemptio ab illo neceſſaria non eſſet. Quod autem non abſolutè, ſed cum hac limitatione loquantur, patet ex Auguſtino in priori teſtimonio, nēpè, *concione 2. in Pſalm. 36.* ibi: *Situ, o homo non dimitteres Deum, non fieret pro te Deus homo.* Quibus verbis non negat abſolutè Auguſtinus, Verbum futurū, vel fiendū hominem, non exiſtēte peccato, ſed fiēdum hominem pro nobis, ideſt, propter nos à peccato redimendos: nam ly *pro te*, idem eſt, quòd propter te: ergo Auguſtinus docens, quòd ſi homo nō peccaret, Deus non fieret homo pro illo, ſolum intendit in tali hypotheſi, non fiendum hominem propter illum; non autem quòd abſolutè homo non fieret, & propter alios fines, ob quos fuit à Deo volita Incarnatio Verbi.

S. Aug.

18. Sed contra hanc ſolutionem obſtant primò verba Auguſtini *ſermone 8. de verbis Apoſtoli*, vbi ſuper illud: *Venit enim Filius hominis quærere, & ſaluare, quod perierat*, ſic ait: *Si homo non periſſet, Filius hominis non veniſſet.* Quibus verbis non cum prædicta limitatione, ſcilicet, pro nobis, vel propter nos, ſed abſolutè negat Auguſtinus, Filium hominis, ideſt, Chriſtum venturum, ſi peccatum non exiſteret: ergo interpretatio tradita vim argumenti non eleuat.

Reijcitur primo. *S. Aug.*

Secūdò. Hyren. Secundò obſtant verba ex Hyrenæo relata: *Si non haberet caro ſaluari, nequaquā Verbum Dei caro factum eſſet.* Quæ verba vniuerſalia ſūt, & ſine vlla limitatione, & aſſumptionem carnis à Verbo nullo modo, & ex nullo fine futuram, peccato nō exiſtēte, ſignificant, ac proindè falſa eſſent, ſi ex aliquo fine in tali hypotheſi Verbum carnē aſſumeret.

19. *Tertiò.* Denique obſtat: nam mens Patrum aſſerentium, non venturum Chriſtum, Verbumque non aſſumpturum carnem, Adamo non peccante, eſt amorem Dei erga homines extollere, qui tam eximium bonum, nempè Incarnationis Verbi illorum ſaluti alligauit, & propter illam decreuit; at ſi eſſet in vi præſentis decreti Incarnatio futura ob alios fines ſine connexione cum ſalute hominum, & cum illorum redemptione à peccato, minus benè hac ratione Dei erga homines amorem prædicarent, & extollerent Patres, cum Incarnatio eſſet à Deo volita ob alios fines, futuraque ob illos, quamvis ſalus hominum, illorumque redemptio à peccato non inſtarent: ergo non ſolum negant, Incarnationem futuram propter nos, peccato non exiſtente, ſed abſolutè ſentiunt, futuram non eſſe, ſi peccatū nō exiſteret, homineſque tanto Redemptore non indigerent.

20. *Tertia aliorum ſolutio.* Et ex his præcluſa manet quorumdam ſolutio aſſerentium, Patres, dum docent, Chriſtum non vēturum Adamo non peccante, non negare Incarnationem eſſe in tali hypotheſi futuram, Verbumque aſſumpturum carnem, & illam ſibi vniturum, ſed ſolum negare adventum, & quòd Verbum in carne aſſumpta veniret, & inter

nos

nos habitaret, & hoc verum esse; ex quo tamen non colligitur, Verbum non incarnandum, sed solum non venturum, nec in nobis habitaturum, Adamo nõ peccante, nulloq; peccato existẽte; quia in tali casu, etsi Verbũ carnem assumeret, non veniret in illa, sed in Cœlo in carne assumpta maneret.

21. *Reijcitur primo. S. Aug.* Quæ interpretatio ex dictis præoccupata manet, & reiecta: nam Augustinus, etsi in sermone de verbis Apostoli de aduentu Christi loquatur, dicens: *Si homo non peryisset, filius hominis non venisset*: concione tamen 2. *in Psalm.* 36. non de aduentu Christi in carne, sed de Incarnatione ipsa expresse loquitur Augustinus, docens, Verbum non esse fiendum hominem, non existente peccato: ergo si ex testimonio, in quo loquitur de aduentu, colligitur, non venturum Verbum in carne, homine non peccante, ex alio testimonio, in quo non de aduentu, sed de Incarnatione loquitur, infertur, nec venturum, nec carnem assumpturum in eadem hypothesi, & consequenter, Adamo non peccante, Verbum carnem non assumeret, nec in Cœlo cum carne assumpta maneret.

22. *Secũdo.* Deinde, nam Hyrenæus non de aduentu, sed de Incarnatione loquitur, docẽs, nequaquam esse futuram, quod idem est, ac nullo modo futuram asserere, homine non peccante; at si quamvis non veniret, nec inter nos habitaret; in Cœlo tamen cum carne assumpta maneret, non existente peccato, aliquo modo esset in hac hypothesi Incarnatio futura, vt ex terminis est manifestum: ergo verba Hyrenæi interpretationem istam non sustinent, nec illorum veritas cum illa subsistere potest, quandoquidem Incarnationem aliquomodo esse futuram, non existente peccato, contradictoriè opponitur huic propositioni: *Incarnatio nullo modo est futura*, peccato non existente, quam asserit Hyrenæus.

23. *Tertiò.* Denique, nam aduentus Christi in carne, & Incarnationis Verbi diuersa constituere, & assignare motiua omni prorsus fundamento caret: ergo diuersa decreta circa aduentum Christi, & Incarnationem Verbi non fuerunt; non enim fiat decretorum diuersitas sine distinctis motiuis, & consequenter si ex Patrum testimonijs colligitur, non venturum Christum in vi præsentis decreti, Adamo non peccante, ex eisdem etiam infertur, nullatenus esse futurum, Verbum que nullatenus carnem sumpturum in eadem hypothesi.

24. *Quarto respõdet quidam Recẽtiores.* Ex his etiam exclusum manet aliorum Recentiorum effugium aientiũ, ideo Patrum testimonia absolutè Incarnationem Verbi futuram esse negantia, casu in quo homo non peccaret, saluari cum proprietate, etiam si carnem immortalem, impassibilemque Verbum diuinum assumeret, non existente peccato; quia nomen *Caro* iuxta communem Scripturæ, & Patrum frasim corruptibilitatem significat, & ideo induere, vel sumere carnem, idem est, quòd induere naturam mortalem, & corruptibilem: cumque in hypothesi non existentiæ peccati Verbum non assumeret carnem passibilem, corruptibilem, & mortalem: fit, vt absolutè sit vera Patrũ locutio negantium, Verbum carnem sumpturum, etsi carnem immortalem, & gloriosam in tali hypothesi assumeret. Qua doctrina evanescere videtur vis terriæ nostræ obiectionis, qua ex solutione Scoti inferebamus, posse modò catholicè propositionẽ istam concedi: *Incarnatio facta non est*: & istam: *Verbum Dei non est factum Caro*, eo quòd, licet fuerit factum Caro vno modo, scilicet, in carne passibili, non fuit factum Caro alio modo, nẽpè in carne impassibili, & immortali: si namq; hoc nomen *Caro* corruptibilitatẽ absolutè significat, non assũpta carne proximè corruptibili, absolutè verificatur, carnẽ assumptã non esse: quæ ratio nõ militat, sed potius opposita, assũpta carne passibili, & non assumpta impassibili; quia ly *Caro* absolutè nõ impassibilitatẽ, sed passibilitatẽ, & mortalitatẽ importat. Vndè, cũ Verbũ de facto carnẽ assũpserit mortalẽ, & corruptibilẽ, nõ potest modò absolutè de diuino Verbo dici, quòd non assumpserit carnem.

25. *Rejcitur primo. S. Aug.*

Ex dictis, inquam, hoc effugium evanescit primò: nam Patres negantes futuram Incarnationem, non existente peccato, non solum vtuntur hoc nomine *Caro*, sed etiam hoc nomine *homo*, vt constat ex verbis Augustini *concione 2. in Psalm. 36. Si tu, o homo non dimitteres Deum, non fieret pro te Deus homo*: & alibi: *Si homo non periisset, filius hominis non venisset*; sed esto admittamus illam significationem istius nominis *Caro*, quòd nempè corruptibilitatem, & mortalitatem importet, ly *homo* illam non significat. ergo, quòd in hypothesi nō existentiæ peccati Verbum non assumeret carnem passibilem, non sufficit, vt propositio Patrum absolutè aientium, tunc casus hominem non futurum absolutè asserta, vt à Patribus profertur, sit vera.

26. *Secundò.*

Deindè, nam falsum est, nomen *Caro* absolutè sumptum corruptibilitatem importare, sed solum significat carnem abstrahendo à statu passibili, & impassibili, quod manifestè probatur: si namque ly *Caro* absolutè, vel iuxta fasim Patribus, & Scripturæ communē importaret proximam corruptibilitatem, sequeretur, posse catholicè dici loquendo de Christo nunc, Verbum Dei non est Caro, vel non habet carnem sibi hypostaticè vnitam, Christus non est ex anima, & carne compositus: consequens absurdum est: ergo falsum est, ly *Caro* absolutè sumptum, vel iuxta fasim communem proximam corruptibilitatem importare. Probatur manifestè sequela; quia namque in sententia Recentiorum data solutione vtentium ly *Caro* corruptibilitatem significat, casu in quo Adamo non peccante, Verbum assumeret carnem, esset absolutè verum, Verbum carnem non assumpturum, quia carnem non passibilem proximè in illa hypothesi assumeret; sed Verbum Dei, etsi modo habeat sibi vnitam carnem; caro tamen illi vnita non proximè passibilis, sed immortalis, & impassibilis est, vt fides catholica docet: ergo erit verum absolutè, & catholicè affirmabile, Verbum Dei non habere carnem sibi hypostaticè vnitam, Christumque non esse ex anima, & humana carne compositum, quod impium, & hæreticum est. Patet consequentia: si namque Verbum non assumpturum carnem passibilem proximè in casu non existentiæ peccati, sufficit, vt absolutè dicatur, non fore assumpturum carnem, non est, cur non habere modo carnem proximè passibilem, Christumque ex carne passibili modò non constare, nō sufficiat, vt absolutè negetur, Verbū Dei habere carnē sibi hypostaticè vnitā, & ex illa Christum componi, aut compositū esse.

27. *Tertio rejcitur solutio.*

Quod autem Recentiores isti adjiciunt, nempè si aliquis ex Patribus fortè alicubi loquatur de sola Incarnationis substantia, solum contendere Verbum non fore incarnandum, non existente peccato, ex vi omnium decretorum circa Incarnationem de facto existentium in Deo, non autem negare, quòd incarnaturum foret ex vi alicuius decreti existentis de facto, omninò futile est, & sine vllo fundamento ad eludendam auctoritatem Patrū, illamque potius fugiendam, quam solidè explicandam inuentum, & ex dictis facilè rejcitur; quod enim vno modo factum est, etiam si alio modo ex possibilibus factum non sit, non dicitur, nec potest dici absolutè non factum, aliàs, vt supra argumentabamur, posset Incarnatio absolutè dici non facta, eo quòd, etsi facta sit vno modo, videlicet, in carne passibili, alio modo ex possibilibus facta non fuit, nempè, in statu impassibili, & glorioso: ergo quod in vi vnius decreti est futurum, etiam si in vi aliorum decretorum non foret, non potest dici nō futurum absolutè; at Ecclesiæ Patres de Incarnatione Verbi loquendo docent absolutè, & sine aliquo additamento, futuram non fuisse, Adamo non peccante, & peccato non existente: ergo inepte explicantur de non futuritione ex vi collectionis decretorum circa Incarnationem de facto existentium in Deo, admissa futuritione eiusdē Incarnationis ex vi alicuius particularis decreti, ex ijs, quæ de facto existunt.

Deni-

28. *Vltimo respõdet alij.*

Denique alij respondent, allegatos Patres loqui de peccato, nec actu existente, nec imminente: & sic verũ est, Christum nõ venturum, nec Verbum carnem sumpturum, hominenõ peccante, nempè, nec actu, nec in proxima imminentia, non autem solum actu non peccante: nam etiam si homo non peccaret de facto; si tamẽ proximè immineret peccatum, sufficiens motivum Incarnationis Verbi, & adventus Christi esset, nos per gratiam ab imminente lapsu præseruare, & nobis, ne in peccatum imminens incideremus, succurrere. Ita existimat Puente-Hurtado *disp. 13. sect. 13. sub sect. 4.* Patrum testimonia nobis fauentia explicari, & hac explicatione argumentum ex illorũ auctoritate sumptum eneruari.

Puente Hurtado.

29. *Reijcitur primo.*

Sed reijcitur primò; non enim nisi impropriſsimè dici potest, hominẽ peccare ob solam proximam imminentiam peccati: ergo non nisi impropriſsimè potest dici, quod si homo nõ perijsset, filius hominis non veniſſet, vt asserit Augustinus, quod idem est ac dicere, quòd si homo non peccaſſet, Verbum carnem non adumeret, explicando illud verbum: *non perijſſet, vel non peccaſſet*, de peccato, non actu existente, sed solum proximè imminente.

30. *Secũdò.*

Deindè, nam si explicatio istius Authoris aliquid valeret, sequeretur, posse absque iniuria Scripturæ, & Patrum Ecclesiæ defendi, non solũ Christum venturum, sed etiam pro hominibus moriturum, nullo existente peccato: consequens aduersatur omniũ Theologorum sententiæ: ergo solutio, & explicatio tradita sustineri non potest. Probatur manifestè sequela; etenim Patres asserentes Verbum carnem non sumpturum, Christumque non venturum, Adamo non peccante, iuxta Authorem istum rectè explicantur de non existentia peccati, vel proximæ imminentiæ illius: ergo Patrum, & Scripturæ testimonia asserentia, Christum non moriturum, eandem explicationem admittunt, & consequentèr, si prædicta explicatio est sufficiens, loquendo de substantia Incarnationis, fiet, vt non solũ sit verum, Verbum Incarnaturum, Christumque venturum, sed etiam moriturum pro nobis, nullo existente peccato, per hoc solum, quòd proximè peccatum immineret, quod, vt dixi, communi Theologorum sententiæ aduersatur; licet enim plures doceant, futuram Incarnationem, nullo existente peccato; nullus tamen moriturum Christum asseruit, si peccatum non existeret.

31. *Respõdebis.*

Respondebis ex doctrina istius Authoris, Christum in casu solius imminentiæ peccati, & futuritionis non absolutæ, sed conditionatæ illius, venturum vt Redemptorem in actu primo, non autem vt medicinam, nec vt redemptionem actualem; ad redemptorem autem, & medicum per modum actus primi sufficit futuritio conditionata, & proxima imminentia peccati; Christus verò moriens de facto non est medicus, aut Redemptor per modum actus primi tantùm, sed est actualis medicina, & actualis redemptio, quæ necessariò supponunt non conditionatam futuritionem, & proximam imminentiam peccati, sed actualem existentiam illius; ideoque etsi dicta Patrum negantium Incarnationem futuram, Adamo non peccante, sufficientèr explicentur de negatione proximæ imminentiæ peccati, indè non sequitur, posse testimonia Patrum negantium Christum moriturum, non existente peccato, eandem admittere explicationem.

32. *Reijcitur solutio.*

Sed contra istam solutionem in hunc modum obijcio; etenim Auctor iste cum pia Theologorum sententia tuetur, Beatissimam Virginem maculam peccati originalis actu non contraxisse, imò & à debitò illud contrahendi fuisse liberam defendit *disputatione relata §. 97.* & tamen fuisse per passionem, & mortẽ Christi redemptam negare non audet *§. 98.* vel per hoc quòd intuitu mortis Christi fuit à pacto Adami excepta, vel per hoc, quod ob merita Christi fuit ab actualibus præseruata: ergo mors Christi, & illius actualis redemptio in

ſententia iſtius Authoris non ſupponunt neceſſariò culpam actualiter exiſtentem, ſed ſufficit, quòd imminentiam culpæ ſupponant, & conſequentèr, ſi vera eſt prædicta interpretatio, colligitur, non ſolum venturum Chriſtum, ſed etiam moriturum de facto, nullo exiſtente peccato.

33. *Confirmatur.*

Explicatur, & vrgetur: Chriſtus namque reſpectu Beatiſsimæ Virginis, non ſolum fuit medicus, & Redemptor per modum actus primi, ſed etiam fuit Redemptio, & medicina actualis, aliàs non eſſet verum, Chriſtum Virginem redemiſſe, & pro illa mortem de facto ſubijſſe; & tamen in Beatiſsima Virgine nullum peccatum præceſſit, nec actuale, nec originale: ergo ratio medicinæ, redemptio nisq; actualis nō ſupponit neceſſariò culpā de facto exiſtentē, & cōſequentèr, etiam ſi in nullo homine peccatū de facto exiſteret, vel extiturum eſſet, poſſet Chriſtus reſpectu omnium hominum eſſe, non ſolum medicus, & redemptor per modum actus primi, ſed etiam Redemptio, & medicina actualis. Ex quo vlterius fit, vt quamvis Chriſtus moriens de facto rationē medicinæ actualis, & actualis redemptionis ſortiatur, poſsit cum proprietate ſaluari, Chriſtum, non ſolum vēturum, ſed etiam pro hominibus moriturum de facto, nullo exiſtente peccato, per proximam imminentiam illius, ſi teſtimonia Patrum negantia Incarnationem futuram, Adamo non peccante, interpretationem illam admittunt.

§. II.

Ratio D. Thomæ pro noſtra ſententia expenditur, & reijcitur Scoti ſolutio.

34. DEINDE, omiſsis varijs rationibus parum ſolidis pro noſtra ſententia, ſuadenda eſt ratione Diui Thomæ ad hanc formam redacta. Decretum Incarnationis, cum ſit ſupra debitum, & exigentiam naturæ, non niſi per reuelationem nobis innoteſcere poteſt; ea enim, quæ ſupra naturam ſunt, non alitèr, quam per Dei reuelationem poſſunt cognoſci; ſed quotieſcumque in Scriptura Sacra de huiuſmodi decreto fit mentio, cum peccato Adami ſemper connectitur, & cum redemptione ab illo: ergo ex vi decreti, quod Deus de facto circa Incarnationem habuit, Verbum carnem non aſſumeret Adamo non peccante. Conſequutio eſt legitima; deficiente enim termino connexionis decreti, neceſſum eſt, ipſum decretum deficere; ac proindè ſi omne decretum de facto habitum de Incarnatione cum Adami peccato eſt connexum, hoc peccato deficiente, nullum decretum de Incarnatione ſubſiſteret ex ijs, quæ de facto exiſtūt. Maior etiam certiſsima eſt: nam ea, quæ ſupra naturam ſunt, nullum medium in natura habent, per quod innoteſcere poſsint, ac proindè ſolum mediante diuina reuelatione poſſunt à nobis cognoſci: vndè, ad probationem minoris tota difficultas devolvitur, cuius probatio ex teſtimonijs Scripturæ deſumitur. Primum habetur Lucæ *cap.* 19. illis verbis: *Filius hominis venit ſaluare, quod perierat*: & 1. ad Timotheum 1. *Chriſtus Ieſus venit peccatores ſalvos facere*: & 1. Ioan. 3. *In hoc apparuit Filius Dei, vt diſſoluat opera Diaboli*. Ac tandē in Symbolo Nicæna de Chriſto loquendo dicitur: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis, & Incarnatus eſt, &c.*

Probatur concluſio ratione D. Thomæ.

Luc. c. 19.
1. ad Timoth. 1.
1. Ioan. 3.
Symb. Nicæn.

Ex quibus teſtimonijs minor argumenti in hunc modum ſuadetur. Ratio Incarnationis eſt cum illius decreto connexa; ſed ratio Incarnationis, quæ in præallegatis teſtimonijs traditur, eſt remedium peccati, noſque redimere ab illo, quod peccatum neceſſariò ſupponit: ergo decretum Incarnationis, quod Deus de facto habuit, eſt cum Adami peccato connexum, & conſequentèr, Adamo non peccan-

te,

te; nullum decretum de facto circa Incarnationem habitum potest subsistere. Ex quo vlterius fit, vt si Adamus non peccaret, Verbum carnem non assumeret ex vi præsentis decreti.

35. *Respondent Scotistæ.*

Communis discipulorum Scoti solutio istius argumenti est: in his testimonijs Scripturæ sermonem esse de Incarnatione Verbi non absolutè, & quoad Incarnationis substantiam, sed quoad circunstantiam proximæ passibilitatis: vt sic autem verum est, omne Incarnationis decretum de facto existens in Deo esse cum Adami peccato connexum, & ex vi talium decretorum nõ venturum Christum, Adamo non peccante; veniret tamen ex vi alterius decreti efficacis terminati ad Incarnationem Christi absolutè, & quoad substantiã, & disiunctiuè ad circunstantiam proximæ passibilitatis, vel proximæ impassibilitatis, ex vi cuius decreti veniret Christus casu, in quo Adamus non peccaret, nõ in carne proximè passibili, sed in carne proximè impassibili, & immortali, quia istius decreti ratio, vel motivum non fuit redemptio à peccato, quæ peccatum necessariò præsupponit, sed excellentia mysterij, scilicet, Incarnationis, quæ non occasione peccati, sed propter se ipsam, & ob intrinsecam dignitatem oportuit amari à Deo.

36. *Reijcitur primo. P. Hur. de Mendoza.*

Sed contra istam solutionem acritèr invehitur P. Hurtado de Mendoza *disp.* 13. *sect.* 3. *num.* 19. vbi miratur, ab aliquo viro catholico affirmari, substantiam Incarnationis factam, volitamque à Deo non fuisse propter hominum salutem, & propter illos redimẽdos à peccato, & reijcitur primò: nam ex vi decreti efficacis terminati ad substantiam Incarnationis constituitur extra causas Incarnatio, & in statu futuritionis absolutè: ergo si hoc decretũ cũ remedio peccati connexũ, nõ fuit, nec vt nos redimeremur ab illo, substantia Incarnationis non fuit cum remedio peccati connexa, nec propter illud fuit facta, & consequenter non dicitur propriè in Symbolo, Verbum propter nos homines, & propter nostram salutem descendisse de Cœlis. Patet hæc secunda consequẽtia; idem enim est, Verbum propter nostram salutem descendisse de Cœlis, & fuisse carnem factum propter nostram salutem; sed non dicitur propriè assumpsisse carnem propter nostram salutem, si nostra salus, vel redemptio à peccato non fuit ratio, aut motivum Incarnationis absolutè, & quoad substantiam, sed solum quoad circumstantiam proximæ passibilitatis: ergo nec cum proprietate saluatur propter salutẽ nostram descendisse de Cœlis, si nos à peccato redimere non fuit ratio, aut motivum Incarnationis substantialitèr sumptæ, sed solum quoad circumstantiam proximæ passibilitatis.

37. *Secũdò.*

Secundò reijcitur: etenim ex adductis testimonijs Scripturæ constat, decretũ de Incarnatione cum futuritione peccati connexum; sed decretum de Incarnatione efficax cum peccato non connexum ex nullo testimonio Scripturæ colligitur: ergo nullum datur efficax Incarnationis decretum non connexum cum futuritione peccati.

Consequentia tenet ex dictis: nam decretum de Incarnatione debet ex Scriptura constare, & per reuelationem haberi. Maiorem fatentur Scotistæ, vt constat ex illorum solutione, & minorem probo; si enim ex aliquo testimonio Scripturæ colligeretur decretum efficax de Incarnatione non connexum cum peccato, maximè ex illo Prouerb. 8. *Initium viarum suarum antequam quicquam faceret à principio*, quod de Sapientia incarnata plures Ecclesiæ Patres interpretantur; sed ex hoc testimonio non colligitur decretum efficax Incarnationis non connexum cum futuritione peccati: ergo ex nullo testimonio Scripturæ infertur talis decreti existentia. *Prou. 8.*

Consecutio est legitima: alia namque testimonia Scripturæ, quæ ad inferendam illius decreti existentiam à contrarijs aggregãtur, vel loquuntur de sapientia increata, vel nihil difficultatis addunt supra testimoniũ in maiori contentum: ergo si ex hoc non

infertur ex nullo teſtimonio colligitur. *Minor* autem, in qua eſt difficultas, in hunc modum probatur. Ex illo teſtimonio, admiſſo, quòd de ſapiẽtia incarnata loquatur, tantum colligitur prioritas decreti incarnandi ordine intentionis ad decretum permittẽdi peccatum; ſed ſtat oenè iſta prioritas cum connexione decreti cum futuritione peccati, & cum decreto permittendi peccatum: ſicut decretum intentivum gloriæ, vt coronæ, in electis eſt prius ordine intentionis decreto efficaci meritorum; & tamen in ſententia Scoti, & Diſcipulorum eius eſt cum meritis, & cum decreto illorum cõnexum ita, vt ex vi talis decreti gloria conferenda non ſit, niſi merita intercedant, & dependentèr ab illis: ergo ex illo teſtimonio non colligitur decretum Incarnationis non connexũ cum futuritione peccati, & ex vi cuius, non peccante Adamo, Verbum aſſumeret carnem, & cõſequentèr tale decretum ex nullo teſtimonio colligitur.

38. *Confirmatur primò.* Et augetur difficultas primò; etenim in teſtimonio adducto exprimitur anteceſsio, & prioritas decreti Incarnationis, non ſolum ad decretum permittendi peccatum, ſed etiam ad decretum producendi creaturas, vt conſtat ex illis verbis: *Antequam quidquam faceret à principio*, ideſt, antequam decerneret quidquam producere; & tamen decretum Incarnationis etiam ſumptæ ſubſtantialitèr, fuit cõnexum cum decreto producendi vniuerſum, aliàs Verbum carnem aſſumeret ſaltim in ſtatu impaſsibili, non ſolum non peccante Adamo, ſed etiam non exiſtente Vniuerſo, quod nullus Theologorum, quem hucuſq; viderim, docuit: ergo ex præcedẽtia, & prioritate decreti efficacis Incarnationis fiendæ ad decretum permittendi peccatum non ſequitur independẽtia, ſeu inconnexio decreti Incarnationis cum decreto permiſsiuo peccati, & cum peccati futuritione, & conſequenter non ſequitur, ex vi talis decreti futuram Incarnationem nõ exiſtente peccato.

Prou. 8.

39. Explicatur, & vrgetur ſecundò: Chriſtus non veniret, etiam in carne impaſsibili in vi alicuius decreti ex ijs, quæ de facto circa Incarnationẽ exiſtunt, Adamo non exiſtente, ſeu non exiſtente vniuerſo, vt omnes Theologi docẽt, nullo, quem viderim, dempto: ergo non veniret, etiam in carne impaſsibili, Adamo non peccante. Patet conſequentia: nam in teſtimonio relato, & in alijs, quæ ſolent a contrarijs adduci, aggregarique ad probandum, aduentum Chriſti, & incarnationem futuram, non exiſtente peccato, nulla de peccato fit mentio, ſed ſolummodo de creaturis, vt conſtat ex illo: *Primogenita ante omnem creaturam*, quod de ſapientia incarnata alii qui Theologi accipiunt, & ex illo: *Initium viarum ſuarum antequã quidquam faceret à principio*: ergo ſi reſpectu Adami, & aliarum creaturarum, de quibus expreſſa fit mentio in prædictis teſtimonijs, ſola anteceſsio colligitur, vel prioritas naturæ, non autem connexionis negatio, ideſt, quod decretum efficax Incarnationis connexum non ſit cum decreto producẽdi vniuerſum, mandandumque executioni, vniuerſo non exiſtente, pariterèr reſpectu decreti permiſsiui peccati ſolum habebitur anteceſsio, vel prioritas naturæ, nõ verò negatio cõnexionis vnius decreti cum alio, ac proindè ex prædictis teſtimonijs perperam à contrarijs colligitur, venturum Chriſtum, & incarnationem futuram in carne immortali, & impaſsibili in vi præſentis decreti, Adamo nõ peccante.

Cõfirmatur ſecũdo.

Prou. 8.

40. *Reſpõdebis.* Si fortè ex doctrina Scoti dicatur, reſpectu vniuerſi, reſpectu Adami, & creaturarum ſolum colligi ex prædictis teſtimonijs anteceſsionẽ, & prioritatem naturæ, & quòd ſapientia incarnata ordine intentionis omnẽ creaturam præceſſerit, & decretum illas producendi, non autem negationem connexionis, nec quòd exiſteret Chriſtus, creaturis non exiſtentibus, quia in vi præſentis decreti intentus fuit vt hominum, & Angelorum finis, & caput: & quia caput dicitur per compara-

tionem

quens,

quens, quòd intentus fuerit Christus in vi præsentis decreti, vt connexus cum creaturis, ac proindè licet prædictum decretum ordine naturæ præcesserit decretum producendi creaturas, creaturis non existentibus, Incarnatio in vi illius non existeret; cæterùm cum peccato Adami nullam habuit Christus connexionem, ideoque ex vi talis decreti Verbum assumeret carnem, Christusque veniret, non existente peccato.

41. *Contra primo.*

In contrarium obstat primò, solutionem istam esse omninò voluntariam, & manifestam petitionem principij, fundamentum enim ad probandam inconnexionem decreti efficacis Incarnationis cum decreto permissiuo peccati, & cum peccati futuritione, illamque ex prædictis testimonijs inferenda mihi est illud Verbum: *Antequam quidquam faceret à principio*, illudque: *Primogenita ante omnem creaturam*, & alia similia; sed ex illis verbis solum colligitur antecessio, vel prioritas naturæ vnius decreti ad aliud, cui qua, vt ostendi, comparitur dependentia vnius decreti ab alio, vel saltim connexio cum illo: ergo negatio connexionis inter decretum efficax de Incarnatione, & decretum permittendi peccatum, omninò voluntariè ex prædictis testimonijs colligitur, & à Scoto asseueratur.

Prou. 8.

42. *Secundò.*

Deindè, quia si non obstante, quòd Christus intentus fuerit in vi præsentis decreti, vt omnium creaturarum finis, & ordine intentionis decretum illas producendi præcellerit, fuit voluntas vt caput hominum per deriuationem gratiæ adoptiuæ, vt Scotus, illumque sequentes fatentur, illo non obstante, potuit etiam intendi vt caput hominum per deriuationem gratiæ redemptiuæ, & remissiuæ peccati; sed Christus vt caput hominum per deriuationem gratiæ remissiuæ peccati cum peccato habet connexionem: ergo, non obstante prioritate decreti efficacis Incarnationis in prædictis testimonijs contenta, potuit Christus per tale decretum intendi, non solum vt connexus cum creaturis, sed etiam vt connexus cum decreto permittendi peccatum, & consequenter cum illius futuritione.

43. *Tertio.*

Denique, & explicatur magis hoc ipsum: non obstante, quòd homines sint materia per gratiam adoptiuam perficienda, potuit Christus antecedenter ad illos intendi vt hominum caput per deriuationem gratiæ adoptiuæ decreto cum futuritione illorum connexo: ergo non obstante, quòd peccatum sit materia per gratiam redemptiuam, remissiuamque destruenda, potuit Christus ante permissionem peccati intendi vt caput hominum per deriuationem gratiæ remissiuæ, decreto præcedente ordine naturæ decretum permittendi peccatum; connexo tamen cum illo, & cum peccati futurione, & consequenter ex prioritate decreti Incarnationis ad decretum permissiuum peccati, nō colligitur Christum fuisse intentum sine connexione cum peccato, vel vt non connexum cum illo. Patet cōsequentia; non enim solum materia destruenda præcedere debet formam destructiuam, sed etiam materia perficiēda debet formam perfectiuam præcedere: ergo si, non obstante, quòd homines sint materia perficienda per gratiam adoptiuam, potuit Christus antecedēter ad illos intendi vt illorum caput per deriuationem gratiæ adoptiuæ, decreto cum illorum existentia connexo, etiam non obstabit, quòd peccatum sit materia per gratiam redēptiuam destruenda, vt Christus intenda tur antecedenter ad permissionē peccati, vt caput hominū per deriuationem gratiæ redemptiuæ, decreto connexo cum futuritione peccati.

44. *Respōdebis.*

Respondebis, negādo consequentiam, & disparitatem assignabis: vt enim cum prioritate vnius decreti ad aliud detur inter vtrumque decretū connexio, necessum est, vt obiectum decreti prioris connexum sit cum obiecto posterioris, & vt tale intēdatur: vndè, quia prima voluntas efficax gloriæ ad illam terminatur vt coronam meritorum, qua ratione est cum meritis connexa, fit, vt decretum intentiuum gloriæ, etsi ordine naturæ præcedat decretum terminatum ad me-

rita,

rita, illud inferat, cum illoque, & cum meritis connectatur; poteſt autem Chriſtus vt finis hominum, & omniũ creaturarum intẽdi, & intendi vt cõnexus cum illis, & conſequentèr cum præcedentia Chriſti in ordine intentionis reſpectu hominum, & aliarum creaturarum ſtat connexio cum illis, & non futurum Chriſtum, etiam ex vi decreti præcedentis, creaturis non exiſtentibus; ante peccatum autem non poteſt Chriſtus efficacitèr intendi ſub aliqua ratione cum futuritione, peccati connexa, quia ex hoc fieret, Deum fore voliturum peccatum, illudque cauſaturum; ideoque eo ipſo, quòd teſtimonijs Scripturæ probetur prioritas decreti efficacis de Incarnatione Verbi ad permiſsionem, & futuritionem peccati, infertur per bonam conſequentiam decretum efficax Incarnationis, non connexum cum decreto permiſsiuo peccati, nec cum illius futuritione: ac proindè ex vi talis decreti Incarnationem eſſe futuram, peccato non exiſtente.

45. *Contra primò.*

Hæc ſolutio tangit doctrinam, de qua fusè egimus *tract. de prædeſtinatione*, probantes, permiſsionem peccati in electis eſſe effectum prædeſtinationis illorum ex præintenta, aut præelecta pœnitentia, quamvis hæc ſine peccato eſſe nequeat, & cum illo connectatur, quin ex hoc poſsis inferri, Deum velle, aut cauſare peccatum in ratione peccati, & ex ibi dictis breuitèr reijcitur primò: nã ex eo, quòd Chriſtus decernatur vt Redẽptor, vel vt redimens in actu ſecundo, prius ordine intentionis, quam permittatur peccatum, non ſequitur, Deum velle, ſed ſolum quòd permittat peccatum; ſed in permiſsione peccati nullum inconueniens eſt, neque ex illa ſequitur, Deum peccatum cauſare: ergo ex decreto efficaci Incarnationis Verbi, vt connexæ cum futuritione peccati præcedente decretum permiſsivum illius non ſequitur, Deum velle peccatum, aut eſſe peccati cauſam, & conſequentèr nullum eſt incõueniens in eo, quòd decretum efficax Incarnationis cum futuritione peccati connexum peccati permiſsionem præcedat.

Conſequentia patet: nam Chriſtus vt Redemptor in actu ſecundo cum futuritione, vel exiſtentia peccati cõnectitur: ergo ſi ex decreto efficaci Chriſti vt Redemptoris præcedente permiſsionem peccati non ſequitur, Deum velle peccatum, nec eſſe cauſam illius, non ſequitur hoc inconueniens ex præcedentia decreti efficacis connexi cum futuritione peccati. Minor autem eſt certa, & maior probatur: nam ex decreto efficaci Chriſti vt Redemptoris ſolum infertur illa voluntas in Deo, quæ exigitur ex parte illius, vt peccatum exiſtat; ſed vt exiſtat peccatum non exigitur in Deo voluntas poſitiua peccati, ſed voluntas permiſsiua, hoc eſt, voluntas ſolum permittendi peccatum, imò prima voluntas Deo erga peccatum repugnat: ergo ex decreto efficaci Chriſti vt Redemptoris præcedente decretum permiſsivum peccati non ſequitur, Deum velle poſitiuè peccatum, eſſeque cauſam illius, ſed tantum ſequitur voluntas permiſsiua peccati, hoc eſt, quòd Deus efficacitèr velit peccatum permittere, aut peccati permiſsionem.

46. *Secundò.*

Secundò reijcitur, & iſtius argumenti efficacia magis declaratur: ſi ex intentione efficaci Chriſti vt Redemptoris ſequeretur, Deum velle poſitiuè peccatum, & eſſe cauſam illius maximè, quia Chriſtus vt Redẽptor efficacitèr præintentus infert futuritionem peccati, & connectitur cum illa; ſed ex hac connexione non ſequitur voluntas in Deo futuritionis peccati: ergo ex eo, quòd decretum efficax Chriſti vt Redẽptoris ſit prius præuiſione peccati non ſequitur, Deũ poſitiuè voliturum peccatum, nec futurum cauſam illius, & conſequentèr nullum incõueniens ſequitur ex præcedentia decreti efficacis Chriſti vt Redemptoris ad decretum permiſsivum peccati. Maior cum conſequentia tenet. Minor autem oſtenditur primò: non enim minus connectitur voluntas defectibilis actu exiſtẽs cum poſsibilitate peccati, quam Chriſtus vt Redemptor futurus cum peccati futuritione; & tamẽ ex volitione efficaci

caci Dei terminata ad existentiam voluntatis defectibilis, non sequitur in Deo volitio possibilitatis peccati, aut complacentia in illa, eo quòd peccatum vt possibile sumptum pro forma li maliti à Deo placere non potest, nec eius complacentiam terminare: ergo ex connexione Christi vt Redemptoris futuri cum futuritione peccati nõ sequitur in Deo volitio positiua ad futuritionẽ peccati terminata, eo quòd Deus istius volitionis est incapax.

47. *Respondebis.*

Nec refert, si dicas, Deum nõ velle positiuè voluntatem quatenus defectibilem formalitèr, quâ ratione connectitur cum possibilitate peccati, ideoque ex volitione positiua Dei terminata ad existentiam voluntatis defectibilis, non sequitur volitio possibilitatis peccati, aut complacentia in illa, quia ad hoc necessarium erat, quòd volitio positiua Dei terminata ad existentiam voluntatis defectibilis terminaretur ad illam formalitèr, prout defectibilem, quod non ita contingit, sed solum terminatur ad entitatẽ voluntatis creatæ, quæ bona est, & positiuè volita à Deo, ab illoque efficientèr causata.

48. *Contra primò.*

Non, inquam, refert primò, quia in plurium Theologorum sententia, Deus non solum causat entitatem voluntatis creatæ, sed etiam illam efficiẽtèr causat prout formalitèr defectibilem, seu vt potẽtem deficere, eo quòd prout sic causam aliquam efficientem debet habere, & non est assignabilis alia, à qua efficientèr procedat, nisi Deus, qui per se primò per creationẽ causans animam rationalem ex consequenti causat voluntatem creatam secundum omnem illius formalitatẽ, quarũ vna est, quòd possit deficere à regula, & peccare. ergo positiuè vult in hac sententia, non solum entitatẽ voluntatis creatæ, sed etiam illius defectibilitatem, illamque vt formalitèr defectibilem; & tamen non vult positiuè possibilitatẽ peccati, nec in peccato vt possibili complacet: ergo stat volitio positiua alicuius entitatis, aut formalitatis non terminata ad extremum cum illa connexum, sed ab illo præscindens, & cõsequentèr licet Christus vt Redẽptor futurus necessariò cõnectatur cum futuritione peccati, poterit volitio efficax Dei terminata ad Christum vt futurum Redemptorem non terminari ad futuritionem peccati, nec inferre in Deo voluntatem terminatam ad illam.

49. *Secùdo.*

Secundò, nam esto in veriori sententia Deus non causet voluntatem creatam, prout formalitèr defectibilem, vel potentem deficere, nec illam velit prout sic; causat tamen entitatem voluntatis creatæ, cui essentialitèr annexa est defectibilitas, cum sit prædicatum essentiale volũtatis creatæ, quòd ex se, & sibi relicta possit deficere à regula, & consequentèr peccare: ergo positiuè vult entitatem volũtatis creatæ, cui essentialitèr annexa est defectibilitas, & consequentèr possibilitas peccati; & tamen non vult positiuè possibilitatem peccati, nec in illa complacet, quia peccatum vt possibile est incapax terminandi complacentiam diuinam: ergo ex eo, quòd Christus vt Redemptor futurus necessariò connectatur cum futuritione peccati, illamque infallibilitèr inferat, non sequitur, Deum volentẽ efficacitèr Christum vt Redemptorem futurum velle, aut voliturum esse existentiam, aut futuritionem peccati.

50. *Cõfirmatur primò.*

Et augetur difficultas primò: nam Christus vt existens Redemptor redemptione actuali non minus connectitur cũ præteritione peccati, quam vt futurus Redemptor connectitur cùm peccati futuritione; sed ex eo, quòd Deus positiuè velit existẽtiam Christi, vt actualitèr redimentis, & in illa complaceat, suppositâ præuisione peccati, non sequitur, Deum velle positiuè præteritionem peccati, aut in illa complacere: ergo ex connexione redemptionis futuræ cum futuritione peccati, non sequitur, Deum volẽtem efficacitèr Christum vt Redemptorem, & redemptionem actualem vt futuram velle positiuè futuritionem existentiæ peccati, & consequentèr non sequitur, Deum esse causam peccati, sed solum illud permittere, in quo nullum est inconue-

niens.

nientis. Probatur conſequentia; ſi nãque Deus eſſet capax amandi peccatum, aut complacendi in illo volens exiſtentiam Chriſti vt Redimentis, & in illa complacẽs complaceret in præteritione peccati, cum qua exiſtentia redemptionis actualis neceſſariò connectitur, & quam neceſſariò ſupponit; & tamen, quia Deus eſt incapax amandi peccatum, ex amore exiſtentiæ actualis redemptionis neceſſariò ſupponentis præteritionem peccati, non ſequitur, Deum velle talem præteritionem, aut complacere in illa: ergo eadem ratione nõ ſequitur, Deum velle futuritionem peccati, aut in illa complacere ex volũtate efficaci Chriſti vt Redemptoris, & redemptionis futuræ, quamvis hæc neceſſariò inferat peccati futuritionem, illam exigat, & cum illa connectatur. Conſequentia tenet à paritate rationis. Minor eſt certa: in peccato namque, nec vt poſsibili, nec vt exiſtente, nec vt præterito Deus complacere poteſt: & maior probatur; quia namque intellectus diuinus eſt capax cognoſcẽdi peccatum: ſicut non poteſt cognoſcere Chriſtum vt Redemptorẽ futurum, quin cognoſcat vt futurum peccatũ: ita non poteſt cognoſcere redemptionem vt exiſtentem, quin cognoſcat poſitiuè præteritionem peccati, quã actualis redemptio neceſſariò præſupponit: ergo ſi diuina voluntas capax eſſet amandi peccatum, aut complacendi in illo, non poſſet velle poſitiuè exiſtentiam redemptionis actualis præſcindendo à præteritione peccati, quam ſupponit neceſſariò vt poſitiuè volita, ſed neceſſariò in illa deberet complacere, & conſequentèr ſi volens exiſtentiam redemptionis actualis, nõ obſtante connexione cũ præteritione peccati, ab illa vt poſitiuè volita præſcindit propter incapacitatẽ complacẽdi in peccato, propter eandem incapacitatem, etſi poſitiuè velit redemptionem vt futuram, poterit nõ velle futuritionem peccati, ſed ab illa præſcindere, quamvis redemptio vt futura neceſſariò inferat peccati futuritionem.

51. Vrgetur, & augetur difficultas ſecundò: non minus connectitur cum futuritione peccati decretum permiſſivum illius, quam decretum efficax Chriſti vt Redemptoris redemptione actuali futura; & tamen ex eo, quòd Deus velit peccatum permittere antè præciſionem abſolutam peccati vt exiſtentis, aut futuri, non ſequitur, Deum velle exiſtentiam, aut futuritionem peccati: ergo ex eo, quod decretum efficax Chriſti vt Redemptoris connectatur infallibiliter cum futuritione, & exiſtẽtia peccati, & illius præciſionem abſolutam præcedat, nõ ſequitur, Deum velle poſitiuè peccatum, & eſſe cauſam illius. Conſequẽtia cum minori tenet; maior autem probatur: nam vtrobique inveniturconnexio infallibilis Logica conſiſtẽs in eo, quòd poſito antecedenti, infallibiliter conſequens inferatur: ſicut enim benè valet: erit actualis redẽptio: ergo erit peccatum: ita benè ſequitur: Deus vult peccatum permittere, & negare gratiam efficacem, vel congruam: ergo peccatum erit, & nullibi datur præcedẽtia cauſalitatis phyſicæ: ſicut enim Deus volens peccatu permittere, & negare gratiam efficacem cauſa peccati non eſt: ita efficax intentio Chriſti vt Redemptoris in peccatum non influit, ſed à voluntate noſtra procedit: ergo eſt æqualis connexio inter decretum efficax permittendi peccatum, & futuritionẽ illius, atque inter decretum efficax Chriſti vt Redemptoris in actu ſecundo futuri, & exiſtentiam, vel futuritionem peccati.

Cõfirmatur ſecũdo.

52. Denique vrgetur, & cõfirmatur: intentio efficax Chriſti vt Redemptoris præcedens abſolutam præciſionẽ peccati vt futuri non eſt virtualis volitio futuritionis peccati: ergo ex hac intentione non ſequitur, Deum alia voluntate diſtincta voliturum formaliter exiſtentiam, & futuritionem peccati. Conſequentia tenet: quando namque ex intentione finis ſequitur voluntas formalis illorum, ſinè quibus finis exiſtere nequit, ipſa intentio finis eſt virtualis amor illorum, quæ ad exiſtentiam finis ſunt neceſſaria, vt conſtat in intentione efficaci gloriæ

Cõfirmatur tertio.

vt

vt coronæ, quæ est virtualis volitio meritorũ, quia ex tali intẽtione infertur in Deo amor meritorum formalis directè ad merita terminatus: ergo si efficax intentio Christi vt Redemptoris non est virtualis amor peccati, non infertur ex tali intentione efficaci, Deum amaturum formalitèr existentiam, aut futuritionem peccati. Antecedens autem probatur: volitio inefficax Christi vt Redemptoris non est inefficax virtualis volitio positiua existentiæ, aut futuritionis peccati: sicut complacentia in Christo quatenus Redemptore non est virtualis cõplacentia in peccato: ergo efficax intentio Christi vt Redemptoris non est amor efficax virtualis peccati. Patet consequentia; cum enim finis, & requisita ad existentiam illius sunt amabilia ab intendente finem: sicut efficax intẽtio finis est virtualis efficax amor mediorum: ita voluntas inefficax finis est virtualis inefficax mediorum voluntas; sed quia Deus non potest amare positiuè peccatum, volens inefficacitèr Christum vt Redemptorem non vult inefficacitèr positiuè existẽtiam, aut futuritionem peccati: ergo ob eandem incapacitatem volens efficacitèr, & efficacitèr præintendens Christum vt Redemptorem non vult efficacitèr virtualitèr, quòd peccatũ existat, aut quòd extiturum sit.

53. *Secũdo respondet alij.*

Respondebis secundò argumento *num.* 37. facto cum suis confirmationibus, Deum non posse efficacitèr præintendere Christum vt Redemptorem, nec sub alia quavis ratione connexa infallibilitèr cũ futuritione peccati, nõ ideo, quia sequeretur, Deum positiuè voliturum peccatum, aut futurum causam illius, sed quia sequeretur, Deum, suppositâ efficaci intentione Christi vt connexi cum futuritione peccati, non posse seriò intendere, & quasi desiderare, quòd non sequatur peccatum, nec voluntatem creatam adiuvare sufficientèr, vt in peccatum non incidat, quod est maximũ inconueniens: Deo namque non iuvante sufficientèr voluntatem creatam, vt possit peccatum vitare, & in illud non incidere, nõ peccaret voluntas creata nõ obtemperando legi: nequit namque sine potentia expedita ad legis obseruationem obligatio legis subsistere, nec voluntas potest expeditè legem obseruare sine adiutorio sufficienti Dei, ideoque stat prioritas decreti efficacis de Incarnatione Verbi ad decretum producendi creaturas cum connexione inter vtrumq; decretum, & cum eo, quòd Christus extiturus non esset, creaturis non existẽtibus; non tamen stat prioritas decreti efficacis Incarnationis Verbi futuræ ad decretum permissivum peccati cum cõnexione vnius decreti cũ alio, & cum peccati futuritione: ac proindè, nec cum eo, quòd in vi talis decreti, peccato non existente, Incarnatio Verbi non foret.

54. *Reijcitur.*

Sed contra: stat namque cum intentione efficaci Christi vt Redemptoris redemptione actuali futura infallibilitèr inferente futuritionẽ peccati, & illius præuisionem absolutam præcedente, seria voluntas, & veluti desiderium in Deo, vt peccatum non existat, ex qua voluntate moueatur ad iuvandam voluntatẽ creatam auxilio sufficiente, vt possit vitare peccatum: ergo ex hoc inconuenienti non probatur, non posse decretum efficax Christi vt Redemptoris connexum infallibilitèr cũ futuritione peccati illius præuisionem, & permissionem præcedere. Probatur antecedens: si non staret, maximè, quia talis intentio infallibilitèr infert futuritionem existentiæ peccati, & cum illa necessariò connectitur; sed hæc infallibilis connexio, & illatio non obstat: ergo stat dicta voluntas cũ prædicta intẽtione efficaci. Maior cũ consequentia tenet; minor autem probatur: voluntas permittendi peccatum, & negandi gratiam efficacem infallibilitèr infert negationem rectæ operationis; & tamen, hac voluntate suppositâ, stat in Deo seria voluntas, & veluti desiderium, vt voluntas creata rectè operetur, impleat legem, & peccatum vitet: ergo connexio infallibilis intentionis efficacis Christi vt Redemptoris præcedentis decretum permissivum peccati cum peccati futuritiõ-

ne

ne non obstat, vt, tali intentione suppositâ, Deus seriò velit, & quasi desideret, vt peccatum nō existat, & quòd voluntas creata in peccatum non incidat. Minor, cui inest difficultas, probatur: cū voluntate permittendi peccatum, & negandi gratiam efficacem stat alia voluntas in Deo auxiliandi sufficienter voluntatem creatam, illique impertiendi auxilia, quibus possit rectè operari, & vitare peccatū, alias, suppositâ voluntate diuina, permissiua peccati, voluntas creata non peccaret non obtemperando legi, cum sine potentia rectè operandi nō possit voluntas peccare, nec huiusmodi potentia subsistat sine volitione Dei auxiliādi sufficienter ad rectam operationē; sed voluntas auxiliandi sufficienter, impertiendique auxilia sufficientia ad rectam operationem oritur ex seria intentione illius, & ex desiderio Dei, vt voluntas rectè operetur: ergo cum voluntate permittendi peccatum, & negandi gratiam efficacem stat seria voluntas in Deo, intentio, & veluti desiderium rectæ operationis à voluntate creata eliciendæ, quod voluntas rectè operetur, & quòd in peccatum non incidat; sed de his plura *tract. de reprobatione*, vbi argumēta in contrarium diluimus.

§. III.

Examinatur sententia Suarez, & aliorum Recentiorum euasiones reijciuntur.

55. *Sententia & solutio P. Suarij.*

ET ex his impugnata relinquitur sententia P. Suarez *disp. 5. relata sect. 4. concl. 1. 2. & 3.* vbi cum Scoto conuenit in statuendo duplici decreto circa Incarnationem Verbi, vno terminato ad illam absolutè præscindendo à circūstantia proximæ passibilitatis, & alio proximam passibilitatem involuente; abillo tamē dissentit in eo, quòd Scotus remedium peccati asseruit non fuisse motiuum Incarnationis Verbi quoad substātiam, sed solum quoad circumstantiam passibilitatis, & mortalitatis proximæ; Suarez autem, etsi substantiam Incarnationis doceat ex vi primi decreti fuisse volitam ob excellentiam mysterij, illiusque dignitatem tanquam ob motiuum sufficiens; asserit tamen ex vi secundi decreti amatā fuisse à Deo, non solum circumstantiam passibilitatis proximæ, sed etiam Incarnationis substantiam decreto cum peccato connexo propter remedium illius, & vt nos à peccato redimeremur tanquam ob motiuum sufficiens, & adæquatum, nec inconueniens reputat, quòd vnus, idemque effectus à duplici causa finali adæquata dependeat.

56. *Reijcitur primo.*

Hæc tamen doctrina displicuit, non solum nostris Thomistis, sed etiā pluribus Doctoribus ex familia Societatis, & reijcitur primò ex iam dictis: nā esto ex testimonijs Scripturæ possit colligi, & probari, decretum efficax Dei de Incarnatione Verbi terminatum ad substantiam illius ob excellentiam mysterij, eiusque intrinsecam dignitatem; ex nullo tamen testimonio Scripturæ potest colligi, & probari decretum efficax Dei terminatum ad Incarnationem Verbi ob solam excellentiam mysterij absque connexione cum decreto permissiuo peccati, illiusque futuritione, & aliàs statuto omni decreto connexo cum futuritione peccati, aptius, meliusque explicantur Patrum testimonia asserentium absolutè, Christum non venturum, Adamo non peccante: ergo decretum efficax Dei terminatum ad Incarnationis substantiam non cōnexum cum decreto permissiuo peccati absque fundamēto adstruitur & consequenter absque fundamento asseritur, venturum Christum, & Incarnationem futuram, Adamo non peccāte, in vi alicuius decreti ex his, quæ de facto existunt.

57. *Secūdo.*

Secundò reijcitur: etenim, vt suppono, ex frequentiori, & veriori sententia

tentia *in* 2. *physicor.* nec de potentia Dei absoluta potest vnus, & idem effectus dependere à duplici causa efficiente, non solum in actu primo, sed etiam in actu secundo adæquata; sed eadem ratio militat de duplici causa motiua, seu finali adæquata in actu secundo, vt nō possit in vnum, & eundem effectum influere: ergo non stat, voluntatem diuinam ad decernēdam Incarnationem Verbi duplex motiuum in actu secundo adæquatum habuisse, & consequentèr vel excellentia mysterij non fuit motiuum Incarnationis Verbi quoad substantiam, vel fuit motiuum partiale simul cum remedio peccati, cum quo non stat, Incarnationem futuram in vi alicuius decreti existentis, Adamo non peccāte, vt ex dicendis constabit. Minor probatur: ratio namque repugnantiæ, vt vnus, idemque effectus à duplici causa efficiente in actu secundo adæquata dependeat, efficientèrque procedat, sumitur ex eo, quòd aliàs ab illarum qualibet dependeret: & non dependeret, quod implicat: dependeret quidem; quia ab illarum qualibet causare tur, vt supponitur; & non depēderet; quia sine concursu cuiusvis ex illis causis existere posset, altera concurrente adæquatè, quod cum dependentia ab vtraque non potest componi; at hæc ratio pari efficacia militat de duplici motiuo in actu secūdo adæquato: ergo eadem est ratio, vt vnus, idemque effectus non possit dependere in genere causæ finalis à duplici causa in actu secundo adæquata, atque vt non possit à duplici causa in actu secundo adæquata efficientèr procedere.

58. *Tertiò.* Deindè, nam esto admittamus, posse vnum, & eundem effectum à duplici causa in actu secundo adæquata, siuè in genere causæ efficientis, siuè in genere causæ finalis, & motiuæ dependere de potentia Dei absoluta; cæterum de lege ordinaria, rerumque natura attēta, id contingere non potest, vt docet communis Philosophorum sententia; sed vt fatetur Suarez *loco vbi proximè*, duplex illud motiuum, nempè excellentia mysterij, & remedium peccati, & nos ab illo redimere potuit diuinam voluntatem mouere tanquam vnum motiuum adæquatū ex vtroque conflatum partialitèr: ergo dato, quòd vtrumque habuerit rationem motiui, non mouit adæquatè vtrumque, sed inadæquatè, & partialitèr, & consequentèr illorum quolibet deficiente, deficeret decretum efficax de facto existens circa Verbi Incarnationem, Verbumque in vi illius non assumeret carnem, nec passibilē, nec impassibilem.

Secunda consequentia ex prima euidentèr colligitur; deficit enim actus, non solum deficiente motiuo adæquato, sed etiam deficiente motiuo inadæquato, & partiali, vtpotè cū sit pars motiui adæquati, à quo actus in existendo dependet. Prima autem consequentia in hunc modum probatur: etenim de diuinis decretis, & de motiuis illorum loquendum est semper consentaneè ad rerū naturas, nisi oppositum sit reuelatum; sed Deum ad Incarnationem decernendam ex duplici motiuo adæquato procedere, & à duplici motiuo adæquato moueri est supra rerum naturas, nec possibile de lege ordinaria, sed ad summum de potentia Dei absoluta; à duobus autem motiuis moueri partialitèr, & vtroque inadæquatè ingrediente, est possibile de potentia Dei ordinaria, & naturis rerum consentaneum: ergo dato, quòd diuina voluntas, & excellentiam mysterij, & remedium peccati, hominesque redimere ab illo habuerit pro motiuo in decernenda Verbi Incarnatione, non ab illorum quolibet adæquatè, sed inadæquatè, & partialitèr dicendum est, motam fuisse, cum nullibi reuelatum sit, neque ex reuelatis colligi possit vtrumque ex illis motiuis adæquatè erga diuinam voluntatem se habuisse in decernenda Verbi Incarnatione, & consequentèr, deficiente redemptione hominū à peccato, vt deficeret, si peccatū nō existeret, non foret Incarnatio Verbi in vi præsentis decreti.

59. *Quarto reijcitur* Præterea reijcitur: nam ex vi primi decreti terminati ad substantiam Incarnationis proptèr excellentiam, & dignitatem mysterij, illiusque intrin-

trinſecam perfectionem conſtituitur Incarnatio extra cauſas, cum ex vi illius ſit obiectum ſcientiæ viſionis, intuitu cuius, & meritorũ Chriſti Deus gratiam Angelis contulit, & Adamo in ſtatu innocentiæ, vt fatetur Suarez: ergo, ſi primum decretum nõ habuit pro motiuo remedium peccati, noſque redimere ab illo, Incarnatio quoad ſubſtantiam non proceſsit ex remedio peccati, nec ab illo habuit dependentiam tanquam à fine, & motiuo. Probo conſequentiã: etenim non ſolum cauſa efficiens, ſed etiam cauſa finalis petit præcedere exiſtentiam effectus, quem cauſat, cum de ratione cauſæ, vt ſic, ſit natura ſuum effectum præcedere; ſed ex vi primi decreti efficacis de Incarnatione Verbi Incarnatio redditur exiſtens: ergo ſi hoc decretum fuit independens à remedio peccati vt motiuo, & cõſequentèr remedium peccati natura illud non præceſsit, nõ potuit remediũ peccati motiuè in exiſtẽtiã Incarnationis influere: cauſa namque finalis non influit immediatè in effectum, ſed mediatè, mouendo, nempè, voluntatem cauſæ efficientis, & conſequentèr ſi remedium peccati nõ fuit motivum decreti efficacis Dei, in vi cuius Incarnatio extra cauſas conſtituitur, non potuit motiuè in Incarnationem influere, nec illam motiuè cauſare.

60. *Reſpõdebis.* Reſpondebis, ex vi primi decreti non conſtitui Incarnationem extra cauſas adæquatè, & in omni ordine, ſed ſolum in vno ordine, videlicèt intentionis; ac proindè, licet primum illud decretum non habuerit pro motiuo remedium peccati; potuit tamen in exiſtentiam Incarnationis influere mouendo voluntatem diuinam in ordine ad aliud decretum, ex vi cuius Incarnatio accipit exiſtentiam adæquatè, & completè: ſicut in noſtra ſententia, quamvis intentio efficax gloriæ vt coronæ, illam futuram inchoatiuè conſtituens, non moueatur à meritis, gloria nihilominus proptèr merita in executione datur, vtpotè corona iuſtitiæ; quia mediat alia voluntas in Deo, nempè decretum executivum circa gloriam habens pro motiuo cõferendi illam proptèr merita noſtra, & quia hæc mouent voluntatem diuinam in ordine ad iſtud decretum, etſi nõ moueant ad decretum primum intentivum, meritoriè influunt in gloriam, illamque habent pro effectu, & cauſant meritoriè efficientèr prout in tempore conferitur: ita ſimilitèr vt remedium peccati finalitèr influat in exiſtentiã Incarnationis, ſufficit, quòd ſit motivum ſecundi decreti, licet non moueat ad primum.

61. *Contra primò.* Sed contra primò; nam in ſententia P. Suarez primum illud decretum terminatum ad ſubſtantiam Incarnationis ob excellentiam myſterij, illiuſque dignitatem, eſt cauſa non inadæquata, & partialis, ſed adæquata, & totalis exiſtentiæ Incarnationis: ſicut & myſterij excellentia eſt motivum non partiale, & inadæquatum, ſed adæquatum, & totale illius: ergo ex vi talis decreti non inadæquatè, ſed adæquatè Incarnatio extra cauſas, & exiſtẽs cõſtituitur; in hoc enim cauſa adæquata à cauſa inadæquata diſtinguitur, quòd illa ſe ipſa effectum adæquatè extra cauſas conſtituit, & conſequentèr ſi remedium peccati ad tale decretum non mouet, ſed illud ſupponit exiſtẽs, non poteſt in exiſtentiam Incarnationis influere, cum Incarnationem exiſtentem ex vi talis decreti ſupponat.

62. *Secũdò.* Deindè, nam licet primum illud decretum non ſit in noſtra ſententia cauſa adæquata exiſtentiæ Incarnationis in omni ordine, cum requiratur aliud decretum, ſcilicet, executivum, vt completè, & adæquatè Incarnatio conſtituatur futura; eſt tamen adæquata cauſa in ordine intentionis: ergo ex vi illius conſtituitur Incarnatio extra omnes cauſas ad ordinem intentionis pertinentes; ſed cauſa finalis pertinet ad ordinem intentionis: ergo ex vi talis decreti conſtituitur Incarnatio extra omnem cauſam finalitèr influentem in illam, & conſequentèr nõ reſtat locus cõcurſui alterius cauſæ mouentis, aut finalizantis præterillam, quæ fuit talis decreti motivum, licet poſsit ſuppoſita intentione efficaci, terminata ad gloriam vt coronã non mota à meritis, manere locus

con-

concursui morali meritorum respectu decreti executiui gloriæ; quia concursus meritorius, cum non sit cõcursus finalis, sed moralis effectivus, non spectat ad ordinem intentionis, sed ad ordinem executionis; ideoque exerceri potest respectu decreti executiui, quin exerceatur circa decretum intentivum gloriæ.

63. *Respondebis.* Respondebis, quod licet hæc obiectio in nostra sententia sit efficax, opposítum Auctorem non vrget, in cuius sententia secundum decretum terminatum ad substantiam Incarnationis cum circumstantia proximæ passibilitatis non comparatur ad primum decretum terminatum ad substãtiam Incarnationis absolutè vt decretum executivum ad intentivum, sed vtrũque intentivum est, & ad intentionis ordinem pertinens, & vtrumque est causa totalis, & adæquata existentiæ Incarnationis. Vndè, quamvis remedium peccati non fuerit motivum diuinæ voluntatis in ordine ad primum decretum Incarnationis Verbi absolutè, fuit tamen motivum voluntatis diuinæ in ordine ad secũdum decretum terminatum ad substantiam Incarnationis cum circũstantia proximæ passibilitatis: & cũ hoc secundum decretum in existentiam Incarnationis influxerit, fit consequens, vt remedium peccati motiuè, & finaliter illam causauerit, non quidem mouendo voluntatem diuinam ad primum Incarnationis decretum, bénè tamẽ ad secundum, in vi cuius simul cũ alio accepit existentiam Incarnatio.

64. *Contra primò.* Sed contra primò: nam substantia Incarnationis ex vi prioris decreti terminati ad illam ob excellentiam, & dignitatẽ mysterij constituitur existens intra ordinem intentionis ita, vt ex vi illius infallibiliter sit extitura, et si dependenter à decreto pertinente ad ordinem executionis: ergo secundum superveniens decretum, etsi possit dare existentiam circũstantiæ proximæ passibilitatis intra ordinem intentionis, non tamen potest Incarnationis substantiam intra hunc ordinem constituere existentem, & consequenter, licet remedium peccati fuerit istius decreti motivum non fuit causa finalis Incarnationis substantialiter sumptæ, sed solum quoad circumstantiam passibilitatis, & mortalitatis proximæ.

Secunda consequentia ex prima clarè colligitur: nam solum potest in existentiam Incarnationis influere remedium peccati in genere causæ finalis mouendo diuinam voluntatem ad decretum, à quo Incarnatio accipit existentiam intra ordinem intentionis, vt proximè dicebamus: ergo si à secundo decreto non accipit Incarnatio existentiam quoad substantiam, sed solum quoad circumstantiam proximæ passibilitatis intra ordinem intentionis, ex eo quòd remedium peccati fuerit istius decreti motivum, nõ sequitur, quòd finaliter influat in existentiam Incarnationis quoad substantiam, sed solũ quòd finaliter causauerit circumstantiam proximæ passibilitatis, cuius contrarium oppositus Author intendit, nempè, quòd Incarnatio substantialiter sumpta fuerit ob remedium peccati, vt motivum, & causam finalem. Prima autem consequentia probatur: quod enim ab vna causa existentiam accepit in ordine executionis, non potest ab alia executiuè causari: ergo quòd in vi vnius decreti intra ordinẽ intentionis existit, non potest in vi alterius intra eundem ordinem existens constitui, & existentiam accipere, & consequenter, si Incarnatio Verbi quoad substantiam existit in vi prioris decreti intra ordinem intentionis, à secundo decreto intra hunc ordinem existẽtiam quoad substantiam non accipit, sed ad summum poterit illam accipere quoad circumstantiam proximæ passibilitatis.

65. *Contra secũdo.* Contra secundò, & tacita solutio simul cum principali reiscitur: nam si vnus, idemque effectus posset ex duplici motiuo adæquato procedere, & à duplici decreto intentiuo; quolibet adæquato causari, sequeretur, quòd non solum Incarnatio quoad substantiam, sed etiam quoad circumstantiam proximæ passibilitatis facta fuisset ob duo motiua adæquata,

nempè, ob excellentiam, & dignitatem mysterij, & proptèr remedium peccati, & quod esset à duplici decreto intentiuo, quolibet adæquato causata: consequens est falsum, alias non solum veniret Verbum in carne, sed etiam in carne passibili, peccato Adami non existente: ergo solutio cum doctrina hucusque tradita non subsistit. Falsitas consequentis, & quòd ex illo inferatur, Verbum in carne passibili venturum, Adamo non peccante, patet: nam ideo iuxta Authorem contrarium Incarnatio quoad substantiam foret, Adamo nō peccante; quia Incarnatio substantialitèr sumpta ex duplici decreto intentiuo adæquatè processit, habuitque duplex motivum quodlibet sufficiens, & adæquatum, nempè, excellentiam mysterij, & remedium peccati: ergo si, hoc idem circa Incarnationē quoad circumstantiam proximæ passibilitatis contigisset, veniret Verbum in carne passibili, Adamo non peccante. Sequela autem probatur primò à paritate rationis: si namque Incarnatio substantialitèr sūpta ob duplex motivum adæquatum, & duplici decreto adæquato fuit volita, cur non etiam circumstantia proximæ passibilitatis? Secundò, nam in sententia Auctoris contrarij, non solum in vi duorum actuum voluntatis, sed etiam in vi vnius potest vnus, & idem effectus à duplici adæquato motiuo pendere: ergo licet decretum Incarnationis cum circumstantia proximæ passibilitatis vnicum sit, potuit Incarnatio in statu proximæ passibilitatis procedere à duplici motiuo adæquato.

66. *Respondebis.*

Respondebis, argumento, & paritate facta solum conuinci id euenire potuisse, quòd nempè, non solum Incarnatio quoad substantiam, sed etiā quoad circumstantiam proximæ passibilitatis ex duplici motiuo adæquato decerneretur à Deo, siuè vno, siuè duplici decreto, quorum vnum esset nos à peccato redimere, aliud verò aut excellentia mysterij, eiusque intrinseca dignitas, aut aliud, quod Dei voluntas sibi posset præstituere, non autem conuincit, id contigisse de facto, sed contrarium accidisse probat auctoritas Patrum passim asserentium, non venturum Christum, Adamo non peccante, quod ad minus verificari debet de aduentu Christi in carne mortali, & passibili. Et insuper, nam quòd Christus in carne mortali veniret, fuit, vt propter nos moreretur; mors autem non fuit volita, nisi occasione peccati, & vt Christus sua morte, & passione nos redimeret ab illo, & consequentèr aduentus Christi in carne mortali, & passibili, & quòd Verbum carnem mortalem assumeret, non fuit de facto volitum, & amatum à Deo ob aliquam aliam causam vt motivum sufficiens, & adæquatum.

Sed contra primò: nam Ecclesiæ Patres non asserunt, non venturum Christum in carne mortali, & passibili, Adamo non peccante, sed absolutè docent, non venturum, nec Incarnationem futuram, non existente peccato: ergo si ad saluandam mentem Patrum, & vt illorum testimonia sint vera, excluditur duplex motivum adæquatum circumstantiæ proximæ passibilitatis, etsi potuerit à Deo amari, & decerni propter illa, ad saluandam mentem Patrum, illorumque testimonia cum rigore, & proprietate explicanda, etiam excludendum est duplex motivum adæquatum, & sufficiens respectu Incarnationis quoad substantiam, vt de facto Dei voluntatem mouens, esto fuerit possibile amari, & decerni à Deo substantiam Incarnationis ob duplex motivum adæquatum, & sufficiens.

67. *Contra primò.*

Deindè, nam esto passio, & mors Christi occasione peccati fuerit de facto volita, & amata à Deo, & in illius remedium ordinata, nō est, vndè, colligatur, solum hoc motivum habuisse voluntatem diuinam, cum ad alios fines conduxerit, nempè ad gratiam Angelorum, & hominis in statu innocentiæ, quam Christum suis meritis causasse, docet Suarez, quem plures Recētiores sequuntur, Notq; verius,

68. *Secundò.*

&

& probabilius censuimus *tract. de merito Christi*, & insuper ipsa habeat suã excellentiam, summamque dignitatem moralem ex coniunctione cum Verbo, ob quam amari potuit à Deo: ergo si hæc motiua potuerũt adæquatè, & sufficientèr, & non inadæquatè, & partialitèr respectu mortis Christi, illiusque proximæ passibilitatis se habere, vt argumento, & paritate facta conuincitur, non est, vndè colligatur, partialitèr, & inadæquatè simul cum remedio peccati se habuisse; ideoque non venturum Christum in carne mortali, & passibili, nec Verbũ carnem mortalẽ, & passibilem sumpturum, non existente peccato.

69. *Cõfirmatur primò.* 1. *ad Timoth.* 1.

Explicatur, & vrgetur primò: nam ex testimonijs Scripturæ solum habetur, Christum in carne passibili, & mortali venisse in remedium peccati, vt constat ex illo: *Venit Iesus peccatores saluos facere*; sed supposita sententia Auctoris contrarij docente, vnum, & eundem effectum posse ex duplici motiuo sufficiente, & adæquato procedere, & propterè illud amari, cum proprietate saluatur, Christum in remedium peccati venisse, & vt nos ab illo redimeret, etiam si vllus aduentus ex alio motiuo sufficiente, & adæquato processerit, & à Deo fuerit propterè illud amatus: ergo, ista sententia supposita, non est, vndè, colligatur, talitèr aduentum Christi in carne mortali, & passibili fuisse à Deo amatum propterè remediũ peccati, & vt nos ab illo redimeret, quòd alia motiua, propterè quæ potuit amari, vt sufficiẽtia, & adæquata, excludãtur.

70. *Cõfirmatur secũdo. Symb. Nicæn.*

Explicatur, & vrgetur secundò: nam in Symbolo Nicæna remedium peccati, & nos ab illo redimere, assignatur pro motiuo, non solum mortis Christi, sed etiam Incarnationis, vt constat ex illis verbis: *Qui propterè nos homines descendit de Cœlis, & incarnatus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, & homo factus est, crucifixus, & sepultus*, &c. Quibus remedium peccati, non solum assignatur pro motiuo mortis, & passionis Christi, sed etiam Incarnationis; sed, vt asserit contraria sententia, cõparatum ad Incarnationis substantiam, etsi remedium peccati fuerit motivum sufficiens, non tamen ita, vt excludat alia sufficientia, & adæquata motiua: ex quo prouenit, futuram substantiam Incarnationis, etiam si peccatum non existeret: ergo paritèr, etsi respectu mortis, & passionis Christi remedium peccati fuerit motivum sufficiens; non tamen exclusit alia motiua sufficientia, & adæquata, & consequentèr aduentus Christi in carne mortali, & passibili fuit de facto volitus, & amatus à Deo, non solum ob remedium peccati, sed etiam ob alia motiua sufficientia, & adæquata. Ex quo vlterius fit, Christum in vi præsentis decreti venturum in carne mortali, & passibili, nullo existente peccato.

71. *Tertio respõdẽt quidam Recentiores.*

Aliorum solutio est, ex vi primi decreti venisse Christum, tùm propterè nostram salutem æternam absolute: tùm etiam propter libertatem nostram à peccato, non vt existente, sed vt imminente sub conditione, quòd contraheretur, vel committeretur, per quod saluantur locutiones Scripturæ asserentis, venisse Christum, vt nos à peccato redimeret, & simul saluatur, venturũ Christum, Verbumq; carnem assumpturũ, quãvis nullũ peccatũ in statu absoluto existeret: sicut verificatur, Christũ venisse, vt nos redimeret à peccatis actualibus, & propterè nostram libertatem ab illis, non vt existẽtibus, sed vt imminẽtibus, & sub cõditione quòd cõmitterẽtur, cũ quo stat, quòd veniret Christus, Verbumq; carnẽ assumeret, quamvis nullũ actuale peccatũ existeret, solo originali existente in sententia Thomistarum. Ita Puente-Hurtado *disp.* 13. *relata sect.* 13 *subsect.* 3.

Puente Hurtado.

72. *Reijcitur primo.*

Sed contra eius solutionem obstant primò, quæ supra aduersus explicationem ab isto Authore traditam ad auctoritates Patrum obiecimus. Deindè, vt enim proximè dicebam, in Symbolo Nicæna ly *propter nos homines, & propter nostram salutem*, quibus verbis explicatur motivũ aduẽt Christi, eodem modo refertur ad decensum de Cœlis, & ad assumptionẽ carnis, atque ad passionem Christi, &

Symb. Nicæn.

mortem, vt conſtat ex illis verbis: *Qui propter nos homines, & propter noſtrã ſalutem deſcendit de Cœlis, & incarnatus eſt, paſſus, & ſepultus, &c.* Sed relatum ad paſsionem Chriſti, & mortẽ non importat pro motiuo æternam ſalutem abſolutè, & remedium à peccato ſolum ſub conditione, ſed remedium à peccato abſolutè: ergo etiam relatum ad deſcenſum Chriſti de Cœlis, & ad carnis aſſumptionem, nõ ſub conditione, ſed abſolutè importat remedium peccati.

73. *Secũdò.*

Denique tradita ſolutio reijcitur: nam ſequitur ex illa, & exemplo, quo prædictus Auctor vtitur in illius confirmationem, non ſolum venturum Chriſtum, & Verbum carnem ſumpturum, ſed etiam moriturũ de facto, peccato Adami non exiſtente abſolutè; conſequens eſt falſum: ergo & tradita ſolutio. Probo ſequelam: nam ex eo, quòd Chriſtus veniret, nullo peccato actuali exiſtente, etſi veniret in remedium illorum, & vt nos ab illis redimeret; infert prædictus Auctor, venturum Chriſtum, & Verbum carnem ſupturum, etiam non peccante Adamo, nec illius peccato in ſtatu futuro abſoluto exiſtente, quamuis in Scriptura dicatur, Chriſtum veniſſe, Verbumque carnem ſumpſiſſe in remedium originalis peccati, & vt hominem ab illo redimeret; ſed Chriſtus veniret in carne mortali, & paſsibili, & de facto moreretur, peccato Adamĩ exiſtente, quamuis actualia hominum peccata abſolutè non exiſterent: ergo ſi exemplum aliquid probat, cõuincit, non ſolum venturum Chriſtũ in carne, ſed etiam paſsibilem, & mortalem proximè venturum, & de facto moriturum, Adamo non peccante.

74. *Deniq; reſpõderi poteſt principali argumẽto.*

Tandem reſponderi poteſt, in præallegatis teſtimonijs Scripturæ exprimi remedium peccati pro motiuo Incarnationis; non tamen excludit alia motiua ſufficientia, & adæquata, ac proindè, quãuis non exprimantur, poterunt interuenire in negotio Incarnationis vt ſufficienter mouentia voluntatẽ diuinam ad illam decernẽdã, & amandã, ob quæ motiua Verbũ aſſumeret carnẽ, nullo peccato exiſtẽte.

Sed contra primò: nam ex prædictis teſtimonijs ad minus habetur, remedium peccati fuiſſe motivum, vt Deus Incarnationem Verbi decerneret, & conſequenter vel adæquatum, vel partiale; ſed deficiente motiuo adæquato, vel parte motiui adæquati, decretum non poteſt ſubſiſtere, vt ſuperius arguebamus: ergo non exiſtente peccato, non veniret Chriſtus, nec Incarnatio exiſteret ex vi præſentis decreti. Hæc ſecunda conſequentia ex prima euidenter colligitur; prima verò probatur: vt enim ſupra cõtra Suarez oſtendimus, nõ poteſt vnus, & idẽ effectus à duplici cauſa in actu ſecundo adæquata etiam finaliter, aut motiuè dependere in veriori ſententia, etiã de potentia abſoluta, & in communi ſaltem de lege ordinaria: ergo ſi remedium peccati fuit motiuum Incarnationis, vel fuit motiuum adæquatum illius, vel ſaltem pars motiui adæquati, aliàs Deus in decernendo Incarnationem duplex motiuum adæquatum habuiſſet, nempè remedium peccati, & illa, ob quæ Incarnatio exiſteret Adamo non peccante.

75. *Reijcitur primo ſolutio.*

76. *Secũdò.*

Secundò, nam quotieſcũque Scriptura alicuius rei magni momenti non ſemel, aut iterum, ſed multoties, & ferè ſemper cauſam aliquam aſsignat, intelligendum eſt, vel eſſe ſolam cauſam, vel ad minus cauſam neceſſariã, & ſine qua non exiſtet effectus; ſed Incarnatio, vel aduentus Chriſti in carne res magni momenti eſt, & Scriptura non ſemel, aut iterum, ſed ferè ſemper pro motiuo Incarnationis aſsignat remedium peccati: ergo ſignum manifeſtum eſt, vel fuiſſe adæquatum motivum reſpectu diuinæ volũtatis, vt Incarnationem decerneret, vel ſaltim motivum neceſſarium ratione liberæ voluntatis diuinæ, & conſequenter remedio peccati nõ inſtante, non fuiſſet à Deo volita, nec decreta Incarnatio. Ex quo vlterius fit, vt non exiſtente peccato, Incarnatio non exiſteret, nec Verbum carnem aſsumeret.

(.??.)

§. IV.

Occurritur quatuor argumẽtis contrariæ sententiæ, & mens Augustini explicatur.

77. *Arguitur primo. S. Aug.*

CONTRA istam conclusionẽ plura opponunt argumenta contrariæ sententiæ Auctores. Primò arguũt ex Augustino *lib. 1. de nuptijs, & concupisc. cap. 21.* vbi numerans tria nuptiarum bona; nempè operationẽ propagandæ prolis, pudicitiæ fidem, & connubij Sacramentum significans coniunctionem Christi cum Ecclesia, ita concludit: *Quid horum est in nuptijs, vndè, peccati vinculum transiret in posteros? nempè nihil, & certè his tribus bonis perfectè sè haberet bonitas nuptiarum, quibus bonis etiam nunc bonæ sunt nuptiæ:* ergo ex mente Augustini, Adamo non peccante, cõiunctio viri, & fœminæ signum esset Christi venturi, & cõiunctionis Christi cum Ecclesia, & cõsequenter peccato Adami non existente, Christus veniret, & Verbum carnem assumeret, aliàs Sacramenti significatio non esset vera, quod dicere fas non est.

78. *Communis solutio.*

Communis istius argumenti solutio est, nullo peccato existente, coniunctionem viri, & fœminæ futuram esse signum cõiunctionis Christi cum Ecclesia, non actualiter illam significantem, sed aptitudinaliter solum, id est, habituram esse aptitudinem ad talem significationem, nõ qualemcumque, sed maiorem, quã alia, quæ possunt ad illam significandam imponi, supposito Incarnationis decreto, sicque accipiẽdum esse Augustinũ, & illius mentẽ interpretandã. Ex quo nõ colligitur, venturũ Christũ, Verbumque sũpturũ carnẽ, Adamo nõ peccãte; quia ad hoc necessariũ erat, vt cõiunctio viri cũ fœmina coniunctionẽ Christi cum Ecclesia de facto significaret, non existente peccato.

79. *Rejicitur. S. Aug.*

Cæterũ hæc solutio non videtur menti Augustini congruere, nec illius verba saluare; asserit enim: *Et certè his tribus bonis perfectè sè haberet bonitas nuptiarum, quibus etiam bonæ sunt nuptiæ:* ergo sentit Augustinus, perfectionem, aut bonitatem significandi coniunctionem Christi cum Ecclesia, qua nuptiæ bonæ sunt, fore, vt perfectè conueniret nuptijs in statu, de quo loquitur Augustinus, & in casu, quem supponit; sed bonitas significationis coniunctionis Christi cum Ecclesia non cõuenit perfectè per solam aptitudinẽ ad illam significãdam, sed solum per actualẽ illius significationem; nõ enim est perfectè signum ad placitum, quod solũ gaudet aptitudine, vt imponatur ad significandũ, sed solum id, quod actu est ad significandum impositũ, sicut nullum aliud prædicatum dicitur, aut potest dici conuenire perfectè per solam aptitudinẽ, vt alicui conueniat, & de illo prædicetur: ergo explicatio tradita mẽti Augustini non congruit, nec eius verba saluat in rigore, quem petunt.

80. *Vera solutio.*

Vndè, melius respondetur secundò, non asseri ab Augustino bonitatẽ signi coniunctionis Christi cum Ecclesia fore, vt cõueniret perfectè nuptijs casu, in quo nullũ vnquã extiturũ esset peccatum, sed illis ante peccatum perfectè cõuenisse, & hoc verum est: nam antequam Adamus de facto peccaret, matrimonium Adæ, & Heuæ Christum significabat, illiusq; cum Ecclesia coniunctionẽ, quia iam extabat decretũ de Incarnatione Verbi, & decretũ permissiuũ peccati, & cõsequẽter iam peccatũ erat absolutè futurũ, & similiter Verbi Incarnatio, illiusq; desponsatio cũ Ecclesia, quod sufficit, vt coniunctio viri, & fœminæ Christũ venturũ, & illius coniunctionẽ cum Ecclesia significaret: sicut eadem ratione Adamus habuit fidem Christi venturi, antequam de facto peccaret, vt statim dicemus: & hoc sufficit ad mentem Augustini saluandam, cuius intentum erat probare contra hæreticos improperãtes nuptias, si peccatum

catũ originale eſſet, & ex hoc exiſtentiam impugnantes, ex peccati originalis exiſtentia nuptias malas reddi non poſſe, ſiquidem tria enumerata bona, quibus nuptiæ nunc gaudent, illis ante peccatum conueniebant, & conſequentèr ex illis peccatum non trahebat originem, ſed ex Proto-parentis peccato.

81. *Inſtabis.* Sed dices, iuxta hanc intelligentiam, & explicationem non debuiſſe Auguſtinum vti verbis de futuro conditionato, ſed de præterito abſoluto dicendo, nuptias fuiſſe bonas his tribus bonitatibus ante peccatũ; ſed non vtitur Auguſtinus verbis de præterito abſoluto, ſed de futuro conditionato, ait enim: *S. Aug.* *Et certè his tribus bonis perfectè ſè haberet bonitas nuptiarum, quibus bonis etiam nunc bonæ ſunt nuptiæ:* quæ propoſitio, vt conſtat, non eſt de præterito abſoluto, ſed de futuro cõditionato: ergo ſolutio iſta cum Auguſtini mente non conſonat. Et confirmabis; nam propoſitio Auguſtini eſt de futuro conditionato, & vera; ſed conditio ſubintellecta eſt negatio exiſtentiæ peccati: ergo nullo exiſtente peccato, prædictis bonitatibus nuptiæ gauderent, quarum vna eſt ſignificatio coniunctionis Chriſti cum Eccleſia, & conſequentèr, quamvis nunquam extiturum eſſet peccatum, cõiunctionem Chriſti cũ Eccleſia, Chriſtumque venturum nuptiæ ſignificarent. *Cõfirmatur.*

82. *Reſpondetur.* Reſpondeo ad confirmationem, ex cuius ſolutione replica manebit ſoluta, conceſſa maiori, diſtinguẽdo minorem: conditio ſubintellecta eſt negatio exiſtentiæ peccati pro aliquo tẽpore, concedo minorem: pro omni duratione futura, nego minorem, & diſtinguo conſequens: nullo exiſtente peccato, nec vnquã extituro, nego cõſequentiã: nullo exiſtẽte peccato pro aliquo tẽpore, aliquando tamen extituro, concedo conſequentiã. Itaque argumentũ Parẽtis Auguſtini ſic formandũ, & intelligendũ eſt: illa tria bona conuenerunt nuptijs ante exiſtentiã peccati, & conuenirẽt etiam, ſi ſtatus innocẽtiæ magis duraret, & homines nuberẽt, & filios procrearẽt; & tamẽ ex nuptijs tunc caſus nullum peccatũ per originem contraheretur: ergo etſi nuptiæ nunc illis tribus bonis gaudeant, cauſa contractionis peccati nõ ſunt; ac proindè etſi de facto peccatũ per originem cõtrahatur, non vitiantur, nec malæ redduntur ex illo. Non ergo voluit Auguſtinus, ſignificationem cõiunctionis Chriſti cum Eccleſia conueniſſe matrimonio in ſtatu innocentiæ ante præſciẽtiam peccati abſolutè futuri, ſed ante actualem exiſtẽtiam illius, nec quod conueniret talis ſignificatio nuptijs, ſi nunquam foret extiturum peccatum, ſed quod cõueniret illis, etiã ſi ſtatus innocentiæ magis duraret, & conſequentèr etiam ſi exiſtẽtia peccati magis differretur; dũmodò tamen peccatũ præſciretur aliquando futurum. Et ex his ad obiectionem conſtat ſolutio.

83. *Secũdo arguitur.* Secundò arguunt ex Bernar. *ſerm. 1. aduentus*, vbi exponens id, quod dicitur Ionæ cap. 1. *Si propter me orta eſt tẽ peſtas hæc, tollite me, & mittite in mare*, dicit Bernardus, quod Diabolus vidit rationalem creaturam aſſumendã in vnitatem perſonæ Filij Dei, & invidit, & hæc invidia fuit cauſa caſus eius, & mouens ipſum ad tentandum hominem; at ſi Incarnatio extitura non eſſet, niſi homine peccante, non inſtigaſſet hominem Diabolus ad peccandũ, cum per hoc ipſum ad bonum, quod invidebat, conſequendum hominem promouiſſet: ergo, etiã ſi Adamus nõ peccaſſet, Incarnatio eſſet futura, & Verbum carnem aſſumeret. *S. Bern.*

84. *Reſpondetur.* Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem: nam etiam ſi Diabolus præuiderit rationalem creaturam eſſe aſſumendam a Verbo; non tamen eſt neceſſarium, quòd præuiderit cauſam ad hoc motiuam, ſeu impulſiuã: & ideo neceſſariũ non eſt, quòd præuiderit, occaſionẽ futuræ Incarnationis eſſe hominis peccatũ: vndè, potuit ipſum ad peccãdum inſtigare, quamvis Incarnatio, homine nõ peccante, futura non eſſet; quia hoc Diabolus nõ cognouit. Ita D. Thom. *in 3. diſt. 1. q. 1. art. 3. ad 7.* illis verbis: *Dicendum, quòd ſi etiam ponatur, quod Diabolus præuiderit rationalem creaturam à Filio Dei* S. Tho.

aſſumen-

assumendam; non tamen oportet, quòd præuiderit antecedentia ad ipsam: sicut etiam, vt ibidem Bernard. dicit, præuidit, sè futurum Principem malorũ, quod per suum casum consequutus est; & tamen suum casum non præuidit, vt in secundo libr. dist. 4. q. 1. art. 2. dictum est.

85. *Tertio arguitur.* S. Tho. *Ad Ephesios 5.* Tertio arguitur: nam mysterium Incarnationis fuit primo homini reuelatum, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 7. *in corp. & in hac q. art. 3. in 5. argum.* probarque ex illo Geneſis: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*, quod Apostol. ad Ephes. 5. dicit, esse magnũ Sacramẽtũ in Christo, & in Ecclesia, Christi cũ Ecclesia coniunctionẽ significãs. Sed homo sui casus præscius esse non potuit in statu innocentiæ: sicuti nec Angelus, antequam peccaret, præscius sui peccati fuit, vt etiam D. Thom. admittit, probarque ex Augustino *lib. 11. de Genesi ad litteram cap. 18.* ergo remedium peccati motivum Incarnationis non fuit, & consequẽtèr veniret Christus, Verbumque assumeret carnem, quãuis nullum futurum esset peccatum. *S. Aug.*

86. *Respondetur.* Respõdeo, cõcessis maiori, & minori, negando cõsequentiã; potest enim alicui reuelari effectus sine eo, quòd eidem fiat reuelatio causæ: vndè, ex eo, quòd Adamo fuerit reuelatum mysterium Incarnationis, & illius motivum fuerit remedium peccati, non sequitur, hoc motivum cognouisse, nec ex eo, quòd non præcognouerit proprium peccatum futurum, sequitur, non cognouisse futuram Incarnationem. Ita D. Thom. *in præsenti art. 3. ad 5.* ibi: *Dicendum, quòd nihil prohibet, alicui reuelari effectum, cui non reuelatur causa: potuit igitur primo homini reuelari Incarnationis mysterium sine hoc, quòd esset præscius sui casus, non enim quicumque cognoscit effectum, cognoscit & causam.* S. Tho.

87. *Oppones primo.* Sed oppones aduersus istam solutionem primò: congruentius est, reuelari causam, cui reuelatur effectus, quam reuelari effectum, & causam occultari. ergo si Adamo reuelatum fuit mysterium Incarnationis, etiam illius causa fuit eidem reuelata, & consequentèr, si peccatum proprium Adamo non fuit reuelatum, causa, vel motivum Incarnationis nõ fuit, ac pròin dè sine illo existeret Incarnatio in vi præsentis decreti.

Secũdo. Secundò, est enim naturale homini, cognito effectu, appetere cognitionem causæ, vt docet D. Thom. 1. *p. q.* 12. *art.* 1. ex hoc probans, posse hominem videre Deum, & ex opposito tristitia, & anxietas quædam causatur; sed in statu innocentiæ anxietati, & tristitiæ locus non esset, quia, vt docet Augustin⁹ *lib. 14. de Ciuitate Dei cap. 10.* in illo statu erat deuiatio tranquilla peccati, qua manente, nullum malum omninò esse poterat; anxietas autem, & tristitia sunt malæ, & disconuenientes homini: ergo si reuelatum fuit Adamo mysterium Incarnationis, etiam fuit illi reuelata eius causa, & consequentèr, si peccatũ proprium ei reuelatum nõ fuit, vt supponitur, occasio Incarnationis fuit, nec remedium peccati fuit Incarnationis motivum. S. Tho. *S. Aug.*

88. *Respondetur ad primã replicam.* Respõdeo ad primã replicã antecedẽs esse verũ regulariter loquẽdo, nõ autẽ esse verũ vniuersaliter, et in præsẽti nõ fuit cõgruẽtius, quòd Adamo reuelato effectu, nẽpè mysterio Incarnationis, omnis illius causa eidẽ reuelaretur: ni cũ homo ex notitia sui casus naturaliter tristitiã cõciperet, quæ fœlicẽ statum innocẽtiæ, quo tunc potiebatur, non decebat, consequens fit, cõgruẽtius fuisse, reuelari illi effectũ, nẽpè misteriũ Incarnationis, nõ reuelato motiuo, scilicet, remedio peccati, quam illi motivum adæquatum Incarnationis reuelari.

89. *Ad secũdam.* Ad secũdã replicã, cõcessis maiori, & minori, nego cõsequentiã: Incarnatio nãq; Verbi ordinata fuit, & ad liberandũ hominẽ à peccato, & ad cõsummationẽ gloriæ; licet autẽ Adamo nõ fuerit reuelatũ remediũ peccati vt motivũ Incarnationis, ne ex hoc tristitiam conciperet, quæ statum innocentiæ non decebat, nec cum illo compatiebatur; fuit tamen illi reuelata consummatio gloriæ, ex cuius cognitione tristitia non consequebatur, sed potius lætitia, de quo D. Thomas 1. 2. q. 2. *art. 7. in corpore*, & hoc fuit

ſufficiens, vt ab illo tolleretur anxietas, quæ naſci poterat ex deſiderio cognoſcendi cauſam, cognito effectu, etiamſi reuelato Adamo myſterio Incarnationis, non fuerit eidem reuelatum peccatum proprium, quod occaſio Incarnationis fuit.

90. *Inſtabis.* Sed dices: vt tolleretur anxietas, quæ naſcitur ex deſiderio cognoſcendi cauſam, cognito effectu, neceſſariũ erat, quòd reuelato Adamo Incarnationis myſterio, eidem reuelaretur motiuum adæquatum illius. deſiderium namque cognoſcendi cauſam non quieſcit, niſi cognito effectu, adæquata cauſa cognoſcatur: vndè, per cognitionem ſolam cauſæ inadæquatæ deſiderium quietari non poteſt: ergo ſi reuelata Adamo ſola cõſummatione gloriæ pro motiuo Incarnationis, & non reuelato remedio peccati, quieuit in illo deſiderium cognoſcendi cauſam Incarnationis, & anxietas nulla remanſit, cõſũmatio gloriæ fuit adæquatum Incarnationis motiuum, nullatenus remedio peccati ingrediẽte ad mouendam diuinam voluntatem, vt Incarnationem decerneret.

91. *Reſpondetur.* Reſpondeo, quòd quando dependentia effectus à cauſa eſt ab intrinſeco, & ex natura rei, tunc non quieſcit deſiderium cognoſcendi cauſam, nec anxietas quietatur, niſi cognito effectu, cognoſcatur adæquata cauſa illius; quando autem dependentia non eſt ab intrinſeco, nec ex natura rei, ſed ab extrinſeca voluntate operantis illum liberè volentis ex tali cauſa, aut motiuo, & ad illud liberè ordinantis, tunc neceſſarium non eſt ad quietandum deſiderium, & anxietatem tollendam, cognito effectu, cognoſci cauſam, quæ de facto fuit adæquata, ſed ſufficit cognoſci, & reuelari cauſam, quæ quoad ſufficientiam adæquata fuerit; dependentia autem myſterij Incarnationis à remedio peccati, vt motiuo non conuenit illi ab intrinſeco, neque ex natura rei, ſed ab intrinſeca Dei voluntate liberè volentis Incarnationem propter remedium peccati, illamque liberè ordinantis, vt homo à peccato redimeretur, & aliàs cõſũmatio gloriæ, ſeu myſterij excellentia eſt motiuum, quantum eſt de ſe, ſufficiens, vt Deus Incarnationem decernat: ideoque vt deſiderium Adami quietaretur, nullaque anxietas remaneret in illo, ſufficiens fuit, quòd reuelato illi myſterio Incarnationis, eidẽ reuelaretur conſũmatio gloriæ, non reuelato, nec cognito remedio peccati, quod de facto fuit Incarnationis motiuum.

92. *Vrgebis primo.* Sed vrgebis adhuc primò: ergo vt Adamus quietaretur in cauſis Incarnationis indagandis, & in illis cognoſcendis eius deſiderium quieſceret, neceſſarium fuit iudicare, conſummationem gloriæ, ſeu excellentiam myſterij fuiſſe motiuum Incarnationis de facto adæquatum, aliàs, ſi hoc non iudicaret, anxius, & inquietus remaneret vlteriorem cauſam quærens, & vlterius motiuum, & conſequentèr conſummatio gloriæ, vel excellentia myſterij fuit motiuum adæquatum de facto, vt Deus Incarnationem decerneret, aliàs Adamus in prædicto iudicio falleretur, falſumque aſſenſum præberet, quod ſtatui innocẽtiæ non congruit; fuit enim ſtatus iſte ab errore, & omni deceptione immunis, vt ex Auguſtino docet D. Thom. 1. *p.* *q.* 94. *art.* 3. eo quòd error, & deceptio ſunt mala naturæ rationali diſconuenientia; ſtatus autem ille nullum malum admittebat. S. Tho.

93. *Secũdo.* Vrgebis ſecundò: nam ſi Adamo, ſuppoſita reuelatione ipſi in prædicto ſtatu facta, proponeretur hæc quæſtio, venirene Chriſtus, Verbumque aſſumeret carnem, ipſo non peccante, affirmatiuum iudicium proferret, ſed hoc iudicium falſum non eſſet: nã ille ſtatus, videlicet innocentiæ falſitatis, & erroris capax non erat, vt ex D. Thoma vidimus: ergo verè id affirmaret, & conſequentèr verum eſſet dicere, venturũ Chriſtum, & Verbum carnem ſumpturum, Adamo non peccante. Conſequentia cum maiori tenet; maior autem probatur: nam formaret Adamus iudicium iuxta reuelationem illi tunc factam; ſed in vi talis reuelationis, & iuxta illam affirmatiuum iudicium formare debebat, quandoquidem motiuum Incarnatio-

nationis ipsi reuelatum erat à peccato independens; sicut D. Thomas, & illius discipuli iudicium negativum de proposita quæstione formant; quia cognoscunt reuelatum decretū cōnexum cum futuritione peccati, & in illius remedium ordinatum: ergo quæstioni propositæ affirmatiuè Adamus responderet, eique assensum affirmativum præstaret.

94. *Ad primū respōdetur*

Respondeo ad primam replicam, negando consequentiam; sed sufficiebat, vt Adamus quietaretur in causis Incarnationis indagandis, eiusque desiderium in illis cognoscendis quiesceret, & nulla anxietas remaneret, iudicare consūmationem gloriæ, vel mysterij excellentiam esse motivum Incarnationis sufficiens, & quantum ad sufficientiam adæquatum, quod verum erat, & aliàs ab intrinseco, & ex natura sua ab alijs motiuis non dependere, quin curiosè alia extrinseca motiua, ob quæ à Deo liberè poterat decerni, & ad illa ordinari, indagaret.

95. *Ad secūdam.*

Ad secundam, nego maiorem; ad cuius probationem neganda etiam est maior: nam si iudicium ex reuelatione facta formaret, cum talis reuelatio de motiuo in actu secundo adæquato non esset, affirmativum iudicium inferens falleretur: vndè, vt vitetur hoc inconueniens, dicendum est, solum formaturum iudicium de possibilitate aduentus Christi, & Incarnationis Verbi, nullo existente peccato, & præueniretur diuinitus, ne de futuritione Incarnationis, non existente peccato, iudicium proferret ad vitandam deceptionem illi statui repugnantem, vt in simili docet D. Thom. *1. p. q. 94. art. 4. ad vltim.* vbi inquirens, an primus homo in statu innocentiæ decipi potuisset, vltimum argumentum ad probandam possibilitatem deceptionis hominis in illo statu, ita proponit: *Primus homo nesciuisset cogitationes hominum, & futura contingentia, vt dictum est articulo præcedenti: si igitur aliquis super his sibi falsum diceret, deceptus fuisset.* Cui argumento his verbis respondet: *Ad quintum dicendum, quòd alicui dicenti falsum de contingentibus futuris, vel cogitationibus cordium, homo in statu innocentiæ non credidisset, ita esse, sed credidisset, quod hoc esset possibile, & hoc non esset existimare falsum.* Quia tamen desideratur ratio, cur homo dicenti falsum de cogitationibus cordium, & futuris contingentibus in statu innocentiæ non crederet, ita esse, sed tantum esse possibile, in quo falsitas nō erat, addit Angelicus Doctor: *Vel potest dici, quod diuinitus ei subventum fuisset, ne deciperetur in his, quorum scientiam non habebat.* Id ipsum Nos dicimus in præsenti, & eadem ratione, quòd nempè in prædicto casu non proferret iudicium affirmativū de futuritione Incarnationis Verbi, non existente peccato, præuentus diuinitus, ne falleretur, sed solū de possibilitate Incarnationis, nullo peccato existente, in quo falsitas non erat.

S. Tho.

96. *Quarto arguitur ab inconuenientibus. Primū est.*

Quarto obijciunt aliqua inconuenientia, quæ videntur ex nostra sententia consequi. Primum est Incarnationem fuisse bonum occasionatum: sicut est pœnitentia, quæ non nisi occasione peccati amatur à Deo, non autem bonum ex primaria Dei intentione: consequens absurdum videtur: ergo nostra sententia est falsa. Probatur sequela: nam ideo pœnitentia bonum occasionatum est, & non de primaria Dei intentione, quia non amatur, nec decernitur à Deo, nisi occasione sumpta à peccato: ergo si Incarnatio fuisset volita, & amata à Deo, sūpta occasione à peccato, bonum occasionatum esset, & nō de primaria Dei intentione, quod summa illius dignitas, & excellentia non patitur.

97. *Secundum.*

Secundum inconueniens est, debuisse Christum gratias hominibus reddere propter suam Incarnationē, consequens est falsum: ergo & posita conclusio. Minor cum consequentia tenet; sequela autē probatur ex Cyrillo *lib. 5. thesauri cap. 3.* vbi hæreticos asserentes, Filium Dei esse factum ad producendas creaturas, hoc argumento conuincit: *Si vt nos, cæteraque creaturas per Filium Deus produceret, ipsum, vt hæretici dicunt, à nihilo produxit, erit ipse propter nos factus, non nos propter illum, & ita nos præstantiores ipso erimus creaturæ, ipse verò*

Cyrill.

instru-

inſtrumentum ad creandas cæteras creaturas: cur ergo gratias nobis non aget, qui propter nos eſt? Hæc Cyrillus. Quibus verbis, vt conſtat, ex eo, quòd, vt hæretici aſſerebant, Pater produxiſſet Filium, vt per illum creaturas produceret, infert, filium gratias agere debere creaturis, propter quas producēdas, filius factus fuiſſet: ergo ſi Deus decreuit Incarnationem Verbi, Chriſtumque producere, vt homines à peccatis redimeret, tenebitur gratias agere hominibus redimendis, propter quos redimendos eſt factus, vel argumentum Cyrilli eſt inefficax, quod aſſerendum non eſt.

98. *Tertiò.* Tertio ſequitur ex noſtra ſententia, remedium peccati eſſe quid perfectius ſubſtantia Incarnationis: conſequens eſt falſum: ergo noſtra ſententia non eſt vera. Minor cum conſequentia tenet; ſequela autem probatur ex eodem Cyrillo *vbi proximè*, illis verbis. *Cyrill.* *Nam ſi propter nos factus eſt filius, & non propter filium nos, erimus nos filio multo præſtantiores, quod abſurdiſſimum eſt.* Vbi, vt conſtat, ex eo quod Filius à Deo factus eſſet propter producendas creaturas, infert, creaturas eſſe præſtantiores filio: ergo ſi Deus Chriſtum produxit, & Incarnationem propter nos decreuit, & propter liberandos homines à peccato, libertas hominum à peccato erit præſtantior Chriſto, & ſubſtantia Incarnationis perfectior, vel argumentum Cyrilli eſt inefficax.

99. *Quartò.* Quartum inconueniens, quod ſequitur, eſt, facta iam, & conſequuta redemptione hominum à peccato, Incarnationem ſuperuacaneam, & ſuperfluam eſſe: conſequens abſurdum eſt: ergo ſententia, quam defendimus, falſa. Conſequentia cum minori tenet; ſequela autem probatur ex Cyrillo *ibidem*, illis verbis: *Cyrill.* *Adde, quod neceſſitate impulſus, quoniam aliter nos creare non poſſet, filium produxit, quem ſecundum ipſos non produxiſſet, niſi creare nos voluiſſet: quare nobis creatis, ſuperuacaneus eſſe videtur filius, cum ipſo Pater, creaturis productis, iam non indigeat.* Quibus verbis, vt cōſtat, ex eo, quòd Pater produxiſſet filium, vt produceret creaturas, alioquin ipſum nō producturus, vt aſſerebant hæretici, cōtra quos arguebat Cyrillus, infert, nobis productis, ſuperuacaneū eſſe filiū: ergo ſi Deus Incarnationē decreuit, & Verbū in carne miſit, Chriſtūque produxit, vt nos à peccatis redimeret, alioquin Incarnationem non decreturus, nec Chriſtum producturus, nobis iam à peccatis redemptis, erit ſuperuacanea Incarnatio, & exiſtentia Chriſti ſuperflua, vel argumentum Cyrilli non vrget.

100. *Quintū.* Quintum inconueniens, quod ſequitur, eſt, gaudere animam Chriſti de peccato Adami tantum, ac de ſua aſſumptione ad eſſe perſonale Verbi: conſequens eſt falſum: ergo. Conſequentia tenet. Minor conſtat. Tum, quia anima Chriſti de peccato Adami nullatenus poteſt gaudere. Tùm etiam, nam eſto de illius permiſsione gaudere poſsit; quia occaſio fuit aſſumptioni; non tamen æquali gaudio, cum eo, quo in propria aſſumptione complacet, cum æquale bonum non ſit. Sequela autem probatur ex Anſelmo *lib. 1. cur Deus homo cap. 18.* vbi probat, homines non eſſe factos, nec prædeſtinatos ad reparandas Angelorum ruinas; quia aliàs tantum lætarentur electi homines de Angelorum perditione, quantum de ſua aſſumptione, quoniam abſque dubio hæc non eſſet, niſi illa fuiſſet. *Anſelm.* Vbi, vt conſtat, ex eo, quòd hominum electio ad gloriam futura non fuiſſet, niſi Angelorum perditione ſuppoſita, infert pro inconuenienti homines tantum lætandos de perditione Angelorum, quantū de ſua electione: ergo ſi Incarnatio futura non eſſet, niſi hominum peccato exiſtente, gauderet anima Chriſti tātùm de peccato hominum, quantum de ſua aſſumptione ad eſſe perſonale Verbi.

101. *Reſpōdetur ad primum inconueniens.* Reſpondeo, nullum ex his inconuenientibus ex noſtra ſententia inferri; ad probationē primi dicatur, pœnitentiam idcirco eſſe occaſionatum bonum, quia non amatur, nec poteſt amari à Deo, niſi occaſione ſumpta ex peccato; Chriſtus autem, etſi de facto amatus, & decretus fuerit occaſione peccati,

peccati; potuit tamen, nullo peccato præuiso, amari, & decerni à Deo: vndè, ex natura sua occasionatum bonũ non est, sed ad summum dici poterit bonum occasionatum per accidens quatenus Deus de facto illius existentiã decreuit, sumpta occasione à peccato. Alia istius obiectionis solutio *ex infra* dicendis constabit, & instatur inconueniens illatum in Incarnatione quoad circumstantiam proximæ passibilitatis, quæ etiam prout sic bonum occasionatum ab intrinseco non est, cum mortalitas, & corruptibilitas proxima sit rei corruptibilis passio, & proprietas, cum qua rei natura attenta, & secluſa gratia speciali, creanda erat natura rationalis; & tamen de facto in aduersariorum sententia Incarnatio quoad istam circumstantiam nõ nisi occasione peccati fuit volita, & in remedium illius ordinata: ergo quamuis Incarnatio quoad substantiam bonum occasionatum ab intrinseco non sit, potuit amari de facto à Deo occasione peccati, & in illius remedium ordinari.

102 *Ad secũdum.* Ad probationem secundi inconuenientis, nego consequentiam. Ratio autem discriminis est: nam hæretici, contra quos arguebat Cyrillus, asserebãt, Filium Dei esse factum vt instrumentum productioni creaturarũ deseruiens, & ad illas vt ad finẽ ex natura sua ordinatum: ex quo rectè arguit Cyrillus, debere Filium gratias agere creaturis tanquam fini suæ productionis; Christus autem nõ respicit remedium peccati, nec hominem redimendum ab illo tanquam finem ex natura rei inspectum, sed solum ab extrinseca Dei voluntate ad illum ordinantis: ex quo tantum sequitur, debere gratias agere Deo producenti, & ordinanti Christum ad homines redimendos, non autem ipsis hominibus. Et instatur hoc inconueniens in circũstantia proximæ passibilitatis, quã fuisse à Deo volitam occasione peccati, & in illius remedium ordinatam fatentur contrarij Authores, quin ex hoc rectè possit inferri, Christũ propter illam debuisse gratias hominibus agere: ergo paritèr ex eo, quòd Incarnatio quoad substantiam fuerit à Deo volita occasione peccati, & propter homines liberandos ab illo, non sequitur, debuisse Christum gratias hominibus agere proptèr Incarnationis substantiam. Instatur etiam in morte, & passione Christi, ob quam, cum fuerit beneficiũ diuinũ, debuit Christ⁹ gratias agere Deo; & tamen hominibus gratias agere propter suam mortẽ non debuit, etiam si solum occasione peccati fuerit à Deo volita: ergo ex eo, quòd Incarnatio quoad substantiam à Deo volita fuerit occasione peccati, & in illius remedium ordinata, non sequitur, Christum fuisse debitorem gratiarũ hominibus redimendis propter suam Incarnationem, sed solum Deo illam in remedium peccati ordinanti, & vt homines à peccato redimeret, Incarnationem decernenti.

103 *Ad tertium.* Ad probationem tertij inconuenientis, nego consequentiam. Ratio autem discriminis duplex est. Prima, quòd filius in sententia hæreticorum, contra quos Cyrillus arguebat, ex natura sua, & ab intrinseco vt finem sui respiciebat creaturas, & illarum productionem: ex quo rectè deducitur, creaturas esse præstantiores filio: nam finis præstantior est his, quæ ab intrinseco sunt propter ipsum, nec vnquam natura perfectius ad minus perfectum ordinat tanquam ad finem; Christus autẽ, esto admittamus, in remedium peccati tanquam in finem propriè ordinatum, id non habuit ex natura, & ab intrinseco, sed ab extrinseca voluntate diuina, qualiter id, quod magis perfectum est, posse rem minus perfectam tanquam finem respicere, & in illam vt in finem ordinari plures probabiliter sentiunt.

Secunda ratio discriminis est: nam filius talitèr ex mente hæreticorum erat propter creaturas, & propter illarum productionem, quòd creaturæ propter filium non erant, cum esset instrumentum illarum productioni deseruiens, & effectus propter causam instrumentalem nullatenus sit; Christus autem in nostra sententia non est ita propter nos redimendos,

vt nos propter ipſum non ſimus, vt *ex infra* dicendis conſtabit: & ideo ex eo, quòd ordinatus fuerit in remedium peccati, & factus propter homines redimendos ab illo, non ſequitur, remedium peccati, aut homines redimendos eſſe quid præſtantius Chriſto.

104 *Ad quartum.* Ad probationem quarti inconuenientis, neganda eſt conſequentia, & ratio diſcriminis ſumitur ex verbis Cyrilli: vt enim ex ipſis conſtat, Pater in ſententia hæreticorum, quos impugnabat, ideo filium producebat, quia ſine filio non poterat creaturas producere, & non ob alium finem, inſuperque vt inſtrumentum ſolum creaturarum productioni deſeruiens. Ex qua doctrina rectè argumentabatur Cyrillus, & optimè deducebat, ſemel productis creaturis, ſuperuacaneum, & ſuperfluum eſſe filium: nam ceſſante vtilitate, ad quam inſtrumentum deſeruit, & ordinatur, exiſtentia inſtrumenti ſuperfluit, & ſuperuacanea eſt; in noſtro autem caſu oppoſitum oppoſita de cauſa cõtingit: Deus namque non produxit Chriſtum, nec illius Incarnationem decreuit aliqua neceſſitate compulſus, nec quia aliter non poterat remedium peccati elicere, homineſque ab illo eximere, nec vt inſtrumentum noſtræ redemptioni deſeruiens, nec denique tantum propter illam, ſed etiam ob alios fines, etſi omnes cum remedio peccati connexos: ideoque nõ ſequitur, conſequuta iam redemptione, hominibuſque à peccato redẽptis, Chriſti exiſtentiam ſuperuacaneam, & ſuperfluam eſſe.

105. *Ad quintum.* Ad vltimi inconuenientis probationem, nego conſequentiam. Ratio autem differentiæ eſt: nam Anſelmus loquebatur cõtra aliquos, qui ſentiebant, Deum creaſſe Angelos in numero perfecto ad Cœleſtem curiam, non creaturum homines, nec eos beatificaturum, niſi cadentibus Angelis, & Cœleſtes ſedes deſerẽtibus, & illorum caſu ſuppoſito ex vi eiuſdem decreti aoſque noua miſericordia creaturum homines, illoſque ordinaturum ad reparandas Angelorum ruinas, & illorum ſedes occupandas, contra quos rectè arguit Anſelmus, fore, vt gauderent homines tantum de Angelorum ruina, quantum de ſua prædeſtinatione; quia hæc ſine illa non eſſet, & Angelorum ruina ſuppoſita, prædeſtinatio hominum eſſet abſque noua miſericordia ex parte Dei; non ſic autem in noſtro caſu contingit. nam hominum culpa ſuppoſita, noua, & maxima miſericordia fuit Chriſtum mittere in Redemptorem: vndè, tam nos, quam anima Chriſti non de peccato Adami, quod occaſio Redẽptori fuit, ſed de diuina miſericordia, ex qua decretum Incarnationis proceſſit, & de aſſumptione humanitatis ad Verbum gaudere debemus. Et inſtatur hoc incõueniens in morte, & paſsione Chriſti, in qua ſibi Chriſtus complacuit; & tamẽ ex eo, quòd mors futura non fuiſſet, ſi non præceſſiſſet peccatum, non ſequitur complacuiſſe in peccato, cuius occaſione mors, & paſsio Chriſti fuit volita, nec de illo gaudiũ habuiſſe tantum, quantum habuit de morte, imò de peccato Adami nullatenus potuit anima Chriſti gaudere, cum omne illius gaudium rationabile fuerit; de peccato autem gaudium conforme rationi eſſe nequeat.

§. V.

Proponitur vltimum argumentum, & exponitur prima, & frequentior ſolutio.

106 *Vltimo arguitur.* DENIQVE, vt alia omittamus, in quibus parum, aut nihil difficultatis apparet, in hunc modum arguitur, eſtque potiſsimum ſententiæ oppoſitæ fundamentum: nam Chriſti prædeſtinatio fuit prior decreto producendi creaturas, ſiuè intra ordinem naturæ, ſiuè intra ordinem gratiæ; ſed decretũ producendi creaturas fuit prius decreto permittendi peccatum originale, & quodvis aliud

pecca-

peccatum; ergo prædestinatio Christi fuit prior decreto permissiuo peccati; ac proindè existeret Incarnatio, Christusque veniret, nullo peccato existente. Prima consequentia ex præmissis euidenter colligitur; secunda verò exindè probatur; prius namque in quantum prius non dependet à posteriori: ergo si decretum Incarnationis fuit prius decreto permissiuo peccati, non habuit dependētiam ab illo, & sine illo mandaretur executioni, & consequenter, non existente peccato, existeret Incarnatio. Minor etiam est certa: nam peccatum hominem peccantem supponit, vtporè ab illo causatum: ergo decretum producendi hominē prius fuit decreto permittendi peccatum: ordo namque inter diuina decreta ex ordine obiectorum desumitur, & penès illum pensatur.

Maior probatur primo. Ad Col. Ios. 1. c.

Maiorem autem, ad quam totam difficultatem devolui Auctores oppositi censent, multiplicitèr conantur ostendere, primò ex illo Pauli ad Colossenses *cap.* 1. vbi Apostolus Christū appellat primogenitum omnis creaturæ, quod de Christo vt homine interpretātur Hieronymus, Anselmus, Theophilatus, & alij Expositores cōmunitèr; sed Christus vt homo nō est primogenitus tēpore, cum illius productio tot sæculis plurium creaturarum productionem successerit: ergo est primogenitus omnis creaturæ in intētione, & prædestinatione diuina, & consequentèr illius prædestinatio decretum productionis omnium rerum præcesserit, decretumque Incarnationis prius fuit in mente diuina decreto producendi vniuersum.

107

Secūdo. Ad Eph. 1. cap.

Secundò ex illo Pauli ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso* (id est, in Christo homine, vt notat Hieronymus, & patet ex contextu) *ante mundi constitutionem*: ergo electio prædestinatorum in Christo constitutionem mundi præcessit; sed ly *ante*, non denotat solam antecessionē, & prioritatem electionis, & prædestinationis nostræ ad temporalem mundi productionem, alias nihil designaret magnificum, in quo prædestinati reliquas mundi creaturas excederent, cum etiam decretum producendi cæteras creaturas temporaneam mūdi productionem præcesserit: ergo denotat ānteceſsionem electionis prædestinatorum ad gloriam ad decretum producendi vniuersum: ex quo per euidentem cōsequentiam colligitur, etiam prædestinationem Christi fuisse priorem decreto productiuo vniuersi, cū prædestinatio Christi sit prior prædestinatione nostra, teste D. Thom. *infra q.* 24. in genere causæ finalis, & in genere causæ exemplaris, Christusque exemplar, & finis omnium prædestinatorum.

S. Thō.

108

Tertiò. Prou. 8. Basil. Athan. Naz. Cyrill. S. Aug. Ambr. Hylar. Vincēt.

Tertio ex illo Prouerb. *cap.* 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Et iuxta aliam lectionem: *Dominus creauit me in initio viarum suarum*, &c. Vbi sermonem fieri de Sapientia incarnata, docent Basilius, Athanasius, Nazianzenus, Cyrillus, Augustinus, Ambrosius, Hylarius, & alij plures, quos refert noster Vincentius *relectione de gratia Christi q.* 6. *pag. mihi* 624. ergo Verbum Incarnatum fuit initium viarum Dei, ideſt, omnium operum ipsius; sed non fuit initium in temporaria rerum executione, cum post multa iam creata Verbū assumpserit carnē, & Christus productus fuerit: ergo fuit initiū viarum, & operum Dei in intentione diuina vt finis omnium, quæ ab æterno Deus decreuit producere, & consequentèr decretum Incarnationis, seu Christi prædestinatio decretū productionis omnium rerum in diuina mente præcessit.

109

Quarto.

Denique id probant ratione à priori; omnis enim ordinatè volens prius vult finē, & ex medijs prius vult illa, quæ fini sunt propinquiora; sed ad manifestationē bonitatis diuinæ, quæ est finis à Deo intentus in vniuersali rerum productione, iuxta illud: *Ego sum Alfa, & Omega, principium, & finis*; & illud: *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*, ideſt, propter suæ bonitatis, & attributorum manifestationem, vt communitèr exponitur, propinquius se habet Incarnatio Verbi, quam omnes aliæ creaturæ, siuè naturalis ordinis, siuè

Apoc. vltim.

ordi-

ordini, ſupernaturalis, & gratiæ, cum Incarnatio omnes illas excedat in perfectione, & id, quod perfectius eſt, magis Dei bonitatem oſtentet, & conſequentèr magis ad illius manifeſtationem accedat: ergo Deus ſemper ordinatiſsimè volens prius intendit manifeſtationem bonitatis ſuæ, & immediatè Incarnationem Verbi decreuit, poſt ipſam ordinem gratiæ, qui eſt ordine naturæ perfectior, & tandem ordinem naturæ; ac proindè prædeſtinatio Chriſti, ſeu decretum Incarnationis Verbi in mẽte diuina fuit prius decreto productionis vniuerſitatis rerũ: ex quo vlterius fit, vt decretum Incarnationis prius fuerit decreto permiſſiuo peccati, quia, vt *ſupra* argumentabamur, decretum producendi hominem neceſſariò debet decretũ permittendi peccatum præcedere, & cõſequentèr, ſi decretum Incarnationis præceſsit decretum producendi hominem, præceſsit etiam decretum permittendi peccatum.

II O. *Soluitio quorũdà Thomiſtarum. Ad primum teſtimoniũ reſpondent. M. Vincent.*

Huic argumento non eſt vna noſtrorum Thomiſtarũ reſponſio. Cornejo, Illuſtriſsimus Araujo, & plures alij cum Vazquez *vbi ſupra* reſpondent, negando maiorem: ad primum teſtimonium reſponderi ſolet primò, verba Pauli referenda eſſe non ad humanitatem Chriſti, ſed ad ipſius diuinitatem, qualitèr illa intellexiſſe Ambroſium, Auguſtinum, Chriſoſtomũ, & Baſilium teſtatur Vincentius *q. 6. relata pag* 703. Vel admiſſo iuxta alios Patres verba Pauli ad humanitatem Chriſti referri, dicunt, vocari Chriſtum primogenitum omnis creaturæ, non ratione præceſsionis in duratione temporali, vel in æterna Dei prædiffinitione, ſed ratione prioritatis in dignitate; quia Verbum Incarnatum omne, quod Deus decreuit producere, in dignitate excedit. Ita ex Hieronymo refert Vincẽtius *pag.* 705. Vel deniq; aiũt, vocari Chriſtũ à Paulo primogenitũ omnis creaturæ, ideſt, prius prædeſtinatum, non ita, quòd præcedentia ſit ad omnium creaturarum productionem, vel ad decretum producendi vniuerſum, ſed ad prædeſtinationem illarum, quæ ad gloriam electæ fuerunt, nempè hominum, & Angelorum: ex qua præcedentia non ſequitur, decretum Incarnationis præceſsiſſe decretum permittendi peccatum originale; quia licet neceſſum ſit, quòd decretum producendi hominẽ decretum permittendi peccatum præcedat, non tamen eſt neceſſarium, electionem hominum ad gloriam priorem eſſe decreto permiſſiuo peccati: ac proindè ex eo, quòd prædeſtinatio Chriſti, ſeu decretum Incarnationis electionem hominum ad gloriam præceſſerit, non ſequitur, præceſsiſſe decretum permittendi peccatum, quod contrarij Auctores ſuo argumento conantur oſtendere. Hanc interpretationem colligit ex Athanaſio Vincentius *vbi ſupra pag.* 704.

III. *Ad ſecũdum.*

Ad ſecundum teſtimonium duplex interpretatio à prædictis Auctoribus adhibetur. Prima eſt, particulam illam *ante* non dicere anteceſsionem ad decretum creationis vniuerſitatis rerum, ſed ad temporalem mundi executionem, nec impugnatione ibi facta hæc interpretatio falſitatis conuincitur; ſenſus enim Pauli eſt, Deum prædeſtinatos elegiſſe in Chriſto ante mundi temporalem creationem electione principali, cui comparata aliarum rerum electio pro nihilo cenſebatur in æſtimatione diuina, ad quod facit illud, quod Sapientia *Prouerb.* 8 dicens introducitur: *Eram ludens coram illo per ſingulos dies, nempè ſex creationis cæterarum rerum, & deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum*, ideſt, vt acutè notat Vincentius, idcirco in aliarum rerum diſpoſitione ludebam, quia deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum. Vel ſecundò admittendo particulam illam *ante* ſumi per comparationem, nõ ſolum ad executionem mundi temporalem, ſed etiam ad decretum producendi vniuerſum, non tamen dicere prioritatem durationis, aut præcedentiam naturæ, ſed principalitatem electorũ in Chriſto, & maiorem dignitatem, qua electi cæteras creaturas excedunt. Quo ſenſu interpretatus eſt Auguſtinus illud Ioannis cap. 1. *Qui poſt me venit, ante me factus eſt*, ideſt, me dignior, & mihi Prælatus.

Prou. 8.

M. Vincent.

S. Aug. Ioann. 1. cap.

latus. Ex eo autem, quòd electio prædestinatorum hac prioritate decerum productionis cæterarum rerum præcedat, non sequitur, prædestinationem Christi, aut decretum Incarnationis, quod natura præcesserit electionem prædestinatorum ad gloriam, fuisse prius natura decreto producendi vniuersum, permittendique peccatum; quia, vt hæc consequentia teneret, oportebat, vt præcedentia electionis prædestinatorũ ad gloriam ad decretum producendi vniuersum esset præcedentia naturæ.

112. *Ad tertium.*

Ad tertiam testimonium Authores huius solutionis, & istius modi dicendi duplicem etiam adhibent interpretationem. Primò, ibi sermonem esse non de Sapientia incarnata, vel de Christo quatenus homine, sed de Sapientia increata, quæ est initium viarum, & operum Dei; quia in Verbo, quod est Patris Sapientia, condita sunt vniuersa, iuxta illud Geneſis 1. cap. *In principio creauit Deus Cœlum, & Terram*, ideſt in Verbo, vt plures litteraliter interpretantur, vndè Hieronymus verba *ex Prouerb. cap.* 8. contra nostram conclusionem, & in probationem maioris adducta, refert ad æternam Verbi generationem. Quia tamen plures Ecclesiæ Patres testimonium illud accipiunt de Sapientia incarnata, secunda interpretatio est, Christum dici, & esse initium viarum Dei, ideſt, operum redemptionis, & prædicationis Euangelicæ ratione humanitatis, & omnium creaturarum ratione diuininatis. Ita Cyrillus *lib. 5. thesauri cap. 7. & 8.* & Hieronymꝰ ad verba allegata *ex Proueb. cap. 8.* sic dicens: *Quod diuinum Verbum secundum diuinitatem principium fuit omnium operum Dei ad ordinem vniuersi spectantium; Sapientia vero incarnata fuit prior his, quæ ad gratiam, & Euangelium attinent, & ob hoc dicitur initium viarum Dei.* Ex quo solum sequitur, prædestinationem Christi, seu decretum Incarnationis Verbi in diuina mente præcessisse decretum Euangelicæ prædicationis, & gratiæ, non autem quòd præcesserit decretum producendi vniuersum, nec decretum permittendi peccatum originale.

Gen. 1. c.

Cyrill.

113. *Ad vltimã probationẽ.*

Ad vltimam probationem sumptam a ratione respondent præfati Authores, veram esse maiorem de illis medijs, quæ sunt fini propinquiora ordine causalitatis: ita vt alia in ordine ad finem consequendũ dependeant ab ipsis; hæc namque ab intendente finem, vt ordinatè procedat, prius debent intendi; falsum verò de ijs medijs, quæ sunt fini propinquiora solũ ordine perfectionis, & non ordine causalitatis: Christus autem, licet sit perfectior vniuerso, & ordinem gratiæ excedat, & consequenter sit magis diligibilis à Deo, quam omnia alia, quæ producere decreuit, tùm intra ordinem naturæ, tùm intra ordinem gratiæ; non tamen est propinquior fini à Deo intento in rerum productione ordine causalitatis ita, vt res naturales, & ordinis gratiæ in attingendo finem à Deo intentum, nempè suæ bonitatis, & attributorum manifestationem, à Christo vt intermedio fine dependeant, sed se ipsis immediatè ad prædictum finem conducunt, Dei bonitatem, & attributa ostentando per suas proprias entitates: ac proindè potuit Deus vel omnia simul decernere sine eo, quòd vnum ad aliud ordinaret, vel minus perfectum ad magis perfectum ordinando, vel deniq; magis perfectum ordinare ad id, quod minus perfectum est. Cumque totum hoc in Dei libera voluntate sit positum, & ab eius libera dispositione dependens, qualitèr de facto contigerit, ex Scripturis est venãdum, & quia ex illis constat, Deum in remedium peccati, & propter nos ab illo redimẽdos Christi adventum, & Incarnationem Verbi decreuisse, inferunt præfati Authores, asserendum esse, Deum nõ prius prædestinasse Christũ, quam decreuerit vniuersum producere, & peccatum, in cuius remedium fuit missus, permittere, sed è contra prius decreuisse vniuersi productionẽ, permissionemque originalis peccati, & postea Christum prædestinasse.

114. *Ordo de*

Iuxta quam solutionem sic disponuntur, ordinanturque diuinæ mẽtis decreta. Postquã Deus scientia simplicis

cretorū iuxta istos Auctores.

plicis intelligentiæ omnia possibilia cognouit, suæ bonitatis, suorumque attributorum manifestationem decreuit. Deindè, ad hunc finem consequendum, & ex intentione illius ex pluribus possibilibus hunc mūdum, seu vniuersum elegit ex diuersis rerū gradibus, & naturis cōpositum. Tertiò decreuit naturam intellectualem donis gratiæ exornare, suæque libertati relinquere. Quartò voluit homini peccatum permittere: tùm, vt suæ prouidentiæ suauitatem ostenderet: tùm, vt hominis elationi succurreret, superbiam euitaret, illi manifestando gratiam non à se, sed à Deo liberalitèr concessam habuisse. Tùm denique ob alios fines soli sibi manifestos. Quintò, misericordia tactus potens multis modis hominis peccatum destruere, vel purè misericorditèr illud condonando, vel satisfactione imperfecta contentus, quæ à puro homine poterat exhiberi, modo conuenientissimo peccati deletionē, & remedium nostrum decreuit, scilicet, per æquivalentem, & eōdignam satisfactionem. Sextò videns, ad hunc finem consequendum impares esse, siuè hominū, siuè Angelorum vires, Verbum in natura humana mittere voluit, illiusque Incarnationem decreuit, vt homo, aliàs victus, Dæmonē superaret. Septimò, Christum Deum, & hominē ad esse Filij Dei naturalis prædestinauit. Ac tandem in Christo quosdam ex hominib⁹ elegit, & efficacitèr destinauit ad gloriam, alijs in massa perditionis iusto Dei iudicio, nobisque occulto relictis. Iuxta quem dispositionis ordinem Christus solum respectu prædestinationis hominum, & effectuū illius habuit in diuina mente antecessionem, prioritatemque naturæ, non autē respectu rerum naturalium, nec respectu supernaturalium ad solam prouidētiam generalem spectātium, saltim via, & ordine intentionis, quidquid sit, an prout in executione dona gratiæ ad prouidentiam generalē spectātia per Christū collata fuerint. Ita satis probabilitèr in diuinis decretis statuēdis, & ordinandis, & in nostra defensanda sententia discurrunt allegati Thomistæ, quos plures alij sequūtur. Cæterum licet sic theologizando sufficientissimè argumentis Scoti occurratur, vt consonantius ad ea, quæ *tract. de prædestinat.* docuimus, in præsenti discurramus, & vt ordinē decretorum Dei iuxta ibidem dicta disponamus, alia via à Nobis est procedendum.

§. VI.

Occasione vltimi argumenti statuitur secunda conclusio, & explicatur ordo de facto inter diuina decreta seruatus.

SECVNDA CONCLVSIO. Ordine intentionis prius fuit volitus Christus, nō solum quoad substantiam Incarnationis, sed etiam quoad circūstantiam proximæ passibilitatis, & vt actualis Redemptor, quam res ordinis naturalis, & pertinētes ad ordinē gratiæ, & permissio peccati in genere causæ finalis; posterius tamen in genere causæ materialis. In prima huius conclusionis parte consentiunt Scoto, docti D. Thomæ Discipuli. Magister Medina *in hac q. art. 2. solutio ad 2.* Vincentius *relect. de gratia Christi q. 6. pag. 629.* Cabrera *disp. 1. §. 25.* Lorca *disp. 10. §. 35.* Nec dissentientes, nec positiuè assentientes alijs partibus nostræ conclusionis. Illam quoad omnes partes, docuit Nazarius *in præsenti controuers. vnic. concl. 2.* sequutus sapiētissimū Magistrum Fratrem Petrū de Herrera bis in Salmanticēsi Vniuersitate Primarium, Episcopum Tarazonensem *in manuscriptis ad istum articulum.*

Primam partem conclusionis probabilitèr satis ostendit argumentum vltimum facti pro sententia Scoti: ordinatè namque volens prius vult finem,

115. *Secūda conclusio.*

Medin. Vincēt. Cabrer. Lorca.

Nazar.

M. Herrera.

116. *Prima pars cōclusionis Prob. 1.*

finem,& ex illo ea,quæ fini sunt propinquiora; sed fini primo intento per diuinam voluntatem in productione vniuersi,nempè,suæ bonitatis,& attributorum manifestationi,propinquius humanitas Christi accedit, quã res aliæ ad ordinem vniuersi spectantes,vtpotè in qua ratione vnionis ad Verbum plus perfectionis eluceat,& omnia dona gratiæ plenissimè effusa fuere ita, vt sola humanitas Christi plus gratiæ participauerit,quam tota hominum,& Angelorum collectio: ergo Deus semper ordinatissimè, & sapientissimè volens,prius ordine intentionis humanitatem Christi dilexit, quam omnem aliam creaturam. Cuius argumenti efficacia ex dicendis apparebit.

117. *Secũdo.* Deinde suadetur ex ijs,quæ *tractatu de prædestinatione articulo secundo* docuimus,nempè, substantiam prædestinati,& alias res vniuersi ad finem prædestinationis deseruientes,esse effectum prædestinationis ex illius proprio, & peculiari fine à Deo electas, vel imperatas,quod non leuiter deduximus ex illis verbis Pauli *primæ ad Corinthios cap. 3. Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* 1.*ad Corinth. c.* 3. In quibus verbis non leuiter insinuatur, quòd sicut Christus ratione humanitatis est Dei tanquam Finis, ob quem,& ratione cuius Deus humanitatem amauit,& produxit: ita prædestinati sunt Christi quatenus hominis,& alia ad vniuersum spectãtia prædestinatorum sunt.

Quam intelligentiam, & Pauli interpretationem ibidem ex Diuo Thoma deduximus *in primo Sententiarum distinctione 41. quæstione prima.* S.Tho. Sed prædestinatio nostra est posterior prædestinatione Christi in genere causæ finalis, & exemplaris, vt constabit ex dicendis *infra tractatu de merito Christi*, nec ab aduersarijs negatur: ergo decretum productionis rerum posterius est in genere causæ finalis prædestinatione Christi,& consequenter ordine intẽtionis prius fuit volitus Christus quoad substantiam Incarnationis,quam omnia alia ad ordinem vniuersi spectantia.

Denique eadem pars conclusionis probatur: nam intentio finis prior est in genere causæ finalis electione, aut volitione omnium, quæ ordinantur ad ipsum, vt omnibus est in confesso; sed Christus quoad substantiam Incarnationis est finis omnium, quæ diuina omnipotentia produxit, siue ad ordinem naturæ, siue ad ordinem gratiæ spectantia: ergo Christus quoad suæ Incarnationis substantiã prius fuit ordine intentionis volitus, & prius in genere causæ finalis amatus à Deo,quam res ordinis naturæ,& ordinis gratiæ,& quam ipsa permissio peccati.

118. *Tertio.* Consequentia cum maiori tenet; minor autem probatur: potuit enim Deus vniuersi productionem decernens Christum quatenus hominem intendere vt finem proximum omnium,quæ decreuit producere,in quo nemo poterit inficiari,cum in eo nulla repugnantia inueniatur,& aliàs sic intẽdi Christum vt hominem in illius gloriam cedit: ergo sic fuit intentus de facto.

119. *Respondebis.* Dices, Deum de potentia absoluta,& in alio rerum ordine, seu in alio ordine decretorum rectè potuisse decernere Christum vt hominem,illum què intendere vt finem omnium,quæ decreuit producere, & hoc ratione facta conuinci, quia in tali modo se habendi nulla implicatio inuenitur; id tamen non potuisse contingere secundum ordinem decretorum, quæ ex reuelatione cognoscimus, ex quibus habetur, Christum quatenus hominem ob remedium peccati decretatum,& volitum fuisse à Deo, vt constat ex illis verbis Symboli Nicænæ: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est, &c.* *Symb. Nicæn.* Cum quo non compatitur, decretum Incarnationis non supponere peccatũ præuisum, nec Christum vt hominem intentum esse, vt finem permissionis peccati; ac proinde nec de facto fuit intentus, vt finis aliarum rerum ad ordinem vniuersi spectantium, quæ supponuntur ante peccatum præuisæ.

120 *Contra.*

Sed contra; nam remedium peccati secundum ordinem statutum de facto non fuit volitum à Deo vt finis, cuius gratia prædestinationis Christi, nec decreti Incarnationis, sed tantum vt finis effectus; sed stat bene, vt id, quod est finis effectus respectu alicuius sit effectus eiusdem, vt finis, cuius gratia, ergo ex ordine decretorum, quæ ex reuelatione cognoscimus, & quæ de facto in diuina mente inueniuntur, nulla repugnantia colligitur, vt Christus quatenus homo fuerit intentus à Deo, vt finis permissionis peccati, & vt finis illarum rerum, quæ ad peccatum supponuntur præuisæ.

Maior probatur primo.

Consequutio tenet; præmissæ autem indigent probatione. Maior ostenditur primò: nam esto Christus vt homo non solum libertatem hominum à peccato causauerit, sed etiam aliquorum hominum gloriam, nempè, prædestinatorum, & ad illam Christi merita à Deo fuerint ordinata; non tamen illam vt finem cuius gratia, sed tantum vt finem effectus Christi merita inspexerunt, aliàs Christus, & illius merita essent nostræ prædestinationis effectus: cuius falsitas ex dicendis *tractatu de prædestinatione* constabit, illamque fatentur Authores Nobis in hac parte contrarij: ergo quamvis Christus vt homo à Deo ordinatus fuerit ad redimendum nos à peccatis, & ob remedium peccati volitus de facto ab ipso; non tamen remedium peccati fuit finis, cuius gratia, sed solum finis effectus prædestinationis Christi, & decreti Incarnationis.

121. *Secùdo.*

Deindè probatur maior: nam finis, cuius gratia siuè vltimus sit, siuè proximus, magis diligitur ab intendente finem, quam id, quod ob illum amatur, & illius gratia eligitur, cum sit ratio diligendi illa, quæ ordinatur ad ipsum, & propter quod vnumquodque tale, & illud magis, vt docet commune axioma; sed maximum inconueniens videtur, dicere Christum vt hominem minus fuisse à Deo dilectum, quam libertas hominum à peccato, imò fortè est impossibile, cum Dei dilectio cum dignitate obiecti metiatur, & cum illa adæquetur: ergo remedium peccati, & libertas nostra ab illo non fuit finis, cuius gratia prædestinationis Christi, sed solum finis effectus, nec de facto Deus Verbi Incarnationem decreuit propter remedium peccati tanquam finem, cuius gratia Incarnationem dilexit.

122. *Tertio.*

Denique eadem maior probatur: etenim de diuinis decretis semper discurrendum, & theologizandum est consentaneè ad rerum naturas, nisi oppositum sit reuelatum, vel ex reuelatis colligatur; Deus namque lege communi se attemperat rerum naturis, cum illisque conformatur; sed Christum quatenus hominem ad remedium peccati vt ad finem, cuius gratia ordinari, & illius gratia eligi, non est consonum rerum naturis, cum remedium peccati longè in perfectione excedat, in Deique æstimatione, & natura id, quod perfectius, & æstimabilius est ad imperfectius vt finem, *cuius gratia* non ordinet, sed solum vt finem *cui*, seu effectus: ergo asserendum non est, Christum secundum quod homo, fuisse ad remedium peccati vt ad finem, cuius gratia ordinatum, & à Deo amatum gratia libertatis nostræ à peccato, nisi hic modus decernendi Incarnationem reuelatus sit in Scriptura, vel ex reuelatis in illa inferatur, ad quod affirmandum vrgens fundamentum non est.

123. *Respondebis.*

Respondebis, modum istum decernendi Incarnationem, Christumque vt hominem eligendi ob remedium, libertatemque à peccato tanquam finem, cuius gratia, etsi expressè reuelatus non sit; sufficienter tamen colligi ex Symbolo Nicæna, illis verbis: *Qui propter nos homines & propter nostram salutem, &c.* Quibus apertè docetur, fuisse à Deo decretam, volitamque Incarnationem propter remedium peccati, & vt nos ab illo redimerentur: Ly autem *propter*, si propriè accipiatur, vt debet, denotat, remedium peccati fuisse Incarnatio-

Symb. Nicæn.

nationis finem, veramque causam finalem: cumque ratio causæ finalis soli fini, cuius gratia conueniat, non autem fini effectus, qui propriè causa finalis non est, fit consequens, quòd ex verbis Symboli cum vrgenti fundamento inferatur secundum ordinem decretorum, quæ de facto in diuina mente existunt, fuisse Incarnationem volitam, & decretatam à Deo propter remedium peccati tanquam finem, cuius gratia.

124 *Reijcitur solutio.*

Sed contra: nam verba Symboli sufficienter explicantur, si libertas nostra à peccato sit finis effectus Incarnationis: ergo ex illis absque vrgenti fundamento colligitur, Deum decreuisse Incarnationem, illamque elegisse vt medium ad remedium peccati, vt ad finem, cuius gratia ordinatum: qui modus decernendi Incarnationem rerum naturis non consonat. Antecedens, in quo est difficultas, probatur. etenim substantiam esse propter suam operationem, quod ex Philosopho communiter acceptatur, vt verum, sufficienter explicatur ly *propter* dicente finem effectus, & non finem, cuius gratia, eo quòd substantia est operatione perfectior: ergo pariter ly *propter* assertum à Symbolo Nicæna sufficienter explicatur de fine, *cui*, vel effectus, loquendo de remedio peccati comparato cū substantia Incarnationis, eo quod ab illa in perfectione, & in dignitate excedatur, nec debet cum maiori proprietate explicari; ac proindè vera manet maior argumenti facti, nempè, secundum ordinem decretorum de facto existentium in Deo non fuisse remedium peccati finem, cuius gratia Incarnationis, sed solum finem effectus.

125. *Minor principalis argumenti probatur* 1.

Deindè minor principalis ostenditur primò: nam esto substantia prædestinati sit finis *cui* respectu beatitudinis propriè, vtpotè subiectum, cui Deus vult beatitudinem, est effectus eiusdem beatitudinis, vt finis, cuius gratia Deus illam decreuit producere, vt *tractatu de prædestinatione articulo secundo dubio secundo*, docuimus: ergo esto remedium peccati respectu Incarnationis fuerit finis effectus, potuit esse effectus illius tanquam finis, cuius gratia.

Secundò.

Deindè, quia, vt proximè dicebamus, & ex Aristotele communiter accipiunt Philosophi, substantia quælibet est propter suam operationem, vt finem effectus; & tamen operatio est propter substantiam tanquam finem, cuius gratia; sicut etiam proprietates consequentes ad substantiam illam vt finem cuius gratia respiciunt: ergo idem, quod prius.

126. *Tertio.*

Deniq; nā licet in eodē genere infimo causæ, ideſt, in genere causæ non diuisioili in diuersos modos causandi non admittatur inter eadem extrema mutua, & reciproca causalitas, at in eodem genere subalterno, diuisibilique in diuersos specie modos causandi optimè potest mutua, & reciproca causalitas inter duo intercedere: vndè videmus, quòd forma causat materialiter dispositiones, vtpotè, subiectum illarum, & dispositiuè causatur ab illis: qui duo modi causandi pertinent ad genus causæ materialis; potentia specificatur ab actu, & actus paritèr à potentia; quia prima specificatio est potentiæ ab actu per modum effectus: secunda autem specificatio est actus à potentia per modum principij. Gratia etiam *vt quo* recipit vltimas dispositiones, & consequentèr illas causat materialitèr receptiuè; & tamen dispositiuè causatur ab illis: quæ causatio etiam est materialis; sed finis effectus, & finis, *cuius gratia*, etsi in genere finis cōueniant; non tamen minus distant in modo finalizandi, quam potentia, & actus in modo specificandi, formaque, & dispositiones in modo materializandi, vel causandi materialitèr: ergo id, quod est finis effectus respectu alicuius, potest ab illo, vt à fine, cuius gratia causari, & consequentèr, quamvis remedium peccati fuerit finis effectus Incarnationis, potuit Incarnatio esse finis, *cuius gratia* illius; ac proindè in diuina intentione precedere permissionem peccati originalis, in cuius remedium

fuit à Deo, vt ad finem effectus ordinata.

127 *Secunda pars cõclusionis probatur.*

Et ex his suadenda est secunda pars conclusionis, qua asserimus, Incarnationem secundum circumstantiam proximæ passibilitatis fuisse ordine intentionis priorem, quam res ordinis vniuersi, & quam permissio peccati. Scotus namque ideò docet, Incarnationē quoad substantiam esse finem præintentum à Deo, & in ordine intentionis priorem decreto productionis rerum, & decreto permissiuo peccati, quia Incarnatio quoad substãtiam his omnibus est perfectior; sed etiam Incarnatio quoad circumstantiam proximæ passibilitatis illa in perfectione excedit: ergo etiam quoad hanc circumstantiam fuit Incarnatio vt illorum finis præintenta, & consequẽtèr illa ordine intentionis in diuina mente præcesit.

Minor, in qua est difficultas, probatur: excessus namque Incarnationis Christi substantialitèr acceptæ respectu omnium creaturarum sumitur ex vnione ad Verbum, in qua omnes creaturas præcellit; nam humanitas Christi accepta secundum se non est Angelo perfectior, cum sit eiusdẽ rationis cum humanitate nostra, quam natura Angelica superat in perfectione, & consequentèr etiam Christi humanitatem excedit, si secundum se, & præcisiuè ab vnione ad Verbum sumatur. Sed non solum substantia humanitatis, sed etiam accidens, vel circumstantia passibilitatis proximæ fuit Verbo hypostaticè vnita: Verbum namque humanitatem proximè passibilẽ sumpsit, & consequentèr passibilitatem proximam sibi hypostaticè vniuit: ergo non solum Incarnatio quoad substantiam, sed etiam quoad circumstantiam proximæ passibilitatis excedit in dignitate omnia, quæ à Deo creata fuerunt, & consequentèr debuit omnia illa in diuina intentione præcedere Christus, non solum vt homo, sed etiam vt homo passibilis, loquendo cõsequentèr ad principia Doctoris Subtilis.

128. Ex his etiam ostenditur tertia pars cõclusionis, qua asserimus, Christum non solum vt passibilem proximè, & vt Redemptorem in actu primo, sed etiam vt actualiter Redimentem præcessisse in intentione diuina res ordinis naturalis, & pertinentes ad ordinem gratiæ, permissionemque originalis peccati. Christus namque etiam vt actualis Redemptor, vel vt Redimens actualiter est dignitatis simplicitèr infinitæ, & consequentèr excedens in dignitate omnia, quæ à Deo creata fuerunt, siue naturalis ordinis sint, siue gratiæ: at ratio, ob quam iuxta Scotum Incarnatio quoad substantiam omnia à Deo creata in diuina mente ordine intentionis præcessit, est, quia sic sumpta illa in dignitate excedit: ergo, vt consequentèr loquatur, debet eandem præcessionem Christo, vt actualitèr Redimenti concedere, asserendo, Christum sic sumptum fuisse omnium illorum finem, à Deoque vt illorum finem intentum.

Tertia pars conclusionis probatur primo.

Deinde probatur: nam permissio peccati originalis non videtur decens fuisse, quod ex solo fine ostẽdendi suauitatem diuinæ prouidentiæ eligeretur; licet namque ad ostensionem suauitatis prouidentiæ diuinæ pertineat permittere, quod natura defectibilis libera in aliquibus indiuiduis deficiat, & à rectitudine deuiet; quod autem in omnibus indiuiduis deficiat, non videtur eligibile ex solo prædicto fine, videlicet ostendendi suauitatem diuinæ prouidentiæ: peccatum autem originale fuit defectus omnium indiuiduorum humanæ naturæ: etenim peccante Adamo, omnes nos in illo voluntate capitis peccauimus: ergo non fuit eligibile ex solo fine ostendendi suauitatem prouidẽtiæ diuinæ, nec ex alio fine congruentius potuit eligi à Deo, quam ex motiuo tam excelsi boni, nempè, Christi Redemptoris, & consequentèr Incarnatio Verbi finis fuit permissionis peccati originalis, illamque in mente diuina ordine intentionis præcessit.

129. *Secundo.*

Denique probatur: vt enim *tractatu de diuina prædestinatione artic. secundo*, latè docuimus, permissio peccati personalis est in electis effectus

130. *Tertio.*

per-

prædestinationis ipsorum ex præelecta pœnitentia, non obstante, quòd pœnitentia essentialitèr præsupponat peccatum, illudque essentialitèr concernat, vt materiam destruendam: ergo paritèr permissio peccati originalis fuit à Deo electa, & volita ex præintento Christo vt Redemptore, & ob illum tanquam finem. Quod satis insinuasse videtur D. Thom. *in hac quæstione artic. tertio ad tertium*, illis verbis. *Nihil autem prohibet ad aliquid maius humanam naturam productam esse post peccatum; Deus enim permittit mala fieri, vt indè aliquod melius eliciat: vndè, dicitur Romanor. 4. Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. Et in benedictione cærei Paschalis dicitur: ò felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem!* Hæc Divus Thomas. Ex quibus sic argumentum factum confirmo: Deum permittere mala fieri, vt indè eliciat aliquod maius bonum, est ex talis boni intentione permissionē eligere, si in rigore verba accipiantur; sed, vt ex verbis Diui Thomæ relatis manifestè colligitur, Deus permisit peccatum Adami, vt indè tantum bonum eliceret, nempè, Incarnationis bonum, Christumque Redemptorē, nisi velimus Angelicum Præceptorem extra rem fuisse loquutum: ergo sentit, Christum vt Redemptorem fuisse finem, ex cuius intentione Deus elegit permissionem peccati originalis, illudque permisit: sicut *loco proximè allegato* asseruimus, ex præelecta pœnitentia prouenire in electis permissiones peccatorum personalium; cum hoc tamen discrimine, quod *ibidem* satis insinuauimus, nempè, quòd pœnitentia non præintenditur, sed solum præeligitur ante permissionem peccati personalis; Christus autem vt Redemptor fuit ante permissionem peccati originalis præintentus vt finis. Et huius discriminis ratio est: nam pœnitentia non est adeò magnum bonum, vt propter illam tanquam finem ratione sui intentum, tantum malum, quantum est peccatum, prudentèr permitti possit, sed solū propter alios vberiores fines, ad quos pœnitentia conducit: vndè, non ex illa intenta vt fine, sed assumpta vt medio ad prædictos fines consequendos peccatum permitti valet: Christus autem vt Redemptor est bonum excellentissimum, infinitique dignitatis, & æstimabilitatis: vndè, mouere potuit vt finis ratione sui amatus ad eligendam permissionem originalis peccati.

S.Tho.

131. *Quartò.* Tandem vltima pars nostræ conclusionis probatur: nam Christus ex vi decreti intentiui, quod de facto fuit in Deo, est volitus tanquam caput hominum per deriuationem gratiæ redemptiuæ; sed vt sic non potuit intendi, nisi præuiso homine vt redimēdo, & vt materia perficienda per gratiā, & peccato vt materia per ipsam destruēda, cum gratia redemptiua essentialitèr respiciat hominem vt materiam perficiendam, peccatumque vt destruendum, & vtrumque vt sic essentialitèr præsupponat, & ab vtroque vt materia in suo genere essentialitèr dependeat: ergo decretū intentivum Christi posterius fuit permissione peccati in genere causæ materialis, & etiā homine redimendo, & consequentèr homo, & peccatum in genere causæ materialis decretum intentivum Incarnationis præcedunt.

132. *Cōfirmatur.* Quod amplius vrgetur: Christus namque ex vi prædicti decreti fuit volitus vt Redemptor, vt *in secunda parte conclusionis* docuimus, & vt hominem à peccato redimeret, & consequentèr propter remedium peccati vt finem effectus; sed intentio redimendi hominem à peccato peccatum præuisum vt materiam destruendam essentialitèr supponit, & hominem vt materiam perficiendam per gratiam redemptiuam, & vt finem *cui* vtilitatis: homo namq; est, cui vtilitas ex gratia redemptiua consequitur: ergo decretum intentivum Incarnationis Verbi, Christique Redemptoris, etiā in ordine intentionis, supponit præuisionem peccati destruendi per Christum vt Redemptorem, & præuisionem hominis per gratiam redemptiuam perficiendi in genere causæ materialis.

133. *Ad vltimũ argumentum respondetur primo.*

Et consequenter ad dicta inter probandam nostram conclusionem ad argumẽtum vltimum factum pro sententia Scoti respondeo, concessa maiori, & minori, distinguendo consequẽs: fuit prior prædestinatio Christi decreto permittendi peccatum originale prioritate *à quo, naturæ, & causalitatis*, concedo consequentiam: prioritate subsistendi consequentia, nego consequentiam; stat enim vna prioritas sine alia, vt constat in decreto intentiuo gloriæ per modum coronæ, quod prioritate naturæ, & causalitatis decretum meritorum præcedere docet Scotus; & tamen non præcedit prioritate consequẽtiæ: non enim dabitur gloria per modum coronæ ex vi prædicti decreti, *nisi* merita præcedant; nusquam enim coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.

134. *Secundò.*

Vel aliter, concessis maiori, & minori, distinguo consequens: præcedit decretum Incarnationis decretũ permissiuum peccati originalis prioritate incõnexa cum futuritione peccati, nego consequentiam: prioritate connexa cum peccati futuritione, cõcedo consequentiam. Quod autem stare possit prioritas vnius ad aliud simul cum connexione cum futuritione illius, respectu cuius est prius, constat *ex dictis*, & in exemplo proximè adducto manifestè conspicitur: decretum namque intentiuum gloriæ, vt coronæ prius est decreto meritorum, & meritis; & tamen cum prædicto decreto, & cum futuritione meritorum necessario connectitur, illaque essentialiter infert.

135. *Tertiò.*

Vel denique concessa prima consequentia absolutè, nego secundam consequentiam, quæ ex priori subinfertur; quia stat optimè prioritas decreti ad decretum, & connexio inter vtrumque, vt mox dicebamus, & *ex dictis* inter probandam nostram conclusionem manifestè colligitur; ac proindè ex eo, quòd decretum intentiuum Incarnationis fuerit prius decreto permissiuo peccati, perperam infertur, Incarnationem esse futuram, Christumque venturum ex vi talis decreti, nullo existente peccato, aliàs liceret ex prioritate intentionis gloriæ vt coronæ ad decretum electiuum meritorum inferre gloriam dandam vt coronam ex vi prædictæ intentionis, quamvis nulla existerent merita: & ex prioritate decreti Incarnationis ad decretum productionis rerum liceret colligere futuram Incarnationem, & venturum Christum ex vi præsentis decreti, nulla existente creatura, quorum vtrumque esse falsum constat *ex dictis*, & fatentur Authores contrarij.

§. VII.

Tribus obiectionibus contra istam conclusionem occurritur.

136. *Contra istam solutionẽ, & tertiã partem cõclusionis arguitur primo.*

SEd contra hanc solutionem, & contra tertiam partẽ nostræ conclusionis obijciunt Authores oppositi primò: nam licet possit aliquid esse prius alio prioritate *à quo, naturæ, & causalitatis*, & simul cum illo simultate consequentiæ; si tamen Incarnatio esset prior in genere causæ finalis, quam permissio peccati, nulla posset ratione probari simultas cõsequentiæ cum illa: ergo vel prædicta prioritas admittenda non est, vel illa admissa, est neganda simultas consequentiæ inter decretum Incarnationis, & decretum permissiuum peccati, & consequenter dicendum, esse Incarnationem futuram, Christumque venturum nullo existente peccato.

Vtraque consequentia ex antecedenti colligitur; antecedens autem probant: si namque dicta prioritate admissa inter Incarnationem, & permissionem peccati aliqua ratione probaretur simultas consequentiæ inter illas, maximè, quia eodem actu diuinæ voluntatis fuerunt volitæ Incarnatio,

natio, & permissio peccati; at hæc ratio est nulla, aliàs eodem modo probaretur; musca non existente, Incarnationem non esse futuram, nec Christum venturum, cum eodem actu voluerit Deus muscæ productionem, & Incarnationem Verbi, & consequentèr frustrà omninò à Theologis quæstio ista grauissima agitaretur de peccato originali, an, scilicet, ipso non existente, Incarnatio esset futura, cum de qualibet creatura posset eadem quæstio agitari? Ergo, data prioritate prædicta, non stat simultas consequentiæ inter aduentum Christi, & existentiam culpæ originalis ex vi præsentis decreti. Sic arguit Illustrissimus Araujo *in præsenti articulo dubio vnico concluſ. 4.*

Araujo.

137. *Respondetur.*

Cuius argumento respondeo, negando antecedens; ad illius probationem, nego maiorem, seu causalem in maiori assignatam, sed ratio dictæ simultatis est, quia decretum intentiuum Incarnationis Verbi, non solum fuit terminatum ad substantiam Incarnationis, sed etiam ad circumstantiam proximæ passibilitatis, vt in *secunda parte* conclusionis docuimus, & contra Scotum ex illius principijs monstrauimus. Qua ratione connexionem habuisse cum futuritione peccati, docent Scotus, & Authores, qui illum *in hac parte* sequuntur, sentientes, Verbum in carne passibili non venturum in vi præsentis decreti, non existente peccato. Terminatum etiam fuit ad Christum vt redimentem actu, vt *in tertia parte nostræ* conclusionis docuimus, qua ratione necessariò cum peccato connecti, illudque in ordine executionis essentialitèr præsupponere est certum: etenim redemptio à peccato sine præexistentia peccati esse nequit, nec intelligi; ideoque licet decretum Incarnationis prius fuerit decreto permissiuo peccati, non fuit inconnexum cum illo, nec Christus ex vi talis decreti veniret, nec Verbum carnem assumeret, Adamo non peccante: sicut decretum intentiuum gloriæ, vt coronæ, esto sit prius decreto terminato ad merita, est cum tali decreto connexum, nec gloria in vi illius dabitur, nisi merita in executione præcedant.

138. *Secundò arguitur.*

Secundò arguit Sapientissimus iste Magister ex D. Thom. *in præsenti art. ad quartum argumentum*, quod ita procedebat: *Prædestinatio Dei est æterna; sed dicitur Romanor. 1. de Christo Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute: ergo etiam ante peccatum necessarium erat, Filium Dei incarnari ad hoc, quod Dei prædestinatio impleretur.* Cui argumento ita respondet: *Ad quartum dicendum, quòd prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum: & ideo sicut Deus prædestinat salutem alicuius hominis per orationes aliorum implendam: ita etiam prædestinauit opus Incarnationis in remedium humani peccati.* Hæc Divus Thomas. Ex quibus apertè infertur, Angelicum Doctorē sensisse, quòd prædestinatio Christi supponit præscientiam peccati originalis; sed hæc propositio verificari non potest, si Incarnatio Verbi fuit volita vt finis, propter quem Deus peccatum originale permisit: ergo decretum Incarnationis nō fuit prius decreto permissiuo originalis peccati in genere causæ finalis.

S. Tho.

Minor probatur primo.

Minorem probat dupliciter, primò: nam propterea gloria non præsupposuit præscientiam meritorum in intentione Dei, quia fuit prius volita, quam merita in genere causæ finalis: ergo si Incarnatio fuit prius volita, vt finis, quam permissio peccati, non potuit præsupponere præscientiam illius. Vel si, non obstante hac prioritate, fuit volita Incarnatio ex præuiso peccato, illiusque præscientiam supposuit, nulla est ratio, cur electio prædestinatorum ad gloriam non fiat ex præuisis meritis.

139. *Secundò.*

Secundò probat minorem: nam futura ante Incarnationem præscita habere debent futuritionem completam dependētèr ab omnibus suis causis, nempè, efficiente, finali, formali, & materiali: ergo si permissio peccati ante Incarnationem præscitur, præscitur ante illam vt futura completè, & consequentèr vt pro illo priori extra omnem suam causam, etiā extra

cauſam finalem; at pro illo priori non intelligitur, vt finaliter ab Incarnatione cauſata, cum pro illo priori non intelligatur Incarnatio: ergo eo ipſo quòd Incarnatio, vel decretum intentivum illius præſupponat præuiſum peccatum originale, & conſequenter illius permiſsionem, non poteſt Incarnatio eſſe volita, vt finis permiſsionis talis peccati.

140 *Reſpõdetur primo.* Reſpondeo, teſtimonium hoc D. Thomæ apertè noſtræ ſententiæ fauere; ait enim, quòd ſicut Deus prædeſtinat ſalutem vnius hominis per orationes aliorum implẽdã: ita etiam prædeſtinauit opus Incarnationis in remedium humani peccati; at ſic eſt, quòd Deus talitèr prædeſtinat ſalutẽ vnius hominis per orationes aliorum impleandam, quòd ſalus prædeſtinati eſt finis orationum illius ſalutem iuuantium, vt ex D. Thoma, & ex communi Thomiſtarum ſententia docuimus *tract. de prædeſtinatione art.* 8. vndè, vt *ibidem* monſtrauimus, oratio Stephani fuit effectus prædeſtinationis Pauli: ex quo intulimus, non poſſe omnes effectus prædeſtinationis vnius de lege ordinaria cadere ſub merito alterius hominis puri: ergo ita prædeſtinauit opus Incarnationis in remedium humani peccati, quòd Incarnatio fuit finis remedij peccati, & permiſsionis illius.

141. *Inſtabis.* Sed dices, D. Thomam neutiquã poſſe in prædicto teſtimonio noſtræ ſuffragari ſententiæ; ait enim: quòd ſicut Deus prædeſtinat ſalutem alicuius hominis per orationes aliorum implendam: ita etiã prædeſtinauit opus Incarnationis in remedium humani peccati; ſed in hac comparatione non confert D. Thomas ſalutem prædeſtinati cum opere Incarnationis, & orationes aliorum cum remedio peccati, ſed è contra ſalutem prædeſtinati cõplendam orationibus aliorum comparat cum remedio peccati, media Incarnatione obtinendo, & orationes aliorum, quibus ſalus prædeſtinati completur, comparat cum opere Incarnationis, qua mediante, fuit obtentum remedium originalis peccati: ergo ſicut orationes vnius hominis iuſti iuuantes ad ſalutem alterius, iſtius ſalutem æternam, vt prius intẽtam ſupponunt, & non è conuerſo: ita opus Incarnationis ſupponit remediũ peccati, vt prius in ordine intentionis, & in genere cauſæ finalis; non autem remedium peccati ſupponit intentam Incarnationem, & conſequenter doctrina D. Thomæ *in prædicto teſtimonio*, non poteſt noſtræ ſententiæ fauere. Minor probatur: nam peccatum non iuuauit ad opus Incarnationis, nec ſimilitèr remedium illius, cum non fuerint media, quibus conſequuta fuit Incarnatio; hæc ramẽ ad remedium peccati iuuauit; fuit enim media Incarnatione aſſequutum: ergo Divus Thomas non comparat ſalutem prædeſtinati cum Incarnatione, ſed cum remedio peccati, & orationes vnius iuuantes ad ſalutem alterius cum Incarnatione iuuante ad remedium peccati obtinendum.

142. *Reſpondetur.* Reſpõdeo, negando aſſumptum: ad cuius probationem diſtinguo minorem: quantum ad conducentiam, concedo minorem: quoad modum conducentiæ, nego minorem, & conſequentiam: nam licet Incarnatio conduxerit ad remedium peccati obtinendum, & orationes vnius hominis conducant ad ſalutem æternam alterius, & in hoc aſsimilẽtur, differunt tamen in modo conducendi: nam orationes vnius hominis conducunt ad ſalutem alterius, vt media electa ex intentione efficaci ſalutis illius, vt finis; quo circa *tract. de prædeſtinatione Dei art.* 8. docuimus, orationes vnius, quibus alterius ſalus iuuatur, eſſe effectus prædeſtinationis eiuſdẽ; ac proindè illam vt finem efficacitèr intentum ſupponunt; Incarnatio autem Verbi ad remedium peccati non conducit, vt medium ex illius amore electum, ſed vt cauſa: ac proindè non ſupponit remedium peccati vt finẽ, cuius gratia ſui, ſed illud reſpicit vt finem effectum; ipſa autem eſt finis, cuius gratia permiſsionis peccati originalis, & eiuſdem peccati remedij. Vndè quoad rationem finis ſalus æterna vnius hominis iuſti completa per orationes alterius cõparatur ab Angelico

gelico Doctore cum opere Incarnationis: & in hoc diximus, nostram doctrinam prædicto testimonio iuvari, eique Divum Thomam fauere.

143. *Ad argumentum in forma respondetur.*

Ad argumentum ergo respondeo, negando minorem; ad cuius primam probationem, nego causalem antecedentis vt adæquatam; sed ideo gloria in ordine intentionis non supponit merita præuisa, quia ab illis in tali ordine nō dependet: & hoc ideo, quia causalitas meritorum in gloriā est efficiens moralis meritoria; principium autem meriti non posse sub merito cadere operum procedērium ab ipso, saltem de lege ordinaria, est communis Theologorum sententia, de quo D. Thom. *in 2. Sent. dist. 27. q. 1. art. 4. ad 2. q. 29. de Veritate art. 6. ad 4. 3. Contra Gentes cap. 149. & cap. 159. in hac 3. p. infra q. 2. art. 12.* & passim alijs in locis. Cuius rationem dabimus *tract. de merito Christi.* Et quia intentio gloriæ est principiū, ex quo merita procedunt, fit, quòd à meritis non dependeat, nec ipsa, nec gloria prout illam terminat; ac proinde quòd merita nō præsupponantur præuisa ad gloriam prout in ordine intentionis; dependentia autem Incarnationis à peccato est in genere causæ materialis, eo quòd Christus intentus fuit vt Redemptor; redemptio autem à peccato, ab illo vt materia dependet; ideoque Christus, quatenus primò intentus, peccatum, vt materiam supponit, & illius præuisionem.

Ad primā probationē minoris

S. Tho.

144. *Ad secundam.*

Ad secundam probationem minoris, nego antecedens. Ratio autem, cur vt peccatū supponatur præuisum ad Christum vt redemptorem, necessarium non sit, quòd illius permissio pro illo priori concipiatur, vt extra omnem suam causam: est; quia præuisio peccati ad Incarnationem prout in ordine intentionis est in genere causæ materialis; ad causandum autem materialitèr non requiritur, quòd id, quod materialitèr causat, pro priori suæ causalitatis extra omnes suas causas existat, vt constat in materia corporali causante materialitèr formam, quæ tamen pro priori, quo causat, non existit extra omnes suas causas, cum pro illo priori non existat extra suam causam formalem, à qua in existendo dependet; ideoque non requiritur, quòd permissio peccati extra omnē sui causam pro priori ad Incarnationem præuideatur, sed sufficit pro illo priori præuideri cum futuritione incompleta, & inchoata.

145. *Instabis.*

Si dicas: pro illo priori est volita à Deo permissio peccati: ergo est volita propter aliquem finem; omnis enim volitio ab aliquo fine mouetur, cum finis sit voluntatis obiectum: at pro illo priori non est volita propter Incarnationem vt finem, quæ pro tunc non intelligitur: ergo est volita pro illo priori permissio propter finē ab Incarnatione distinctum, & consequentèr ab Incarnatione non dependet in genere causæ finalis, nec propter illam fuit volita à Deo.

146. *Respondetur.*

Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam: nam prioritas illa non est *in quo*, sed *à quo*, & *causalitatis*, scilicet, prioritas causæ materialis: vndè, ad talem prioritatem non pertinent nisi ea, quæ sunt de ratione causæ materialis in quantum talis: cumque finalizari ab alio non sit munus causandi materialitèr, sed munus effectus in genere causæ finalis, consequens fit, quòd pro illo priori, etsi intelligatur volita permissio, non intelligatur volita, vt finalizata, sed vt exercens materialem causalitatem: & licet de ratione volitionis terminatæ ad permissionem sit terminari ad illam propter aliquem finem in instanti *in quo*, non tamen pro omni priori, & signo naturæ: sicut licet de ratione materiæ physicæ sit dependere à forma in existendo in instanti reali *in quo*, non tamen est de ratione illius dependere à forma pro omni instanti *à quo*, & pro omni signo, & priori naturæ. Vnde, sicut ista consequentia non valet: materia dependet in existendo à forma: ergo pro priori, pro quo forma causat in genere causæ materialis, dependet, & causatur à forma finalitèr, aut formalitèr: ita in nostro casu similis consequentia non tenet: permissio peccati dependet ab Incarnatione vt fine: ergo pro illo

signo,

ſigno, & priori, pro quo Incarnationem præcedit, & ad illam præuidetur in genere cauſæ materialis, cauſatur ab Incarnatione finaliter ob rationē aſsignatam; quia nempè, ad prioritatem cauſæ materialis nō pertinet cauſari ab alio in genere cauſæ finalis.

147 *Vrgebis.*

Sed dices, ſequi ex iſta ſolutione, permiſsionem peccati pro illo priori eſſe à Deo volitam à caſu conſequens abſurdum eſt, cum in tali modo volēdi maxima imperfectio importetur, ac proindè Deo repugnet: ergo ſolutio tradita non ſubſiſtit. Probatur ſequela: nam velle aliquid à caſu eſt illud præter intentionem velle; ſed pro illo priori Deus vult permiſsionem peccati præter omnem intentionem, cum illam non velit ex fine, & conſequenter neque ex intentione finis, quod idem eſt, acillam præter intentionem velle: ergo ex doctrina ſolutionis traditæ ſequitur, Deum pro illo priori velle à caſu permiſsionem peccati, quod admittendum non eſt.

148 *Reſpondetur.*

Reſpondeo, negando ſequelam: ad illius probationem, diſtinguo maiorem: velle à caſu eſt velle, præter omnem intentionem priuatiuè in inſtanti *in quo*, concedo maiorem: præciſiuè pro ſigno, & priori naturæ, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Vt enim Deus vellet permiſsionem à caſu, oportebat, vt in inſtanti *in quo* reali illam vellet ſine intentione finis in illo inſtanti exiſtente, quod in præſenti non accidit; ſed ſolum ab intentione finis præſcindere pro aliquo ſigno naturæ, ſcilicet, pro priori cauſæ materialis, in quo genere permiſsio peccati fuit Incarnationis cauſa, & ad Incarnationem præuiſa: ſicut in exemplo materiæ reſpectu formæ contingit: materia namque pro priori cauſæ materialis, in quo genere cauſat formam, & ad illam præſupponitur, non cauſatur à forma finaliter, & conſequenter ab intentione formæ vt finis exiſtentiæ ſui pro illo priori præſcindit, quin ex hoc poſsit inferri, Deum pro illo priori volentem entitatem, & cauſalitatem materiæ, illam caſualiter velle, & hocideo, quia in inſtanti reali *in quo*, illam vult propter aliquem finem.

149 *Secundo reſpondetur ad argumētū.*

Secundò poteſt huic argumento aliter reſponderi, nempè, ex doctrina D. Thomæ non colligi, prædeſtinationem Incarnationis Verbi ordine intentionis ſupponere præſciētiam peccati, ſed ſolum quòd ordine executionis peccatum præſupponat præuiſum præuiſione connotata à decreto intentiuo Incarnationis, & infallibiliter ex tali decreto illata. Quod patet primò: nam intentum D. Thomæ erat cū æternitate prædeſtinationis Chriſti ſaluare, quòd Incarnatio prædeſtinata ab æterno, non exiſteret in tempore ſine præexiſtentia peccati, eo quòd prædeſtinatio ſupponit præſcientiam futurorum; ſed vt hæc doctrina vera ſubſiſtat, non requiritur, quòd prædeſtinatio Chriſti prout in ordine intentionis ſupponat præuiſum peccatum originale, ſed ſufficit, quòd in ordine executionis ſupponatur præuiſum, & quòd hæc præuiſio, vel ſuppoſitio connotetur à decreto intentiuo, & inferatur ex illo, vt conſtat in prædeſtinatione hominum ad gloriam per modum coronæ, quæ ſine meritis non poteſt executioni mandari; & tamen prout in ordine intentionis non ſupponit meritorū præuiſionem, ſed ſolum illam cōnotat, infertque vt præcedentem decretum executiuum: ergo ex doctrina D. Thomæ in præſenti non ſequitur, prædeſtinationem Chriſti, prout in ordine intentionis ſupponere præuiſionem peccati, ſed ſolum quòd illam ſupponat in ordine executionis, & quòd hæc præſuppoſitio ordinis executiui connotetur à decreto Chriſti intentiuo, & inferatur ex illo, quod in noſtra ſententia contingit.

Stabilitur ſolutio primo.

150 *Secūdò.* S. Tho.

Secundò id ipſum probatur: vt enim ſalus vnius hominis non conferatur in tempore, niſi dependenter ab oratione alterius, illaque præexiſtente (quo exemplo vtitur D. Thom. *in ſolutione allegata*) non eſt neceſſariū, quòd prædeſtinatio ſalutis vnius prout in ordine intētionis orationem alterius præuiſam ſupponat, ſed ſufficit, quòd decretum executivum ſupponat orationem præuiſam, & quòd

hæc

hæc præsuppositio connotetur, inferaturque ex vi decreti intentiui, aliàs orationes vnius puri hominis iuvantes ad prædestinationem, & salutem alterius non essent effectus prædestinationis illius, cuius contrarium cum communi Thomistarum sentētia docuimus *tract. de prædestinat. Dei*: ergo paritèr, vt Incarnatio, non, nisi præ suppositio peccato, executioni mandetur, non obstante, quòd illius prædestinatio æterna sit, quod solum Divus Thom. intendebat *in solutione allegata*, necessarium non est, quòd prædestinatio Christi, prout in ordine intentionis supponat præscientiam peccati; sed sufficit, illam supponere in ordine executionis suppositione connotata, & illata ex vi decreti intentiui Incarnationis, quod totum saluatur in nostra sententia.

151. *Replicatur, & arguitur tertio.*

Cæterum contra hanc solutionē obstat tertium argumentū, quo prædictus Magister vtitur cōtra nostram sententiam: vt enim duo, quorum vnum est prius altero in aliquo genere causæ, sint simul simultate consequentiæ, ita vt vnum sine altero nō possit existere, necessum est, quòd habeant inter se connexionem, vel medij ad finem, vel causæ necessariæ ad effectū; sed huiusmodi connexio inter Incarnationem Verbi, & permissionem peccati non datur; nec enim ex Incarnatione necessariò permissio peccati sequitur, nec permissio est medium necessarium ad Incarnationem, cum per alia plura media posset Incarnatio executioni mandari: ergo suppositā prioritate Incarnationis ad permissionem peccati, non est, vndè colligatur inter Incarnationem, & permissionē connexio, nec quòd sint simul simultate consequentiæ: ac proindè, prædicta prioritate suppositā, vt supponitur in nostra sententia, existeret Incarnatio, Verbumque assumeret carnē, peccato non existente.

152. *Respōdetur primo.*

Huic argumento responderi potest primò, negando maiorem: nam etiam si duo, quorum vnum est altero prius in aliquo genere causæ, non sint ex se, & ab intrinseco necessariò connexa, possunt connecti ex diuina voluntate, quod sufficiet, vt sint simul simultate cosequentiæ, & vt de facto vnum sine altero non existat, quamuis, illorum natura attenta, posset vnum existere sine altero: vndè, quamuis Incarnatio ab intrinseco, & de se non sit cum peccato connexa; ac proindè, illius natura attenta, potuerit executioni mandari absque interuentu peccati, & existere sine illo, potuit Deus Incarnationem cum peccato connectere, velleque non aliter Incarnationem existere, nisi præexistente peccato; & sic de facto euenisse constat ex dictis in discursu disputationis.

153. *Secūdò.*

Vel secundò respondetur, prætermittendo maiorem, & negando minorem: ad cuius probationem dicatur, quòd licet Incarnatio absolutè, prout dicit vnionem humanitatis ad Verbum præcisè, à peccato fuerit independens, & ab eius permissione, nec cum illis ab intrinseco connexa; Christus autem vt Redemptor peccatum necessariò supponit, & cum illo necessariò connectitur; non enim est dabilis redemptio à peccato, nisi peccato suppositō: Christus autem de facto non fuit volitus à Deo secundū solam Incarnationis substātiam, prout solum dicit vnionem humanitatis ad Verbum, sed etiam prout in carne passibili, & insuper vt Redemptor: ac proindè Incarnatio, quatenus de facto fuit volita, necessariò cum peccato connectitur, nec potuit executioni mandari, nisi dependentèr à permissione peccati, vt à medio ad Incarnationem, quatenus de facto volitam conducente, & à peccato vt à materia per Christum Redemptorem destruenda.

154. *Instabis.*

Sed dices: Christus vt Redemptor non potuit præintendi vt finis permissionis peccati originalis: ergo prout de facto terminauit decretum intentiuum sui, non fuit cum permissione peccati connexus, & cōsequentèr Incarnatio prout de facto fuit volita, potuit executioni mandari sine præexistentia peccati. Vtraque consequentia euidentèr ex dictis colligitur; antecedens autem probatur: nam si Christus vt Redemptor posset præintendi

tendi vt finis permiſsionis peccati, ſequeretur, Deum præintendentem Chriſtum vt Redemptorem virtualitèr velle peccatum: conſequens abſurdum eſt: ergo ſic præintendi non poteſt. *Minor* cum conſequentia tenet; ſequela autem probatur: nam intendens efficacitèr finem virtualiter vult omnia, ſine quibus talis finis non poteſt obtineri, nec mandari executioni; ſed Chriſtus quatenus Redemptor non poteſt exiſtere ſine præexiſtentia peccati: ergo ſi Deus præintenderet efficacitèr Chriſtum vt Redemptorem propriori ad permiſsionē peccati, in vi talis volitionis virtualitèr vellet peccatum, & ex illa adſtringeretur ad volendum peccatum formalitèr, quod abſurdiſsimum eſt.

155. *Reſpondetur.* De iſtius obiectionis materia plura diximus *tractatu de prædeſtinatione* diſputantes, an permiſsio peccati in electis ſit effectus prædeſtinationis illorum ex præintenta, vel præelecta pœnitentia? Modò breuitèr reſpondetur, negando antecedens: ad cuius probationem, nego ſequelam, ad illius probationem, diſtinguo maiorē: omnia, quæ ad finis exiſtentiam requiruntur vt volita ab intendente finem, cōcedo maiorem: quæ ſolum requiruntur ad exiſtentiam finis vt permiſſa ab intendente finem, nego maiorem; & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: nam exiſtentia peccati, quæ neceſſaria eſt ad exiſtentiam Chriſti vt Redemptoris, non eſt neceſſaria vt volita à Deo intendente Chriſtum Redemptorem vt finem, ſed ſolum vt permiſſa ab ipſo: vnde, ſolum ſequitur, Deum vi prædictæ intentionis virtualiter voluiſſe permiſsionem peccati, & ex illa obligatum manſiſſe ad volendam formalitèr permiſsionem; nō autem voluiſſe virtualitèr per prædictam intentionem exiſtentiam peccati, nec ad illam volendam formalitèr per alium actum ex vi illius intētionis neceſsitatum manſiſſe. Plura adverſus ſolutionem iſtam poſſunt opponi; *loco* tamen *allegato* ea obiecimus, & pro poſſe diluimus, & ideo modò repetenda non ſunt.

156. *Inſtabis.* Vnam tamen obiectionem, quia domeſticam, diſsimulare non poſſumus, nec ſilentio præterire: nam ſaltim illa voluntas terminata ad Chriſtum vt Redemptorem eſſet virtualitèr cum peccato connexa; ſed hoc concedi ſine magno abſurdo non poteſt: ergo voluntas Chriſti vt Redemptoris non præceſsit permiſsionem peccati, nec illius præuiſionem in genere cauſæ finalis. Probatur minor; abſurdum enim eſt admittere in Deo volūtatem, ex vi cuius teneatur velle permiſsionem peccati; ſed voluntas efficax terminata ad Chriſtum vt Redēptorem prior in ordine intentionis decreto permiſsiuo peccati; & cum peccato virtualitèr connexa talis conditionis eſt, quòd ex vi illius teneretur Deus velle permiſsionem peccati: ergo abſurdum eſt in Deo prædictam voluntatem conſtituere.

157. *M. S. Thoma. Confirmatur, & augetur difficultas.* Sic arguit Reuerendiſsimus Magiſter Sancto Thoma *tom. 1. de Incarnatione*, qui in lucem poſt illius mortem exijt multo tempore, poſtquam hæc publicè in Salmanticenſi Vniuerſitate dictauimus. *q. 1. diſput. 3. art. 2.* augetque, & confirmat argumēti pro poſiti difficultatem: licet enim qui prædictum inconueniens deuorauerit, non poſsit apertè conuinci, quia ex hoc non ſequitur, Deum virtualitèr, aut formalitèr velle exiſtentiam peccati, ſed ſolum permiſsionē illius; eſt tamen contra ordinem naturæ antequam mala ſint, velle malorum remedium, & vt hoc remedium ſit obligari ad permittenda mala: ſicut velle pœnam ante culpam voluntate ita efficaci, vt ex vi illius teneatur Deus permittere malum culpæ, eſt Deum facere ſummè crudelem intendendo pœnam vt pœnam ex primaria intentione: ergo aſſerēdum non eſt, Deum in aliquo genere cauſæ efficacitèr voluiſſe Chriſtum, quatenus Redemptorem pro priori ad permiſsionem, & præuiſionem peccati.

158. *Reſpondetur.* Reſpondeo, voluntatem Chriſti vt Redemptoris præcedentem ordine intentionis permiſsionem peccati connecti virtualitèr logicè cum peccato, non autem virtualitèr phyſicè, eo quòd licet ex tali voluntate infera-

tur,

tur, exituru̇m peccatum; eius tamen existentia non est ab illa cauſanda, ſed à voluntate creata, diuina permiſſione ſuppoſita: quòd autē hoc genere cōnexionis voluntas aliqua Dei connectatur cum peccato, abſurdum iudicari non poteſt à Diſcipulis D. Thomæ, in cuius doctrina ex voluntate permittendi peccatum, permiſſione cōſiſtente in negatione gratiæ ab intrinſeco efficacis, quæ negatio exiſtentiā peccati præcedit, neceſſariò ſequitur exiſtentia peccati, & conſequētèr voluntas permittendi peccatum, quæ Deo negari non poteſt, virtualitèr & logicè cum peccati exiſtentia connectitur, illamque antecedit: ergo in voluntate antecedente permiſſionē peccati virtualitèr modo explicato cum exiſtentia peccati connexa poſita in Deo nullum inuenitur abſurdum.

159. Vndè, conceſſa maiori de virtuali connexione logica, nego minorem: ad illius probationem, nego maiorē: ſi namque abſurdum non eſt, Deum de ſe velle negationem gratiæ ab intrinſeco efficacis, ad quam infallibiliter ſequitur exiſtentia peccati, & negatio concurſus ſimultanei diuini ad exequendum opus præceptum, & ad vitandum peccatum, cur inconueniens erit, aut quomodo poteſt inconueniens cenſeri adtruere voluntatem in Deo, ex vi cuius teneatur velle permiſſionem peccati conſitētem in negatione gratiæ efficacis? Et quidem ex eo, quod Deus velit negationem gratiæ ab intrinſeco efficacis, neceſſitatur ad volendum negationem ſui concurſus ſimultanei cum exiſtentia peccati neceſſario connexam; ſed abſurdum non eſt conſtituere in voluntate diuina volitionem negationis gratiæ efficacis, vi cuius neceſſitatur ad volendam negationem ſui concurſus ſimultanei, ex qua infallibiliter ſequitur exiſtentia peccati: ergo abſurdum cenſeri non debet admittere in Deo decretum aliquod efficax antecedens, vi cuius teneatur velle permiſſionem peccati, ad quam infallibiliter exiſtentia peccati conſequitur.

160. Ad id autem, quo prædictus Magiſter difficultatem augeat, dicatur, contra ordinem naturæ, & prouidentiæ ſuauitatē eſſe velle remedium malorum præciſſe, quia remedium eſt ante illorum exiſtentiam, & pœnam reduplicatiuè vt pœnam ante præuiſionem exiſtētiæ culpæ puniēdæ; velle autem remedium mali non ex præciſa ratione remedij, ſed quia ex illo maius bonum ſperatur, & ex remedio ſic volito moueri ad permittendum malum contra ordinem naturæ non eſt, nec contra ſuauitatem prouidentiæ, rectamque gubernationem poteſt meritò cenſeri. Vndè, *tract. de prædeſtinat.* cum frequentiori Thomiſtarum ſententia docuimus, Deum ex prævolita pœnitentia velle peccata in prædeſtinatis permittere: non quidē ex pœnitentia prævolitā præciſè vt reparatiua gratiæ per peccatū deperditæ, & vt deſtructiua culpæ, ſed vt vtili ad vberiores fructus virtutum mediante illa conſequendos. Velle etiam pœnam reduplicatiuè vt pœnam ante præuiſionē culpæ, & ex illa ſic prævolita ad permiſſionem culpæ moueri, non eſt conſonum prudenti gubernationi, nec ſuauī prouidentiæ, & crudelitatis ſpeciem præſefert. Quod autem pœna vt vtilis ad manifeſtationē attributorum Dei terminet volitionem efficacem diuinam pro priori ad permiſſionem culpæ, & ex illa, ſic inſpecta, Deus ad permittendam culpā moueatur, nec ſuauitati prouidentiæ diuinæ, nec illius prudenti gubernationi aduerſatur, *vide tract. de reprobatione* ex D. Thoma monſtrauimus. Vndè, vt ad rem noſtram veniamus, velle ante culpam præuiſam Chriſtum vt Redemptorem præciſè, quia reparator culpæ, non decet prouidentiam diuinam, nec Dei prudentem gubernationem; velle tamen Chriſtum vt Redemptorem ratione ſummæ excellentiæ, & ſupremæ dignitatis, quæ in illo ſic inuenitur in aliquo genere cauſæ pro priori ad permiſſionem culpæ, illiuſque præuiſionē, & ex illo ſic prævolito, ad culpam permittendam moueri, non eſt contra ordinem naturæ, nec contra ſuauitatem prouidentiæ Dei, nec contra prudentiſſimam illius gubernationē, ſed his omnibus valdè

Ad confirmationem.

con-

conforme. Et hoc modo constituitur à Nobis decretum intentivum Christi quatenus Redemptoris præcedens permissionem peccati, illiusque præuisionem in genere causæ finalis terminatum, nempè, ad Christum vt Redemptorem, non præcisè, quia Redemptor à peccato, & quia Reparator illius, sed ratione summæ excellentiæ Christi quatenus Redemptoris, illi conuenientis ratione vnionis humanitatis ad Verbum.

§. VIII.

Vltimum argumentum contrariæ sententiæ proponitur.

161. *Vltimo arguitur contra secundam conclusionem. Symb. Nicen.*

DENIQVE arguitur contra secundam conclusionem: Christus fuit de facto volitus in ordine intentionis ob redimendum hominē à peccato tanquam propter finem sui, vt constat ex illis verbis Symboli Nicenæ: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis, & incarnatus est*: ergo non fuit volitus ex vi decreti intentiui vt finis remedij peccati, & consequenter nec vt finis permissionis illius. Patet consequentia: nam licet possit inter duo extrema dari mutua causalitas in diuerso causæ genere; in eodem tamen genere causæ mutua, & reciproca causalitas inter duo extrema dari non potest: ergo si remedium peccati fuit finis Christi, vt voliti in ordine intentionis, & vt primum terminantis decretum Christus in tali ordine nō fuit finis remedij peccati, nec permissionis illius.

162. *Prima solutio M. Lorcæ.*

Huic argumento, quod absque dubio difficultatem tangit, variè occurritur à Patronis nostræ sententiæ. Primò responderi solet, negando antecedens: ad cuius probationem dicunt, ly *propter nos homines* dicere finem Incarnationis prout in executione, non autem finem illius prout in ordine intentionis, & vt primum terminantis decretum. Ita Lorca in *præsenti disput. 10. membr. 2. num. 29.* soluens argumentum Scoti, vbi docet, quòd quamvis prædestinatio Christi nō fuerit facta in remedium peccati; illius tamen executio fuit in remedium peccati ordinata. Ex quibus verbis appareret, dictum Magistrum sensisse, Christum prout in ordine intentionis non fuisse volitum propter remediū peccati; prout tamen in ordine executionis ad illud fuisse ordinatum, & volitum propter illud. *Lorca.*

163. *Secunda*

Secundò aliter idem Lorca huic argumento respondet *loco vbi proxime allegato num. 36.* asserendo, Incarnationem Verbi dupliciter sumi posse: primò absolutè, & quoad substantiam, prout, nempè, dicit vnionem duarum naturarum in Verbo: secundò, vt dicit actiones Christi incarnati: qua distinctione præsuppositā, docet, Incarnationem sumptam primo modo fuisse finem remedij peccati, & redemptionis hominum ab illo; secundo autem modo acceptam fuisse medium ordinatum ad remedium peccati vt ad finem: vndè, non datur mutua, & reciproca causalitas in genere causæ finalis; quia diuersum est, quod causat finaliter remedium peccati, ab eo, quod causatur ab eodem remedio vt fine, & motiuo: nam substantia Incarnationis fuit, quæ finaliter causauit remedium peccati; actiones autē Verbi Incarnati causatæ fuerunt à remedio peccati finaliter.

164. *Tertio respondet M. Vincentius.*

Tertia solutio est Vincentij *loco vbi supra pag. 633.* asserentis, Christum prout in statu humili, quatenus, nempè, fuit in corpore mortali, & passibili, habuisse rationem medij respectu remedij peccati, ab illoque prout sic, causatum fuisse in genere causæ finalis; consideratum verò in statu exaltationis, quatenus Deus donauit illi nomen, quod est super omne nomen, fuisse finem remedij peccati, & nostræ iustificationis ab illo: vndè Cōcilium Tridentinum *sess. 6. de iustificatione* *Conc. Trident.*

tione cap. 7. assignans iustificationis causas, non dixit absolutè, etsi posset, Christum esse nostræ iustificationis finem, sed gloriam Christi, vt aperte denotaret, Christum esse finem nostræ iustificationis, non in quovis statu, nempè, humili, abiecto, & mortali, sed in statu suæ exaltationis, & glorificationis. Iuxta quam doctrinam etiam prædictum inconueniens vitatur mutuæ causalitatis in eodem genere causæ; non enim intercedit inter eadem extrema, sed inter diuersa formaliter, qualiter inconueniens non est inter duo mutuam causalitatem admittere in eodem causæ genere.

165. *Prima solutio reijcitur*

Nulla tamen ex his solutionibus argumento facto satisfacit, & contra primam facit: namidem est finis decreti executiui, & decreti intentiui: cum enim immediata finis causalitas sit respectu intentionis operãtis, non potest ad executionem, siuè ad decretum executivum concurrere, nisi mouendo ad intentionem agentis: ergo si remedium peccati non fuit finis Incarnationis, prout volitæ decreto intentiuo, non potuit esse finis eiusdem Incarnationis quoad executionem, nec vt volitæ per executivum decretum.

166 *Confirmatur.*

Quam doctrinam explico, & confirmo in hunc modum: nam executio exterior Incarnationis, non potest ratione sui terminare finis causalitatẽ, nec ab illo moueri, & consequenter, nec ad illum ratione sui potest ordinari: ergo si remedium peccati non fuit finis Incarnationis Verbi prout in ordine intentionis, non potuit Incarnationis executio, aut Incarnatio in ordine executionis ordinari ad remediũ peccati vt ad finem. Consequentia patet: antecedens autem ostenditur primò: nam si executio exterior Incarnationis ratione sui immediatè moueretur à fine non præintento à Deo, Deus vt exequens Incarnationem, præter intentionem, & à casu operaretur: hoc implicat: ergo executio exterior Incarnationis nequit ratione sui terminare causalitatem finis, & à fine moueri. Secundò probatur: solus enim actus voluntatis interior ratione sui potest à fine moueri, cum finis sit solius voluntatis obiectum, & consequenter solum possit ab actu voluntatis attingi ratione sui; sed exterior Incarnationis executio non est actus voluntatis interior: ergo ratione sui nequit à fine moueri, nec immediatè finis causalitatem terminare; & consequenter, si remedium peccati non fuit finis Christi prout in ordine intentionis, non potuit esse finis executionis Incarnationis, nec Christi prout in ordine executiuo.

167 *Respondebis.*

Respondebis, præter decretum intentivum Incarnationis dari in Deo aliud decretum distinctum, nempè, decretum executivum illius, quod decretum est actus voluntatis diuinæ immediatè regulans exteriorem executionem, & ratione illius ordinata fuit Incarnatio ad remedium peccati vt ad finem: vndè, ex eo, quòd Incarnatio in ordine executiuo ad remedium peccati vt ad finem fuerit ordinata, non sequitur actum, qui voluntatis non sit, erga finem ratione sui versari, nec immediatè terminare causalitatem finis, nec Deum à casu, & præter intentionem fuisse Incarnationem Verbi executum.

168 *Contra.*

Sed contra; nam vt Deus non operetur à casu, & vt Incarnationẽ à casu non exequatur, oportet, vt exequatur illam ex intentione finis; in hoc enim consistit à casu non operari; sed ex vi decreti executiui ratione sui non potuit exequi Incarnationẽ ex intentione remedij peccati vt finis: ergo nisi remedium peccati vt finis in ordine intentionis præcesserit, non potuit executio Incarnationis à Deo ex prædicto fine procedere, & consequenter hic finis fuit præter intentionem diuinam, ab ipsoque casualiter respectiuè ad istum finem Incarnationis executio processit. Consequentia cũ maiori tenet; minor autem ostenditur primò: nam decretum executivum est distinctum à decreto intentiuo: ergo decretum executivum intentio finis non est, & consequenter ratione illius non potuit exequi Incarnationem ex intentione finis: nam solum ex vi intẽtionis potest executio exte-

Minor probatur primo.

rior

rior ex intentione finis procedere, & à fine moueri, vt ex ipsis terminis constat. Secundò eadem minor probatur, nam si decretū executivū ratione sui posset esse id, ratione cuius executio exterior ex intētione finis procederet non esset necessaria distinctio actuum volūtatis inter ordinē intentivum, & executivū; sed hæc distinctio admittitur in tradita solutione: ergo ex vi decreti executiui ratione sui nequit executio exterior procedere ex intentione finis, nec ab illo moueri.

Secundò

169 *Tertiò.*

Denique probatur: vt enim *tract. de prædestinatione disp. 1. concl. 1.* docuimus, decretum executivum, quod idē est, atque vsus activus voluntatis non respicit ratione sui finem vt causam, sed vt effectum, nec immediatè erga finem versatur, sed erga media vt in executione ponenda: vndè, non à fine, sed à mediis vt in executione causantibus finem, suam specificationem desumit: ergo ex vi illius non potest executio exterior propter finem esse, nec ex intententione finis procedere, & consequentèr, si remedium peccati non fuit vlla ratione finis decreti intentiui Incarnationis, non potuit exterior Incarnationis executio esse propter remedium peccati, nec à Deo ad remedium peccati, vt ad finem ordinari.

170 *Obijcies.*

Dices: potest executio exterior ratione decreti executiui procedere ex motiuo distincto à motiuo decreti intentiui: ergo potest etiam procedere à fine distincto à fine eiusdem decreti, & in ordine intentionis non præhabito, & consequentèr, ex eo, quod remedium peccati non fuerit motivū, aut finis primi decreti intentiui Incarnationis, non benè à Nobis probatur, executionem Incarnationis non fuisse ordinatam ad remedium peccati, vt ad finem. Antecedens constat in temporali gloriæ retributione, quam esse actum iustitiæ, & consequētèr ex motiuo huius virtutis procedere est certum; & tamen decretum intentivum gloriæ non est ex prædicto motiuo, cum non sit actus iustitiæ, sed liberalitatis diuinæ, vt verior sententia docet, nosque fusè ostendimus *tract. de prædestinatione*: ergo potest actus exterior ratione decreti exequentis procedere ex motiuo non præhabito in ordine intentionis, & à decreto intentiuo non attacto. Consequentia autem probatur: tùm à paritate rationis: tùm etiam: nam motivum actus voluntatis, & finis sunt idem: ergo si actus exterior potest ratione decreti exequentis habere distinctum motivum à motiuo decreto intētiui, nec in ordine intētionis præhabito, potest etiam ratione decreti executiui à fine distincto, & in ordine intentionis non præcunte procedere.

171. *Cōfirmatur.*

Et augetur difficultas: nam decretum executivum gloriæ, cum actus iustitiæ sit, à meritis iustorum mouetur; iustitia namque remuneratiua ius in meritis fundatum respicit pro motiuo; sed decretum intentivū gloriæ à meritis non mouetur, aliàs liberalitatis actus non esset, sed actus iustitiæ remuneratiuæ Dei, cuius contrarium docet frequentior, veriorque Theologorum sententia: ergo decretum executivum gloriæ procedit à motiuo, à quo non procedit decretū eiusdem gloriæ intentivum, & consequentèr poterit moueri à fine decretum executivum, à quo decretum intentivum non moueatur. Ex quo vlterius fit, vt possit Incarnatio in ordine executionis, aut illius executio ad remedium peccati, vt ad finem ordinari, etiam si prout in ordine intentionis non fuerit ordinata ad remediū peccati vt ad finem, quod prima solutio intendit.

172. *Respondetur.*

Ad obiectionem respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam: ad primam probationem, nego paritatem rationis; disparitas autem est: nam causalitas causæ finalis, illiusque influxus cōsistit in hoc, quòd ex illius intentione, & amore agens procedat ad electionem mediorum, qua electione præsupposita, incipit ordo executionis ordini intentionis oppositus esse, vt id, quod in ordine intentionis est primum, vltimum sit in ordine executionis, & finis, qui in ordine intentionis est causa, est in ordine executionis effectus, decretumque

execu-

executivum inspectum ratione sui, nō vt causam, sed vt effectum respicit finem, & non ab illo, sed à medijs, vt in executione finē causantibus, suam specificationem desumit, vt *tract. de prædestinatione. Dei disp. 1. concl. 1.* docuimus, & monstrabimus, & consequenter non fiat decretum executivum à fine aliquo moueri in ordine intentiuo non præhabito, & in illo nō præeunte; motivum autem cuiuslibet actus ex parte operis, id est, quod ratione sui attingitur, & ratione cuius alia attinguntur; & quia in quolibet actu invenitur ratio obiectiua, quæ huius est cōditionis, fit, vt in quolibet actu ab alio specie distincto inveniatur obiectum motivū à motiuo alterius distinctum: cumque decretum executivum à decreto intentiuo distinctum præsupponatur, non solum potest, sed necessariò debet specificari à motiuo distincto à motiuo decreti intentiui. Vnde, vt *loco nuper allegato* docuimus, motivum decreti executiui gloriæ sunt merita, quæ tamen ad decretum eiusdem gloriæ intentivum non mouent nec vt causa, sed vt effectus comparantur ad illud.

173 Et ex his ad secundam consequentiæ probationem, negandum est antecedens: nam motivum decreti executiui gloriæ sunt merita; & tamen non sunt finis talis decreti: motivum etiam actus misericordiæ est aliena miseria, & tamen finis actus misericordiæ non est. Ratio ergo obiecti motiui non est eadem cum ratione finis, & vt *proximè* dicebamus à quolibet actu speciale motivum inspicitur, non tamen specialis, & distinctus finis cuilibet actui respondet. Actibus etiam intellectus assignatur obiectū motivum, cum tamen ratione sui finem attingere nequeant, sed solum ex imperio voluntatis, vel ex illius motione ad finem dirigi possunt: ergo, ex eo, quòd ratione decreti exequentis possit executio exterior habere speciale motivum ad intentionem non mouens, & ab illius motiuo distinctum, non sequitur, posse habere distinctum finem ab illo, à quo intentio agentis mouetur.

Sed dices: etsi merita præuisa non sint finis decreti executiui gloriæ, est tamen finis illius, merita ad æqualitatem retribuere; hunc enim finem respicit Iustitia Remuneratiua, ad quam pertinet iustis gloriam pro meritis retribuere; sed finis iste non est finis decreti intentiui gloriæ, aliàs esset actus iustitiæ, cum haberet pro motiuo æqualitatem præmij cum meritis: ergo decreto exequenti non solum respondere potest motivum distinctū à motiuo decreti intentiui, sed etiam distinctus finis ab illo, ex quo intentio agentis procedit. 174 *Instabis.*

Respondeo, prætermissa maiori, negando minorem: cum enim finis decreti intentiui gloriæ sit gloria per modum coronæ, & vt præmium est meritorum ad æqualitatem retribuendum, fit consequens, vt æqualitatem prædictam intendat, & respiciat, vt finem. Nec sequitur, esse actum iustitiæ, & non liberalitatis; quia ad hoc necessariū erat, quòd Deus ad prædictam intentionē habendam, à meritis moueretur, & obligatus à meritis iā præuisis, gloriam vt coronam intenderet, quod nō contingit in sententia, quam supponimus, sed solum à sua bonitate allicitur, & mouetur ad gloriā vt coronam volendam, & intendendam: ideoque prædicta intentio non est actus iustitiæ cōmutatiuæ, aut distributiuæ, sed actus liberalitatis diuinæ; decretum autem executivū gloriæ, quia merita præuisa supponit, & ab illis mouetur, est actus non liberalitatis, sed iustitiæ commutatiuæ, aut distributiuæ iuxta varias Theologorum sententias. 175. *Respondetur.*

Deindè secunda solutio Magistri Lorcæ reijcitur: nā iuxta illam remedium peccati non fuit finis Incarnationis Verbi quoad substantiā, in quo conuenit cum Scoto, imo nec quoad circumstātiā proximæ passibilitatis, quod Scotus, illumq; sequentes non negant, sed solū fuit finis operationū humanitatis Christi, quibus nos à peccato redemit: ergo licet possit dici, Christū propter nostrā salutē operatū fuisse; verè tamen affirmari nō poterit propter nos homines, & propter 176 *Secunda solutio M. Lorcæ reijcitur.*

nostram salutē fuisse incarnatū, quæ verba continentur in Symbolo: & licet affirmari possit, remedium peccati fuisse rationē, id est, motivū operationū, & passionū Christi; non tamen poterit verè affirmari, remediū peccati fuisse motivū Incarnationis Christi, vt docet D. Th. *in corp huius art.*

177 *Cōfirmatur primò.*

Quod amplius vrgetur primò: vt enim *supra concl. 2.* docuimus, non solum Incarnatio Verbi quoad substantiam fuit finis permissionis peccati, & redēptionis hominis ab illo, sed etiā operationes Christi, quibus nos à peccato redemit, fuerunt finis, cuius gratia permissionis, & remedij originalis peccati: sicut de actu pœnitētiæ fuisse à Deo prævolitū efficacitèr ad permissionem peccati personalis in electis docuimus *tract. de prædestinat.* idque ex D. Thoma efficaci illatione deduximus; & tamen operationes Christi fuerunt ordinatæ à Deo ad remedium peccati vt ad finem: ergo quamuis Incarnatio substantialitèr accepta fuerit isto modo ad remedium peccati ordinata, potuit esse finis permissionis, & remedij peccati originalis, & in ipsa Incarnatione substantialitèr considerata vtraque ratio inueniri, nēpè, finis, *cuius gratia* permissionis, & remedij peccati, & causæ ad remedium eiusdē peccati, & ad redimendū hominē ab illo, vt ad finem effectum ordinatæ, & vt ad finem *cui* vtilitatis.

178 *Cōfirmatur secundò.*

Confirmatur, & vrgetur secundò: nam in Symbolo Nicæna eisdem verbis de Incarnatione asseritur, fuisse ad remedium peccati ordinatam, quibus id dicitur de passione, & morte Christi; ait enim loquēdo de Christo Symbolum: *Qui propter nos homines, & propter nostrā salutē descendit de Cœlis, & incarnatus est de Spiritu Sancto, passus, & sepultus est.* Vbi ly *propter nos homines, & propter nostrā salutē*, eodē modo ad Incarnationē Verbi, atque ad illius mortem, & passionem refertur; sed quia Christus passus dicitur propter nostram salutem, infertur à Theologis, remedium peccati fuisse finem passionis, & mortis Christi, aliarumque operationum, quibus illam fuit operatus: ergo debet etiam

Symb. Nicæn.

colligi fuisse Incarnationis finem, vel si ad hanc illationem faciendam fundamentū in prædictis verbis nō datur, absque fundamento in illis colligitur, remedium peccati fuisse finem passionis, & mortis Christi.

179 *Tertia solutio Mi. Vincentij reijcitur primo.*

Ex quibus etiam tertia solutio nostri Vincentij reijcitur; Christus enim non solum in statu exaltationis, & gloriæ, sed etiam in statu abiectionis, & humilitatis fuit finis cuius gratia respectu nostræ salutis remedij peccati, & permissionis illius, vt *proximè* dicebamus, & *in secunda conclusione* monstrauimus; & tamē vt sic fuit ad remedium peccati, ad nostramq; salutē vt ad finem ordinatus, vt fatetur Vincētius, & ex Symbolo Nicæna colligitur, nec inficiantur contrariæ sententiæ Authores, cum asserant, Verbum sumpsisse carnem passibilem, & mortalē ex fine nostræ salutis, redemptionisque à peccato: ergo de Christo in eodem statu vtrumque verificatur, nempè, fuisse finem permissionis peccati, & redemptionis ab illo, & ad remediū peccati, vt ad finem ordinatū.

180 *Secundo*

Deindè, nam falsum est; Christum solum prout in statu humili ordinatum fuisse ad remedium peccati vt ad finem, alias Incarnatio quoad substantiam propter remedium peccati non fuisset, nec prout sic volita habuisset connexionem cum illo, cuius contrarium *prima concluſ.* docuimus, cōstatque ex verbis Symboli Nicænæ, vbi dicitur, propter remedium peccati, non solum fuisse passum, & mortuū, sed etiam fuisse incarnatum. Quæ verba clarè denotant, ipsam Incarnationis substantiam fuisse ad remedium peccati ordinatam, & cū illo cōnexā, nec id potest negare Vincētius, alias ex vi prælentis decreti veniret Christus, Verbūq; assumeret carnem, nullo existente peccato, etsi nō in statu abiectionis, & humilitatis, benè tamē in alio, nēpè, exaltationis, & gloriæ, cuius contrariū à Vincētio cū Angelico Doctore docetur: ergo illius solutio falso nititur fundamento, nēpè, Christum totū prout in statu abiecto, & humili fuisse ad remedium peccati ordinatum.

Præ-

181 *Tertiò.*

Præterea, nam sequitur ex tradita solutione, primum diuinæ mentis decretum in negotio Incarnationis terminatū fuisse ad gloriam animæ Christi, & postea secutum fuisse decretum de Incarnatione: consequens est falsum, nam gloria animæ Christi non fuit finis Incarnationis Verbi, sed potius Incarnatio fuit glorificationis finis, alias vltimus terminus prædestinationis Christi nō fuisset, esse Filiū Dei naturalem, sed gloria, vel exaltatio humanitatis, cuius contrarium à Thomistis docetur cum Angelico Doctore *infra q.24.* Nosque *tract. de prædestinatione Christi* monstrabimus: ergo solutio tradita est falsa.

182 *Quartò.*

Denique reijcitur: nam ex illa sequitur, Christum fuisse propriè medium ad glorificationem humanitatis, & sui nominis exaltationem: consequens est falsum: ergo & prædicta solutio. Falsitas consequentis constat: vt enim *tract. de prædestinatione* cum communi sententia docuimus, subsistantia prædestinati non est propriè medium respectu propriæ beatitudinis, etsi ex illius amore procedat, ideoque sit prædestinationis effectus: ergo subsistantia Incarnationis non est propriè medium respectu glorificationis humanitatis, & sui nominis exaltationis. Sequela autem probatur: nā Christus iuxta solutionem traditam est propriè medium in ordine ad nostram salutem, redemptionemque à peccato; sed nostra redemptio est propriè medium respectu glorificationis Christi, & exaltationis nominis illius: sicut nostra iustificatio, de qua Concilium Tridentinum *sess. 6. de iustificat. cap. 7.* asserit, finem illius esse gloriam Dei, & Christi, quod, cū sit de fine, cuius gratia accipiendum, consequenter asserendum est, iustificationem nostram esse propriè medium in ordine ad gloriam Christi: ergo de primo ad vltimum Christus erit propriè medium respectu suæ glorificationis, suique nominis exaltationis.

Conc. Trident.

§. VIII.

Traditur, & defenditur vera solutio.

183. *Vera solutio vltimi argumēti. Notabile primū*

VNDE, prætermissis his solutionibus, vt, quam veriorem iudico, explicem, animaduerto primò, remedium peccati posse dupliciter sumi, videlicet, actiuè, & passiuè. Primo modo sumptum idem est, quòd actiua redemptio, quæ simul cū substantia Incarnationis fuit volita ex vi eiusdem decreti tanquam finis omnium rerum; quia in substantia Incarnationis, & in redemptione actiua est eadem ratio amabilitatis, & dignitatis, nempè, coniunctio ad personam Verbi. Secundo autem modo sumptum, asserimus, esse finem effectus respectu Incarnationis, seu finem *cui, & vtilitatis*; quia homo est, cui ex Incarnatione vtilitas prouenit, libertas, scilicet, à peccato, nō autem finem, *cuius gratia* Incarnationis, sed potius remedium peccati est propter Incarnationem, vt finem, *cuius gratia* ob rationes, quibus *secundā conclusionem* monstrauimus.

184 *Secundum.* S. Tho.

Pro quo est secundò aduertenda doctrina D. Thomæ *in 2. Sentent dist. 15. q.1. art.1. ad 6.* illis verbis: *Dicendum, quòd aliquid potest esse propter aliud dupliciter: aut quia ordinatur ad ipsum, sicut ad finem proprium, & principalem, & sic inconueniens est dicere, quòd aliquid sit propter vilius se, & Luna, & Stellæ propter noctuas, & vespertilliones, cum finis potior sit iis, quæ sunt ad finem: alio modo potest dici aliquid esse propter aliud, cui ex ipso prouenit aliqua vtilitas eo modo, quo posset dici Rex esse propter rusticum, ex cuius regimine prouenit ei pax: & per hunc modum est intelligendum, quod in littera dicitur: omnes enim vtilitates, quæ ex corporibus cœlestibus proueniunt in inferioribus, sunt à Deo propter se, qui*

corpora illa inſtituit. Quam doctrinã etiam tradiderat *in* 1. *diſt.* 37. *q.* 4. *art.* 1. *ad* 2. *& in* 2. *diſt.* 1. *q.* 1. *art.* 3. *in corpore.* Ex illaque habetur, & argumenti ſolutio, & confirmatio doctrinæ à Nobis traditæ *in* 2. *concluſ.* ſi enim incõueniens reputat D. Thomas, quòd Luna, & Stellæ factæ ſint propter noctuas, & veſpertilliones tanquã propter proprium finem, hoc eſt, finem, *cuius gratia*, non autem tanquã propter finem, *cui* ex Luna, & Stellis vtilitas ſequitur, & quòd Rex factus ſit propter ruſticum, vt finem, *cuius gratia*, non autem vt finem, *cui vtilitatis*, inconueniens etiam debet cenſeri, quòd remedium peccati, vel homo vt redimendus ab illo ſit finis proprius, hoc eſt, finis, *cuius gratia* Incarnationis Verbi, non autem, quòd ſit finis effectus illius, ſeu finis, *cui*, & *vtilitatis*, quatenus homini ex Incarnatione hæc vtilitas eſt ſecuta, nempè, remedium peccati, cum quo rectè compatitur, quòd remedium peccati fuerit ad Incarnationem ordinatum vt ad finem, *cuius gratia*; quia eſt diuerſus modus cauſandi intra genus cauſæ finalis, vt conſtat ex probatione *ſecundæ concluſionis*, ampliuſque ex dicendis conſtabit.

Solutio argumẽti.

185 *Oppones primo.*

Sed oppones aduerſus iſtam ſolutionem primò: nam ſequitur ex illa, Incarnationem fuiſſe futuram quamuis homo à peccato redimendus non eſſet: conſequens primæ concluſioni aduerſatur: ergo & tradita ſolutio. Probatur ſequela ex D. Thoma *in* 2. *diſt.* 1. *q.* 1. *art.* 1. *in corpore*, illis verbis: S. THO. *Et ſic dicitur, eſſe propter aliud omne id, ex quo prouenit ei vtilitas, ſed hoc contingit dupliciter: aut ita quod illud, ex quo prouenit alicui vtilitas, non habet participationem diuinæ bonitatis, niſi ſecundum ordinem eius, ad hoc, cui eſt vtile: ſicut ſunt partes ad totum, aut accidentia ad ſubiectum, quæ non habent eſſe abſolutum, ſed ſolum in altero, & talia non eſſent, aut fierent, niſi illud eſſet, cui ex eis prouenit vtilitas: ſed quædã ſunt, quæ habent participationem diuinæ bonitatis abſolutam, ex qua prouenit aliqua vtilitas alicui rei, & talia eſſent, etiam ſi illud, cui ex eis prouenit vtilitas, non foret, & per hunc modũ dicitur, &c.* At Incarnatio Verbi habet participationem diuinæ bonitatis abſolutam, & non ſolum in altero, ſicut accidentia in ſubiecto, nec ad alterum, ſicuti partes ad totum, cum ſit bonum excellentiſsimum omnium, quæ Deus ad extra produxit: ergo ſi ſolum fuit propter hominem, vt cui ex ea prouenit vtilitas reparationis à culpa, foret Incarnatio, etiam ſi nec peccatum exiſteret, nec homo eſſet redimendus ab illo.

186 *Secũdo.*

Secundò obijcies: nam ex remedio peccati prouenit vtilitas Chriſto, nempè, ſui nominis exaltatio, & corporis glorificatio: ergo Chriſtus non eſt finis, *cuius gratia* noſtræ ſalutis, ſed finis, cui ex illa vtilitas prouenit, & ſalus noſtra erit finis, *cuius gratia* reſpectu Incarnationis. *Tertiò.* Tertio, nam finis, *cuius gratia*, ille dicitur, cuius gratia aliquid amatur, & fit; ſed Incarnatio fuit facta, & amata à Deo gratia noſtræ ſalutis, libertatiſq; à peccato: ergo ſalus noſtra fuit finis, *cuius gratia* Incarnationis. Probatur minor: etenim idem eſt eſſe aliquid factum, & amatũ propter aliud, ac eſſe factum, & amatum gratia illius; ſed Incarnatio fuit facta, & amata à Deo propter noſtram ſalutem: ergo gratia illius facta, & amata fuit, & conſequentèr ſalus noſtra fuit finis, *cuius gratia* Incarnationis.

Quarto.

Quartò, nam finis adæquatè diuiditur in finem *cui*, & finem, *cuius gratia*; ſed remedium peccati fuit finis Incarnationis, quandoquidem fuit ratio, & motivum illius, & non finis, *cui*, & *vtilitatis*: non enim eſt noſtra ſalus, cui vtilitas ſequitur ex Incarnatione, ſed homo, cui ſalus confertur: ergo libertas hominũ à peccato fuit finis, *cuius gratia* Incarnationis. *Cõfirmatur.* Confirmatur: ſanitas enim non eſt finis *cui* medicinæ, ſed finis, *cuius gratia*; homo autem eſt finis *cui*; quia illi vtilitas prouenit ex ſanitate: ergo ſalus noſtra non eſt finis *cui* reſpectu Incarnationis, ſed finis, *cuius gratia*; homo autem finis, *cui*, quia illi vtilitas prouenit. Denique: nam eſſe finem effectus, ſeu finem *cui*, & *vtilitatis ſolum*,

non

non est esse finem absolutè, & simpliciter: ergo non potest dici absolutè, esse propter aliud, quod solum illud respicit, vt finem vtilitatis, & consequentèr, si Incarnatio Verbi solū illo modo fuit propter hominem, vt finē, nempè, *cui, & vtilitatis*, non benè dicitur in Symbolo Nicæna absolutè, Verbum esse propter nos Incarnatū.

187 *Respōdetur ad primam replicā.*

Respondeo ad primam obiectionem, D. Thomam *ibi* loqui de creaturis ad ordinem naturæ spectantibus, quæ, cum exigantur propter se à natura, quando absolutam participant Dei similitudinem, & non in altero, vel ad alterum, essent, quamvis nō existerēt, illa, quorum vtilitati deseruiunt; Incarnatio autem, cum sit supra exigentiam, & debitum naturæ, non foret, si non esset homo redimendus, cui vtilitas redemptionis proueniret ex illa, quia non nisi vt inferens homini prædictam vtilitatem, illamque causans fuit de facto volita, & amata à Deo, *vt prima conclus.* docuimus, & testimonijs Scripturæ probauimus, ideoque etsi absolutam, & perfectissimam Dei similitudinem participet, non foret, si peccatum nō esset, & homo redimendus ab illo.

188 *Ad secūdam.*

Ad secundam dicatur, Christum vt hominem respectu nostræ salutis esse finem, *cuius gratia*; quia salus nostra illius manifestat virtutem: vndè, Concilium Tridentinum *vbi supra*, de nostra iustificatione loquens asseruit, causam illius finalem esse gloriam Dei, & Christi: non est autem de ratione finis, *cuius gratia* omnem vtilitatem excludere: Deus namque est finis vltimus omnium creaturarum, & omnes creaturæ ad ipsum vt ad finem vltimum ordinantur; & tamen ex illis aliquam venatur vtilitatem, nempè, gloriam, & honorem extrinsecum. Christus etiā quatenus homo est nostræ iustificationis finis; & tamen ex illa consequitur aliquam vtilitatem, videlicet, honorem, & gloriam: non ergo est de ratione finis, *cuius gratia* omnem vtilitatem excludere, licet finis *cui, & vtilitatis* aliquando sine ratione finis, *cuius gratia* inueniatur, nempè, quando est quid inferius respectu illius, quod ad ipsum ordinatur: tunc enim nō obtinet rationem finis propriè, vt inquit D. Thomas, & consequentèr nō est finis *cuius gratia*, quæ propriè finis est, sed finis *cui vtilitatis*, & vtilitas illi proueniens rationē finis effectus sortitur.

189 *Ad tertiam.*

Ad tertiam obiectionem, concessa maiori, nego minorē; ad illius probationem distinguo maiorem: esse animatum propter aliud tanquam propter finem proprium formalizantem amabilitatem voliti propter ipsum, concedo maiorem: tanquam propter finem effectum non formalizantem amabilitatem voliti propter ipsum, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego cōsequentiam; quia in hoc modo discurrendi, quem probabiliorem censemus, tamen si nostra salus fuerit aliquomodo, & secundum quid ratio volendi Incarnationem, quatenus Incarnatio fuit volita in ordine ad nostram salutem vt ad finem effectum, & homini redimendo vt fini *cui* vtilitatis; non tamen fuit ratio formalis, sub qua Incarnatio fuit volita à Deo, quia ad hoc requirebatur, quod Incarnatio eligeretur vt medium propriè sumptum respectu nostræ salutis, quod incomenies censemus fundati in verbis Angelici Prætoris *superius* adductis: & hoc necessarium erat, vt salus hominum obtineret rationem finis *cuius gratia* respecta Incarnationis, prout de facto fuit volita à Deo.

190 *Ad quartam.*

Ad quartam obiectionē dicatur, finē, *cuius gratia* esse absolutè, & simpliciter finem, ex quo; & finem *cui* vnica, & adequata causa finalis cō fiatus; finē autē effectum esse secundū quid, & reductiuè finem *cuius gratia*, & finem, cui vtilitas ex tali fine consequitur, esse reductiuè finē *cui* ex quo tantum sequitur, remedium peccati sumptum passiuè fuisse finem *cuius gratia*, nō simpliciter, sed secūdū quid respectu Incarnationis. Et ex his ad confirmationem, concesso antecedenti, distinguo consequens: finis, *cuius gratia* simpliciter, nego consequentiam: reductiuè, & secundum quid, concedo consequentiam. Ratio

Ad cōfirmationē

antem, cur sanitas est finis, *cuius gratia* simpliciter medicinæ; secus autē nostra salus respectu Incarnationis, est; quia sanitas est ratio obiectiua formalis amandi medicinam, v. g. sumendi potionē amaram; salus autem nostra nō ita respectu Incarnationis, sed hæc propter se amatur à Deo, ly *propter* dicente rationē formalē obiectiuā terminandi amorem diuinum; in ordine tamen ad salutem nostram vt ad finem effectum per se à Deo intētum, saltim virtualiter in decreto Incarnationis; quemadmodum amor causæ, in quantū talis, est virtualis amor effectus. Quam doctrinam *infra fusius* explicabimus.

191. *Ad vltimam.* Ad vltimam obiectionem, concesso antecedenti, nempè, finem effectum, seu finem, *cui, & vtilitatis* solum, non esse finem absolutè, simpliciter, & directè, sed secundum quid, & reductiuè, neganda est consequentia, qua infertur, non posse absolutè dici esse propter aliud, quod solum ordinatur ad illud vt finem effectum, & ad finem *cui vtilitatis*. Ratio autem, cur hoc possit absolutè affirmari, est; quia semper atque ly *propter aliud* cadit super aliquid superius respectu sibi inferioris, subintelligitur limitatio modi essendi propter illud, videlicet, vt propter finem effectum, & finem *cui vtilitatis*. Vndè, *loco vbi supra* absolutè protulit D. Thom. Lunam, & Stellas esse factas propter hæc inferiora, quamuis non sint propter illa, vt propter finē simpliciter talē, nempè, finē *cuius gratia*, sed solum vt propter finem effectum, & cui inferunt vtilitatem. Absolutè etiam dixit Philosophus, substantiam esse propter suam operationem, quamuis ad illam vt ad finem simpliciter talē non ordinetur. Absolutè etiam dicitur, meritum Christi, quo nobis vitam æternam meretur, esse propter nostram gloriam; & tamen meritum Christi non respicit illam, vt finē, *cuius gratia* simpliciter, aliàs fulsset nostræ prædestinationis effectus; ex quo vlterius fieret, Christum omnes prædestinationis nostræ effectus non meruisse, cum non potuerit proprium meritum mereri, cuius contrarium communis sententia docet. Quia ergo Incarnatio est bonum supereminens nostræ saluti, & remedio peccati, absolutè dicitur facta propter remedium peccati, etsi non fuerit finis Incarnationis simpliciter, sed tantum secundum quid.

192. *Instabis.* Sed dices: esse propter aliud vt finem effectus, non est propriè, esse propter illud: ergo si Incarnatio solum fuit ordinata ad remedium peccati vt ad finem effectū, nō nisi impropriè dicitur fuisse factam propter nostram salutem, & consequentèr verba Symboli Nicænæ, quibus asseritur Verbū propter nos homines, & propter nostram salutem esse incarnatum, sunt in sensu improprio accipenda; quod videtur inconueniens, cum verba Scripturæ, & consequentèr etiam illa, quæ in Symbolo continentur, debeant in proprio sensu accipi, nisi ex rigorosa, & propria acceptione aliquod inconueniens sequatur, quod in præsenti non accidit. Prob. antecedens; esse vnum propter aliud, est, esse effectum illius in genere causæ finalis; sed quod tantum est propter aliud, vt propter finem effectus, non est propriè effectus illius in genere causæ finalis: ergo vnum esse propter aliud vt finem effectus, non est propriè esse propter illud.

193. *Cōfirmabis primo.* Et confirmabis primò: etenim verba in Symbolo Nicæna contenta, nō solum sunt in sensu proprio accipienda, sed etiam in sensu magis proprio, & rigoroso, nisi ex magis propria acceptione aliquod absurdum sequatur; sed si Incarnatio asseratur volita, & electa à Deo propter remedium peccati tanquam finem *cuius gratia*, cum maiori proprietate prædicta verba accipiuntur, quam si solum tanquam ad finem effectum asseratur ad remediū peccati ordinata, vt ex ipsis terminis constat: ergo sic sunt accipienda, ac per consequens Incarnatio non fuit remedij peccati finis, nec illius permissionem in diuina mente ordine intentionis præcesit.

194 Confirmabis, & vrgebis secundò: nam si vera esset nostræ solutionis do-

Cõfirmatio secũdo.

ctrina, sequeretur, absolutè posse dici, gloriam vt coronam esse in ordine intentionis volitam propter merita nostra, ly *propter* dicente finem intentionis gloriæ vt coronæ: consequens est falsum, nec hucusque ab aliquo assertum: ergo deficit nostræ solutionis doctrina. Probatur sequela: ideo Incarnatio in doctrina solutionis absolutè dicitur volita à Deo propter remedium peccati, & propter nostrã salutem; quia fuit ab ipso volita in ordine ad remedium peccati vt Incarnationis effectũ; sed etiam Deus intendens gloriam vt coronam, vult illam in ordine ad merita, vt effectus gloriæ, quandoquidem gloria intenditur vt finis meritorum; finis autem causa est illorum, quæ ordinantur ad ipsum: ergo poterit dici absolutè, gloriam vt primò intentam esse à Deo volitam propter merita, vt finem intentionis gloriæ.

195. *Respondetur ad instãtiã primo.*

Ad obiectionem respondeo primò, concedendo antecedens, & consequentiam, & negando hoc esse inconueniens, quòd nempè, verba Symboli Nicænæ, non in sensu proprio, sed in improprio accipiãtur, eo quòd ex illorum proprio sensu, & rigorosa acceptione colligitur, Christum vt hominem, & Incarnationem Verbi fuisse à Deo ordinatam ad remedium peccati vt ad finem propriè talẽ; hoc autem inconueniens est: vt enim docet D. Thom. *in 2. distinct. 15. quæstione prima artic. primo ad sextum* verbis *superius* relatis, inconueniens est dicere, quòd aliquid ad vilius se ordinetur vt ad finem proprium, & principalem: ergo dicere, Incarnationem Verbi fuisse ordinatam à Deo ad remedium peccati, quod est aliquid multò inferius Incarnatione, vt ad finem propriè talem, inconueniens à Diuo Thoma censetur, & consequenter ad vitandum hoc inconueniens, quod sequitur ex rigorosa verborum Symboli acceptione, non sunt in hoc rigore accipienda.

S. Tho.

Ad primã confirmationem.

Et ex his constat ad primam confirmationem solutio: si namque rigorosum sensum prædictis verbis negamus propter inconueniens, quod sequitur, à fortiori illis rigidiorẽ, & magis proprium sensum ob vitandum dictum inconueniens negabimus. Et quidem plus excedit Incarnatio Verbi reparationem hominum à peccato, quam Luna, & Stellæ noctuas, & vespertilliones: cum ergo inconueniens reputet D. Thom. asserere, Lunam, & Stellas factas esse propter prædictas creaturas, tanquam propter finem proprium ob excellsum, quo eminent super illas, à fortiori inconueniens censebit asserere, Incarnationẽ Verbi fuisse à Deo factam propter remedium peccati tanquã propter proprium finem.

196. *Secũdo respondetur.*

Secundò ad obiectionem respondeo, negando antecedẽs, ad cuius probationem dicatur, quòd licet vnũ esse propter aliud sit in supponẽdo idẽ, quòd esse effectũ illius in genere causæ finalis; nõ tamen sunt idem in significando: sicut habens Deitatẽ, & Deus sunt idem in supponendo, non tamen in significando: ex quo prouenit, vt tres personæ diuinæ dicantur tres habentes Deitatem; & tamen tres Deos dicere fides catholica abhorret: vndè ex eo, quòd ratio finis non nisi impropriè fini effectui conueniat, nec ordinato ad illum propriè competat ratio effectus finis, nõ sequitur, id, quod ordinatur ad aliud vt finẽ effectum, non dici propriè esse propter illud; quia proprietas terminorũ penès illorum significationẽ pensatur. Quòd autem ly *propter aliud* dicatur propriè de eo, quod ad aliud vt ad finem effectum ordinatur, patet: nam propria nominũ significatio venanda est ex vsu, & acceptione Sapientum; sed Aristoteles absolutè asserit, substãtiam esse propter suam operationem, & consequentèr sentit, propriè id dici de substãtia, cum tamen non sit propter illam vt finem *cuius gratia*, sed vt finem effectũ, & D. Thom. absolutè docet, Lunam, & Stellas esse factas propter inferiores creaturas, quas tamen non vt finem, *cuius gratia*, sed vt finẽ effectum respiciũt: ergo ly *propter* propriè sumptũ non determinat propriam causã finalem, sed abstrahit à propria, & impropria, & cõsequẽtèr quãuis nõ sit facta

Incarnatio, nec volita à Deo propter remedium peccati tanquam finem, *cuius gratia*, ſed ſolum vt finem effectum, propriè propter illud facta, & volita dicetur, & verborum Symboli Nicænæ aſſerentis, Verbum propter nos homines, & propter noſtram ſalutem fuiſſe Incarnatum, propria ſignificatio ſaluabitur.

197 *Ad primã confirmationem.*

Ad primam confirmationem, nego maiorem: cum enim ex ſenſu magis proprio, & vſurpatione ſtrictiori verborum Symboli Nicænæ inferatur, tam præcellens, & excelſum bonum, quale eſt Incarnatio Verbi ad bonũ ita Incarnatione inferius, quale eſt remediũ peccati vt ad finem proprium ordinari, quod à D. Th. vt vidimus, inconueniens iudicatur, non debent in ſenſu magis proprio vſurpari. Et quidem magis propriè acciperentur verba Symboli Nicænæ, ſi Incarnatio Verbi reſpiceret remedium peccati, non ſolum vt finem proximum, ſed etiam vt finem vltimum, & adæquatum, quod tamẽ aſſerendum non eſt; quia naturis rerũ repugnat, quòd remedium peccati ſit finis vltimus Incarnationis: ita Nos dicimus, eſſe a magis rigoroſo ſenſu prædictorum verborum declinandum, quia naturis rerum non congruit, vt id, quod perfectius eſt, ad imperfectius ſe, vt ad finem proprium ordinetur.

198 *Ad ſecũdam.*

Ad ſecundam confirmationem, nego ſequelam: ad illius probationẽ diſtinguo cauſalem maioris: quia fuit volita Incarnatio in ordine ad remedium peccati, vt effectum in genere cauſæ efficiẽtis, concedo maiorem: ex communi ratione effectus, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam: nam merita in ordine intentionis connotantur à gloria intenta per modum coronæ, vt effectus illius in genere cauſæ finalis, non in genere cauſæ efficientis; cauſa autem finalis non dicitur eſſe propter ſuum effectum, nec vnquam Philoſophi ſic de cauſa finali loquuntur: vndè, non poteſt dici, quòd gloria intenta vt corona fuerit à Deo volita propter merita in ordine intentionis; Incarnatio autem fuit amata, & volita à Deo in ordine ad remedium peccati vt effectum ſui in genere cauſæ efficientis. Quod autem ſic decernitur, & amatur, dicitur propter ſuum effectum amari, & decerni, vt conſtat ex Ariſtotele abſolutè aſſerẽte, ſubſtantiam eſſe propter ſuam operationem, & ex D. Thoma dicente, Lunam, & Stellas eſſe factas propter inferiores creaturas, quarum vtilitati deſeruiunt; ideo que poteſt abſolutè dici, Incarnatiõnem fuiſſe volitam, & amatam à Deo propter remedium peccati.

199 *Secundo reſponderi poterat ad ſecundam cõfirmationem.*

Aliter poſſet huic confirmationi occurri ex aliquorum doctrina aſſerentium, cauſam efficientẽ eſſe propter ſuam operationem, non autem dici eſſe propter ſuum effectum: & quia merita non comparantur ad gloriam intẽtam vt coronam, niſi ſolum vt effectus, fit conſequẽs, vt nõ poſsit dici gloria intenta propter merita, ly *propter* dicente finem intentionis gloriæ, bene tamen Incarnatio poteſt dici volita, & intenta à Deo propter remedium peccati, ideſt, propter hominem redimendum ab illo; quia redimere hominem à peccato eſt Incarnationis operatio.

200 *Reijcitur primo iſta ſolutio.*

Cæterum contra hanc ſolutionẽ, & doctrinam, in qua fundatur ſolutio, facit primò doctrina Angelici Præceptoris *vbi ſupra* aſſerentis, Lunam, & Stellas eſſe factas propter hæc inferiora, Regemque eſſe factũ propter ruſticum; cum tamen nec iſta inferiora reſpectu Lunæ, & Stellarum rationem actionis, ſed rationem effectus ſortiantur, nec ruſticus operatio ſit Regis, ſed ſubiectum, cui ex illius regimine vtilitas prouenit: ergo cauſa efficiens, non ſolum dicitur propter ſuam operationem facta, & ad illam ordinata, ſed etiam ad ſuum effectum.

201 *Secũdò.*

Secundò facit: nam hi Authores eadem difficultate tenẽtur; finis namque nec dicitur propter ſuum effectum eſſe, nec propter ſuam operationem, vel quaſi operationem, nempè, ſuam cauſalitatem finalem: non enim dicitur finis ad finalizandum ordinatus, nec factus propter finalizandum, vel finalitèr cauſandum, cum tamen

cauſa

causa efficiēs dicatur ordinata ad operandum, & facta propter suam operationem: ergo adhuc prædicti Auctores tenentur quærere discrimen inter causam efficientem, & causam finalem, cur, nempè, causa efficiens ad suam operationem ordinetur, si que propter illam, causa autē finalis propter causandum non sit, nec ad finalizandum ordinetur?

202 *Tertiò.* Denique facit: nam Christus non solum dicitur volitus, & factus à Deo propter redimēdum hominem à peccato, sed etiam propter nos homines, & propter nostram salutem, vt constat ex verbis Symboli; sed quāvis hominem à peccato redimere sit Christi vt hominis, & Incarnationis operatio; salus autem nostra ex illius meritis proueniens, Christi operatio non est, sed effectus per illam causatus: ergo causa efficiens, non solum dicitur facta propter suam operationem, & ad illam ordinata, sed etiam ad suum effectum, & consequentèr per doctrinam illam non assignatur discrimen inter gloriam vt coronam per comparationem ad merita, & Incarnationem respectu remedij peccati.

203 *Cōtradicta instabis primo.* Cæterum contra hucusque dicta instabit aliquis primò: ex illis namq; sequitur, magis propriè dici, remedium peccati esse volitum à Deo propter Verbi Incarnationem, quam quòd Incarnatio Verbi fuerit à Deo volita propter remedium peccati, & propter nostram salutem: consequens est falsum: ergo hucusque à Nobis dicta deficiunt à veritate. Falsitas consequentis constat ex eo, quòd in Scriptura, & in Symbolo Nicæna nō dicitur, nostram salutem fuisse propter Incarnationem, sed è contra, propter nos homines, & propter nostram salutem Verbum Incarnatum dicitur; at si salus nostra cū maiori proprietate fuisset propter Incarnationē, quam hæc propter remedium peccati, hoc in Scriptura explicaretur, vel in Symbolo Nicæna: ergo consequens illatum est falsum. Sequela autem manifestè probatur: nam iuxta nostram doctrinam remedium peccati est propter Incarnationem vt finem, *cuius gratia*; Incarnatio autem est propter remedium peccati, solum vt finem effectum; at finis, *cuius gratia* propriè obtinet rationem finis; finis autem effectus, non propriè, sed impropriè rationem finis sortitur, vt constat ex dictis: ergo ex illis manifestè sequitur cum maiori proprietate dici salus nostra volita propter Incarnationem, quam Verbum propter nostram salutem incarnatum, & ad illam ordinatum.

204 *Instabis secūdo.* Secundò, nam sequitur ex eadem doctrina, Incarnationem Verbi magis ex amore Christi, quam ex amore hominum processisse: consequens est falsum: ergo doctrina à Nobis tradita vera non est. Sequela patet: nam iuxta hucusqne dicta Incarnatio Verbi processit ex amore Christi vt finis, *cuius gratia*; ex amore autem hominum vt finis *cui, & vtilitatis*; sed magis amatur finis, *cuius gratia*, quam finis *cui, & vtilitatis* solum, cum finis, *cuius gratia* ametur ratione sui; finis autem, *cui, & vtilitatis* solum amatur ratione illius: ergo Incarnatio Verbi magis ex amore Christi, quam ex hominum amore processit.

205 *Minor probatur primo. Ad Eph. 2.* Falsitas autem consequentis probatur primò ex illo ad Ephesios 2. *Deus autem, qui dives est in misericordia propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, conviuificauit nos in Christo Iesu.* At si Incarnatio Verbi magis ex amore Christi, quam ex amore hominum processisset, melius diceretur propter nimiam erga Christum charitatem, quam propter nimiam charitatem nostri, Deum nos in Christo viuificasse, Verbumque in carne mississe: ergo Incarnatio Verbi non processit magis ex amore Dei erga Christum, quàm ex hominum amore.

206 *Secūdo. Ioan. c. 3* Secundò id ipsum probatur ex Ioanne *cap.* 3. illis verbis: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Sed si Incarnatio Verbi processisset magis ex amore Dei erga Christum, quam ex Dei amore erga homines, non diceretur, *sic Deus dilexit*

lexit mundum, ſed ſic Deus dilexit Chriſtum, vt Filium ſuum vnigenitũ daret, cum dare vnigenitum, & illum in mundum mittere principalius ex amore Chriſti, quam ex mundi amore oriretur: ergo aſſerendum non eſt, Incarnationem Verbi magis ex amore Chriſti, quam ex amore hominum proceſsiſſe. Tertiò; magis enim exaltat charitatem Dei in homines, principalius fuiſſe ex illorum amore ad Verbi Incarnationẽ allectum, quàm quòd ex amore Chriſti principalius motus fuerit: ergo ita aſſerendum eſt, quòd, nempè, Incarnatio Verbi magis ex amore hominum, quã ex amore Chriſti proceſsit.

Tertiò.

207 *Inſtabis tertio.*

Tertiò obijcies: vt enim verum ſit, Chriſtum propter nos homines, & propter noſtram ſalutem fuiſſe Incarnatum, neceſſum eſt, quòd voluntas efficax Incarnationis Verbi ex intentione noſtræ ſalutis proceſſerit; ſed hoc verificari in noſtra doctrina non poteſt: ergo doctrina tradita cum Verbis Symboli non conſonat, & conſequentèr eſt falſa. Conſequentia probatione non indiget; maior conſtat. Tùm; quia agens non poteſt velle, aut agere propter aliquem finem, niſi ex illius intentione velit, aut operetur: ergo Deum velle Incarnationẽ propter noſtram ſalutem vt finem non poteſt eſſe verum, niſi ex intentione noſtræ ſalutis illam velit. Tùm etiam: vt enim dicebamus *ſupra*, cauſalitas finis eſt in ordine intentionis præcedere, & vt intentum ad electionem mediorum mouere: ergo non ſtat, ſalutem noſtram eſſe finẽ, propter quem Incarnatio fuit volita à Deo, niſi in intentione præceſſerit, mouẽdo Deum ad volendam Incarnationem, & conſequentèr non ſtat abſque eo, quòd Deus ex intentione noſtræ ſalutis ad volendam Incarnationem proceſſerit.

208 *Minor probatur primo.*

Minor autem oſtenditur primò: vt enim *tractatu de prædeſtinat. Chriſti* docuimus, non ſolum electio efficax prædeſtinatorum ad gloriam, ſed etiã voluntas antecedens, & ineffica x, ſalutis omnium hominum fuit præmiũ meritorum Chriſti; ſed cum hoc non ſtat, vt voluntas efficax Incarnationis ex volũtate noſtræ ſalutis proceſſerit, aliàs principium meriti, videlicet, prædicta voluntas, quæ eſſet Chriſti, & meritorum eius principiũ, ſub eodem merito caderet: ergo voluntas efficax Incarnationis in Deo non proceſſit ex intentione noſtræ ſalutis, nec intentionem iſtam in diuina mente ſuppoſuit.

209 *Secundò.*

Secundò probatur: vt enim in 2. *concl.* docuimus, ſalus hominum eſt volita à Deo propter Incarnationem Verbi, vt finem, *cuius gratia*, & conſequentèr fuit volita ex intentione Incarnationis volitione ex illa imperata, cum intentio finis, *cuius gratia* præcedat, & imperet electionem mediorum; ſed non ſtat, Incarnationem præexiſtere in intentione reſpectu noſtræ ſalutis, & eſſe in intentione eadem ſalute poſterior: ſicut non ſtat, vnum præintelligi vt phyſicè præexiſtens ad aliud, & illo eſſe in phyſicè exiſtendo poſterius: qua ratione nequit dari mutua inter duo cauſalitas in genere cauſæ efficientis: ergo voluntas efficax Incarnationis non proceſsit in Deo ex intentione noſtræ ſalutis.

210. *Tertio.*

Denique probatur minor: nam idem reſpectu eiuſdem non poteſt eſſe propriè medium, & propriè finis: ſicut neque effectus, & principium efficiens, nec præmium, & principiũ meriti; ſed ſi voluntas efficax Incarnationis ex intẽtione noſtræ ſalutis procederet, illamque in diuina mente ordine intentionis ſupponeret, Incarnatio eſſet propriè medium reſpectu noſtræ ſalutis, cum eligeretur in ordine ad illam electione propriè ſumpta; intentioni namque reſpondet electio, & aliàs à Nobis ſupponitur, Incarnationem eſſe finẽ, *cuius gratia*, reſpectu noſtræ ſalutis, & conſequentèr idem reſpectu eiuſdem rationem finis, & medij propriè ſumpti obtineret: ergo voluntas efficax Incarnationis non proceſsit ex intẽtione noſtræ ſalutis, nec talem intentionem in diuina mente ſuppoſuit.

211. *Ad primam in*

Reſpondeo ad primam ex his obiectionibus, concedendo ſequelam, cuius veritatem probatio ibi facta cõuincit,

stantiā. nu. 203. postram respondetur. c

uincit, & negando minorem: ad illius probationem dicatur, quòd licet in verbis Symboli hæc maior proprietas non explicetur; imò nec ratio finis, quam Incarnatio exercet respectu nostræ salutis, *alibi* tamen hæc explicantur, nempè, in illis testimonijs, quib⁹ *secundam concluſ.* monstrauimus, in quibus præcedentia Sapientiæ Incarnatæ ad omnia Dei opera continetur. Et in Concilio Tridentino *ſeſ. 6. de iuſtificat. cap. 7.* vbi nostræ iustificationis causæ explicantur, asseritur, causam illius finalem esse gloriam Dei, & Christi: cumque decens sit, & consonum rerum naturis, vt Incarnatio, quæ est miraculorum miraculum, & maximum omnium bonorum, quæ in Dei continentur potentia, non ordinetur ad remedium peccati, vt ad finem, *cuius gratia*, sed solum vt ad finem effectum, & ad finem *cui, & vtilitatis*, ipsaque sit finis, *cuius gratia*, respectu nostræ salutis, fit cõsequens, vt testimonia Scripturæ in his sensibus sint accipienda, & consequentèr cum maiori proprietate affirmandũ, remedium peccati fuisse propter Incarnationem, quam quòd Incarnatio fuerit ob remedium peccati. Ratio autem, cur in Symbolo dicatur, Verbum propter nos homines, & propter nostram salutem fuisse incarnatum absque expressione causalitatis finalis, quam Incarnatio exercet respectu nostræ salutis, esse potest; quia *ibi* intenditur amor Dei erga homines explicari, qui tantum bonum ad nostram ordinauit salutẽ, ad quod magis conducit ordinatio Incarnationis ad remedium peccati, quam istius ordinatio ad Incarnationem Verbi, vt ad finem. Et quidẽ negari non potest, magis propriè esse remedium peccati propter Deum tanquam finem, quam Incarnatio propter remedium peccati, etiam si asseratur, fuisse finem, *cuius gratia* illius: & tamen hoc secundum, & non primũ in Symbolo Nicæna explicatur ob rationem assignatam: ergo ex eo, quòd magis propriè salus nostra fuerit propter Incarnationem, quam Incarnatio propter remedium peccati, non sequitur, hanc maiorem proprietatem debuisse à Symbolo explicari, & fidelibus credendam proponi.

Conc. Tridẽt.

212. *Ad secũdam.*

Ad secundam obiectionem, concedo sequelam, & nego minorem, ad cuius primam probationẽ, nego etiã minorem: nam licet finis principalis sit Christus in quantum homo; quia tamen finis *cui, & vtilitatis* est homo, quem Paulus ad Dei amorem, diuinamque grãtitudinem intendebat excitare; ideo conuenientius fuit dicere, Deum propter nimiam charitatem nostri nos in Christo viuificasse, quam asserere id factum propter nimiam charitatem Christi. Et quidem ibi non de beneficio Incarnationis loquitur Paulus, sed de beneficio iustificationis, Resurrectionis à mortuis, & Ascensionis in Cœlum, vt explicat D. Thom. *lect. 3.* super illa verba: *Conuiuificauit nos in Christo Iesu.* Certum autem est, finem nostræ iustificationis esse gloriam Christi vt hominis, cum id doceat Tridentinum *ſeſ. 6. de iuſtificat. cap. 7.* quin ex hoc liceat inferre, melius fore, vt diceretur, propter nimiam charitatem Christi, quam propter nimiam charitatẽ nostri fuisse nos à Deo in Christo viuificatos.

S. Tho.

Conc. Trid.

213. *Ad secũdã probationẽ minoris.*

Ad secundam probationem, nego minorẽ: nam licet aduentus Christi principalius ex amore ipsius, quam ex hominum amore processerit: quia tamen magis in vtilitatem hominum cessit, illosque ad Dei amorem, & gratitudinem Paulus exhortare conabatur, cõueniẽtius fuit charitati Dei erga homines, aduentum Christi attribuere, quam Dei charitati erga Christum. Et quidem negari non potest, decretũ Incarnationis Verbi, & Christi aduentum in carne magis ex amore Dei erga se, quam ex charitate Dei erga homines processisse, cum Deus sit vltimus finis omnium, quæ ad extra operatur, & consequentèr operis Incarnationis. Homo autem, esto esset finis, *cuius gratia* Incarnationis Verbi, solum esset finis proximus, & finis vltimus magis, quam finis proximus diligatur; & tamen ex hoc inferre non licet, debuisse Paulum asserere, sic Deus dilexit se ipsum, vt Filiũ

filium vnigenitum daret, non autem sic Deus dilexit mundum: ergo patet ex eo, quod principalius ex amore Christi, quam ex amore hominum Incarnatio Verbi, & adventus Christi processerint, non licet colligere, debuisse Paulum asserere sic Deus dilexit Christum, vt Filium suum vnigenitum daret, non vero sic Deus dilexit mundum, & cætera.

214 *Ad tertiã instãtiam.*

Ad tertiam obiectionem, nego maiorem: licet namque vt aliquid ametur vt medium in ordine ad finem proprium necessarium sit, quòd intentio finis præcedat, & ex illa præsuppositã procedatur ad electionem medij; vt tamẽ aliquid amotur vt causa propter aliud vt finẽ effectum, necessariũ non est, quod amor causæ intentionẽ effectus supponat, & procedat ex illa. Christus autem nõ fuit volitus à Deo propter nostram salutem, vt medium ad illam, vt ad finem proprium ordinatum, sed vt causa in ordine ad finem effectum: ideoque necessarium non fuit vt intentionem nostræ salutis supponeret, & procederet ex illa. Et ex his ad primam maioris probationem, distinguo antecedens: propter finem, *cuius gratia*, cõcedo antecedẽs: propter finem effectum, nego antecedens, & consequentiam. Deus namque decernens Incarnationem propter nostram salutem non voluit Incarnationem vt medium ad nostram salutem, sed vt causam meritoriam illius, & cõsequenter non ordinauit Incarnationem Verbi ad salutem hominum vt ad finem, *cuius gratia*, sed solum vt ad finem effectum. Ex quo vlterius fit, quòd necessaria non fuerit intentio salutis hominum præcedens decretum Incarnationis.

Ad primi probationẽ maioris.

Ad secũdam.

Ad secundam probationem dicatur, antecedens esse verum de causalitate finis, *cuius gratia*, qui simpliciter est finis, de quo verum est, quòd debeat in intentione præcedere, & vt sic intentum electionem mediorum causare; falsum autem de fine effectu, qui solum secundum quid obtinet rationem finis, nec est ratio diligendi causam, alias non vt causa, sed vt mediũ amaretur: ideoque non debet in intentione præcedere, & vt præintentus in amorem causæ influere, sed sufficit, quòd causa vt talis in ordine ad ipsum ametur, & decernatur.

215. *Solutio Nazar.*

Mitto aliorum solutionem diuidentium primum instans intentionis in negotio nostræ salutis in duo signa naturæ, asserentiumque, intentionem Incarnationis præcessisse in vno signo naturæ voluntatem remedij peccati, & reparationis ab illo, illamque impetrasse; in alio autem signo intentionẽ remedij peccati fuisse priorem voluntate intẽtiua Incarnationis, hancque fuisse effectum, vel quasi effectum illius, eamque supposuisse, & ex illa processisse. Ita sentire videtur Nazarius *controuersia supra allegata* inter explicandum secundam conclusionem.

216 *Reijcitur primo. Secũdò.*

Cui solutioni non possumus assentiri. Tùm, propter illa, quibus minorem tertiæ obiectionis mõstrauimus. Tum etiam: quia, vt aliquid rationem finis effectus respectu alterius sortiatur, non est necessarium, vt hoc ex illius intentione procedat: Cum ergo remedium peccati solum fuerit finis effectus respectu Incarnationis Verbi, vt ex doctrina D. Thomæ monstrauimus, necessariũ nõ est, quòd intentio Incarnationis procedat ex intentione remedij peccati, illamque præsupponat. Probo assumptum: Christus namque, non solum fuit mortuus propter salutem omnium hominum in generali, sed etiam in speciali propter gloriam prædestinatorũ, vt propter finem effectũ cum illam sua morte meruerit, & cõsequẽter ad eam sua merita direxerit. Et tamen meritum Christi nõ processit ex intentione efficaci gloriæ prædestinatorũ. Tùm, quia aliàs esset effectus prædestinationis hominum, quod frequentiori, veriorique sententiæ aduersatur. Tùm etiam: quia aliàs prædictam intentionem efficacem gloriæ prædestinatorum Christus Dominus nõ meruisset, cum principium meriti nõ possit sub illo cadere, cuius contrarium frequentior sententia tenet, Nosque *tractat. de prædestinat. Christi* monstrabimus. Ergo ad rationem finis effectus necessarium non est, quod illius intentio præ-

præcedat, ex illaque id, quod ad ipsum ordinatur, procedat.

217 *Confirmatur*

Quod amplius explico, & confirmo in hunc modum: volitio efficax Dei, qua applicuit voluntatem Christi humanam, vt Christus quatenus homo applicaret sua merita specialiter pro illis, qui prædestinati sunt, habuit pro fine effectu prædestinatorũ gloriam, & efficacem electionem ad illam, quam etiam Christum prædestinatis meruisse suppono ex dicendis *infra tractat. de Christi prædestinat.* Et tamen prædicta volitio Dei applicans voluntatem Christi humanam non suppositit efficacem electionem prædestinatorum ad gloriam, neque ex illa processit, cum sit principium actionum, quibus Christus talem electionem meruit, & consequentèr ex illa procedere nequeat: ergo de ratione finis effectus non est, quòd illius intentio ea, quæ ad ipsum ordinantur, præcedat, nec quòd nascantur, vel imperentur ex illa; ac proindè, vt Incarnatio Verbi, vt ad finem effectum fuerit ad remedium peccati ordinata, necessarium non est, quòd intentio redemptionis hominum à peccatis decretum intentivum Incarnationis præcesserit, nec quòd huiusmodi decretum fuerit ex tali intentione imperatum.

218 *Explicatur magis.*

Et ratio est iam insinuata, sumiturque ex differentia, quæ inter medium volitum propter finem, *cuius gratia*, & causam volitam propter finem effectum versatur, quòd, nempè, medium propriè tale amatur ratione finis: vndè, sicut ex parte obiecti bonitas finis præcedit, vt ratio diligendi medium: ita ex parte operantis intentio finis debet electionẽ medij præcedere, illamque imperare: sicut, quia veritas principiorum obiectiuè præcedit veritates conclusionum, assensus principiorum præcedunt in intellectu assensus conclusionum. Causa autem volita vt causa non amatur ratione sui effectus, etsi ametur in ordine ad illum; & idcirco effectus dicatur finis; quia in illo amor causæ terminatur; ac proindè effectus non est ex parte obiecti ratio amabilitatis causæ: ex quo vlterius fit, vt volũtas, vel intentio finis effectus non debeat amorem causæ præcedere ex parte operantis, nec illum imperare. Sicut ergo meritum, quo Christus Dominus meruit electionem efficacem prædestinatorum ad gloriam, fuit à Deo volitum propter illam, vt quasi finẽ effectum, quin voluntas efficax gloriæ prædestinatorum dictam volitionem præcesserit, illamque imperauerit: ita in præsenti Nos dicimus, fuisse à Deo volitam Incarnationem per decretũ primum intentivum propter remedium peccati, quin fuerit necessariũ, quòd voluntas, vel intentio remedij peccati præcesserit in mente diuina ordine intentionis decretum Incarnationis, & quin ex tali intentione prædictum decretum processerit, vel ab illa fuerit imperatum.

219 *Obijcies*

Nec sequitur, finem effectum nullatenus obtinere rationem causæ finalis, quandoquidem nullo modo in ordine intentionis amorem suæ causæ præcedit; de ratione autem causæ est prioritas, vel præcedẽtia ad effectum iuxta causæ conditionem, nempè, in executione, si rationem causæ efficiẽtis sortiatur, & in ordine intentionis, si causa finalis sit. Non, inquam, hoc inconueniens ex tradita doctrina colligitur, ex qua solum sequitur, quòd finis effectus non sit causa finalis simplicitèr, & perfectè; non autem quòd non sit causa finalis imperfectè, & secundum quid, ad quod sufficit, quòd causa ametur; quia causa talis effectus, & non nisi in ordine ad illum, nam eo ipso effectus mouet directè ad amorem causæ, vt virtualitèr in illa contentus, & indirectè in se ipso, causaque in terminando amorem aliquo modò ab effectu dependet.

Respondetur.

220 *Instabis.*

Sed dices, sequi ex tradita doctrina, non fuisse necessarium, quòd præuisio peccati decretum intentivum Incarnationis vlla ratione præcesserit: consequens secundæ conclusioni aduersatur, in cuius vltima parte docuimus, decretum intentivum Incarnationis præuisionem peccati supposuisse, fuisseque posterius peccato, & illius permissione in genere causæ materialis: ergo doctrina hucusque tradita

dita ſecundæ concluſioni non conſonant. Minor cum conſequentia tenet; ſequela autem probatur: nam eatenus præuiſio peccati potuit eſſe neceſſaria ad decretum intentiuum Incarnationis, quatenus decretum illud fuit terminatum ad Chriſtũ propter remedium peccati; ſed hoc non obſtante neceſſarium non fuit, quod intentio remedij peccati decretum intentiuum Incarnationis præceſſerit, illudque imperauerit, vt proximè dicebamus: ergo etiam neceſſarium nõ fuit, præuiſionem peccati decretum intentiuum Incarnationis præcedere, cuius contrarium in vltima parte ſecundæ concluſionis docuimus.

221. *Reſpondetur.* Reſpondeo, negando ſequelam: ad illius probationem, nego cauſalem maioris; ſed ideò neceſſaria fuit præuiſio, & præcedentia peccati in genere cauſæ materialis ad primum Incarnationis decretum; quia Chriſtus ex vi illius volitus fuit vt Redemptor. Redemptor autem vt talis captiuitatem, & peccatum vt materiam præſupponit, ab illoque dependet in genere cauſæ materialis: & ſicut ob hanc cauſam *tract. de prædeſtinat.* docuimus, electionem, vel intentionem pœnitentiæ, ex qua proximè in electis prouenit permiſsio peccati perſonalis, peccatum deſtruendum vt materiam præuiſam ſupponere; ob eandem aſſerimus in preſenti, Chriſtum quatenus Redemptorem præcedentem permiſsionem peccati originalis in ordine intentionis in genere cauſæ finalis, peccatum præuiſum in eodem ordine ſupponere in genere cauſæ materialis, etiam ſi intentio noſtræ ſalutis non præcedat decretum intentiuum Chriſti vt Redemptoris, nec tale decretum ex intentione noſtræ ſalutis formaliter ſumptæ procedat.

* * * * * * * * * * * *
* * * * * * * * *
* * * * * * *
* * * * *
* *

§. X.

Corollaria præcedentis doctrinæ, & vna difficultas reſolvitur.

EX dictis in diſcurſu iſtius diſputationis colligo primò, verba Patrum aſſerentiũ nullam cauſam fuiſſe veniendi Chriſtum, niſi peccatores ſaluos facere, quæ in confirmationem primæ concluſionis adduximus, ſic eſſe accipienda, vt excludant cauſam aduentus Chriſti à remedio peccati diſtinctam, & cum illo nõ connexam; non autem cauſam, vel motivum diſtinctum à remedio peccati, cõnexum tamen cum illo. Quod patet primò: nam hoc ſufficit intento Patrum, quod erat, non venturũ Chriſtum, non exiſtente peccato; hoc enim ipſo, quòd alia motiua fuerint cum remedio peccati connexa, non mandabitur executioni Incarnatio, peccato non exiſtente: ergo ita accipienda ſunt. Secundò, nam decretũ intentiuum Incarnationis, cum fuerit actus liberalitatis diuinæ debuit moueri à diuina bonitate: motivum namque liberalitatis eſt bonitas operantis: ergo verba Patrum nõ ita ſunt accipienda, vt excludant à prædicto Incarnationis decreto omne motivũ diſtinctum à remedio peccati, ſed ſolum vt excludant motivum diſtinctũ, & cum remedio peccati inconnexũ.

222. *Corollarium primum.* *Probatur primo.* *Secũdo.*

223. *Corollarium ſecundũ.* *Probatur primo.* Secundò ex dictis infertur, primam illam voluntatem, qua Deus Incarnationem ordine intentionis decreuit, fuiſſe amorem Dei erga homines: quod denotant verba illa Ioann. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* Quibus apertè traditur, donationẽ vnigeniti proceſsiſſe ex amore Dei erga homines: & licet poſsint referri ad voluntatem executiuam Incarnationis, & neceſſarium non ſit, quòd voluntas intẽtiua

Ioann. 3. cap.

ſit

sit actus eiusdem virtutis cum voluntate exequente, vt *tract. de prædestinat.* docuimus, asserentes voluntatem executiuam gloriæ esse actum iustitiæ, intentiuam autem esse actum liberalitatis diuinæ; quia tamen verba Ioannis allegata possunt ad vtramque voluntatem sine incommodo referri, & de vtraque verificari, aptius in hac acceptione vsurpantur.

224 *Secundo.* Quòd autem prædicta voluntas fuerit actus, quo Deus homines amauit, probatur: nam amare aliquem, est velle illi bonum cum discrimine inter diuinam, & humanam voluntatẽ, quòd hæc ob suam limitationem non semper infert bonum, quod amato desiderat; diuina autem, si efficax sit, bonum amato volitum infallibiliter infert, & causat; sed prima illa volitione, qua decreta fuit Incarnatio, Deus voluit hominibus bonum. Incarnationis, cum terminata fuerit ad Christũ vt Redemptorem hominum à peccato, & à peccati captiuitate, qua ratione hominibus bona fuit, & maxima omnium gratiarum, quam Deus sua largitate in genus humanum effudit: ergo prima illa voluntas, qua Deus ordine intentionis Incarnationẽ Verbi decreuit, fuit amor, quo dilexit homines, illis tam excellsum bonum volens.

225. *Corollariũ tertium. Prima pars probatur primo.* Tertiò infertur, primum illud decretum fuisse actum liberalitatis, & misericordiæ diuinæ. Primum patet. Tùm, quia omnis gratia in homines Dei largitate diffusa, est effectus diuinæ liberalitatis: ergo summa omniũ gratiarum, qualis Incarnatio fuit, ex diuina liberalitate processit, & consequenter primum Incarnationis decretum fuit actus liberalitatis Dei. Tùm etiam: nam voluntas nullam obligationem in operante supponẽs, & illius innitens bonitati actus liberalitatis est; sed primum illud Incarnationis decretum nullam in Deo obligationem supponit, Deique innititur bonitati: ergo est actus liberalitatis diuinæ, imò actus liberalitatis ita perfectus, vt illo maximè Dei bonitas, & largitas ostendantur.

Secundò 226 Secundum probatur: nam obiectum misericordiæ est aliena miseria subleuanda; sed prima illa voluntate voluit Deus Christum hominibus vt subleuativũ maximæ miseriæ illorũ, motus ab illa: ergo fuit actus misericordiæ diuinæ. Minor pro prima parte constat: nã prima illa Dei voluntas terminata fuit ad Christum vt Redẽptorem hominum à captiuitate peccati: ergo terminata fuit ad Christũ quatenus subleuativum maximæ miseriæ hominum consistentis in peccato, & in peccati captiuitate. Secunda pars eiusdem minoris probatur: vt enim in vltima parte secundæ conclusionis docuimus, decretum, quo primùm Incarnatio fuit intenta, supposuit peccatum præuisum in genere causæ materialis: ergo Deus ad tale decretum motus fuit à miseria præuisa, & consequenter huiusmodi decretũ fuit formaliter actus diuinæ misericordiæ. *Secunda pars probatur.*

227 *Opponitur.* Opponitur: finis primi decreti intentiui Incarnationis non fuit subleuatio nostræ miseriæ: ergo subleuatio huius miseriæ non fuit talis decreti motiuum. Consequentia patet: nã respectu actus intentionis idem est motivũ, & finis: ergo si finis nõ fuit subleuatio nostræ miseriæ respectu decreti intentiui Incarnationis, nec fuit motivum illius. Antecedens autem probatur: nam subleuatio miseriæ in hominibus ex peccato contractæ nõ fuit finis Incarnationis Verbi per prædictum actum voluntatis, vt constat ex dictis: ergo nec fuit finis intentionis, qua Deus Incarnationem decreuit: id namque est finis respectu actus voluntatis, quod est finis obiecti voliti per talem actum.

228 *Respondetur primo.* Respondeo, subleuationem nostræ miseriæ duplicitèr sumi posse, videlicet, actiuè, & passiuè. Primo modo accepta idem est, quòd actiua redemptio, & quòd Christus vt Redẽptor, qua ratione fuit finis, *cuius gratia* remedij peccati, & permissionis illius, decretique intentiui Incarnationis, vt in *secunda concl.* docuimus. *Secundò.* Secundo modo sumpta est finis effectus Incarnationis, & homo redimendus finis *cui*, & *utilitatis*: vndè motivũ

decre-

decreti intentiui Incarnationis per modum finis, *cuius gratia* fuit subleuatio miseriæ in hominibus præuisæ actiuè cõsiderata; passiuè autẽ sumpta fuit motiuum illius decreti per modum finis effectus, & hoc sufficit, vt tale decretum fuerit formalitèr actus misericordiæ diuinæ.

229 *Corollariũ vltimum. Ordo diuinorũ decretorum.*

Denique infertur, ordinem inter diuina decreta sic esse in diuina mente statuendum, vt primò in genere causæ finalis sit volitus Christus, non solum secundum substantiam Incarnationis, sed etiam vt passibilis, vt Redemptor, & vt actualitèr redimens, quam ordo vniuersi, & quam permissio peccati, cum dependentia tamen ab illis, & posterioritate in alio genere causæ, nempè, in genere causæ materialis.

230

Secundò in vi meritorum Christi præuisi in vi decreti intentiui prædestinati sunt Angeli, & homines, quorum prædestinatio ordine intentionis ordinem vniuersi præcessit, & ex fine prædestinationis omne, quod est in vniuerso, fuit volitum iuxta illud Pauli: *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Ex quo intulimus *tract. de prædestinatione art. 2.* ipsam prædestinati substantiam fuisse prædestinationis effectum imperatũ ex efficaci gloriæ intentione, etsi cum dependentia à substantia prædestinati in genere causæ materialis: & ex eodem fine, eademque intentione efficaci processerunt in electis permissiones peccatorum personalium; ordine tamen executionis prius fuit volitũ vniuersum, & permissio peccati originalis, quam Christus prædestinatus, & permissiones peccatorum personalium, & prædestinatorum substantiæ prius, quam illorum gloria, quæ est finis prædestinationis.

1. *ad Corinth. c. 3.*

231. *An in vi præsẽtis decreti, nõ existẽte peccato originali Christus veniret?*

Pro complemento totius disputationis restant nonnullæ difficultates breuitèr expediendæ. Prima est, an in vi præsentis decreti, non existente originali peccato, veniret Christus in carne mortali, & passibili propter sola mortalia actualia?

Et quidem non venturum in vi præsentis decreti propter sola peccata venialia exploratum est apud Theologos, nullo, quem viderim, dissentiente, & à fortiori ex dicendis constabit; propter mortalia verò non ab vno, aut ab altero homine, sed à pluribus commissa venturum Christum in carne mortali, & passibili, etiam si nõ existeret peccatum originale, ex vi decreti, quod Deus de facto habuit, docet Granadus *controu. 1. de Incarnatione tract. 3. disp. 2. concl. 3.* pro se referens Medinam, Valentiam, & Suarez. Cæterum Magister Medina apertè loquitur non in vi præsentis decreti, sed in vi alterius, quod in prædicta hypothesi probabilitèr censet futurum, & vi illius futuram Incarnationem ad redimendum hominẽ à peccatis actualibus, & in eodem sensu loquitur Pater Suarez.

Aliqui affirmãt

Granad.

232. *Conclusio negatiua.*

Asserendum tamen est in vi præsentis decreti, Christum non venturũ propter sola peccata mortalia actualia, quantumcumque plura forent, non existente originali peccato. Hoc videtur de mente D. Thomæ *in præsenti art. 3. in cuius corp.* docet: *Quod quia in Sacra Scriptura vbique Incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignatur, conuenientius dicitur, Incarnationis opus ordinatum esse à Deo in remedium contra peccatum, ita quod, peccato non existente, Incarnatio non fuisset.* Hæc D. Thom. Ex quibus sic argumentor. De eodem peccato loquitur D. Thom. in *cõclusione*, cum infert, ipso non existente, non futurã Incarnationem, de quo loquitur in præmissis, ne dicamus contra regulas bonæ Dialecticæ arguere; sed in præmissis loquitur de peccato originali, cũ loquatur de peccato primi hominis, quod originale est: ergo de eodem loquitur in *conclusione*, & consequentèr sentit, non existente originali peccato, non fuisse futuram Incarnationem in vi præsentis decreti, esto plura essent peccata personalia mortalia.

Probatur auctoritate D. Th.

Respondebis.

Video, responderi posse, in præmissis loquũ D. Thomam de peccato primi hominis vel in se, vel in peccatis actualibus, quæ ex ipso originem ducunt, & in illo radicantur, & eodẽ

modo

modo esse in conclusione accipiendu: Ex quo non benè colligitur, non existente originali peccato, non venturū Christū propter sola actualia, & quòd ita sit accipiendus D. Tho. videtur necessariò dicendum, nam loquendo de peccato originali formaliter in seipso, non est verū, in sacra Scriptura vbi què ex illo rationem Incarnationis assignari, cum sæpè ex peccatis actualibus ratio assignetur, & de fide sit, Christum venisse ad redimēdum hominē, non solum à peccato originali, sed etiam à peccatis actualibus, & ad satisfaciendum pro illis.

233 *Rejicitur solutio.*

Cæterum, dato, quòd ita possint verba Angelici Præceptoris in præmissis vsurpari; adhuc tamē cōtrario Auctori nō prodest, nec euasio ista est sufficiens: nam casu, in quo originale peccatum non fuisset, peccata mortalia actualia ex illo non traxissent originem, nec radicarentur in illo, sed aliūdè provenirent, nempè, vel ex sola libera voluntate peccantiū, vel ex Dæmonis suasione: sicut contigit in primorū parētum peccatis: ergo si ratiò in Scriptura, cur Verbum carnē assumeret, ex peccato originali, vel in se, vel in peccatis in ipso radicatis iuxtà D. Tho. sumitur, non existente originali peccato, non veniret Christus in vi præsentis decreti.

234 *Vincēt. Lorca. Nazar. Vazq. Secūdo probant aliqui ex Divo Greg.*

Quam sententiam tenent Vincent. *relect. de grat. Christi. q. 6. cōc 4.* Lorca *disp. 10. memb. 4. n. 61.* Nazar. *art. 4. controu. vnic. conc. 2.* pro illa referens Vazquez, & alios, estque inter Recētiores cōmunis. Solet probari ex Gregorio *lib. 4. Reg. c. 1.* illis verbis: *Et quidem nisi Adam peccaret, Redemptorē nostrū carnem suscipere nostrā non oporteret.* Quibus verbis nihil pro hac sentētia apertius dici posse videtur. Cæterū statim subiungit Gregorius in assumpti probationem: *Non enim venit vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam: si ergo pro peccatoribus venit, si peccata deessent, eum venire non oporteret.* Quibus verbis conditionem magis vniversalē ex parte peccatorū oppositi, vt Verbum non assumeret carnem, nempè, quòd peccata nō essent. Quòd autem loquatur Gregorius de peccatis actualibus, constat: nam loquitur de peccatis, de quibus agitur pœnitentia, quæ sola sunt personalia, nam de originali culpa, quia aliena voluntate commissa, & ex capitis voluntate cōtracta, nō agitur pœnitentia. Non ergo est omninō certum ex vi huius testimonij, Gregorium in ea fuisse sententia, quòd si peccatum originale non esset, existentibus actualibus, non veniret Christus Redemptor.

Ista probatio est ineficax

235. *Probatur ergo secundo ex benedictione Cærei Paschalis.*

Melius probatur ex ijs, quæ in Benedictione Cærei Paschalis canit Ecclesia, vbi inter alia hoc habetur: *O certè necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est! O fælix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem!* At si in vi præsentis decreti Christus veniret Redemptor, & pro nobis esset moriturus propter sola peccata actualia, non existente originali peccato, hoc necessarium non fuisset, vt talem habuissemus Redemptorem, cum sine illo idem Redemptor veniret, mortemque pro nobis sustineret: ergo asserendum non est, peccato Adami non existente, Christum Redēptorem venturum ex vi præsentis decreti propter sola peccata actualia.

236 *Tertio probatur ratione.*

Quod insuper hac ratione probatur: etenim non existēte originali peccatō, nō foret decretum præsens, quo Christus Redemptor fuit volitus: ergo in dicta hypothesi non foret Christus Redemptor propter sola peccata actualia in vi præsentis decreti. Consequentia est cuidens: nam vi decreti nō existentis non potest Christus venire, neque existere Incarnatio, vt ex ipsis terminis est manifestū: ergo si in prædicta hypothesi non existēret præsens decretum, non veniret Christus, nec foret Incarnatio ex vi illius. Antecedens autē probatur; nam peccatum originale, si non fuit motivum adæquatū primariū decreti intentiui Christi quatenus Redemptoris; fuit tamen principale illius motivū, vt docet Angelicus Doctor in præsenti *art. 4.* cui Theologi cōsentiunt cōmunitèr: vndè, vbi Ioann. 1. dicitur: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Alij vertunt, peccatum mundi, scilicet, originale. Et Daniel 9. dici- Ioann. 1.

Dan. 9. tur: *Vt finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas*, ſcilicet, originalis. Sed deficiente motiuo principali decreti, non poteſt decretum idem perſiſtere, vt de ſe manifeſtum videtur, & ex dicendis conſtabit: ergo, ſi Adamus non peccaſſet, decretum præſens, quo Chriſtus Redemptor fuit volitus, non perſtitiſſet, ac per conſequens ex vi illius non exiſteret Incarnatio, nec veniret Chriſtus Redemptor.

237 *Obijcies*

Sed arguit P. Granadus: etenim in peccato originali potiſsimũ mouit Deum ad Incarnationẽ exequendam neceſsitas remedij, & reconciliationis cum Deo, vt ex Scriptura, & Patribus conſtat; ſed etiam ratione peccatorũ mortalium actualiũ, ſi hæc peccata, & numero plura eſſent, & à pluribus perpetrata, abſolutè humana natura inſtauratione, & recõciliatione indigeret: ergo hæc ipſa ratio moueret Deũ ad idem opus præſtãdum propter peccata actualia mortalia, eſto originalis culpa nõ eſſet, & conſequentèr Incarnatio in dicta hypotheſi exiſteret, Chriſtuſque Redemptor veniret ad redimẽdũ hominẽ à peccatis actualib⁹, ipſumque reconciliandum cum Deo.

238 *Reſpõdetur.*

Reſpondeo, hoc argumento ad ſummum ſuaderi poſſe, venturum Chriſtum, & Incarnationem futuram caſu, in quo Adamus non peccaſſet in vi alterius decreti, in eo caſu extituri, quod, an efficacitèr dicto argumento probetur, videbim⁹ paulò *inferius*; nõ tamen probat, venturũ Chriſtum futuramq; Incarnationem ex vi decreti præſentis. Quod patet: nam ſola ſimilitudo motiui non probat identitatẽ decreti, ſed ſolum ſimilitudinẽ vnius decreti cum alio; nam ad decreti identitatem identitas motiui requiritur; ſed quòd ratione peccatorum actualium natura humana inſtauratione indigeret, qua etiam ratione culpæ originalis indiguit, ſolum arguit, ſimile motivũ in prædicto caſu adeſſe; nõ autem idem motivũ, vt Deus Incarnationem decernat, cum in vtraque neceſsitate, tametſi ſimilitudo inueniatur, non tamen intercedat identitas: ſicut nec inter peccata, ex quib⁹ oritur reconciliationis neceſsitas, identitas reperitur: ergo argumento facto non probatur, eo in caſu futuram Incarnationem ex vi decreti præſẽtis, quo volita fuit Incarnatio, ſed ad ſummũ poteſt probari, futuram Incarnationem ex vi alterius decreti ſimilis decreto præſenti in prædicto caſu extituri, quod, an probet, in calce diſputationis videbimus.

§. XI.

Alia difficultas reſoluitur.

239 *An in vi præſẽtis decreti, Chriſtus veniret, ſolo peccato originali exiſtente?*

SECVNDA Difficultas eſt, an exiſtẽte peccato originali, Verbum aſſumeret carnem, Chriſtuſque Redemptor veniret in vi præſentis decreti, eſto non exiſterent actualia peccata? Prima ſententia docet, Incarnationem in prædicta hypotheſi futurã, Chriſtumque Redemptorẽ venturũ, & pro hominibus moriturũ in vi præſentis decreti. Hanc tenẽt *Medina* in præſenti *art.* 4. Vincẽtius *relect. de gratia Chriſti q.* 6. *conc.* 4. circa finẽ. Lorca *diſp. allegata num.* 59. Valentia *in præſenti pũcto* 6. Suarez *diſp.* 5. *ſect.* 6. Vazquez *circa art.* 4. Becanus *cap.* 1. *de Incarnatione q.* 9. Gaſpar Hurtado *diſp.* 1. *difficult.* 28. Quibus plures alij Recentiores adhærent.

1. Sentẽtia. *Medin. Vincet. Lorca. Valent. Suarez. Vazq. Becan. Gaſ. H.*

Secunda diſtinguit duplex decretũ in Deo, vnũ pertinẽs ad ordinẽ intẽtionis, aliud ad ordinẽ executionis, & aſſerit in prædicta hypotheſi, futuram Incarnationẽ, Chriſtũq; Redẽptorẽ venturũ in vi decreti præſentis intẽtiui, quo volita fuit Incarnatio, ſolo præuiſo originali peccato, & ſolũ in remediũ illius; nõ autem in vi decreti executiui, quod de facto fuit in Deo; quia hoc decreto volita fuit Incarnatio ob redimẽdũ hominẽ, nõ ſolum à peccato originali, ſed etiã à peccatis actualibus. Hanc tenet Illuſtr. Araujo in præſenti *art.* 4. *dub. vnic.* cũ prædicta diſtinctione cõponẽs, & ad cõcordiam redigens ſententias extremas.

240 2. Sentẽtia. *Araujo.*

Tertia, & verior ſententia negat in caſu præſuppoſito futuram Incarnatio-

241

Tertia, & vera sententia Nazar. Probatur.

nationem in vi præsentis decreti. Hãc tenet Nazarius *art. 4. controu. unic. conc. 1.* cui plures Recentiores adhærent, & probatur; nam motivum adæquatũ decreti Incarnationis nõ fuit remedium originalis peccati, sed etiã actualium mortalium; sed deficiente motivo adæquato, vel parte illius non potest idẽ decretum subsistere: ergo casu, in quo solum esset originale peccatum, nõ existeret præsens decretũ, & consequenter nõ existeret Incarnatio in vi illius. Secunda consequentia ex prima evidenter colligitur; nam vi decreti non existentis nihil potest existẽtiam accipere: ergo si in data hypothesi præsens decretum non foret, nõ posset Incarnatio existere in virtute illius. Prima autem consequentia benè ex præmissis infertur, minor est certa, & maior, ad quam tota devolvitur difficultas, probatur: nam finis adventus Christi fuit perfecta hominis redẽptio à captiuitate diaboli; sed perfecta redemptio nõ foret, si solum peccato originali remedium attulisset, non autem actualibus mortalibus: ergo adæquatum motivum decreti, quo volita fuit Incarnatio, non fuit remedium solius peccati originalis, sed etiam peccatorum actualium.

242 *Respõdebis primò.*

Respondebis primò, motivum, seu obiectum extensivum decreti, quo de facto intenta fuit Incarnatio cõprehẽdere sub se peccata actualia mortalia simul cum originali, secus autem motivum, aut obiectum primarium, sed hoc in solo peccato originali, & in illius remedio cõsistere; peccatis personalibus, & illorum remedio solum secundario ingredientibus, & vt idẽ per sistat decretũ, sufficere idem motivũ primarium, tametsi in secundario idẽtitas non seruetur: ac proinde etiam si peccata actualia non forent, manente originali peccato, idẽ maneret decretum, vi cuius in data hypothesi existeret Incarnatio, Christusq; veniret Redemptor.

243 *Rejicitur solutio.*

Sed contra hanc solutionem facit: nam motivum primariũ Incarnationis Christi passibilis, & mortalis, fuit redẽptio perfecta à captiuitate Dæmonis quoad sufficientiã; sed hæc non cõsistit adæquatè in satisfactione pro culpa originali, sed etiã pro peccato personali mortali, cui per vtrumq; homo Diabolo subijciatur, constituatur què sub ipsius potestate: ergo motivũ primarium adæquatum decreti intentivi Incarnationis, & Christi quatenus Redemptoris non fuit solũ peccatum originale, & hominem ab illo redimere, sed etiã personale mortale, & satisfactio pro illo, & cõsequenter, deficientibus peccatis actualibus, & manente solo originali, esset variatio in obiecto primario motivo decreti intentivi Incarnationis, cum quo non stat idem decretum subsistere.

244 *Respondebis.*

Respondebis, pro priori signo ad decretum Christi vt Redemptoris solum fuisse præuisũ peccatũ originale vt absolutè futurũ, idcoq; non oportuit, imò nec potuit pro illo signo decerni Christus vt Redẽptor absolutè à mortalibus actualibus, quæ pro tunc nõ præuidebãtur absolutè futura; sed solũ potuit decerni vt Redẽptor absolutè ab originali præuiso, vt absolutè futuro, & à mortalibus actualibus sub conditione, quòd essent extitura, hoc que sufficere, vt per prædictũ decretũ fuerit Christus volitus, vt perfectus Redẽptor à captiuitate Diaboli, perfectusq; satisfactor pro peccatis omnium hominũ. Quòd enim pro illo tũc non fuerit ordinatus ad redimendum hominẽ à peccatis personalibus absolutè, non fuit defectus priuativus, sed tãtũ negativus in ratione Redẽptoris, vtpotè, cõsistẽs in carentia perfectionis pro illo tunc repugnatis, qui defectus obstare non potest rationi perfectissimi Redemptoris, & satisfactoris.

245 *Rejicitur solutio.*

Sed contra: nam licet hæc solutio esset vera, suppositò, quod in illa supponitur, nempè, ad decretum Christi vt Redemptoris solum præuideri peccatum originale vt absolutè futurũ; hæc tamen doctrina est falsa: ergo & solutio illi innixa. Probatur assumptum primò: vt enim ex dictis *in 2. concluſ.* & in eius probatione colligitur, cum prioritate Christi vt Redemptoris ad permissionem peccati in genere causæ finalis, stat posterioritas respectu peccati, & permissionis illius in

Minor probatur primo.

genere cauſæ materialis; ſed, hac mutua prioritate in diuerſo genere cauſæ præſuppoſita, vt poſsibili, non eſt, cur ſicut conceditur reſpectu peccati originalis, non admittatur reſpectu peccatorum actualium: ergo aſſerendum eſt, Chriſtum quatenus Redemptorem, illiuſque intentivum decretum, non ſolum ſuppoſuiſſe præuiſionem peccati originalis, vt abſolutè futuri, ſed etiam præuiſionẽ abſolutam peccatorum actualium, & conſequentèr vt in Chriſto pro illo ſigno ſaluetur ratio perfecti Redemptoris, & ſatisfactoris perfecti, debuit decerni vt Redemptor abſolutè, non ſolum à peccato originali, ſed etiam à peccatis actualibus mortalibus.

246 *Secũdo.* Secundò probatur aſſumptum: ſi namque ob aliquam rationẽ ad decretum Chriſti vt Redemptoris ſolum præceſsiſſet præuiſio originalis peccati vt abſolutè futuri, non autem præuiſio abſoluta peccatorum actualiũ, maximè, quia peccatum originale, vt potè radix, & cauſa peccatorũ actualium, dicta peccata præceſsit, & conſequentèr prius fuit à Deo volitum remedium originalis peccati, Chriſtuſque ad id ordinatus, quam in redemptionem abſoluram à peccatis actualibus; ſed hæc ratio nulla eſt: ergo præceſsit decrerum intentivum Incarnationis Chriſti, non ſolum abſoluta præuiſio originalis peccati, ſed etiã abſoluta præuiſio peccatorum actualium. Maior continet vnam ex præcipuis rationibus, quibus contrarij Auctores ad ſuam ſententiam mouẽtur; minor autem oſtenditur primò: nam peccatum Heuæ præceſsit peccatum Adami, cum fuerit cauſa illius; peccatum etiam perſonale Adami peccata poſterorum præceſsit; & tamẽ ex hoc non ſequitur, decretum Chriſti vt Redemptoris ſolum ſuppoſuiſſe præuiſum peccatum Heuæ, aut peccatum perſonale Adami, in illorumq; remedium prius fuiſſe Chriſtum ordinatũ, quam in remedium peccatorum, quæ à poſteris contrahuntur: ergo ex eo, quòd peccatum originale præceſſerit peccata actualia, vt illorum cauſa, & radix, non ſequitur, ante illa fuiſſe præuiſum ita, vt prius ad illius remedium fuerit Chriſtus ordinatus, quam in remediũ abſolutũ peccatorũ actualiũ.

Minor prob. 1.

Secundò probatur minor: nam plura peccata actualia præceſſerunt contractionem originalis peccati, vt conſtat in illis, qui ex illicito naſcuntur cõcubitu, quorum generatio peccaminoſa eſt, & quamvis non ſit propriè cauſa contractionis culpæ originalis; illam tamen antecedit: & tamẽ generationes iſtæ peccaminoſæ non fuerunt prius præuiſæ, quam contractio culpæ originalis ità, vt in remedium illarum prius fuerit ordinata Incarnatio, quam in remedium originalis culpæ in prole peccaminosè genitã contractæ, quam in executione antecedunt: ergò anteceſsio culpæ originalis ad peccata actualia, quæ radicantur in illa, non probat, prius fuiſſe Chriſtum in illius remedium ordinatum, quam in remedium abſolutum peccatorum actualium.

247 *Minor prob.* 2.

Denique probatur aſſumptũ: ideò namque prius in remedium culpæ originalis, quam peccatorum actualium fuiſſet Chriſtus ordinatus, & volitus; quia peccata actualia potuerũt ex meritis Chriſti vitari, & conſequentèr ſupponunt diſtributam gratiam Chriſti, per quam vitari potuerunt, cũ quo non ſtat, ſupponi præuiſa abſolutè ad decretum Chriſti vt Redẽptoris; ſed hæc ratio nulla eſt: ergo peccata actualia mortalia fuerunt ad prædeſtinationem Chriſti vt Redemptoris abſolutè præuiſa. Maior continet principale contrariorũ fundamentũ. Conſequentia tenet, & minor probatur: peccatũ originale vt in ſingulis contractũ ſupponitur abſolutè præuiſũ ad prædeſtinationem Chriſti vt Redẽptoris; & tamen potuit ex Chriſti meritis talis cõtractio vitari: ſicut de facto fuiſſe ex illius meritis prohibitam actualẽ cõtractionẽ originalis culpæ in B. Virgine docet pia Theologorũ ſentẽtia, illam à peccato originali defendentiũ immunẽ. ergo, quòd peccata actualia potuerint ex meritis Chriſti vitari, nõ probat, nõ fuiſſe ante prædeſtinationẽ Chriſti Redẽptoris abſolutè præuiſa.

248 *Tertia probatur minor.*

Scio, Patrem Vazquez, & nõnul-

249

los

Respondet P. Vazq.

los Recentiores ipsi adhærentes negare, præsupponi ad prædestinationem Christi vt Redemptoris præuisum peccatū originale, vt in singulis contractum, asserentes, solum supponi, vt absolutè præuisum peccatum originale originans. Quòd si illis opponatur, sequi ex tradita doctrina, Christum in vi præsentis decreti non venisse vt Redemptorem vniuersalē hominum, sed solum vt Redemptorem Adami in particulari, cuius solum peccatum ad præsens Incarnationis decretum præsupponitur præuisum: respondent, negando sequelam, nam etiam venit vt Redemptor aliorum hominū à peccato originali imminente sub conditione, quòd illud de facto contraherent, nec præsens decretum fuit motum à peccato Adami præuiso, prout erat Adami tanquā particularis personæ, sed vt erat causa peccati in posteros deriuandi; ac proindè non sequitur, Christum vi præsentis decreti fuisse volitum vt Redemptorem particularem Adami, sed volitus fuit, & venit, vt vniuersalis hominum Redemptor.

250 *Reijcitur primo solutio.*

Sed contra primò: nam saltim sequitur ex doctrina tradita, quòd Christus non veniret, nec volitus fuerit in vi præsentis decreti vt vniuersalis Redemptor absolutè, sed solum vt vniuersalis Redemptor cōditionatè; absolutè tamen vt Redemptor particularis Adami à peccato ipsius absolutè præuiso: consequens est falsum: ergo doctrina tradita non subsistit. Probatur sequela: solum enim venit, & de facto fuit volitus vt Redemptor absolutè à peccato absolutè præuiso, sed solum supponitur absolutè præuisum peccatum in Adamo, non autem in eius posteris: ergo solum venit vt Redemptor absolutè Adami; posterorum autem sub cōditione, quòd peccatum ex ipso contraherent; ac proindè venit Christus, & de facto fuit volitus in vi præsentis decreti vt particularis Remptor absolutè; vt vniuersalis autem solum conditionatè.

251. *Euasio F. Vaz.*

Nec difficultas euaditur insinuata distinctione, nempè, asserendo, præuisum fuisse peccatum primi Parētis, vt causam peccati in posteros deriuandi, & in remedium illius sic sumpti Christum venisse, & volitum fuisse de facto. Sic autem acceptum non est peccatum particulare, sed vniuersale saltim causalitèr; ac proindè venit Christus, vt Redemptor vniuersalis absolutè. Non, inquam, hac doctrina, & distinctione difficultas argumēti euacuatur: nam vel præuidetur peccatum Adami ante decretum Christi Redemptoris, vt de facto influens in posteros, vel influxu absolutè futuro, vel solum præuidetur vt influens influxu futuro sub conditione. Si primum, aut secundum dicatur, iam supponitur præuisum vt futurum absolutè peccatum in posteris contrahendum. Si asseratur tertium, non decernitur Christus vt absolutè posterorū Redemptor, sed solum Adami; posterorum autem sub conditione, quòd peccatum contrahant ex ipso: ergo non fuit prædestinatus de facto vt Redemptor vniuersalis absolutè, sed vt particularis Redemptor; vt vniuersalis autem solum conditionatè, quod doctrina tradita cōtendebatur vitari.

Præcluditur.

252 *Secundò reijcitur solutio.*

Contra secundò: nam sequitur ex doctrina horum Authorum, Christū vt Redemptorem venturum, mortemque subiturum pro solis Adamo, & Heua, etiā si à nullo ex posteris Adami cōtraheretur peccatum originale in vi præsentis decreti: consequens est falsum, nec hucusque ab aliquo admissum, quem Ego viderim: ergo doctrina tradita deficit à veritate. Minor eū consequentia tenet; sequela autem probatur: vt enim asserunt traditæ solutionis Auctores, veniret Christus in vi præsentis decreti, existēte peccato originali, etiā si nullū peccatū actuale foret absolutè extiturū, & hoc ideo, quia Christus fuit volitus, vt Redemptor à peccato originali absolutè, cuius præuisio absoluta supponitur, & solū vt Redēptor conditionatè à peccatis actualibus; quia illorū existentia non supponitur absolutè præuisa; sed iuxta solutionē, quam impugnam⁹, nō supponitur absolutè præuisa peccata originalia originata, hoc est, vt in posteris contracta, sed solum pec-

catum originale originans, ideoque non fuit volitus Chriſtus, vt Redemptor abſolutè, ſed ſolum ſuo conditione à peccato originali vt in poſteris contracto: ergo caſu, in quo nullum peccatum contraheretur à poſteris, ſolumq; exiſteret peccatum Adami, quod eſt originale originans, Chriſtus veniret Redemptor, de factoque moreretur, quod non parũ inconueniens apparet.

253. *Reſpondebis ſecũdo ad principale argumentum*

Secundò reſponderi poteſt argumento principali conformitèr ad ſecundã ſententiam, vt finis adventus Chriſti fuerit remediũ, non ſolum originalis peccati, ſed etiam peccatorũ actualiũ neceſſarium non eſſe, totum hoc fuiſſe motivũ decreti, quo intẽta fuit Incarnatio, ſed potuit hoc decretum adæquatè moueri à peccato originali, & remedium peccatorũ actualium mouere ad decretum executivũ Incarnationis, ex illoque adventus Chriſti in remedium peccatorũ actualium ordinari. Ex quo ſolũ ſequitur, Chriſtum in prædicta hypotheſi non venturum ex vi decreti præſentis executiui, ſed ex vi alterius in prædicto caſu extituri; non autem quòd Incarnatio in illa hypotheſi non eſſet futura, Chriſtuſque Redemptor venturus in vi decreti præſentis intentiui, quod aſſerit ſecunda ſententia.

254 *Reijcitur.*

Hæc tamen ſolutio præcluſa manet ex dictis: executio namque exterior non poteſt habere finẽ, ſeu ad illum ordinari niſi ratione interioris intentionis, cuius munus eſt erga finem immediatè verſari, mouereq; voluntatem operantis ad electionem mediorum conducentium ad finis aſſecutionem; ſed decretum executivum Incarnationis non eſt intentio, ſed actus ab intentione finis, imò etiã ab electione mediorum, diſtinctus, vt cõſtat ex ijs, quæ contra Lorcam *ſupra* docuimus: ergo ratione illius nõ potuit exterior Incarnationis executio ad finem aliquem ordinari non præeuntẽ in ordine intentionis, & ab actu intẽtiuo diuinæ volũtatis non amatũ, & cõſequẽtèr, ſi remediũ peccatorũ perſonaliũ non fuit volitum per actum intentionis à Deo, non potuit Incarnatio Verbi ad illud ordinari, nec ad redimendum hominem à peccatis actualibus.

255. *Tertio reſpondet quidam Recentiores.*

Reſponderi poteſt tertiò cũ nonnullis Recentioribus, in negotio noſtræ ſalutis duplex interuenille decretũ, vtrũque ſpectans ad ordinẽ intentionis; vnum, quo Deus, ſuppoſita præuiſione peccati originalis, voluit hominem ab illo redimere, & ex hoc fine Incarnationem decreuit, & ex vi huius decreti exiſteret Incarnatio, exiſtente ſolo originali peccato. Aliud, quo, præuiſis peccatis actualibus, illorũ decreuit remedium, & ex illo Incarnationẽ, & ex vi huius decreti non foret Incarnatio Verbi, nec veniret Chriſtus Redemptor, non exiſtentib⁹ peccatis perſonalibus, nec ſimilitèr in hac hyppotheſi exiſteret ex vi conflati ex primo, & ſecundo decreto: nã conflatum hoc non ſubſiſteret, ſecũdo decreto deficiente; hoc autẽ deficeret, ſi peccata actualia non eſſent: ac proindè vi illius non foret Incarnatio Verbi.

256 *Reijcitur iſtorum ſolutio.*

Cæterum hæc ſolutio etiam præoccupata, & excluſa manet ex dictis impugnãdo primã ſolutionem; nulla enim eſt neceſſitas multiplicandi hæc decreta, ſed vno, & eodẽ decreto potuit optimè remedium originalis peccati, & peccatorũ actualium intendi: ergo ita aſſerendum eſt, contigiſſe. Conſequentia eſt bona, & antecedens probatur: ſi namq; aliqua neceſſitas eſſet multiplicandi hæc decreta, maximè, quia remedium originalis peccati prius debuit intendi à Deo, quam remedium peccatorum actualium; & hoc ideo, quia peccatum originale fuit prius, vtpotè, cauſa actualiũ, vel quia peccata actualia potuerunt ex meritis Chriſti vitari. Sed ex nullo ex his capitibus poteſt neceſſitas iſta venire, vt impugnantes primam ſolutionem monſtrauimus: ergo nulla eſt neceſſitas multiplicandi hæc decreta.

257 *Obijcit primo.*

Ex dictis etiam ferè manent contrariorum fundamenta ſoluta. Arguunt primò: nam prius fuit peccatum originale præuiſum, quã peccata actualia, vtpotè, illorum origo, & radix: ergo prius fuit prædeſtinatus,

& volitus Christus in remediū peccati originalis, quam in remediū peccatorum actualium, & consequentèr in vi huius decreti veniret Christus Redēptor, existēte culpa originali, quāvis actualia peccata futura non essent.

258 *Respondetur.* Respondeo, negandò consequentiam, quam insto in peccato Heuæ, quod prius fuit peccato Adami, cum fuerit causa illius; & tamen non fuit prædestinatus Christus Redemptor in remedium peccati Heuæ prius, quā in remedium peccati primi Parentis. Insto etiā in peccato Adami, quod fuit prius peccatis posterorū; & tamen nō fuit prius volitus, & ordinatus Christus in remedium peccati Adami, quā in remedium illorum, quæ à posteris contrahuntur; & inter peccata actualia personalia vnum est causa alterius, & consequentèr vnū est altero prius, quin ex hoc liceat colligere, prius Christum fuisse ordinatum in remedium peccati causantis, quam in remedium peccati causati: ergo paritèr similis consequētia non tenet in peccato originali cum actualibus comparato.

259 *Secūdo obijciūt.* Secundò obijciunt: peccata actualia supponunt Christum præuisum vt Redemptorem: ergo Christus non fuit primo volitus in illorū remediū, sed solum in remedium originalis peccati, & consequentèr ex vi primi decreti habiti de Incarnatione Verbi veniret Christus Redemptor, etiam si peccata actualia extitura non essent. Secunda consequentia ex prima euidentèr colligitur. Prima patet: nam si supponitur Christus præuisus ante permissionē peccatorum actualiū, & illorū existētiā, non potuit Christus ad illorū remediū primo decreto ordinari, cum decretum Christum volens propter remediū peccati, peccatum præuisum supponat. Antecedēs autē probant: etenim peccata actualia potuerūt vitari in vi gratiæ per Christū, multaq; vi illius præuisi de facto vitata fuerunt: ergo supponunt gratiam intuitu meritorum Christi cōcessam, & consequentèr supponunt Christū præuisum vt Redemptorem, imò vt de facto redimentem, & sua morte merentem.

260 *Respōdetur primo.* Respondeo, hoc argumentum instari in peccato originali, in cuius remedium fuit volitus Christus Redēptor; & tamen potuerunt peccata originalia posterorū in vi meritorū Christi impediri: sicut fuisse de facto impeditum in Beatissima Virgine, tenet pia Theologorum sententia: ergo, quòd peccata actualia potuerint per gratiā Christi vitari, & cōsequentèr Christū supponant præuisum, non arguit, non fuisse primò volitam Incarnationem in remedium illorū. Ratio q; habetur ex dictis: vt enim potuerint impediri in vi meritorū Christi, sufficit, quòd Christus in genere causæ finalis illorū permissionem præcedat, cū quo stat, permissionem peccatorū actualiū, ipsaque peccata præcedere decretum Christi intētivum in genere causæ materialis, & hac mutua præcedentia admissa, potuit Christus tali decreto decerni in remedium peccatorum actualium. Sed de his plura *tract. seq.* vbi de merito Christi respectu gratiæ Antiquorum Patrum agemus.

261 *Respōdetur secundo.* Potest responderi secundò, quòd, vt peccata actualia ad Christum supponantur præuisa, non est necessariū, permissionē illorum cognosci, prout est negatio gratiæ per Christum, sed solum sub cōceptu negationis gratiæ absolutè; sub hac enim ratione essentialitèr requiritur permissio peccati, ad illius existentiam, non autē sub cōceptu negationis gratiæ conferendæ per Christum, quod accidentale est gratiæ, & permissioni peccati, ac proindè necessarium non est, quòd peccata actualia Christum præuisum supponant. Et quidem in sententia contrariorum mors Christi omnium peccatorum actualium præuisionem præcessit, vt in diuina mente præuisa; & tamen peccata crucifigentiū fuerunt causa mortis Christi: sicut ergo potuit mors Christi præuideri in sentētia horum Auctorū, nō præuisis peccatis crucifigentium, quia ab illis non dependebat essentiali dependētia, etsi de facto fuerit ab ipsis causata: ita potuerunt præuideri peccata actualia ad Christū vt Redēptorē; quia licet illo-

rum permiſio de facto in negatione gratiæ per Chriſtum conſiſtat; hoc tamen illi eſſentiale non eſt, ſed prædicatum accidentale.

262 *Obiicies tertio.*

Tertio obiicies: nam ſequitur ex noſtra ſententia quolibet peccato mortali in particulari deficiente, non eſſe Incarnationem futuram, nec venturum Chriſtum in vi præſentis decreti, etiam ſi exiſteret peccatum originale: conſequens eſt falſum, aliàs ſicut præſens quæſtio communitèr agitatur de peccato originali, inquirendo, an, ſi Adamus non peccaret, Verbum aſſumeret carnem; ita poſſet, & deberet agitari, an Petro, v.g. non committente hoc, aut illud particulare peccatũ, Incarnatio eſſet futura: & ſicut à Thomiſtis aſſeritur, non peccãte Adamo, non futuram Incarnationem: ita aſſerere deberent, Petro, aut Paulo non peccante, non eſſe Incarnationem futuram, quod videtur communi menti agitantium quæſtionem iſtam opponi: ergo ſententia, quam defendimus, vera non eſt. Sequela probatur: ſi Chriſtus in vi præſentis decreti eſſet volitus in ordine ad remediũ peccatorum actualium, non eſſet in ordine ad illa in confuſo; hoc enim non cõgruit modo operandi, & intelligendi Dei, qui nihil confuſè cognoſcit, ſed omnia in particulari, & diſtinctè: ergo eſſet in ordine ad omnia peccata actualia præuiſa in particulari, & conſequẽtèr à quolibet ſingulari peccato fuit inadæquatè motum præſens Incarnationis decretum. Sed non ſolum deficit decretum ex defectu adæquato motiui, ſed etiam ex defectu partiali, hoc eſt, cuiuſvis partis illius, vt diximus, & probauimus: ergo deficiente quouis ſingulari peccato ex iis, quæ fuerunt præuiſa, idem decretum non eſſet, & conſequentèr Incarnatio non exiſteret in vi decreti præſentis, quod in tali caſu non foret.

263 *Argumenti difficultas ponderatur.*

Hoc argumentum tanti mihi viſum eſt, cum Salmanticæ difficultatem iſtam dictarem, vt me in oppoſitam inclinauerit ſententiam, aſſerendo, venturum Chriſtum in vi præſentis decreti, ſolo peccato originali exiſtente, ne præſens Incarnationis decretum à ſingulis peccatis mortalib⁹ dependeret, & quolibet deficiente, nõ ſubſiſteret. Quia tamen video, idem, aut prorſus ſimile inconueniens ſequi ex prædicta ſententia, idcirco ab illa diſcedo. Quòd autem ſequatur, probo meo iudicio manifeſtè: nam in ſententia aſſerente, venturum Chriſtum in vi præſentis decreti propter ſolum peccatum originale, neceſſariò eſt aſſerendum, quolibet peccato originali contracto in poſteris non exiſtente, variandum præſens Incarnationis decretum; ſed vel hoc eſt inconueniens, vel non debet inconueniens cenſeri, quòd præſens decretum Incarnationis depẽdeat à ſingulis peccatis mortalibus, aut cum illis connectatur, ita vt, quolibet deficiente varietur: ergo idem inconueniens ſequitur in vtraque ſententia.

Simile inconueniens cõtrariam ſententiã præmit.

Quòd ſi propter hoc inconueniẽs vitandum recurratur ad ſententiam Patris Vazquez, & aliorum aſſerentium, decretum Incarnationis non ſupponere præuiſum peccatum originale vt in poſteris contractum, ſed ſolum peccatum originale originans, ſcilicet, peccatum primi parentis, vt imminens contrahi ab illis, ac per cõſequens non ſequitur, præſens Incarnationis decretum cum quolibet peccato in poſteris contracto connecti, & quolibet deficiente, variari.

264 *Euaſio contrariorum.*

In contrarium obſtat, etiam hac doctrina admiſſa, prædictum inconueniens non vitari, vel aliud omninò illi ſimile, quod probo clarè: nam decretum Incarnationis, Chriſtique vt Redemptoris ſupponit abſolutè præuiſum peccatum Adami, non vt ſingularis perſonæ, ſed vt capitis naturæ, aliàs Incarnatio eſſet volita in ordine ad remedium vnius ſingularis peccati, Chriſtuſque vt Redemptor vnius particularis perſonæ, videlicet, Adami, quod nullus Theologorum aſſeruit, nec poteſt aſſerere: ergo ſupponit peccatum Adami vt denominans poſteros peccãtes in capite, & ab illo vt omnes poſteros denominante peccantes præſens decretum dependet; ſed deficiẽte quolibet ex poſteris Adami, hoc eſt, reddito non futuro, deficeret

265 *Præcluditur.*

ceret peccatum Adami, vt ipsum peccantem denominans, nam denominatio ita nequit sine subiecto subsistere: ergo reddito non futuro quolibet ex posteris Adæ, qui modò futurus supponitur, idem decretum non foret; sed non minus inconueniens est, quòd decretum præsens in sua vnitate dependeat à singulis posteris Adæ, & à peccato Adami vt ipsos denominante, quam à singulis peccatis de facto in illis contractis: ergo idem inconueniens sequitur in hac sententia, & cõsequentèr, si dependentia à singulis posteris Adami inconueniens non cẽsetur, non debet inconueniens cẽsèri dependentia præsentis decreti à singulis peccatis contractis. Ex quo vlterius fit, vt non debeat inconueniens iudicari dependentia eiusdem decreti à singulis peccatis mortalibus, & quòd, illorum quolibet deficiente, deficeret, quod pro inconuenienti inferebatur.

266 *Respondetur ad tertiam obiectionem.*

Ad argumẽtum ergo respondeo, concedendo sequelam, & negãdo minorem: nec conuincitur probatione ibi facta; quòd enim disputari possit, an si Petrus, v.c. non peccasset, Verbũ assumeret carnem in vi præsentis decreti, constat ex eo, quòd id de facto disputamus per consequentiam doctrinæ; communitèr autem instituitur disputatio de peccato originali: Tùm, quia fuit principale Incarnationis motivum, vt docet D. Thom. *in præsenti art.* 4. & cum illo communitèr Theologi. Tùm etiam, nà quòd Christus non veniret Redemptor in vi præsentis decreti, Adamo non peccante, est ferè cõmunis sententia; quòd autem, hoc, aut illo peccato mortali in particulari deficiente, præsens variaretur decretum, & consequentèr non veniret Christus vi illius, non ita commune est, etsi suos habeat Patronos id asserentes ob consequentiam doctrinæ; ideoque præsens quæstio nõ ita congruentèr, nec communitèr de hoc, aut illo peccato in particulari disputatur, ac de peccato originali, inquirendo, an, illo non existente, Christus Redemptor veniret in vi præsentis decreti.

S. Thom.

Sed cõtra hucusque dicta obijciet aliquis quartò: etenim ex illis sequitur, non venturum Christum Redẽptorem in vi præsentis decreti, si peccata venialia non essent, imò quolibet peccato veniali in particulari non existente, variandum præsens decretum, & consequentèr Christum non venturum vi illius: consequens est falsum: ergo hucusque à Nobis dicta deficiunt à veritate. Consequentia cum minori tenet; sequela autẽ probatur: Christus vi præsentis decreti fuit volitus, & ordinatus ad redimẽdũ hominem, non solum à peccatis mortalibus, sed etiam à venialibus; sed quia ordinatus fuit vi illius ad redimẽdũ hominem à peccatis mortalibus, docuimus, non venturum ex vi præsentis decreti, si peccata mortalia non forent, imò quolibet illorum deficiente in particulari: ergo idem est de peccatis venialibus asserendum, quòd, nempè, quolibet illorum in particulari deficiente, variaretur præsens decretum, & cõsequentèr nõ veniret Christus vi illius. Maior, in qua est difficultas, probatur: ideò ordinatus fuit ad redimendũ nos à mortalib⁹, quia fuit volitus, vt perfectus, & vniuersalis Redẽptor, ordinatusque ad redemptionem hominum absolutè perfectam; perfecta autem hominum redemptio non esset, si à peccato originali, & non à peccatis mortalibus redimerentur; sed etiam non redimeretur homo perfectè, si non redimeretur à peccatis venialibus, & pro illis, & pro pœna illis debita fieret satisfactio, cum restaret aliquid soluendum, & pro quo homo satisfacere deberet: ergo ordinatus fuit in vi præsentis decreti ad redimendum hominem, non solum à peccatis mortalibus, sed etiam à venialibus, & ad satisfaciendum pro illis, & consequentèr, his deficientibus, non persisteret idem decretum. Ex quo vlterius sequitur; non venturum Christum vi illius casu, in quo peccata venialia nõ forent, nec quolibet illorum in particulari deficiente.

267 *Replicabis, & obijcies quarto.*

Fortè non deerit, qui argumento succumbens, illoque conuictus ita asseren-

268 *Respõdebis.*

aſſerendum eſſe fateatur, nec conuinci faciliè poterit ſtando rationi, qui id aſſeuerare auſus fuerit; quin potius difficilius forſitan alicui videbitur ſolutionem argumento facto inuenire. Cæterum propter vnius argumenti difficultatem communes ſententias deſerere, nouaſque proferre, vt pluribus eſt familiare, non ita plauſibile cenſeo, vt ipſi ſibi mentiuntur, quinimò, ni Ego fallor, ſuo deſiderio fraudantur; maius enim nomen acquirerent, magiſque illud celebrarent laborando pro communibus, veriſque defendendis ſententijs, quam noua euulgando placita, cum multo difficilius ſit, antiquas Theologorum ſententias tot vijs impugnatas tueri, quam nouitèr cogitata ſemel, aut iterum propugnare.

Reijcitur ſolutio.

Et quidē qui id aſſeruerit, tenebitur cōſequētèr aſſerere, quolibet gradu gratiæ, & quouis alio præmio ex ijs, quæ Chriſtus nobis obtinuit de facto, non exiſtente, non futurum præſens Incarnationis decretum, quod concedere inconuenienti non vacat. Quòd autem ſequatur, patet: nam Chriſtus vi præſentis decreti, non ſolum ordinatus eſt ad ſatisfaciendum pro nobis, ſed etiam ordinatus eſt ad merendum: ergo ſi ex eo, quòd eſt ad ſatisfaciendum ordinatus ex vi præſentis decreti, infertur, qualibet culpa etiam veniali ſublata, præſens decretum variandum, quia ordinatus eſt ad merendum, etiam inferēdum eſt, quocumque præmio ex ijs, quæ nobis meruit, ſublato, aut ſuppoſito non exiſtente, ſimiliter eſſe variandum, & conſequenter non venturum Chriſtum vi illius.

269 *Vera ſolutio.*

Ad argumentum ergo reſpōdeo, negando ſequelam; ad illius probationē diſtinguo maiorem: per ſe primò, nego maiorem: ſecundariò, omitto maiorem, & ſub eadē diſtinctione minoris, nego conſequentiam: nam ad redimendum hominē à peccatis mortalibus eſt primò, & per ſe ordinatus in vi præſentis decreti: ad ſatisfaciendum autem pro peccatis venialibus non ita, ſed ſecundariò; & quia deficiente motiuo primario vel in totū, vel pro parte, non poteſt idem decretum ſubſiſtere; variato autem obiecto ſecundario, poteſt idem decretum manere, fit conſequens, vt diminuto numero peccatorum mortalium, ex defectu cuiuſcumque illorum variaretur præſens Incarnationis decretū; ſecus autem diminuto, aut in totum ceſſante numero venialiū. Nec huic doctrinæ obſtat probatio maioris: Chriſtus enim in vi præſentis decreti fuit volitus per ſe primò, vt perfectus Redemptor perfectione ſubſtantiali in ratione Redemptoris; perfectione autem in prædicta ratione accidentali, non primariò, ſed ſecundariò fuit volitus. Eſt autem hæc differentia inter culpas mortales, & veniales, quòd non redimere ab illis eſſet ſubſtantialis defectus in ratione Redemptoris, cum homo ratione illarum Dæmoni remaneret ſubiectus, ſub illiuſque poteſtate: negatio autem redemptionis à peccatis venialibus defectus ſubſtantialis non eſt, ſed tantum accidentalis in ratione redemptionis, cum ratione illorum captiui non conſtituamur, nec Dæmonis poteſtati ſubiecti, pro illiſque ſatisfacere poſsimus ad perfectam æqualitatem, & forſan de rigore iuſtitiæ. Ideoque fuit Chriſtus per ſe primò volitus in vi præſentis decreti vt Redemptor, non ſolum ab originali peccato, ſed etiam à peccatis mortalibus; vt Redemptor autem à peccatis venialibus, non primariò, ſed ſecundariò, ſi poteſt dici Chriſtus propriè Redemptor ab illis. Cum enim redemptio in ratione talis captiuitatem ſupponat, & peccatis venialibus captiuitas non inducatur, dubitari meritò poteſt, an poſsit dici Chriſtus cum proprietate Redemptor à venialibus; quia tamen idem argumentum militat de Chriſto vt ſatisfactore, quòd de ipſo vt Redemptore, & ratio ſatisfactoris propriè Chriſto conuenit in ordine ad peccata venialia, ideò non fecimus vim in verbo.

270 *Replica bis.*

Si dicas: venit Chriſtus per ſe primò, vt ianuam Regni Cœlorum hominibus aperiret; ſed ingreſſus Regni Cœlorum culpis venialibus impeditur; non enim ingrediuntur homines

Cœlum

Cœlum donec plenè satisfaciant, aut satispuniantur pro illis: ergo venit per se primò ex vi præsentis decreti ad satisfaciendum pro peccatis venialibus, & pro pœnis illis debitis.

271 *Respondetur.* Respondeo, distinguendo maiorem: tollendo impedimenta substantialia ad ingressum Regni Cœlorum, concedo maiorem: impedimenta accidentalia, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: etenim peccatum mortale per se, & quasi substantialitèr impedit ingressum Regni Cœlestis hominem constituendo dignum carentia visionis Dei, in qua pœna damni cõsistit, & ad hoc impedimentum auferendum condigna satisfactione fuit Christus per se primo ordinatus in vi præsentis decreti. Peccata autem venialia, cum non reddant hominem indignum visionis beatificæ, vel dignũ carentia illius, non per se, & quasi substantialitèr præstant impedimentum ad ingressum Regni Cœlorũ, sed per accidens, quatenus pro illis plenè satisfactum nõ est, vel satis pallium; ideoque non per se primò fuit Christus vi præsentis decreti ad illorum remediũ ordinatus.

272 *Instabis.* Si insistas: homo, cui remittuntur omnia peccata mortalia, & non omnia venialia, nõ dicitur perfectè à culpa mundatus: ergo satisfactio sola pro peccatis mortalibus non dicitur satisfactio perfecta, & consequenter, vt dicatur Christus volitus vt perfectus satisfactor ex vi præsentis decreti, debet esse volitus vt satisfactor, non solum pro peccatis mortalibus, sed etiã pro venialibus; sed fuit per se primò volitus in vi præsentis decreti vt satisfactor perfectus, qua ratione dixim⁹, fuisse volitum vt satisfactorem, non solum pro peccato originali, sed etiã pro peccatis mortalibus: ergo ex eadem ratione consequentèr est asserendum, fuisse per se primò volitum, & ordinatum in vi præsentis decreti ad satisfaciendum, non solum pro omni peccato mortali, sed etiam pro venialibus.

273 Respondeo primò, negando antecedens; cum enim peccatum veniale solum sit peccatum secundum quid, non venit sub nomine culpæ absolutè; vndè, homo per iustificationem mundatus à peccatis mortalibus, etiã si venialia non remittantur ex defectu perfectæ dispositionis, potest absolutè dici perfectè à culpa mundatus. Quidquid tamen de hoc modo loquẽdi sit, respondetur secundò iuxta doctrinam traditam, distinguendo antecedens: non dicitur perfectè à culpa mundatus perfectione substantiali, nego antecedens: omnimoda perfectione substantiali, & accidentali, transeat antecedens, & distinguo consequens per eandem distinctionẽ; solum enim sequitur, satisfactionem pro solis culpis mortalibus non esse perfectam vtroque perfectionis modo; non autẽ quòd perfecta non sit perfectione substantiali: & ex hoc tantum colligitur, Christum non fuisse primariò volitum, & ordinatum in vi præsentis decreti ad satisfactionem vtroque modo perfectam, sed solum ad satisfactionem perfectam substantiali perfectione. Ratio autem, quare, cum præsupponantur præuisa, non solum peccata mortalia, sed etiam venialia, non fuerit Christus per se primò ad remedium omnium ordinatus, sed solum ad remedium mortalium, est duplex. Prima, quia Deus ad mittẽdum Christum vt Redemptorem fuit motus ex impotentia puri hominis ad satisfaciendum perfectè; hæc autem solum est respectu culpæ mortalis; ideoque è solum ad illius remedium fuit per se primò volitus, & ordinatus. Secunda, ne dicatur primum Incarnationis Verbi decretum à culpis venialibus dependentiam habuisse, illisque deficientibus, non futurum, nec Incarnationem vi illius, quod ludico inconueniens sufficiens, vt ab illo doctrina nostræ solutionis probetur.

Respõdetur primò.

Secũdò.

Tertia difficultas est, quid sit in vtroque casu dicendum vi alterius decreti, an, scilicet, vi illius in vtroque casu extituri veniret Christus Redemptor, existente originali sine mortalibus, vel his existentibus sine culpa originali?

Tertia difficultas.

(..??.)

§. Vlti-

§. Vltimus.

Reſoluitur tertia difficultas, & obiectio ex dictis emergens diluitur.

274 *Primũ præſuppoſitum.*

OMNES, quos vidi, conueniunt primò in eo, quòd nec vi præſentis, nec vi alterius decreti veniret Chriſtus Redemptor propter ſola venialia peccata ad ſatisfaciendum pro illis, eo quòd, cum ſint culpæ leues, & ad perfectè pro illis ſatisfaciendum in puro homine exornato gratia Dei adſint ſufficientes vires, non habentur pro ſufficienti motiuo, vt Deus Incarnationem decerneret, Verbumque mitteret in ſimilitudinẽ carnis peccati ex fine ſatisfaciendi pro peccatis venialibus.

275 *Secũdũ præſuppoſitum.*

Secundò conueniunt in eo, quòd vno, vel altero homine mortaliter delinquẽte, vi alterius decreti Verbum non aſſumeret carnem, nec Chriſtus Redemptor veniret ad ſatisfaciendũ pro illo. Cuius ratio eſt: non enim poſſumus, quid in illis caſibus vi alterius decreti eſſet decernẽdum à Deo, prudenti iudicio coniectari vi reuelationis factæ, cum de his conditionatim futuris nulla exter reuelatio, ſed ſolum à ſimili ex ijs, quæ de facto euenerunt, & ex motiuo, quod Deus de facto habuit ad decernendam Incarnationem arguendo; ſed ex motiuo præſentis decreti prudenter coniectari non poſſumus, Verbum in prædicta hypotheſi mittendum in carne paſsibili vi alterius decreti in tali caſu extituri, cum motiuum præſentis decreti fuerit remedium vniuerſale peccati naturæ humanæ, omniumq; indiuiduorum illius: tunc autem caſus foret remedium particulare huius, aut illius hominis; inter quæ motiua maxima differentia inuenitur: ergo argumẽtando à ſimili ex eo, quòd de facto accidit, nullum eſt fundamẽtum ad coniectandum prudenter, vẽturum Chriſtum vi alterius decreti ad redimendum hunc, vel illum particularem hominem, qui in prædicto caſu mortaliter deliquiſſet; imo ex eo, quòd de facto accidit, & ex motiuo præſentis decreti, oppoſitum eſt coniectandum. Nec parabola de paſtore, qui relinquens nonaginta nouem oues in deſerto, vnam, quæ perierat, quæſiuit, obſtat traditæ doctrinæ, nam in communi illius parabolæ expoſitione, nomine ouis, quæ perierat, intelligitur humana natura peccato vniuerſaliter infecta propter culpam primi parentis; ac proindè ex illa non licet argumentari, venturum Chriſtum Redemptorẽ vi alterius decreti propter vnius, vel alterius hominis culpam.

Obiectio quædam ſoluitur

276 *Prima ſẽtentia*

His poſitis, in quibus omnes conueniunt, affirmant plures, Chriſtum vi alterius decreti ob ſolam culpam originalem, etiam ſi nullum peccatũ mortale foret extiturum, mittendum in Redemptorem, eo quòd tunc caſus adeſſet motiuum omninò ſimile motiuo præſentis decreti; non autem venturum ob remedium peccatorum actualium mortalium, etiam ſi eſſent numero plura, & in omnibus hominibus, non exiſtente originali peccato. Quod probant primò: nam Patres aſſerunt, non exiſtente culpa originali, Chriſtum non venturum; ſed locutio iſta Patrum eſt abſoluta: ergo ſentiunt non venturum, nec vi præſentis decreti, nec vi alterius in prædicto caſu extituri.

Probatur primò.

Secundò, nam Eccleſia in benedictione cærei Paſchalis vocat peccatum originale neceſſarium, vt Verbũ carnem aſſumeret. Sed ſi vi alterius decreti Verbum incarnandum foret, peccatum originale ad hoc neceſſarium non eſſet: ergo aſſerendum eſt determinatè, non venturum Chriſtum Redemptorem, etiam vi alterius decreti, peccato originali non exiſtente.

Secundò

277 *Si obijciatur.*

Quòd ſi illis obijciatur, de ijs, quæ pendent ex libera voluntate Dei non poſſe aliquid determinatè affirmari

niſi

nisi ex diuina reuelatione; sed euentus in prædicta hypothesi pendet ex libera voluntate diuina, & non adest reuelatio determinans negationem illius: ergo non potest à Nobis cum fundamento negatio euentus determinari.

Respondent. Respõdent, ad negandum cum fundamento sufficere, quod canit Ecclesia vocans peccatum originale necessarium, vt Verbum carnem assumeret passibilem, & mortalem, & Christus Redemptor veniret, & modum loquendi Patrum negantium absolutè, Christum Redemptorem venturum, non existente culpa originali; ex ijs enim sufficienter colligitur reuelatio in oppositum, qua ducti prudenter iudicemus, non venturum Christum etiam vi alterius decreti, Adamo non peccante.

278 *Secunda sententia.* Alij per oppositum docent casu, in quo non existente culpa originali, plura essent peccata mortalia, & in pluribus hominibus, venturum Christum Redemptorem in illorum remedium vi alterius decreti in prædicto casu extituri: nam tunc casus adesset motivum simile motiuo præsentis decreti: ergo simile decretum existeret, vi cuius Christus veniret. Probatur antecedens: nam motivum præsentis decreti fuit, naturam humanam peccato originali infectam reconciliatione indigere cum insufficientia ad satisfaciendum pro illo; sed peccatis mortalibus numero multiplicatis, & in pluribus hominibus verum esset absolutè, naturam humanam indigere reconciliatione, esseque insufficientem ad perfectè satisfaciendum pro illis: ergo adesset simile omninò motivum motiuo præsentis decreti.

279 *Vera sententia.* Censeo tamen in hoc puncto, non posse prudenter iudicium in altervtram partem determinari, nec positiuè affirmando, nec positiuè negando, venturũ Christum vi alterius decreti casu, in quo non existeret peccatum originale, sed suspendendum esse iudicium. *Probatur.* Quod probo ex ijs, quæ in disputationis limine diximus; de ijs enim, quæ pendent ex sola libera voluntate diuina, non possumus prudenter, nisi ex Dei reuelatione discurrere; sed Christum vi alterius decreti in prædictis casibus Redemptorem venire ex libera Dei voluntate dependet, & ex Dei reuelatione, nec pars affirmatiua, nec pars negatiua constat: nihil enim in hoc puncto nobis reuelatum est: ergo non possumus prudenti iudicio alterutri parti determinatè assentiri, asserendo, venturum determinatè, aut determinatè non venturum.

280 *Respõdebis primo.* Si respondeatur primò cum Auctoribus primæ sententiæ, ex dictis Patrum absolutè negantium, Christum venturum, non existente culpa originali, & ex Ecclesia illam pro aduentu Christi necessariam prædicante sufficiẽs fundamentum haberi, vt probabilitèr censeamus, adesse reuelationem negationis aduentus Christi Redemptoris, etiam vi alterius decreti casu, in quo non existeret originale peccatum, & consequentèr posse prudenti, & probabili iudicio parti negatiuæ determinatè assentiri.

281 *Contra.* In contrarium obstat, Patres id, quod docent, probare ex ijs, quæ in Scriptura de aduentu Christi Redẽptoris dicũtur; sed reuelatio in Scriptura contenta nititur decreto præsenti: ergo cum negant, venturum Christum, Adamo non peccante, loquuntur in vi præsentis decreti, etsi hanc determinationem non exprimant, & in hoc sensu accipiuntur à Theologis, ne diuinare asserantur. Et in eodem sensu esse, quod Ecclesia canit de peccato originali, accipiendum, ex eo manifestum est; nam aliàs sentiret Ecclesia, peccatum originale fuisse absolutè necessarium, vt Deus Incarnationem Verbi decerneret, quod est falsissimum: necessarium namque, sibi oppositum impossibile reddit; nemo autem sanæ mentis potest asseuerare, fuisse impossibilem aduentum Christi Redemptoris, peccato Adami non existente: ergo pro tali aduentu non potest peccatum Adami absolutè necessarium censeri; ac proindè cum Ecclesia illud necessarium canit, non est intelligenda de necessitate absoluta, sed solum ex suppositione præsentis decreti, quo Deus aduentum

Christi

Christi Redemptoris alligauit remedio originalis peccati.

282 *Respõdebis secũdò.* Respondebis secundò cum Auctoribus secundæ sententiæ, quòd licet nulla extet reuelatio de Incarnatione vi alterius decreti futura in prædictis casibus, ideoque certò non constet, nec possit certò affirmari: vt tamen probabiliter, & prudenter illi veritati assentiamur, affirmemusque futuram Incarnationem, sufficere præsens motivum, quo Deus ad illam decernendam, Christumque Redemptorem mittendum fuit motus: si namque de facto Incarnationem Verbi decreuit, quia vidit naturam humanam restauratione, & reconciliatione indigere, quam consequi purus homo nõ poterat, & in prædictis casibus simile motivum adesset, probabiliter infertur, & prudenter affirmatur, simile decretum futurum, & ex vi illius futuram Incarnationem, Christumque Redemptorem mittendum.

283 *Contra primò.* Sed contra primò; in nullo enim ex casibus assignatis motivum omninò simile adesset motiuo præsentis decreti: ergo in nullo, ex illis probabiliter simile decretum infertur, nec prudenter affirmatur. Probatur antecedens: nam motivum præsentis decreti fuit peccatum originale aliena voluntate contractum, causansque plura peccata mortalia, quæ occasionantur ex illo; at in vno, ex illis casibus non adest peccatum originale, sed solum peccata actualia, non aliena, sed propria volũtate commissa; in alio autem etsi detur peccatum originale, non tamen vt radicans, & deriuans peccata actualia mortalia: ergo in nullo ex illis casibus adest motivum omninò simile motiuo præsentis decreti, & consequenter ex motiuo, quod Deus de facto habuit, vt Incarnationem Verbi decerneret, nõ licet colligere, simile decretum in casibus prædictis futurum.

284 *Secũdò.* Secundò, nam in ijs, quæ ex libera Dei voluntate dependent, non licet à simili argumentari, inferendo, quòd si in vno casu aliquid determinatur, idem sit determinandum in simili: vndè, quia hominum prædestinatio ex libera Dei voluntate, & misericordia ortum habet, præsupposita omninò simili causa in Iacob, & Esau, ille fuit dilectus, & prædestinatus à Deo; Esau autem odio habitus, iuxta illud: *Antequam quidquam boni, aut mali egissent, Iacob dilexi, Esau autem odio habui*; sed omni motiuo ad Incarnationem suppositio, decretum de Incarnatione omninò pendet ex libera voluntate diuina: ergo ex eo, quòd modò Deus motus à nostra indigentia Incarnationem Verbi decreuerit, sine fundamento colligitur casu, in quo simile motivum adesset, & similis indigentia præcederet, Incarnationem Verbi fore à Deo alio decernendã decreto, & vi illius Christum Redemptorem venturum vt tali indigentiæ succurreret, & homini remedium afferret. *Ad Ro. 9. cap.*

285 *Cõfirmatur primò.* Quod amplius explico, & confirmo in hunc modum: indigentia reconciliationis, quæ fuit præsentis decreti motivum fundata in peccatis originali, & mortalibus non magis cum adventu Verbi in carne, quam cum Incarnatione Patris, vel Spiritus Sancti connectitur; sed nullum est fundamentum, vt ex tali indigentia inferamus casu, in quo alia illi similis adesset, incarnandum fore Patrem, aut Spiritum Sanctum, vt hominum necessitati, atque indigentiæ succurrerent: ergo pariter nullum fundamentum adest, vt prudenter inferamus, ex præsenti indigentia, quæ Deum ad præsens decretum mouit, casu, in quo similis indigentia interueniret, Verbum esse vi alterius decreti incarnandum, Christumque Redemptorem venturum, vt hominum miseriam subleuaret, illosque à peccatis redimeret.

286 *Secundò* Et quidem solam mysterij excellentiam fuisse quantum est de se motivum sufficiens ad decernendam Incarnationem à nemine potest negari; & tamen propter illam vi alterius decreti Verbum incarnandum fore diuinatio à D. Thoma censetur, quia decretum Incarnationis à sola Dei libera voluntate dependet, quæ nobis innotescere non potest, nisi ex ipsius

reue-

reuelatione, & hæc de tali decreto in alia rerum seriè futuro non stat: ergo quamvis in indigentia humanæ naturæ simili indigētiæ præsenti detur sufficientia ad mouendam voluntatem diuinam, vt ad succurrendum illi, Incarnationem decernat; quia tamen decreti in tali hypothesi futuri nulla extat reuelatio, mera diuinatio erit, illius futuritionem in prædicta hypothesi asseuerare, & vi illius futuram Incarnationem, Christumque Redemptorem venturum. Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis Consiliarius eius fuit, vt, quod in eo euentu Deus decreturus esset, determinet?

287 *Obiectio cōtra dicta in ista disputatione.*

Restat pro totius disputationis cōplemento vni obiectioni contra hucusque dicta occurrere: ex illis namque sequitur, non fuisse Beatissimam Virginem à contractione culpæ originalis præseruatam: consequens piæ Theologorum sententiæ aduersatur, Beatissimam Virginem à culpa originali, prædicantium immunem: ergo hucusque dicta à veritate deficiunt. Probatur sequela: vt enim sæpè in discursu disputationis documus, decretum Christi Redemptoris supposuit in diuina mente præuisum peccatum originale, non solum, quod vocatur originans, scilicet, peccatum capitis, sed etiam originatum, idest, contractum in posteris, vt absolutè futurū; sed cum hac suppositione non potest Beatissima Virgo immunis à culpa originali defendi in vi meritorū Christi, qualitèr solum illius immunitas est defensanda, vt per Christum sit redēpta, quod necessariò est supponēdum: ergo ex dictis sequitur, non fuisse Beatissimam Virginem à contractione culpæ originalis præseruatam. Minor probatur: quod à Christo vt Redemptore factum supponitur, non potest ex illius meritis impediri: ergo si decretum Christi vt Redemptoris supponit iam contractum peccatum originale, non potuit illius contractio impediri in Beatissima Virgine in vi meritorum Christi.

288 Occasione istius argumenti multa congerunt Recentiores, vt immunitatem Beatissimæ Virginis à contractione culpæ originalis, imò etiam à debito proximo illam contrahendi tueantur, illorum quolibet ad suum intentum disponente diuinæ mentis decreta, & ordinem inter illa in negotio nostræ salutis seruatum, quorum placita examinare præsentis negotij non est. Nos illo quondam conuicti in eam iuimus sententiam, quæ docet, vt Virgo Beatissima à contractione culpæ originalis defendatur præseruata, debere non præsupponi ad decretum Christi Redemptoris peccatum originale præuisum vt in posteris actu contractum, sed tantum peccatum originale originans, vt imminens contrahi in posteris, qua imminentia præsuppositā, fuit volitus Christus Redemptor, & vt actu merens, & redimens, & intuitu meritorum illius præseruata fuit Beatissima Virgo à culpæ originalis contractione.

289 Modò tamen à prædicta sententia asserente, decretum Christi Redemptoris non supposuisse præuisam contractionem culpæ originalis in posteris Adæ, sed solum imminentiam contractionis, recedimus. Tùm, propter dicta *num.* 265. Tùm etiam: quia ad sustinendam immunitatem Virginis à peccato originali necessaria nō est. Ad argumentum ergo respondeo, negando sequelam, ad illius probationem, distinguo maiorem: decretum Christi Redemptoris supponit præuisum peccatum originale, vt contractum in illis, in quibus de facto contrahendum erat, concedo maiorem: in subiecto, in quo de facto contrahendum non erat, nego maiorem, & nego minorem: nam cum suppositione præuisionis peccati originalis vt in alijs contracti benè compatitur immunitas Beatissimæ Virginis ab illius contractione intuitu meritorum Christi præuisæ. Ratio autem distinctionis traditæ est; nam Christus respectu Beatissimæ Virginis fuit præuisus vt Redemptor redemptione non sanatiua, sed præseruatiua; respectu autem aliorum hominum fuit præuisus vt Redemptor redemptione sanatiua; in alijs autem hominibus, ideo decretum Christi supponit tanquam

Respondetur.

materiam peccatum originale vt contractum; quia redemptio ſanatiua neceſſariò præſupponit infirmitatẽ culpæ; nemo enim ſanari poteſt, niſi ſupponatur laborans infirmitate. Quæ ratio non militat in Beatiſsima Virgine; nam in pia Theologorum ſententia non fuit à culpa ſanata, ſed præſeruata: vnde, ſolum ſupponitur à Chriſto vt Virginis Redemptore debitum contrahendi culpam originalem, non autem ipſa culpa originalis præuiſa.

290 *Replicabis.* Sed dices: pro ſigno, in quo fuit Beatiſsima Virgo actu præſeruata, potuerunt alij homines præſeruari à cõtractione culpæ originalis intuitu meritorum Chriſti, etſi de facto præſeruati non fuerint; ſed pro ſigno contractionis culpæ originalis non potuerunt præſeruari: ergo potuerunt præſeruari pro ſigno antecedenti intuitu meritorum Chriſti, & conſequentèr pro illo ſigno fuit præuiſus Chriſtus Redemptor; ſed ſignum antecedens actualem contractionem eſt ſignum, in quo intelligitur peccatum originale originans, vt imminens contrahi: ergo pro ſigno imminentiæ contractionis culpæ originalis anteriori ad contractionem actualem illius fuit Chriſtus volitus, & præuiſus, & conſequentèr decretum Chriſti vt Redemptoris non ſuppoſuit præuiſum peccatum originale, vt actu contractum in poſteris, ſed ſolum vt imminens contrahi. Maior cum illationibus probatione non indiget; minor autem probatur; non enim poſſunt alij homines præſeruari per Chriſtũ, niſi media gratia iuſtificante impediente contractionem peccati originalis; ſed pro ſigno contractionis non eſt poſsibilis gratia iuſtificãs; nõ enim poſſunt gratia, & peccatum in eodẽ inſtanti coexiſtere: ergo pro ſigno contractionis culpæ originalis nõ eſt poſsibilis præſeruatio per Chriſtum.

Cõfirmatur. Et augetur difficultas: id, quod ad Chriſtũ vt Redemptorẽ ſupponitur, non poteſt intuitu meritorum Chriſti euitari; ſed per Nos ſupponitur in alijs hominibus ad decretum Chriſti vt Redemptoris actu contracta culpa originalis: ergo in illis non potuit intuitu meritorum Chriſti actualis contractio culpæ originalis impediri.

291 *Reſpondetur.* Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem, ad illius probationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: in ſenſu compoſito contractionis, & potentia conſequenti, concedo minorem: in ſenſu diuiſo, & potentia antecedenti, nego minorem, & conſequentiam. Vel diſtinguo conſequens per eandem diſtinctionem; ſolum enim ſequitur in ſigno cõtractio nis culpæ originalis, non eſſe poſsibilem præſeruationem ab illa compoſitam cum actuali contractione culpæ; non autem quòd poſsibilis non ſit pro tali ſigno præſeruatio in ſenſu diuiſo à cõtractione culpæ: ſicut enim Deus contractionem culpæ originalis permittens, eſt potens non permittere illam: ita Deus non præſeruans à contractione culpæ originalis, in eodem inſtanti non præſeruationis eſt potens præſeruare, non quidem præſeruatione cum carentia præſeruationis compoſita, ſed præciſiuè ab illa diuiſa.

292 *Ratio ſolutionis* Et ratio eſt; ſicut enim amor actualis opponitur cum carentia amoris, & cum odio, vt in eodem inſtanti exiſtentibus, non autem cum potentia ad non amandum, & ad odio habendũ, ideoque in inſtanti menſurante amorem conſeruatur potentia ad illius omiſsionem, & ad odium, aliàs amor liber non eſſet: ita actualis contractio culpæ originalis opponitur cum negatione contractionis, non autem cum poſsibilitate talis negationis: ideoque in inſtanti menſurante contractionem actualem culpæ originalis conſeruatur potentia ad non contractionem illius, & ex parte Dei in ipſo inſtanti, in quo contractionem culpæ originalis permittit, hominem que non præſeruat, conſeruatur potentia ad non permittendum culpam originalem, & ad præſeruandum ab illa abſolutè. Et in eodem inſtanti, in quo non præſeruat intuitu meritorum Chriſti, eſt potens ad præſeruandum intuitu talium meritorum.

Sed

293 *Instabis.* Sed dices: vt Deus in instanti contractionis culpæ originalis actu non præseruans sit potens ad præseruandū intuitu meritorum Christi, est necessarium, quòd Christus præuideatur non merens præseruationem, potens tamen illam mereri, & pro illa sua merita Deo offerre; sed non præuidetur Christus vt potens mereri præseruationem illis, in quibus de facto supponitur culpa originalis contracta: ergo Deus in instanti contractionis culpæ originalis nō est potens homines præseruare ab illa intuitu meritorū Christi. Maior cum consequentia tenet; minor autem probatur: vt enim proximè dicebamus, Christus fuit de facto volitus, & præuisus à Deo vt redimēs Beatissimam Virginem redemptione præseruatiua, & vt redimens cæteros homines redemptione sanatiua; sed hoc modo redemptionis non potuit Christus homines præseruare, aut illis præseruationem à culpa originali mereri, cum redemptio sanatiua essentialitèr supponat culpam originalem contractam: ergo prout Christus de facto fuit volitus, & præuisus à Deo, non intelligitur potens mereri præseruationem à culpa originali hominibus de facto illa infectis.

294 *Respondetur.* Respondeo, concessa maiori, negando minorem, ad illius probationem, distinguo maiorem: fuit volitus, & præuisus vt redimens alios homines redemptione sanatiua, & vt potens illos redimere redemptione præseruatiua, concedo maiorem: sine potentia ad redemptionem præseruatiuam, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam: nam licet non præuideatur, vt potens præseruare homines à culpa originali redemptione sanatiua; hoc enim in terminis implicat; præuidetur tamen, vt potens illos præseruare alio modo redemptionis, scilicēt, præseruatiuè: sicut enim respectu Matris præuidetur vt illam redimens liberè redemptione præseruatiua; & ideò sic præuidetur tali redemptione illam redimens, quòd intelligitur potens ad illam redimendam redemptione sanatiua: ita quia Christus fuit à Deo præuisus, & volitus, vt redimens alios homines liberè redemptione sanante, intelligitur vt potens alio modo redemptionis vti, scilicet, præseruatiuæ: & totum hoc fuit volitum, & præuisum à Deo: sicuti à Thomistis docetur, vt cum efficacia voluntatis diuinæ nostra cōponatur libertas, nēpè, Deum efficaciter velle, quòd nos liberè velimus; & consequentèr talitèr nos velle vult, quòd volentes actu simus ad non volendum potētes; quia sine tali potentia non potest in actuali volitione nostra libertas subsistere.

295 *Vrgebis* Instabis: vt Christus in instanti cō tractionis culpæ originalis præuideatur vt potens præseruare, debet intelligi pro aliquo signo naturæ præcedens omissionem liberam præseruationis; sed non sic præintelligitur in illo instanti: ergo non præuidetur in illo vt potens præseruare posteros Adæ à contractione culpæ originalis. Maior patet exemplo voluntatis nostræ, quæ vt in instanti, in quo liberè non amat, sit potens liberè amare, debet pro signo naturæ liberam omissionem præcedere sub ratione potentis, & indifferentis ad amandum, & non amandum: ergo idem est dicendum in Christo, vt in instanti contractionis culpæ originalis liberè nō præseruet ab illa. Minor autem probatur: si præuideretur Christus vt potens, decretum primum Christi Redemptoris non supponeret peccatū; sed hoc est contra secundam nostram conclusionem: ergo non præuidetur vt potens. Minor cum consequentia tenet; maior autem probatur: ideo decretum Christi vt redimentis actu supponit præuisum peccatum, quia vt redimens actualitèr essentialitèr supponit peccatum vt materiam destruendam; sed vt potens redimere non dependet à peccato vt actu existente, vel præterito: sicut virtus pœnitentiæ sumota pro habitu non supponit essentialitèr peccatum, sed solum possibilitatem illius: ergo si fuit volitus, & præuisus vt potens, decretum illius prout sic nō supposuit præuisum peccatum, & consequentèr primum decretum Christi vt Redēptoris

toris peccatum non suppoſuit præuiſum. Ex quo vlterius ſequitur, venturum Chriſtum Redemptorem in vi præſentis decreti, nullo exiſtente peccato, vt ſuperius arguebamus.

296 *Reſpondetur.* Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem: ad illius probationem, nego maiorem; ad cuius probationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: Chriſtus vt potens redimere non dependet à peccato exiſtente, vel præterito, dependentia intrinſeca, & eſſentiali, concedo minorem: dependentia extrinſeca, & accidentali, nego minorem, & conſequentiam: vt enim decretum Chriſti vt Redemptoris actu ſuppoſuerit præuiſum peccatum, ſufficit, quòd licet prout potens in actu primo redimere, non dependeat à peccato exiſtente, vel præterito, dependentia eſſentiali, & intrinſeca; extrinſecè tamen ab illo prout ſic dependeat: quia, nempè, Deus non niſi occaſione peccati præuiſi, Chriſtum vt Redemptorem mittere decreuit. Quòd autem hoc ita euenerit, conſtat ex dictis in decurſu totius diſputationis, ideoque non ſequitur, venturum Chriſtum vt Redemptorem in vi præſentis decreti, non exiſtente peccato.

297 Sed ſtatim inſurgit difficultas tacta in confirmatione argumenti, nempè, quomodò, ſi decretum Chriſti Redẽptoris ſuppoſuit præuiſum peccatum originale, non ſolum vt imminens contrahi, ſed etiam vt de facto in poſteris Adæ contractum, potuit in illis contractio peccati impediri in vi meritorum Chriſti vt Redemptoris, cum id, quod eſt prius alio, non poſsit ab eo, quod poſterius eſt, impediri, aut euitari, quòd ſit.

298 *Ad confirmationẽ num. 290 poſitam.* Cui difficultati reſpondeo, quòd licet id, quod eſt prius alio in omni genere cauſæ, vel talitèr prius, vt in nullo genere cauſæ ſit poſterius, non poſsit ab eo, quod poſterius eſt, impediri; id tamen, quod licet ſit prius in vno genere cauſæ, eſt poſterius in alio, poteſt impediri ab eo, quod eſt poſterius, non formalitèr, vt poſterius eſt, ſed quatenꝰ in alio genere cauſæ eſt prius. Licet autem peccatum ſit prius decreto Chriſti Redemptoris in genere cauſæ materialis, ipſius permiſsio eſt poſterior Chriſto Redemptore in alio genere cauſæ, nempè, finali; ideoque impediri potuit permiſsio peccati per Chriſtum, loco permiſsionis poſita præſeruatione propter illum, & conſequentèr potuit impediri peccatum, quamvis ſit prius Chriſto Redemptore in genere cauſæ materialis.

299 *Inſtabis* Sed dices: ex eo, quòd Chriſtus ſit prior permiſsione peccati in genere cauſæ finalis, ſolum ſequitur, eſſe effectum illius, vt finis, & conſequentèr potuiſſe ab ipſo finalitèr impediri, nõ autem efficientèr meritoriè; ſed hoc ſecundo modo potuiſſe à Chriſto impediri eſt dicendum, vt defendatur immunitas Beatiſsimæ Virginis à culpa originali per Chriſtum: ergo doctrina tradita eſt inſufficiens. Conſequentia eſt bona, & maior videtur certa; nam ex præcedentia finali ſolum ſequitur dependentia, & impedibilitas in hoc genere: ergo non in genere cauſæ efficientis. Minor autem probatur: nam immunitas Beatiſsimæ Virginis à peccato originali talitèr debet defendi, vt etiam aſſeratur propriè per Chriſtum redempta, & conſequentèr talitèr defendi debet, vt Chriſtus propriè meruerit illius præſeruationem; non autem dicitur propriè, Chriſtum aliquid mereri, quod ab illo finalitèr ſolum cauſatur; ac proindè Virginis præſeruatio attribui debet Chriſto Redemptori, vt cauſæ efficienti morali; ſed; vt arguebamus *ſupra*, eodem modo potuit Chriſtus præſeruare alios homines à contractione culpæ originalis, quo Matrem Virginem præſeruauit de facto: ergo, vt defendatur immunitas Beatiſsimæ Virginis à culpa originali per Chriſtum, dicendum eſt, potuiſſe præſeruare alios homines à contractione culpæ originalis, nõ ſolũ finalitèr, ſed etiã efficientèr moralitèr meritoriè.

300 *Reſpondetur.* Reſpondeo in ſententia illorum, qui docent, Chriſtum non meruiſſe in genere cauſæ efficientis antiquis Patribus gratiam, ſed ſolum in genere cauſæ finalis illorum gratiam cauſaſſe, & nihilominus tenent, illos pro-

priè

priè redemisse, argumentum non vrgere; quia tamen illorum sententiam *tract. seq.* impugnabimus, ideò ex *ibidem* dicendis alitèr est obiectioni factæ occurrendum, nempè, negando maiorem; ad cuius probationem dicatur, ex præcedentia Christi Redẽptoris ad permissionem, & præuisionem peccati in ratione causæ finalis solum sequi per immediatam contèquentiam dependentiam permissionis à Christo Redemptore, & impedibilitatem per illum in prædicto genere causæ; per mediatam autem consequentiam inferri dependentiam in alio genere causæ imitante causam finalem in modo existentiæ, quem exigit ad causandum, nempè, non in re, sed solum in apprehensione operantis: & quia causa efficiens moralis meritoria in hoc causam finalem imitatur: vt enim causet, non requiritur, quòd existat in re, sed solum quòd existat in præuisione præmiantis, fit consequens, vt ex eo, quòd Christus præcedat permissionem, & præuisionem peccati in genere causæ finalis, per mediatam consequentiam inferatur, Christum sic præuisum potuisse efficientèr meritoriæ influere in præseruatione contractionis culpæ originalis aliorum hominum, qui illam contraxerunt de facto, & de facto in hoc genere causæ Matrem Virginem præseruasse, illiusque præseruationem meruisse. Hæc breuitèr insinuasse sufficiat, vt constet, ordinem à Nobis statutum in negotio nostræ salutis inter diuinæ mentis decreta, non incomponi cum immunitate Beatissimæ Virginis à contractione culpæ originalis. Et hæc de tota disputatione applicanda litteræ Magistri *in 3. distinctione prima §. 1.* ad illa verba: *Vt eos, qui sub lege erant, redimeret, &c.* Hæc etiam de primo tractatu dicta sufficiant. *Magist. Sentent.*

★★★★★★★★★★★★★★★★★★★★

★★★★★★★★★★★★★

★★★★★★

TRACTATVS SECVNDVS.

De modo vnionis Verbi Incarnati.

DE Quo *Angelicus Præceptor* in 3. Sent. dist. 5. q. 1. *In 3. ad Annib.* dist 5. q. vnic. art 3. & 4. *In Disputatis.* q. vnic. de vnione Verbi Incarnati art. 1. & 2. Quodlib. 9. q. 2. ar. 2. Lib. 4. *Contra gent.* cap. 34. & 35. *Et in præsenti* quæst. 2. *Vbi postea quam in præcedenti quæstione necessitatem Incarnationis Verbi explicuerat, quod pertinet ad quæstionē, an sit, illius essentiam, quidditatemque indagaturus, incipit à modo vnionis. Cum enim essentia Mysterij Incarnationis consistat in vnione duarum naturarum, humanæ, scilicet, & diuinæ in vna Verbi persona, vnio pertinet ad essentiā Mysterij; ac proinde illius explicatio necessaria est ad essentiam Mysterij cognoscendam, & explicandam.*

Quæstionem diuidit D. Thom. in duodecim Articulos: docens in primo, vnionē Verbi Incarnati non esse in natura pactā; etenim ad hoc oportebat, vt ex humanitate, & diuinitate in persona Verbi vnitis vna resultaret natura; hoc autem esse impossibile, probat variis modis recensitis, quibus id factum Hæretici sunt machinati, illisque reiectis. Articulus primus.

In secundo docet, vnionem istam esse factam in persona, eo quòd ex humanitate, & diuinitate vnitis, non duæ personæ resultant, sed vna persona consistit. Articulus 2.

In tertio, factam esse in hypostasi, nam cū hypostasis rationalis naturæ idem sit, quòd persona, non potuit in Christo Domino cum vnitate personæ, quam in præcedenti Articulo ostende-

rat, duplex hypoſthaſis eſſe: ac proindè non potuit vnio in perſona, & non in hypoſthaſi fieri.

Articulus. 4. *In quarto Articulo docet, perſonam, ſeu hypoſthaſim Chriſti poſt Incarnationẽ eſſe compoſitam, non quidem ſecundum ſe, ſed prout in duplici natura ſubſiſtit.*

Articulus. 5. *In quinto, factã fuiſſe in Chriſto vnionẽ animæ, & corporis: fuit etenim verus homo, quod ſine vera humanitate eſſe nequit, nec vera ſubſiſtere humanitas ſine vnione animæ, & corporis, cum ex illis, nõ ſeorſim ſumptis, ſed vnitis, eſſentialiter conſtet.*

Articulus. 6. *In ſexto docet, humanam naturam non fuiſſe Verbo Dei vnitam accidentaliter, eo quòd fuit illi ſecundum ſubſiſtentiam vnita, Verbique ſola ſubſiſtentia ſubſiſtens.*

Articulus. 7. *In ſeptimo, vnionẽ naturæ diuinæ, & humanæ aliquid creatum eſſe, eo quòd non eſt realiter in Deo, ſed tantùm ſecundum rationem; in humanitate autem eſt realiter; ideoque dicendum eſt, eſſe aliquid creatum.*

Articulus. 8. *In octauo docet D. Thom. aſſumptionem non eſſe idem, quòd vnio: nam vnio relationem importat, & in facto eſſe cõſiſtit: aſſumptio autem importat actionem, vel paſsionem, & ſignificatur in fieri. Ex quibus tertiam colligit differentiam, quod nempè, ab vnione, diuina, & humana natura eandem denominationẽ ſuſcipiunt: dicitur enim humanitas vnita Deitati, & Deitas humanitati vnita: non autem dicitur diuinitas ab humanitate aſſumpta, ſed è conuerſo humanitas aſſumpta à diuinitate, nec humanitas dicitur diuinitatem aſſumens: è cõuerſo autem dicitur Deitas aſſumens humanitatem.*

Articulus. 9. *In nono Articulo docet, vnionem duarum naturarũ in Chriſto ex parte eorum, quæ coniunguntur, nõ eſſe maximam omniũ vnionem, eoquòd huiuſcemodi extrema inter ſe maximè diſtãt; ex parte verò eius, in quo coniunguntur, præeminentiam ſuper omnes vniones habere: quia vnitas diuinæ perſonæ, in qua vniũtur duæ naturæ, maxima eſt. Explicat autem in calce articuli comparationem iſtam fieri cum vnionibus creatis, nõ autem cum vnitate diuinarum perſonarum in eſſentia: hæc namque maior eſt vnione Incarnationis.*

In decimo articulo docet, vnionem duarum naturarum in Christo factam esse per gratiam, si gratia accipiatur pro diuina voluntate gratis aliquid faciente; & quatenus naturam humanam esse personæ diuinæ vnitam, gratuitum donum fuit; non tamen si intelligatur, humanitatem, media gratia habituali, esse vnitam Verbo Dei, nam inter humanitatem & Verbum terminans illam nullum donum accidentale mediauit. Articulus 10.

In articulo vndecimo docet, vnionem humanitatis ad Verbum nullum Christi meritum supposuisse, eo quòd omnis operatio Christi subsequuta est ad vnionem; ac proindè nulla illius operatio potuit vnionem mereri: at verò Patres antiqui vnionem istam meruerunt, non merito condigno, sed congruo. Cum enim omnis operatio à pura creatura elicita infinite indignitate ab vnione hypostatica distet, nulla puræ creaturæ operatio potest esse meritum condignum illius. Articulus 11.

Tandem in vltimo articulo docet Angelicus Doctor, naturale dici dupliciter. Primò, pro eo, quod rei essentiam, vel naturam consequitur, vel secundum naturæ principia debetur. Secundò, pro eo, quod alicui convenit ab ipsa natiuitate: quo in sensu à Paulo dicitur: Eramus natura filij iræ; *quia scilicet peccatum originale, comitatur natiuitatem, gratiamque vnionis non posse dici naturalem Christo vt homini modo priori; non enim fuit causata ex principijs humanæ naturæ, nec ratione illorum debita; potest tamen tam gratia vnionis, quam gratia habitualis dici Christo vt homini naturalis in secunda acceptione, eo quòd vtramque istam gratiam habuit à natiuitate. Hæc D. Thomas: vt, autem quæ maiorem difficultatem ingerunt explicemus, sequentes disputationes subijcimus.* Articulus 12.

(.?.?.)

****
****
******

DISPVTATIO NONA.

Vtrum vnio humanitatis ad Verbũ facta fuerit in persona, vel in natura?

§. I.

Referuntur sententiæ, & statuitur prima conclusio.

Nũ. 1. *Primus Error.*

IN hoc Dubio non cũ Catholicis, sed cum Hæreticis est controversia, qui, vt docet Damascenus *lib. 3. fidei cap. 3.* parum ante medium ex hoc falso principio, nempè, naturam non distingui ab hypothasi, vel persona, in oppositos errores abierunt. Ex illo Nestorius, & alij hæretici Nestorio Antiquiores intulere, non posse in Christo vnam rãtum esse personam, sed duas, cum sint duæ naturæ: vnde naturam humanam solum accidentaliter esse vnitam Dei Verbo asserebant; quia, scilicet, Verbũ Dei erat homini Christo vnitum, sicut habitans in ipso vt in templo suo, & Beatissimam Virginem non Matrem Dei, sed hominis fatebantur, Christumque non Deum, sed Deiformem appellabant, vnionẽque Verbi ad humanitatem in persona factam non esse docebant, cum ex Verbo, & humanitate non resultaverit vna persona, vt ipsi somniabant.

Alij assentientes Nestorio in vnione accidentali humanitatis ad Verbũ, & in negatione vnionis substantialis Verbi cum humanitate euitare volentes dualitatem personarum, asseruerunt, Verbum assumpsisse animam, & corpus sibi inuicem non vnita: quo circa ex illis persona humana non resultauit, nam vt sit persona humana debet in humanitate subsistere; cum autem humanitas essentialitèr constet ex anima, & corpore vnitis, negata illorum vnione, vt in Christo hæretici negabant, consequentèr negatur humanitas: ex quo vlterius fit, vt etiam persona humana negetur; ad personam enim humanam constituẽdam sola anima rationalis non sufficit, nec solum corpus, sed illorum vnio est necessaria.

Secũdus Error.

Per oppositum extremum errauere Zerintiani, Apollinaristæ, & alij eiusdem farinæ, qui vnam tantum in Christo profitentes personam, vnã tantum concesserunt naturam; & idcircò docebant, vnionem Verbi ad humanitatem in natura factam esse. Quorũ errorẽ suscitauit, & ampliauit Eutyches Cõstantinopolitanus Archimandrita, qui cum apud Conciliũ Ephesinum Episcopo Nestorio re-

3 *Tertius Error.*

2

stitis-

stitisset in eo, quòd asserebat, esse in Christo duas personas, humanam, nempè, & diuinam, & consequenter vnionem humanitatis ad Verbum in persona factam non esse, ipse postea in extremum errorem fuit lapsus, affirmans, vnionem esse factam in natura, non valens, seu non volens percipere posse vnionem in persona fieri, & nō in natura, eo quòd naturam, & personam falsò indistincta censebat.

4. *Prima cōclusio.* S. Tho.

Contra hos errores sit prima conclusio: *Vnio Verbi ad humanitatem non est facta in natura.* Ita D. Thom. *in 3. Sent. dist. 1. q. 2. art. 1. & dist. 5. q. 1. art. 2. & 3. lib. 4. Contra Gent. cap. 35. 37. & 41. in disputatis quæst. de vnione Verbi incarnati art. 1. Opusc. 2. cap. 209. & cap. 212. & in hac quæstione art. 1.* Cōclusio ista diffinita est, & oppositus error damnatus in Concilio Calcedonensi *actione* 5. in Constantinopolitano 5. *collat. 8. can. 8.* in Hispalensi 2. *cap. 13.* in epistola Cōcilij Alexandrini ad Nestorium, quæ est in Concilio Ephesino, in Concilio Lateranensi sub Martino Quinto *consultatione* 5. 6. & 7. Ex Patribus etiam eundem errorem damnarunt Leo Primus *in epistola 10. ad Flauianum*, Gelasius Papa *in libro cōtra Eutychetem*, Damascenus *lib. 3. fidei cap. 3. 5. & 8.* Theodoretus *in Dialogo, cui titulus est, inconfusus.* Boetius *in libro de duabus naturis in Christo.* Fulgentius *libro 1. ad Trasimundum*, & plures alij, quos referunt Commentatores D. Thomæ *in præsenti.*

Concil. Calced. Cōstant. Hispal. Later. Leo. 1. Gelas. Damasc. Theod. Boetius. Fulgen.

5. *Probatur ratione Diui Thomæ.*

Et probatur ratione Angelici Præceptoris ad hanc formam redacta: etenim vnionem in natura fieri est, quòd ex tali vnione vna resultet natura; sed ex vnione humanitatis ad Verbum vna natura nō resultauit, nec potuit: ergo vnio humanitatis ad Verbum non fuit in natura facta. Consequentia probatione non indiget, maior est certa, nec illam hæretici negant; minor autem, ad quam deuolvitur difficultas, probatur. Nam ex duobus vnum fieri tribus modis contingere potest. Primò, vtroque integro, immutato, & in sua perfectione manente: secundò, ex illis transmutatis, aut permixtis: tertiò, ex duobus fit aliquid, non permixtis, aut transmutatis, sed imperfectis, vno illorum vt forma se habente, & altero se habente vt materia. Sed nullo ex his modis ex natura humana, & diuina vnitis in Christo, vna resultauit natura: ergo nullo modo ex humanitate, & diuinitate vna natura resultauit. Minor pro prima parte probatur à D. Thoma primò: etenim ex multis perfectis in sua integritate manētibus non potest fieri vnum simpliciter, sed tantum secundum quid; in Christo autem vnitas, non secundum quid, sed simpliciter talis est asserenda. Secundò, nā vnio plurium in sua perfectione manentium, non est per se, sed per accidens, Christo autem vnitas per se est concedēda. Denique, nam forma illorum, quæ vniūtur hoc genere vnionis, non est natura, sed ars: ergo ex humanitate, & diuinitate hoc vnionis genere vnitis non potuit vna resultare natura.

Non potuit vna resultare natura ex humana, & diuina perfectis.

6 *Nec ex illis trās mutatis*

Deindè pro secunda parte probatur eadem minor primò; quia extrema conuersionis, nempè, terminus, *à quo, & ad quem* sunt intrinsicè mutabilia; diuina autem natura omninò immutabilis est: ergo nequit conuerti in aliud, nec aliud conuerti in ipsam. Secundò, quia miscibilia nō manent in mixto formaliter: ergo si Christus esset vnus in natura media mixtione, neq; esset formaliter Deus, nec formaliter homo, neq; esset eiusdem naturæ cum patre, nec eiusdem naturæ cum matre.

7. *Nec ex illis per mixtis.*

Tertiò, quia inter extrema multum distantia non potest mixtio fieri, eò quòd vnū ob excessum actiuitatis, qua eminet super aliud, illud in sui naturam conuertit; ac proindè ex illis non resultat tertia natura, quod est de ratione mixtionis: vt si quis guttam aquæ apponat amphoræ vini, non resultat ex illis tertia species, sed aqua in vinum conuertitur ob excessum quantitatis vini; sed natura diuina in infinitum excedit humanam: ergo nō potest fieri mixtio ex vtraque natura, sed natura Dei in se naturam hu-

ma-

manam conuertet, ſolumque Dei natura remanebit in Chriſto, quod eſt contra fidem myſterij, qua credimus, eſſe verum Deum, verumque hominem.

8. *Nec ex illis vt imperfectis. Symb. Athana.*

Denique tertia pars minoris oſtenditur primò: nam Chriſtus eſt perfectus Deus, & homo perfectus, vt conſtat ex Symbolo Athanaſij, illis verbis: *Perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens*: ergo ex natura humana, & diuina vnitis tertio genere vnionis, nempè, tanquam ex duobus imperfectis, non reſultauit in Chriſto Domino vna natura. Patet conſequentia; non enim ſtat perfectus Deus abſque deitate perfecta, nec abſque humanitate perfecta poteſt perfectus homo conſurgere: ſicut nec perfectum album abſque albedine perfecta; vniuerſalitèr enim repugnat perfectio in concreto abſque perfectione formæ concretum conſtituentis: ergo ſi Chriſtus eſt perfectus Deus, & perfectus homo, nõ componitur ex deitate, & humanitate imperfectis, ſed in illo deitas, & humanitas perfectæ inveniuntur.

9. *Nec vt vnitis per modum materiæ, & formæ,*

Secundò probatur: nam vnio ex imperfectis ſolum eſſe poteſt, aut per modum partium quantitatiuarum, ex quibus totum integrale reſultat, aut per modum materiæ, & formæ, ex quibus totum phyſicum componitur; diuina autem natura nullo ex his modis potuit cum humana vniri, & conſequentèr non potuit ex humana, & diuina natura, imperfectis remanentibus, tertia natura componi. Quòd autem nullo ex prædictis modis potuerit natura Dei ingredi talem conſtitutionem, probat Angelicus Doctor; non enim potuit ingredi modo priori; partes enim quantitatiuæ ſunt corporeæ; natura autem diuina omninò incorporea eſt: ergo non potuit, vt pars quantitatiua ſe gerere. Quòd autem etiam ſecundo modo repugnet, probatur primò; quia informatio, dependentia, & potentialitas naturæ diuinæ repugnãt; de ratione autem formæ eſt informatio, de ratione materiæ potentialitas, & de ratione vtriuſque depẽdentia à toto, ad cuius compoſitionem vt ad finem ordinantur: ergo nec forma, nec materia eſſe poteſt, & conſequentèr ex illa, & humanitate vnitis per modum materiæ, & formæ non potuit tertia reſultare natura.

10. Secundò, nã quod ex materia, & forma reſultat, ſi forma non adæquet materiam, eſt numero multiplicabile, & communicabile pluribus numero tantum diſtinctis; ſi autem diuinitas eſſet forma humanitatis, cum aliæ humanitates ſint ab illa non informatæ, non adæquaret materiam, quam informabat, ac per conſequens natura ex diuinitate vt forma, & humanitate vt materia reſultans eſſet pluribus communicabilis, & multiplicabilis numero: ex quo vlterius fieret, vt non eſſet vnus tantum Chriſtus, ſed plures: non ergo potuit ex diuinitate vt forma, & humanitate vt materia tertia reſultare natura.

11. Denique minor pro tertia parte probatur; nam cũ ſpecies, teſtè Philoſopho, ſint ſicut numeri, addita qualibet differentia, ſpecies variatur: ſicut numerus, addita qualibet vnitate, variatur ſpecificè in ratione numeri: ergo ſi ex natura humana, & diuina reſulturet vna natura per additionem naturæ ad naturam, Chriſtus neque eſſet diuinæ, nec humanæ naturæ, ſed alterius ab vtraque ſpecificè diſtinctæ: addita namque natura differentia ſuperaddit ur: ex quo vlterius ſequitur, quòd nec eſſet Deus, nec homo; non enim poteſt natura ſpecificè ab humanitate, & diuinitate diſtincta Deum, neque hominem conſtituere, nec Dei operationes, nec hominis exercere valeret; cui namque aliqua natura non competit, nec illius operationes illi conuenire poſſunt, aut ab illo exerceri contra expreſſa teſtimonia Scripturæ, ex quibus habetur, Chriſtum, eſſe verum Deum, hominemque perfectum, & vt Deum, & hominem eſſe operatum.

12. Ex quo diſcurſu D. Thomæ impugnatus relinquitur Eutychetis error, ſiuè ſenſerit, vt voluit Vazquez

diſput.

Eutychetis error triplicitèr explicatur.

disput. 14. num. 4. sequutus Castrũ verbo *Christus, hæres. 4.* resultasse vnam naturam ex diuina, & humana in Christo, manentibus integris formaliter, media compositione, siuè senserit, resultasse vnam naturam ex humana, & diuina, non manentibus in Christo formalitèr, sed solum virtualitèr ad modum, quo elementa perseuerant in mixto, qualitèr Eutychetis errorem interpretantur Bellarminus *tom. 1. lib. 3. de Christo cap. 2.* & Valentia *3. p. disput. 1. q. 2. punct. 1.* siuè existimauerit, vnam resultasse naturam ex illis vt imperfectis, informatione mediante, qualitèr alij illius explicant errorem. De quo dissidio in vera intelligentia erroris prædicti hæretici consulantur Interpretes Diui Thomæ *in præsenti*; parum enim interest in hoc, aut in illo sensu accipi, cũ in omni sui acceptione manifestè à D. Thoma impugnetur, & illius error falsitatis conuincatur.

§. II.

Hæreticorum argumentis occurritur.

13. *Primũ hæreticorũ argumetũ.*

OBIICIVNT hæretici primò, verba illa Athanasij in Symbolo: *Nam sicut anima rationalis, & caro vnus est homo: ita Deus, & homo vnus est Christus*; sed ex anima rationali, & carne vna natura resultat in homine: ergo ex diuinitate, & humanitate vna in Christo resultauit natura. Secundò opponebat Euthyches hæc verba ex Cyrillo: *Non oportet igitur intelligere duas naturas, sed vnã naturam Verbi incarnatam*: ergo ex mente Cyrilli non sunt duæ naturæ in Christo, sed vna ex deitate, & humanitate resultans, & consequentèr vnio in natura fuit facta. *Secũdũ.* Tertiò, quia in Scriptura nullibi legitur, duas esse in Christo naturas: ergo vna tantùm natura reperitur in illo ex diuinitate, & humanitate composita, & consequenter idem quod prius. Præterea, nam Christus secundum fidem non est duplex, sed vna persona: ergo in illo tantùm est vna natura. Patet consequentia: duæ namque naturæ duas constituunt personas: ergo, si vna tantùm est in Christo persona, vna tantum est in illo natura. *Tertiũ.* *Quartũ.*

14. *Vltimũ.* Denique, nam vnio humanitatis ad Verbum est facta in persona; sed persona Verbi est ipsissima natura diuina: ergo talis vnio est facta in natura diuina, & consequentèr facta est in natura. Quod amplius vrgetur; nam iuxta Damascenum *lib. 3. fidei cap. 3.* ex hoc falso principio, nempè, naturam non distingui ab hypostasi, vel persona, inferebant hæretici, vel vnionem humanitatis ad Verbum esse factam in natura, vel in persona factam non esse: cumque fateamur Catholici, vnionem in persona esse factam, ipsi inferebant, esse factam in natura, vbi Damascenus bonitatè consequentiæ videtur fateri; antecedens autem negat; sed ex parte naturæ diuinæ verum est antecedens; in Deo namque hypostasis, vel persona non distinguitur à natura: ergo ex eo, quòd vnio ista sit facta in persona diuina, rectè infertur, esse factam in natura. *Damasc.*

15. *Respondetur ad primum.* Hæc tamen nihil vrgent: ad primum respondeo, ex anima rationali, & carne in vnoquoque nostrum duplicem resultare vnitatem, naturæ, scilicet, & personæ: prima ex vnione illarum inter se immediatè resultat; ex illis namque vnitis componitur humana natura: secunda ex vnione vtriusque ad personalitatem, ex qua, & humanitate vnitis constituitur humana persona. Tenet ergo similitudo Athanasij quantũ ad hanc secundam vnitatem, non verò quantum ad primam: vndè, ex illius verbis non sequitur, ex Verbo, & humanitate vnitis, vnam resultasse naturam, sed solum quòd ex illis resultauerit vna persona.

16. S. Thomas. Ita D. Thomas *in præsenti q. 2. art. 1.* illis verbis: *Ad secundum dicendum, quòd ex anima, & corpore constituitur*

in vnoquoque nostrum duplex vnitas, naturæ, & personæ: naturæ quidem secundum quod anima vnitur corpori formatiuè perficiens ipsum sicut ex actu, & potentia, vel materia, & forma, & quantum ad hoc non attenditur similitudo; quia natura diuina non potest esse corporis forma, vt in primo probatum est; vnitas verò personæ constituitur ex eis, in quantum est vnus aliquis subsistens in carne, & anima: & quantum ad hoc attenditur similitudo; vnus enim Christus subsistit in diuina natura, & humana.

17. *Adjecundū respondetur primò.*

Ad secundum respondeo primò, negando priora verba in Cyrillo reperiri, sed oppositū expresè fatetur *lib. 1 de recta fide ad Reginas*, hæc verba ex Athanasio referens: *Confitemur etiam, ipsum esse Filium Dei, & Deum secundum spiritum, & Filium hominis secundum carnem, non duas naturas, vnam, quæ adoretur, & vnam, quæ non adoretur, sed vnam naturam Dei Verbi incarnatam, & adorandam cum carne sua vna adoratione.* Vbi, vt clare constat, non negat Cyrillus duas naturas in Christo absolutè, sed duas naturas adoratione separabiles, idest, quarum vna eadem adoratione, qua alia non adoretur, ad quod sufficit coniunctio in suppositō: eo enim ipso quòd natura humana tracta est ad suppositū Verbi, adoratur eadem adoratione, qua Verbum, nempè, Latriæ, non quidem ratione sui, sed ratione suppositi.

18. *Respondetur secundo.*

Respondeo secundò, dato, quòd priora illa verba in Cyrillo inueniantur, negasse duas naturas in Christo disiunctas suppositō, & distinctas cōstituentes personas: in quo sensu hæretici duas naturas in Christo statuebant; non verò negasse duas naturas adunatas in eodem suppositō, & non duas, sed vnam constituentes personam. Multoties enim Patres vnum impugnantes errorem in alterum verbo tenus declinare videntur; sed cum de illorum mente catholica constet, ad sanum sensum sunt reducendi, qua ratiōne fuisse expositam Cyrilli auctoritatem in Concilio Constantino *can. 8.* quod fuit Concilium quintum generale, docet Angelicus Doctor verba Concilij referens *in hac quæstione art. 1. ad primum.*

19. *Ad tertium.*

Ad tertium argumentum dicatur, quòd licet in Scripturis non reperiatur hæc veritas illis vocibus explicata, nēpè, asserēdo, duas esse in Christo naturas; reperitur tamen in Scriptura veritas illis vocibus significata, cum constet ex illa, Christum esse verum Deum, verumque hominem, quod verum esse non potest, nisi duæ in illo reperiantur naturæ; non enim potest verus Deus sine vera deitate, nec verus homo sine vera humanitate subsistere; ac proindè sine duabus naturis in Christo repertis, vera esse non possunt, quæ de illo Scriptura Sacra testatur.

20. *Ad quartum.*

Ad quartum, concesso antecedenti, nego consequentiam; ad cuius probationem dicatur, duas naturas sibi relictas, & non impeditas ad id, quod exposcunt connaturaliter, duas personas constituere; ad quālibet enim illarum, si expedita sit, propria personalitas consequitur; ac proindè propriam constituit personam: secus autem si vna illarum à resultantia personalitatis propriæ impediatur: tunc enim, etsi quælibet illarum, quantum est ex se, propriam constitueret personam, de facto illam non constituit: & hoc in mysterio Incarnationis contigit; fuit enim impedita resultantia personalitatis humanæ per terminationem humanitatis à Verbo: ideoque humanitas propriam personalitatem, quam de se poscebat, non intulit, nec personam à persona Verbi distinctam constituit.

21. *Ad vltimum.*

Ad vltimum, concessa maiori, distinguo minorem: identitate reali formali, concedo minorem: identitate virtualia, & rationis, nego minorem, & consequentiam: sicut enim distinctio virtualis, & secundum rationem inter personalitatem, & naturam sufficit, vt persona producatur, & non producatur natura, & vt vna persona aliam producat; natura autem non producat naturam, quamvis identitate reali formali omninò identificentur: ita eadem distinctio sufficit, vt dicatur

eatur vnio facta in persona, & non sit, nec dicatur facta in natura. An autem verè dici possit, humanitatem esse vnitam naturæ diuinæ *tract. seq.* constabit. Et ex his ad confirmationē dicatur, hæreticos naturam à supposito, vel persona, nec virtualitèr distinxisse; Nos autem in Deo virtualem distinctionem inter personam, & naturam adstruimus, & in creaturis realem; ac proindè non sequitur, ex eo, quòd vnio humanitatis ad Verbum facta fuerit in persona, esse factam in natura, nec illationem istam Damascenum approbasse.

22. S. Tho. Ita D. Thom. *q. de vnione Verbi Incarnati art. 1. solut. ad 2. argumentum*, quod ita procedebat: *Damascenus dixit in tertio libro, hoc facit hæreticis errorem; quia dicunt idem naturam, & hypostha sim; sed hoc non videtur falsum esse; quia in quolibet simplici, & præcipuè in Deo, idem est suppositum, & natura: ergo nō est falsum, quod hæretici dicunt; quod si vnio facta sit in persona, quòd sit facta in natura.*

23. S. Tho. Cui argumento ita respondet: *Ad secundum dicendum, quòd quamvis in diuinis natura, & suppositum, vel persona non differant realitèr; differunt tamen ratione, vt dictum est supra quæstione 8. art. 4. Et quia idem est subsistens in natura humana, & diuina; non autem eadem essentia ex vtroque componitur, indè est, quòd vnio facta est in persona, ad cuius rationem pertinet subsistere, non autem in natura, quæ importat essentiam rei.* Vbi aduerto distinctionē quam Nos virtualem asserimus, dici à D. Thoma distinctionem rationis; quia in nostra, & communi Thomistarum sententia distinctio virtualis in Deo idē est, quòd distinctio rationis ratiocinatæ, hoc est, habens fundamētum in re, ad differentiam distinctionis, quæ dicitur rationis ratiocinantis; quia in re fundamentum non habet: distinctio autem rationis ratiocinatæ in re est fundamentalitèr, & in ratione formalitèr; ideoque virtualis appellatur.

24. Obijcies Cæterum contra istam doctrinam potest in hunc modum vrgeri: nam esto personalitas à natura Dei virtualitèr, & per rationem distinguatur, vt docet communis sententia; existentia tamen Dei virtualitèr, & ratione identificatur cum natura diuina, vt frequentius docetur à Discipulis D. Thomæ, sed vnio humanitatis ad Verbum fuit in existentia facta: ergo fuit facta in natura. Consequentia videtur bona iuxta traditam doctrinam; ideo namque asserebamus, ex vnione facta in persona non sequi talem vnionem esse factam in natura, quia persona, & natura virtualitèr distinguūtur: ergo si inter existentiam, & naturam diuinam huiusmodi distinctio non datur ex vnione facta in existentia, colligitur vnio facta in natura. Minor autem probatur: ideo nāque vnio facta fuit in persona, quia humanitas subsistentia, & personalitate Verbi subsistit: & quia ex natura humana, & diuina, non duæ, sed vna resultauit persona; sed humanitas etiā existit per existentiam Verbi, & ex vnione humanitatis ad Verbum non duplex, sed vnum resultauit existens: ergo talis vnio fuit in existentia facta.

25. Respōdetur tripliciter, primo. Respondeo in mea sententia, existentiam à natura diuina virtualitèr, & ratione distingui: sicut & inter intellectionem, & naturam diuinam virtualem distinctionem versari docuimus *tract. de essentia Dei, & tract. de scientia q. 14. art. quarto* admissa tamen illorum Thomistarum sententia asserente, inter existentiam, & essentiam diuinam virtualem distinctionem non dari, dicatur, distingui inter se ad minus eminentialitèr, & æquiualentèr, quod negari non potest, alias saluari non posset Angelici Præceptoris doctrina asserentis, humanitatem Christi non gaudere propria existentia, sed existere per existentiam Verbi: ex quo euidentèr sequitur, fuisse humanitatem vnitam existentiæ Verbi formalitèr sub conceptu existentiæ: cumque non fuerit vnita formalitèr essentiæ, & naturæ Dei sub conceptu essentiæ, & naturæ, necessariò est asserendum, inter existentiam Verbi, & essentiam, vel naturam diuinam aliquam distinctionē versari, quæ non potest esse minor,

Respondetur secundo.

quam

quam æquiualens, aut eminentialis; hæc autem diſtinctio ſufficit, vt ex humanitate, & diuinitate vnitis reſultauerit vnum exiſtens, & nō reſultauerit vna natura, vt patet in diuina eſſentia ſub conceptu intellectionis, & ſub conceptu ſpeciei, inter quos cōceptus non dari virtualem diſtinctionem, ſed ſolum eminentialem, tenet probabilis plurium Thomiſtarum ſententia; & tamen Diſcipuli D. Thom. vnanimi conſenſu fatentur, Dei eſſentiam vniri mentibus Beatorū ſub munere, & conceptu ſpeciei, & omnes conſtantèr negant, mentibus Beatorum vniri ſub munere, & conceptu intellectionis.

26. *Tertio reſpondetur.*

Vel tertiò dicatur, inter exiſtentiam, & naturam, vel eſſentiam diuinam diſtinctionem virtualem nō adæquatam, ſed inadæquatam verſari, & diſtinctionem iſtam ſufficere, vt eſſentia Dei fuerit vnita humanitati formalitèr ſub conceptu exiſtentiæ, & non ſub conceptu eſſentiæ, vel naturæ: quod patet; nam inter naturam diuinam ſub conceptu ſanctitatis, & ſub conceptu radicis intelligendi, ſeu actualis intellectionis nō eſt virtualis adæquata diſtinctio in veriori Thomiſtarum ſententia; & tamen fuit vnita formalitèr humanitati Chriſti ſub conceptu ſanctitatis, quandoquidem illam ſanctificauit ſanctitate increata, & ſubſtantiali; non autem fuit illi vnita ſub conceptu radicis phyſicæ intelligendi, nec ſub conceptu actualis intellectionis, aliàs ſeipſa conſtituiſſet humanitatē radicalitèr phyſicè potentem intelligere, actuque intelligentē intellectione increata, quorum vtrumque negant communitèr Theologi. Perſonalitas etiam ſub conceptu hypoſtaſis non diſtinguitur virtualitèr adæquatè à ſe ipſa ſub conceptu referentis, ſed ſolum inadæquatè; & tamen perſonalitas Verbi formalitèr vnitur humanitati ſub cōceptu formæ hypoſtaticæ, quandoquidem illam ſubſiſtentem conſtituit, & non vnitur illi formalitèr ſub conceptu referentis, aliàs conſtitueret illam relatam ad patrem, quod nullus docuit. Ac denique conceptus paſſiuæ generationis, & conceptus formæ hypoſtaticæ ſolum inadæquatè diſtinguuntur in ſubſiſtentia Verbi; & tamen vnitur formalitèr humanitati ſub conceptu hypoſtaſis, quin illi vniatur ſub conceptu paſſiuæ generationis: ergo, eſto admittamus exiſtentiam, & eſſentiam diuinam non diſtingui virtualitèr adæquatè, non ſequitur ex vnione ad exiſtentiam, ſiuè in exiſtētia vnio formalitèr ad naturam diuinam, vel vnio facta in natura.

§. III.

Sextum argumentum diluitur.

27. *Sextoar guitur.*

DEINDÈ arguitur: ſi namque ex diuinitate, & humanitate non reſultaſſet vna natura, deitate vt forma ſe habente, & humanitate vt materia, maximè, propter inconueniens deductum à D. Thoma, quia, nempè, ſequeretur, eſſe plures Chriſtos, ſed hoc vel nō ſequitur, vel inconueniens non eſt: ergo potuit reſultare vna natura ex humanitate vt materia, & diuinitate vt forma. Maior cōtinet doctrinam D. Thomæ, conſequentia eſt bona, & minor probatur: nam vel D. Thomas loquitur de pluralitate Chriſti poſsibili, vel de pluralitate actuali: primum inconueniens non eſt; ſecundum autem non ſequitur: ergo vel non ſequitur, quod infertur pro inconuenienti, vel inconueniens nō eſt. Minor pro prima parte conſtat, nam de facto ſunt plures Chriſti poſsibiles; potuerunt enim tres perſonæ diuinæ diuerſas terminare naturas; quo in caſu eſſent plures Chriſti: ergo pluralitas poſsibilis Chriſti abſque inconuenienti conceditur, & conſequentèr non debet inconueniens cenſeri. Pro ſecunda parte probatur ex eadem doctrina: ſunt namque plures Chriſti poſsibiles tribus diuinis

uinis personis terminantibus diuersas naturas, quod absque dubio est possibile; & tamen de facto non existunt, plures Christi, sed vnus: ergo ex eo, quòd natura resultans ex diuinitate vt forma, & humanitate vt materia, esset pluribus cõmunicabilis, & multiplicabilis numero, & cõsequentèr essent plures Christi possibiles, non sequeretur, esse de facto pluribus cõmunicatam, & multiplicatam numero, nec pluralitas Christi actualis.

28. *Respondetur.* Respondeo, concessa maiori, negando minorem: ad illius probationem dicatur, loqui D. Thomam de vtroque modo pluralitatis, nempè, actualis, & possibilis, & vterque sequitur, si ex diuinitate vt forma, & humanitate vt materia, tertia resultasset natura; sequitur namque, talem naturam fore numero multiplicabilem, eo quòd omnis natura ex materia, & forma composita tota materia non constans est multiplicabilis numero; natura autem ex diuinitate vt forma, & humanitate vt materia resultans esset ex materia, & forma composita, vt casus supponit, & aliàs non cõstaret tota materia, cum præter humanitatem, ex qua vt materia talis natura constaret, dentur aliæ plures numero: esset ergo numero multiplicabilis, & consequentèr esset pluralitas Christi possibilis. Quòd autem talis pluralitas etiam de facto daretur, patet; etenim illa natura esset naturaliter corruptibilis, & naturalitèr generabilis; in omni autem natura generabili, & corruptibili plura dantur indiuidua de facto, vt natura, quæ in vno indiuiduo conseruari perpetuò non potest, conseruetur successione, & multitudine indiuiduorum. Sequitur ergo ex modo illo constituendi vnam naturam in Christo pluralitas Christi possibilis, & pluralitas Christi actualis.

29. *Cõfirmatur solutio ex doctrina D. Tho.* Et quòd vterque iste pluralitatis modus a D. Thoma intendatur, videtur, non obscurè colligi ex doctrina ab ipso tradita *in hac quæstione art. 5. ad 2.* vbi explicans Damascenũ *lib. 3. fidei cap. tertio* asserentem, *quod in Domino Iesu Christo non est communem speciem accipere*, sic ait: *Alio modo potest intelligi dictum Damasceni, vt non referatur ad naturam humanam, quasi ex vnione animæ, & corporis non resultet vna communis natura, quæ est humana, sed est referendum ad vnionem duarum naturarum, diuinæ, scilicet, & humanæ, ex quibus non componitur aliquod tertium, quod sit quædam natura communis; quia sic illud esset natum prædicari de pluribus, & hoc ibi intendit: vndè, subdit; nec enim generatus est, nec generabitur alius Christus ex Deitate, & humanitate, in Deitate, & humanitate, Deus perfectus, idem, & homo perfectus.* Hæc D. Thom. explicans Damascenum, in quibus apertè innuitur, Angelicum Doctorem ex mente propria, & Damasceni sensisse, ex eo, quod ex humanitate, & diuinitate vt materia, & forma vnitis tertia resultaret natura, eam fore specificè communem, & de facto numero multiplicatam, aliàs ineptè argueret Damascenus ex eo, quòd nunquam generatus sit, nec vnquam generãdus alius Christus, Christum non conitare ex natura specificè communi communicatione solum possibili, nam ex facti negatione nõ potest rectè inferri possibilitatis negatio.

30. *Ad improbationem minoris pro prima parte respondetur.* Ad improbationem minoris pro prima parte respondeo, distinguendo antecedens: de facto sunt plures Christi possibiles possibilitate naturali vi alicuius naturæ à natura diuina, & humana, distinctæ, nego antecedens: possibilitate obedientiali, & virtute sola diuina supernaturalitèr operante, concedo antecedens, & nego consequentiam; licet namque verum sit, vt fatemur, potuisse tres personas diuinas, posseque plures, & distinctas terminare naturas, quo in casu essent plures Christi; hæc tamen pluralitas non est naturalitèr possibilis, sed obedientialitèr ex parte naturæ humanæ, quæ non actiuè, sed passiuè ad vnionem sui cum diuinis personis se haberet; sicut ad vnionem cum Verbo non actiuè, sed obedientialitèr passiuè se habuit: si verò admittatur ex diuinitate vt forma, & humanitate vt materia, tertiã resultasse naturam

ab vtraque ex illis diſtinctam, hæc natura eſſet numero naturaliter multiplicabilis; poſſet enim Chriſtus in virtute talis naturæ aliud individuum eiuſdem naturæ generare, nempè, ex deitate, & humanitate compoſitæ, & conſequenter eſſent naturaliter poſſibiles plures Chriſti. Quam doctrinam clarè indicant verba Damaſceni proximè adducta, & à D. Thoma approbata, cum inferat Damaſcenus, ex eo quòd non ſit genitus, nec vnquam generandus alius Chriſtus, ipſum non conſtare ex natura conflata ex diuinitate, & humanitate, quæ ſit ſpecificè communis, & nata prædicari de pluribus: ex quo aperte ſequitur, Damaſcenum, & D. Thomam ſentire, ex data ſuppoſitione, ſequi pluralitatem Chriſti naturaliter poſſibilem, & via naturalis actiuæ generationis.

31. *Obiicies* Si dicas: de facto in Chriſto potentia generatiua inuenitur, & natura humana, quæ pluribus eſt communis cū deitate coniuncta, aliàs Chriſtus perfectus homo non eſſet, ſi potentia generatiua, quæ eſt hominis naturalis perfectio, caruiſſet; & tamen ex hoc non ſequitur, potuiſſe generare alium Chriſtum ex deitate, & humanitate compoſitum, ſed ſolum quod potuerit purum hominē generare ſibi in natura humana ſimilem: ergo, ex eo, quòd Chriſtus conſtaret natura ex deitate vt forma, & humanitate vt materia compoſita, nō ſequitur, fore, vt poſſet generare alium Chriſtum ex deitate, & humanitate compoſitum, ſed ſolum quòd poſſet generare purum hominem ſibi ſimilem in humanitate.

32. *Reſpondetur.* Reſpondeo, conceſſis maiori, & minori, negando conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt manifeſta; nam generans generat ſibi ſimile, non in perſona, ſed in natura, quæ eſt principium *quo* radicale generationis: cū autem admiſſa natura in Chriſto ex deitate, & humanitate compoſita, non ſolum in perſona differret à puris hominibus, ſed etiam in prædicta natura, fit conſequens, vt poſſet generare alium ſibi in tali natura ſimilem; ac proindè generare poſſet hominem Deum, & conſequenter poſſet naturaliter generare alium Chriſtum, nam Chriſtus idem eſt, quòd homo Deus. Modò autem, etſi humanitas, & diuinitas in Chriſto reperiantur coniunctæ, non tamen ita, vt tertia ex illis natura ab humanitate diſtincta reſultet, ſed ſolum vna perſona in deitate, & humanitate ſubſiſtens: vndè, Chriſtus non in natura, ſed in perſona differt à puris hominibus, ac per conſequens, ſi generaſſet, non Deum hominem, ſed purum hominem generaſſet ſibi ſimilem, non in perſona, ſed in humana natura, ratione cuius ipſi competit potentia generatiua. Quam doctrinam breuitate, & ſubtilitate ſolita diuinum Caietani ingenium dedit *in hac quæſtione art. 5. circa ſolutionem ſecundi argumenti.*

33. *Inſtabis* Sed dices: etſi talis natura eſſet in Chriſto ex deitate, & humanitate cōpoſita, ſufficeret in ipſo potentia generatiua ad generandum alium ſibi ſimilem in ſola natura humana: ergo ex illa compoſitione non ſequitur in Chriſto potentia ad generandū alium Chriſtum. Conſequentia patet, nam potentia ad generandum Chriſtum eſt potentia ad generandum hominem Deum, genitus autem Chriſto ſimilis in ſola natura humana non eſſet homo Deus, ſed homo purus, & conſequētèr potētia exiſtens in Chriſto ad generandum ſibi ſimilem in ſola natura humana, non eſſet potentia generatiua alterius Chriſti. Antecedens autem probatur: ſufficeret potentia in Chriſto ad generandum ſibi ſimilem in eo, ex quo corruptibilis eſſet; ſed quamuis natura illius eſſet ex humanitate, & diuinitate compoſita, non eſſet corruptibilis ex diuinitate, quæ incorruptibilis eſſentialiter eſt, ſed ſolum ex humanitate: ergo ſufficeret in Chriſto potentia ad generandum ſibi ſimilem in ſola humanitate, quamuis illius natura eſſet ex deitate, & humanitate compoſita.

34. *Reſpondetur.* Reſpondeo, negando antecedēs; ad illius probationem, nego maiorem: non enim ſolum deberet conſtitui in Chriſto potentia generatiua ſibi

ſimilis

similis in eo, ex quo corruptibilis esset, sed etiam in eo, in quo foret corruptibilis; foret autem corruptibilis in natura ex humanitate, & diuinitate composita, etsi non ex illa tota totalitate syncathegorematica corruptibilitas Christi oriretur, sed solum ex vna parte, nempè, ex parte humanitatis; ideoque potentia generatiua, quæ in Christo deberet constitui, prædicto errore supposito, esset ad sibi similem generandum, non solum in humanitate, sed etiam in natura ex deitate, & humanitate composita: sicut potentia generatiua hominis non est potentia ad generandum sibi similem in sola anima rationali, sed in natura ex anima, & materia composita, quatus corruptibilitas hominis ex materia originetur. Et quidem diuersa natura, diuersas potentias radicat, & diuersæ potentiæ terminum essentialiter diuersum exposcunt; in casu autem supposito natura Christi distincta foret à natura puri hominis: ergo potentia generatiua illam cõsequens necessariò esset distincta à potentia generatiua, quæ in puro homine invenitur, & consequentèr haberet terminum formalem distinctum à termino formali potentiæ generatiuæ puro homini conuenientis: cumque illius potentiæ terminus formalis sit natura purè humana, genito communicata, terminus formalis potentiæ generatiuæ Christi, supposito, quòd illius natura esset ex deitate, & humanitate composita, non esset humanitas sola, sed natura ex humanitate, & deitate conflata; ac proindè posset Christus sibi similem in prædicta natura generare.

35. *Ad improbationē minoris prosecunda parte respõdetur.*

Et ex his ad improbationem secundæ partis minoris constat solutio: modò namque sunt plures Christi possibiles per potentiam obedientialem, non autem per naturalem vi alicuius naturæ creatæ reducibilem ad actum; & ideo non sequitur, dari plures Christos de facto, aliàs omne, quod non implicat, esset de facto productum; in errore autem supposito, ex quo inconueniens à D. Thoma deducitur, essent plures Christi naturaliter possibiles vi naturæ compositæ ex diuinitate, & humanitate cõstituẽtis Christum, talisque natura esset corruptibilis ab intrinseco: & ideò esset de facto pluribus individuis communicata, & multiplicata numero in illis, vt quæ in vno individuo perpetuò conseruari non posset, multiplicatione individuorum, illorumque successione duraret.

Sed dices, natura humana, per quam Christus constituitur, est corruptibilis ab intrinseco; & tamen non dantur de facto plures Christi homines constituti: ergo ex eo, quòd natura Christũ iuxta errorem prædictum constituens esset ab intrinseco corruptibilis, non sequitur, plures Christos esse de facto extituros. Respondeo, concessis maiori, & minori, negando consequentiam. Ratio autem discriminis est; natura namque Christum de facto constituens iuxta veritatem catholicam, non est diuersæ rationis à natura aliorum hominum, sed eiusdem omninò rationis, & speciei, ideoque ad sui conseruationem sufficiunt alia individua, videlicet, puri homines, in quibus de facto invenitur: vnde, necessarium non est, quòd plurificetur Christus; natura autem, qua Christus supponitur constitutus iuxta prædictum errorem, est diuersæ rationis, & speciei à natura aliorum hominum, cum supponatur composita ex natura humana, & diuina: ideoque ad illius conseruationem puri homines non sufficiunt, sed necessariò exigerentur propria talis naturæ individua: etenim vna natura non potest conseruari in individuis alterius naturæ specificè ab illa distinctæ: imò nec illis cõmunicari, nec de illis prædicari potest: sicut natura humana non potest communicari individuis naturæ Leoninæ, & consequentèr nec in illis conseruari.

36. *Vrgebis.*

Respondetur.

* * * * * * * * * * * * *
* * * * * * * * *
* * * * * * *
* * * * *
* *

§. IV.

Vltimum argumentum proponitur, & examinantur varij modi dicendi.

37. *Denique arguitur*

DENIQVE arguitur: ex eo quòd natura diuina sit ingenerabilis, incorruptibilis, & omninò immutabilis, non sequitur, non potuisse humanitatem in diuinitatem conuerti: ergo nec sequitur, ex omnimoda immutabilitate deitatis, non potuisse ex illa, & humanitate vnam per conuersionem resultare naturam, & consequentèr deficit ratio, qua D. Thom. *in primo artic. huius quæstionis* impugnat secundum modum, quo aliqui dixerunt, ex humanitate, & diuinitate vnam naturam resultasse, nempè, cõmixtione, & conuersione. Consequentia videtur bona; antecedens autem probatur, nam de facto corpus Christi in Eucharistia terminat conuersionem panis in ipsum; & tamen prout conuersionem terminans non mutatur intrinsecè: ergo ex eo, quòd diuinitas sit omninò immutabilis, nõ sequitur, non potuisse terminare cõuersionem humanitatis in ipsam, humanitatemque non potuisse in diuinitatem conuerti. Consequentia patet: si namque de facto terminatur conuersio absque mutatione actuali intrinseca in termino illam terminante ex possibilitate terminandi conuersionem, possibilitas intrinsecæ mutationis non sequitur, & consequentèr, nec ex omnimoda immutabilitate intrinseca deitatis sequitur impossibilitas terminandi conuersionem.

S. THO.

38. *Minor probatur.*

Maior supponitur; minor autem, ad quam reducitur difficultas, probatur: nam mutari intrinsecè est aliter intrinsecè se habere; sed corpus Christi vt terminans conuersionem panis in ipsum non se habet aliter intrinsecè, ac antea se habebat: ergo vt conuersionem terminans non mutatur intrinsecè. Consequentia cum maiori tenet; minor autè probatur: nam aliquas intrinseca, vt ex ipsis terminis cõstat, est intrinseca realis distinctio; sed corpus Christi, vt terminans conuersionem panis in ipsum, non distinguitur intrinsecè realitèr à se ipso secundum se: ergo vt terminans conuersionem prædictam non se habet aliter intrinsecè, ac antea se habebat. Minor, cui ineſt difficultas, probatur; nam distinctio realis intrinseca petit prædicatum novum intrinsecum reale; sed corpori Christi vt terminanti conuersionem panis in ipsum, non conuenit prædicatum reale intrinsecum, quod ipsi antea non conueniret; solũ enim est terminus conuersionis, prout est id, in quod desinit panis, ex qua panis desitione nihil illi accrescit intrinsecum: ergo corpus Christi prout terminans conuersionem non distinguitur realitèr intrinsecè à se ipso secundum se, & consequentèr non se habet aliter intrinsecè, ac antea se habebat: ex quo vlterius sequitur, vt conuersionem terminet absque mutatione reali intrinseca.

39. *Primus modus dicendi*

Hæc obiectio tangit difficultatem celebrem de termino transsubstantiationis Eucharisticæ, de qua *infrà q. 75. art. 4.* vbi illi variè à Theologis occurritur. Quidam, vt substantialem realem intrinsecam mutationem in termino conuersionis tueantur, asserunt, corpus Christi ex vi conuersionis panis in ipsum acquirere modum substantialem, ratione cuius redditur incompossibile cum substantia panis, illique opponitur: cum enim ratione sui hac oppositione cum substantia panis non gaudeat, vt, ex vi conuersionis oppositionem cum substantia panis sortiatur, quã de se nõ habebat, necessũ est, prædicatũ aliquod corpori Christi de nouo aduenire; nõ enim potest immutatũ entitatiuè manẽs opponi substantiæ panis, cui nõ opponebatur ratione sui, & ratione illius prædicati per se primò terminat conuersionẽ, & mutatur realitèr intrinsecè.

40. *Contra illum arguitur primò.*

Contra quos obijciunt alij, nam modus iste ex vi conuersionis superadditus corpori Christi substantialis esse non potest: ergo, si corpus Christi ratione illius per se primò terminat conuersionem panis in ipsum, conuersio substantialis non erit, sed accidētalis; vt contra Scotum à Thomistis arguitur, quòd, nempè, in illius sententia asserente, conuersionem Eucharisticam per se primò terminari ad præsentiam corporis Christi sub speciebus, conuersio substantialis non sit, sed accidentalis, eò quòd illius terminus formalis, videlicet, dicta præsentia, non est substantia, sed accidens, quamuis terminus materialis substātia sit. Antecedens autem probatur: nam talis modus advenit enti in actu, videlicet, corpori Christi constituto in suo esse substantiali completo: ergo non substantialis, sed accidentalis est: omne namque, quod advenit enti completo, & in actu constituto, non est substantia, sed accidens.

41. Si respondeatur, esse accidentalē prædicabiliter, hoc est, quòd prædicatur prædicatione quinti prædicabilis de corpore Christi, non autem prædicamentaliter, hoc est, de prædicamento accidentis, & non de prædicamento substantiæ, nec amplius probatione antecedentis conuinci, vt constat in vnione animæ ad corpus, quæ advenit enti in actu, nempè, animæ rationali non intra causas, sed extra illas constitutæ; & tamen licet respectu illius sit accidens prædicabile, non tamen est accidens prædicamētale, talis enim vnio nō est de prædicamēto accidentis, sed de prædicamēto substantiæ: pariter ergo in præsenti ex eo, quòd modus vi conuersionis superadditus corpori Christi adveniat enti in actu, non sequitur, esse accidens prædicamentale, sed solùm quòd sit accidens prædicabile respectu corporis Christi, idest, quòd de illo accidentaliter prædicetur; quia nec est de essentia corporis Christi, nec ad illius essentiam tanquam propria passio consequitur.

42. *Secūdò.*

Contra istam solutionem obijciunt: nam in exemplo apposito modus superueniens vnionis non advenit enti in actu completè subsistenti; non enim anima pro priori ad vnionem sui cum corpore completè subsistit, sed ad summum incompletè, vt pars ordinata ad totius hominis constitutionem; modus autem vi cōuersionis superadditus corpori Christi advenit illi completè subsistenti: ergo licet in exemplo adducto solum inferatur, vnionem animæ superadditam esse respectu illius, accidēs prædicabile; non autem quòd sit de prædicamento accidentis: in modo vi conuersionis Christi corpori superadditō, rectè colligitur, esse accidens prædicamētale. Probatur consequentia; nulla enim est ratio, vt dicamus, entitatem aliquam advenientem substantiæ completæ esse prædicamentaliter accidens, & sub prædicamento accidentis contineri, nisi quia advenit enti completè subsistēti: ergo, si modus superadditus corpori Christi vi conuersionis advenit illi existenti, & subsistenti completè, erit prædicamentaliter accidens, & non solum prædicabiliter.

43. *Tertiò.*

Deindè contra eandem solutionem obstat, sequi ex illa, conuersionem Eucharisticam non esse conuersionem substantialē completam substantiæ panis in substantiam corporis Christi, sed conversionem incompletam in modum illum nouiter superadditum: consequens est falsum: ergo corpus Christi non terminat per se primò ratione illius modi conuersionem panis in ipsum, sed ratione suæ completæ entitatis, & consequenter, prout est primarius conuersionis terminus, manet immutatum intrinsecè. Consequentia est bona, minor videtur certa, nā aliàs conuersio panis in corpus Christi nō esset, nec deberet dici trāssubstantiatio, sed transmodatio: sicuti ex sententia Scoti infertur à Theologis illā impugnāribus, conuersionē panis in corpus Christi non esse transsubstātiationē, sed transaccidētationē, quia vt ad terminū formalē per se primò terminatur ad accidens, videlicet, ad præsentiā Christi sub speciebus, quæ nō est substantia, sed accidēs.

44. Sequela autem prob. ex eadem doctrina; nam ex eo, quòd Scotus asserit, vi conuersionis solum addi corpori Christi præsentiam sub speciebus, quæ accidens est, & ad illam terminatur per se primò conuersio, infertur à Theologis, conuersionē in sententia illius non esse transubstantiationem, nec vi conuersionis substantiam panis conuerti in substantiam corporis Christi, sed in accidens superadditum, ad quod formaliter terminatur conuersio: ergo pariter, si substantia corporis Christi terminat per se primò cōuersionem ratione illius modi superaddi-ti, non erit, nec dici poterit, transubstantiatio, sed transmodatio, nec substantia panis conuerteretur in substantiam corporis Christi, sed in modum illum nouiter superadditum, ad quem formaliter terminatur conuersio.

45. Probatur consequentia: nam Scotus non negat, terminum *vt quod* terminantem conuersionē esse substantiam corporis Christi, sed asserit, id, ratione cuius terminat, esse accidens; & tamen contra illum infertur, conuersionē panis in corpus Christi transubstantiationem non esse, sed quòd est transaccidentatio: ergo, quamuis terminus, *qui*, & materialis cōuersionis sit substantia corporis Christi, si formalis terminus, & id, ratione cuius terminat conuersionē, est modus illo nouiter superadditus, rectè inferetur, quòd conuersio panis in corpus Christi non sit transubstantiatio, sed trāsmodatio.

46. *Secūdus modus dicendi.* Aliorū solutio est, quòd licet possit terminari conuersio absque actuali mutatione intrinseca entitatiua termini illam actu terminantis; est tamē de ratione conuersionis terminari ad terminum de se intrinsecè entitatiuè mutabilē, eo quòd conuersio est de genere actionū, quantū est de se immutatiuarū termini *ad quem* terminatur; ac proindè petit terminū de se intrinsecè mutabilem: vndè, potest corpus Christi Dñi terminare cōuersionem panis in ipsum, quāuis ex vi cōuersionis non mutetur actu intrinsecè entitatiuè, quia de se mutabile est, capax quę intrinsecæ mutationis; non tamen potuit humanitas, nec alia quæuis creatura conuerti in Deum conuersione totali; quia Deus est de se omninò immutabilis, illique essentialiter intrinseca mutatio repugnat.

47. *In contrarium arguitur primò.* Sed contra istam solutionē obstat primò, quòd si de ratione termini actu terminantis conuersionē nō est actualis mutatio intrinseca entitatiua, nec de ratione termini potētis terminare conuersionē erit, quòd sit mutabile intrinsecè entitatiuè. Tùm, quia quod ratione potentiæ possibiliter conuenit, ratione actus correspondentis tali potentiæ, cōuenit actu, vt patet discurrendo per potentias, & actus illis correspondētes. Tùm etiam, quia nāque de ratione entis creabilis est, posse ex nihilo fieri, de ratione entis actu terminantis creationem est, quòd actu ex nihilo fiat, & quia de ratione entis generabilis est, posse fieri ex materia præsuppositā, de ratione terminantis actu generationem est, actu ex materia præsuppositā fieri: ergo, si de ratione termini actu terminantis conuersionem totalem alterius entis in ipsum, non est, quòd actu mutetur intrinsecè entitatiuè, de ratione termini potētis terminare huiusmodi cōuersionem, non erit, posse entitatiuè intrinsecè mutari, & consequenter conuersio totalis non exposcet in termino illam terminate, quòd sit, quantum est de se, entitatiuè mutabilis.

48. *Secūdò.* Deindè, contra eandem solutionem facit; non enim repugnat enti omninò de se immutabili terminare actionē, quantum est de se immutatiuam: ergo, ex eo, quòd conuersio totalis sit actio immutatiua de se, non sequitur exigere in termino, ad quem terminatur, quòd sit, quantum est de se, entitatiuè intrinsecè mutabilis, ideoque non posse Deum, cui intrinseca mutatio repugnat, conuersionem totalem terminare. Consequētia tenet ex doctrina solutionis; antecedēs autem probatur: generatio nam quę est actio, quantum est de se, immutatiua, non solum termini totalis con-

stantis

ſtātis ex natura, & ſuppoſito, ſed etiā ipſius ſuppoſiti ſubſiſtentis in natura; & tamen Verbū diuinum, cui omnis mutatio repugnat, terminauit generationē temporalem, qua eſt genitum ex Beatiſsima Virgine, prout in humanitate ſubſiſtens: ergo verum eſt antecedens. quòd, nēpe, non repugnat enti ab intrinſeco immutabili, eſſe terminū actionis, quantum eſt de ſe, immutatiuæ termini, ad quem, terminatur.

49. *Tertius modus dicendi.*

Tertiò reſpondetur ab alijs, quòd licet corpus Chriſti non mutetur ex vi cōuerſionis intrinſecè entitatiuè, mutatur intrinſecè denominatiuè, & terminatiuè: eſt enim terminus conuerſionis, prout eſt id, in quod deſinit, & conuertitur panis; quæ terminatio, & denominatio eſt intrinſeca, ipſiq; non conueniebat, antequam conuerſionē terminaret; ac proindè mutatur intrinſecè, etſi non entitatiuè, benè tamen denominatiuè, & terminatiuè: & quia Deo omnis phyſica mutatio repugnat, iuxta illud Iacobi: *Apud quem non eſt transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*, ſit conſequens, vt ipſi repugnet, eſſe terminum *ad quem* conuerſionis, non ſolum formalis, & tranſmutatiuæ, ſed etiam tranſubſtantiatiuæ, & totalis.

Epiſtola Iacobi 1. cap.

50. *Contra quam datur primò.*

Cæterum contra hanc ſolutionē obſtat, quòd nouitas purè denominatiua intrinſeca abſque nouitate entitatiua non eſt intrinſeca realis mutatio: ergo, ſi corpori Chriſti ex vi cōuerſionis ſubſtantiæ panis in ipſum, ſolū cōuenit nouitas denominationis intrinſecæ abſque nouitate entitatiua, non fuit in vi conuerſionis immutatū intrinſecè realitèr, ac per cōſequens ex hoc capite non repugnat Deo, terminare conuerſionem totalē. Probatur antecedens: Deo namq; omnis intrinſeca mutatio repugnat; ſed non repugnat ipſi nouitas ſolius denominationis intrinſecæ abſque nouitate entitatiua: ergo huiuſcemodi nouitas intrinſeca mutatio non eſt. Conſequentia cum maiori tenet; minor autem probatur, nam Deus in tempore denominatur creans: quæ denominatio intrinſeca eſt in ſententia Diſcipulorum D. Thomæ aliorūtiū, creationē eſſe actionem formaliter immanentē, & ſolum virtualitèr, & terminatiuè tranſeuntem. Verbum etiam in tempore terminauit humanitatē: quæ terminatio denominatio intrinſeca eſt, non enim denominatur terminans humanitatē ab humanitate terminata, neq; ab aliquo à ſe ipſo diſtincto, *vt infra diſp.* 11. conſtabit: ergo nouitas ſolius denominationis intrinſecæ abſq; nouitate entitatis non præiudicat immutabilitati diuinæ, nec ipſi repugnat, & cōſequentèr ſi de ratione conuerſionis totalis vnius entis in aliud ſolum eſt ſuperadditio intrinſecæ denominationis abſque ſuperadditione, & nouitate entitatis, non repugnat Deo, eſſe terminū *ad quem* conuerſionis totalis alterius entis in ipſum.

51. *Secundò.*

Deindè, cōtra eandem ſolutionē facit: etenim vt corpus Chriſti ſubſtituatur loco ſubſtantiæ panis in ordine ad ſpecies Sacramentales, illiſque præſens fiat, & ab eis contineatur, nō ſufficit ſuperadditio ſolius nouæ terminationis, & denominationis intrinſecæ abſque ſuperadditione nouæ entitatis modalis: ergo, vt terminet conuerſionem, & loco panis ſubſtituatur quoad eſſe, non ſufficit ſuperadditio ſolius denominationis intrinſecæ abſque nouitate entitatiua. Antecedens eſt communis ſententia; conſequentia autem probatur à paritate rationis: ſi namque ſubſtitutio loco panis quoad eſſe, quæ exacta eſt, vt conuerſio terminetur, poteſt nouitèr aduenire corpori Chriſti per ſolam nouam terminationem, mutationēque connotati abſque ſuperadditione nouæ entitatis intrinſecæ; cur etiam ſubſtitutio corporis Chriſti loco ſubſtantiæ panis in præſentia ad ſpecies Sacramentales, non poterit eidem corpori conuenire cum nouitate ſolius denominationis intrinſecæ abſque nouitate intrinſecæ entitatis per ſolam mutationem extrinſeci connotati, videlicet, ſpecierum Sacramentalium, quibus præſens fiat?

52. *Tertiò.*

Denique: ſicut enim conuerſio petit mutationem deperditiuam in termino *à quo*, ideſt, in illo, quod in

aliud conuertitur: ita exigit mutationē acquiſitiuam in termino *ad quem*; ſed non ſufficit in termino *à quo* mutatio deperditiua ſolius terminationis, & denominationis intrinſecæ, ſed neceſſariò requiritur mutatio deperditiua entitatiua, aliàs Deus poſſet conuerti in creaturam, & vna perſona diuina poſſet in aliam conuerti, quod hucuſque eſt inauditum: ergo in termino *ad quem* conuerſionis totalis, non ſufficit mutatio acquiſitiua ſolius nouæ terminationis, & denominationis intrinſecæ, ſed neceſſariò requiritur mutatio acquiſitiua entitatiua per ſuperadditionem nouæ, & diſtinctæ entitatis.

53. *Vltimus dicendi modus.*

Denique alij reſpondent, repugnare Deo eſſe terminum *ad quem* conuerſionis formalis, & tranſmutatiuæ; quia in termino huiuſcemodi conuerſionis neceſſariò exigitur mutatio intrinſeca entitatiua per aduentum nouæ formæ, nō autem repugnare Deo eſſe terminum *ad quem* conuerſionis totalis, & tranſubſtantiatiuæ, quia in iſtius conuerſionis termino non requiritur intrinſeca entitatiua mutatio, ſed ſolum nouitas denominationis intrinſecæ, & intrinſecæ terminationis, quam Deo non repugnare cōſtat ex dictis: Verbum namque in tempore ſubijt denominationem terminantis humanitatem, quæ intrinſeca eſt. Quæ doctrina tribuitur Caietano *in hac quæſtione art.* 1. vbi Angelicum Præceptorem afferentem, nihil poſſe in Deum conuerti, explicuit de conuerſione per tranſmutationem, non de conuerſione per tranſubſtantiationem; prima enim petit in termino, quòd generabilis, & corruptibilis ſit: ſecunda autem conditionem iſtam in termino non expoſcit; corpus enim Chriſti glorioſum, quod ingenerabile, & incorruptibile eſt de facto, terminat cōuerſionem tranſubſtantiatiuam, & totalē panis in ipſum.

54. *Si obijciatur.*

Quòd ſi his Auctoribus obijciatur, D Thomam duo aſſerere: primum, naturam diuinam nō poſſe conuerti in aliud, hoc eſt, eſſe terminum *à quo* conuerſionis, quia eſt incorruptibilis: ſecundum, non poſſe aliud in diuinam naturam conuerti, hoc eſt, eſſe terminum conuerſionis *ad quem*, quia eſt ingenerabilis; ſed cum negat, Deum eſſe poſſe terminum cōuerſionis *à quo*, intelligitur tam de formali, ſeu per trāſmutationem, quam de totali, ſeu per tranſubſtantiationem; vtroque enim conuerſionis genere implicat, Deum in aliud conuerti: ergo cum negat, poſſe aliquid conuerti in naturam diuinam, eſſeque terminum *ad quem* conuerſionis, de vtraque cōuerſione intelligitur, totali, nempè, & formali.

55. *Reſpondent illius Auctores.*

Reſpondent, negando minorem, nec impoſsibile cenſent, Dei naturam conuerti in aliud conuerſione totali; eo quòd ſicut de ratione termini *ad quem* huiuſcemodi conuerſionis non eſt nouitas, aut mutatio entitatiua, ſed ſolum nouitas intrinſeca terminatiua, & denominatiua: ita nec de ratione termini *à quo* in conuerſione tranſubſtātiatiua, & totali eſt deſitio entitatiua, nec mutatio deperditiua entitatis, ſed ſolum deſitio terminatiua, hoc eſt, quòd deſinat eſſe ſub munere aliquo terminatiuo intrinſeco, nec oppoſitum, inquiunt, infertur ex conuerſione Euchariſtica ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti, ex vi cuius, & ex vi verborum habetur deſitio ſubſtantiæ panis, vt cōmunis tenet ſententia; hoc enim nō ideò euenit; quia conuerſioni totali annexa ſit eſſentialitèr deſitio entitatis in eo, quod in aliud conuertitur, & eſt terminus *à quo* illius, ſed ſolum infertur deſitio ſubſtantiæ panis, illatione fundata in connexione connaturali: cum enim, vt ſubſtantia panis conuertatur in ſubſtantiam corporis Chriſti, neceſſariò exigatur, quòd ſubſtantia panis deſinat eſſe ſub munere ſuſtentantis accidentia, ſine quibus naturalitèr conſeruari non poteſt, fit conſequens, vt ex vi talis conuerſionis cōnaturali curſu ſequatur ſubſtātiæ panis entitatiua deſitio: ex quo nō colligitur, id eſſe cōuerſioni totali eſſentiale, & cōſequentèr nō ſequitur, repugnare Deo eſſentialitèr eſſe terminum *à quo* in conuerſione tranſubſtantiatiua, & totali.

§. V.

Vera resolutio traditur, & explicatur mens Diui Thomæ.

56. HÆC,& alia plura circa istam difficultatem, quæ citra dubiũ est maxima,audiui Salmanticæ disputans,illaque obitèr attigisse sufficiat,vt difficultatem insinuem, nõ vt resoluam;nostrũ enim *in præsenti* non est illius resolutionem tradere. Consulantur Theologi infra *q.75. art.4.* vbi propriam habet sedem,& inter alios videatur Reuerendus Admodum Magister Fr.Ioannes Martinez de Prado Prouinciæ Hispaniæ Nostri Ordinis Prædicatorum meritissimum Caput *dub.6.& 7.circa artic.relatum*, vbi eruditione solita,plena manu,& lato calamo varios dicendi modos recenset,& censet,plura tradẽs,quæ ad istius grauissimæ difficultatis veram, plenamquè intelligentiam valdè conducunt.

R.A.P. M.Fr. Ioannes Martinez de Prado.

57. Id autem,quoad rem præsentẽ attinet,certum censemus,cum D.Tho. *in hac q.art.1.* docet,nihil posse in Dei naturam conuerti,quia est ingenerabilis,nec ipsam conuerti in aliud, quia est incorruptibilis,non loqui de cõversione transubstantiatiua,& totali,sed de conversione formali,& transmutatiua,quæ fit per vnius formæ destructionem, nempè, illius, quæ in aliud convertitur,& alterius acquisitionem in termino *ad quem* cõuersionis,quidquid sit, an D.Thom. censuerit, Deũ esse non posse terminum *à quo*,neque *ad quem* in cõversione totali,vel id ex doctrina alibi ab ipso tradita colligatur. Ita Caietan.*in præsenti*,cui consẽtit Nazarius, illisque plures alij adhærere.

Explicatur Diꝰ Tho.

58. Et ostenditur primò ex verbis, quibus errorem,quem reijcit,refert Angelicus Doctor,ibi: *Alio modo fit aliquid vnum ex perfectis, sed transmutatis, sicut ex elementis fit mixtum. Et sic aliqui dixerunt, vnionem Incarnationis esse factam per modum complexionis.* Quorum errorem reijcit primò; *Quia natura diuina est omninò immutabilis; ideoq; nec potest conuerti in aliud, cum sit incorruptibilis, nec aliud in ipsam, cum ipsa sit ingenerabilis.* Sed extrema,ex quibus fit aliquid per modũ complexionis,aut mixtionis, non sũt termini conuersionis totalis,& transsubstantiatiuæ;hæc enim nõ committuntur: ergo cum D. Thom. dictum errorem impugnat, docens, naturam diuinam non posse conuerti in aliud, nec aliud conuerti in ipsam, eo quòd est omninò immutabilis, non loquitur de conuersione totali,& transsubstantiatiua, sed de conuersione transmutatiua,& formali, quæ intervenit in mixtione,in qua,ex illius extremis hoc genere conuersionis tertium resultat.

Explicationis veritas ostenditur primò.

59. Deindè, & explicatur magis hoc ipsum: nam conuersio, de qua loquitur Angelicus Doctor,cum *in præsenti* docet, repugnare Dei naturæ esse terminum illius, est,quæ ex mixtione resultat; sed conuersio resultans, media mixtione,non est totalis, & transsubstantiatiua, sed transmutatiua, & formalis:ergo non de prima,sed de secunda procedit doctrina tradita à Diuo Thoma *in præsenti*. Minor cum consequentia tenet;maior autem probatur, nam Diuus Thomas tres tantùm modos,quibus vnum ex duobus, vel pluribus constituitur, impugnandos proposuit: primum, ex perfectis, integris manentibus: secundum, ex perfectis, sed transmutatis, sicut ex elementis fit mixtum, quem modum dicendi impugnat,eò quod natura diuina, cum sit omninò immutabilis, non potest conuerti in aliud,nec aliud conuerti in ipsam: ergo loquitur de conuersione, quæ ex mixtione resultat, qua ex pluribus fit vnum: sicut ex elementis fit mixtum.

Secũdò.

60. Quod amplius vrgetur, nam vnũ fieri ex alio, media conuersione totali, non continetur sub aliquo ex illis

Cõfirmatur.

modis reſultandi vnum ex pluribus, quos D. Thom. impugnandos propoſuit: ergo, cum docet, non poſſe naturam diuinam eſſe extremum conuerſionis, non loquitur de conuerſione totali. Conſequentia tenet, aliàs D. Thom. non loqueretur ad rem; antecedens autem probatur: nam ſi ſub aliquo cõtineretur fieri vnum ex alio media conuerſione totali, maximè, ſub ſecundo; ſub hoc autem non contineri conſtat, nam modum iſtum explicans Angelicus Doctor, ait: *Sicut ex elementis fit mixtum, & ſic aliqui dixerunt, vnionem Incarnationis eſſe factam per modum complexionis*; ſed mixtum ex elementis non fit media conuerſione transſubſtantiatiua, & totali, ſed formali, & tranſmutatiua, vt omnibus eſt conſpicuum: ergo fieri vnum ex alio media conuerſione totali, ſub ſecundo modo non comprehenditur, ac per conſequens non continetur ſub aliquo, ex tribus modis, quos D. Thom. *in hoc articulo* impugnandos propoſuit.

S. Tho.

61. *Probatur vltimo.*

Denique probatur aſſumptum: vt enim conſtat ex inſcriptione quæſtionis, & ex titulis *articuli* 1. & 2. ſupponitur à D. Thoma vnio naturæ humanæ, & diuinæ, & inquiritur modus, quo huiuſcemodi vnio fuit facta, an, ſcilicet, in natura, an in perſona, an in hypoſthaſi, &c. Sed extrema conuerſionis totalis nõ vniuntur inter ſe aliquo genere vnionis, nec, mediante vnione vnum reſultat ex alio, vt conſtat in corpore Chriſti terminante cõuerſionem panis in ipſum, cui nullatenus panis vnitur: ergo vnum ex alio fieri media conuerſione totali extra iſtam quæſtionem eſt, in qua, vt dixi, ſupponitur vnio naturæ humanæ, & diuinæ, & illius modus inquiritur, explicandusque proponitur, & conſequenter eſt etiam extra intentum Angelici Præceptoris, quidquid ſit, an D. Thom. cenſuerit, repugnare naturæ diuinæ eſſe terminum *à quo*, vel *ad quem* in conuerſione totali, à quo Nos *in præſenti* præſcindimus.

62. Vndè, ad vltimum argumentum reſpondeo, diſtinguendo antecedens: ex immutabilitate diuinæ naturæ, nõ ſequitur, quòd non poſsit humanitas in illam conuerti conuerſione tranſſubſtantiatiua, & totali, tranſeat antecedens: conuerſione formali, & tranſmutatiua, nego antecedens, & diſtinguo conſequens diſtinctione antecedentis; ſolum enim colligitur, non ſequi ex omnimoda immutabilitate diuina, non poſſe ex illa, & humanitate vnum fieri, media conuerſione totali, quod tranſeat; quia ad rem non eſt; non autem quòd non repugnet, fieri ex illis vnum, media conuerſione formali, de qua *in præſenti* fit ſermo ab Angelico Doctore.

Solutio vltimi argumẽti.

63. Vel nego ſuppoſitum conſequentis; media enim conuerſione totali, non fit vnum tertium ex multis, ſed vnum ex alio fit per modum termini *à quo*: non enim ex corpore Chriſti, & pane aliquid tertium efficitur: vndè, cum in argumento infertur, ex immutabilitate diuina non colligi, quòd ex humanitate, & diuinitate non potuerit fieri vnum, media conuerſione totali, falſum eſt, quòd in conſequenti ſupponitur, nempè, mediante hac conuerſione, poſſe tertium aliquod ex multis conſtitui. Et ex hoc, quæ hucuſque diximus, amplius confirmãtur, nempè, D. Thomam *in præſenti* de hoc genere conuerſionis nõ loqui, nec illud impugnandum proponere, ſolum enim reijciendos proponit modos, quibus vnum poteſt ex multis cõſtitui; in conuerſione autem totali nõ conſtituitur vnũ ex multis: ergo conuerſio totalis non proponitur à Diuo Thoma impugnanda, ac per conſequens de illa non loquitur, cum docet, repugnare Dei naturæ eſſe conuerſionis terminum.

64. *Obijcies*

Sed dices: D. Thomas in ſecundo modo, quem reijcit, impugnat errorem Eutycheris, & Dioſcori; ſed iſtorum error fuit, vnionem Incarnationis fuiſſe factam in natura reſultante ex duabus naturis, humana, nempè, & diuina, antecedenter ante Incarnationem diſtinctis, indiſtinctis tamẽ poſt vnionem, non quidem per compoſitionem vnius tertiæ naturæ: nec per mixtionem, & tranſmutationem vtriuſque naturæ in tertiam, ſed per

con-

conuersionem humanitatis in diuinitatem, humanitate destructa, & sola deitate post vnionem remanente, in quo consistit ratio conuersionis totalis: ergo, vel D. Thom. insufficienter secundum modum impugnat, vel loquitur de conuersione totali, cum docet, repugnare diuinæ naturæ esse conuersionis terminum. Consequentia cum maiori tenet, minorem docet Illustrissimus Araujo *in hac quæstione art. 1. dub. vnic.* & probat primò ex Damasceno *lib. 3. fidei cap. 3.* vbi asserit, Eutychetem in Christo posuisse vnam naturam secundū massam, & confusionem; quia, scilicet, duas illas naturas antecedenter ad vnionem distinctas, postea in vnam cōfundebat per conuersionem humanitatis in diuinitatem. Hæc ex Damasceno refert, & pro eodem sensu, & intelligentia citat Nizephorum *lib. 14. histor. Ecclesiastic. cap. 47.* Ambrosium *lib. de Incarnatione cap. 6.* & Bellarminum *lib. 3. de Christo cap. 3.* ergo ex mente istorum Patrum error Eutychetis fuit, humanitatem fuisse in diuinitatem cōuersam, & per vnionem destructam, in quo consistit ratio cōuersionis totalis.

Araujo.

Damasc. Nizeph. Ambros. Bellar.

65. Secundò probat minorem: Eutyches namque dicebat, solam diuinitatem mortem, & passionem subijsse; sed hoc affirmare non posset, si sentiret, diuinitatem fuisse per vnionem in carnem conuersam, aut si ex deitate, & humanitate per compositionem, aut mixtionem tertia resultasset natura, nam priori modo sola caro pateretur, nō autem diuinitas, quæ in carnem conuersa fuisset; secundo autem modo explicata dicta vnione, nec sola diuinitas, nec sola humanitas pateretur, sed tertium ex illis resultans: ergo sensit Eutyches, humanitatem per vnionem fuisse in deitatem conuersam, & post vnionem, humanitate destructa, solam diuinitatem remansisse.

66. Quod amplius vrgetur primò: nā si Eutyches, in Christo veram humanitatem post vnionem remanere iudicasset, non esset, cur passiones, & mortem diuinæ substantiæ adscriberet; posset enim illa attribuere humanitati, sed non humanitati, sed diuinitati passionem, & mortē attribuebat: ergo, quia iudicauit, humanitatem fuisse per Incarnationem destructam, & in deitatem conuersam conuersione substantiali totali. Confirmatur, & vrgetur secundò: nam Ecclesiæ PP. inferunt ex errore Eutychetis, humanitatem fuisse per Incarnationem destructam; sed, vt hæc consequentia sit bona, necessum est, Eutychetis errorem accipere de conuersione totali humanitatis in diuinitatem: ergo in hoc sensu PP. illius errorem accipiūt, & consequenter sic est accipiendus, & à D. Thoma *in præsenti* impugnandus.

Cōfirmatur primò.

Secundò.

Deniq; vrgetur, & cōfirmatur ex Leone Primo *tract. aduersus errores Eutychetis, & alios*, illos his verbis dānante: *Percellatur quoque Eutyches eodē anathemate, qui, negata humanæ carnis, atq; animæ veritate, totum Dominum nostrum Iesum Christum vnius, asseruit, esse naturæ; tanquam Verbi deitas ipsa se in carnem; animamque conuerterit*: ergo ex mente Leonis Primi Eutyches in eo extitit errore, vt negauerit humanitatem in Christo quantum ad corpus, & animam, & cōsequenter censuerit, humanitatem per Incarnationem totaliter fuisse destructam; sed id, quod in aliud conuertitur, & totaliter destruitur, non est terminus conuersionis formalis, sed transubstantiatiuæ, & totalis; in prima enim terminus *à quo* non desinit esse totaliter, sed solum desinit esse quoad formam, remanente materia: ergo censuit Eutyches, humanitatem fuisse in diuinitatem conuersam conuersione transubstantiatiua, & totali.

67. *Vltimò cōfirmatur. Leo. I.*

Respondeo, concessa maiori, negando minorem: error enim Eutychetis non fuit, humanitatem esse in diuinitatem conuersam, sed ante vnionem duas fuisse naturas, & mediante vnione in vnam naturam coisse ex vtraque conflatam, vt ferè eisdem verbis docet D. Thom. 4. *Contra gentes cap. 35.* quod longè distat à conuersione humanitatis in deitatem, vt

68. *Respondetur argumēto.*

S. Thom.

ex

ex ipſis terminis eſt manifeſtum, nam extrema conuerſionis in vnam naturam non coeunt, neque ex illis tertia natura conflatur, ſed vnum in aliud conuertitur: non enim poteſt dici ex corpore Chriſti, & pane vnam conflari naturam, nec in vnius naturæ conſtitutionem coire, ſed panem in corpus Chriſti conuerti, & hoc ex pane, media conuerſione, fieri: cum ergo Angelicus Doctor Eutychetis errorem prædicto modo explicuerit, ſic à Nobis accipiendus eſt, & dicendum, non ſenſiſſe, humanitatem eſſe in diuinitatem conuerſam conuerſione totali.

69. Et quòd ita ſit aſſerendum, videtur clarè colligi ex ijs, quæ Eutyches contra Neſtorium docebat, nempè, humanitatem fuiſſe vnitam Verbo in perſona: & quia impoſsibile cenſebat, vnionem in perſona, & non in natura fieri, in extremum iuit errorem, docens, vnionem humanitatis ad Verbum etiam in natura eſſe factam; ſed ſi humanitas fuiſſet in diuinitatem conuerſa, nec in perſona, nec in natura fuiſſet Verbo Dei vnita; id enim, quod in aliud conuertitur, nullatenus illi vnitur: ergo ex mente Eutychetis humanitas non fuit conuerſa in diuinitatem, ſed ex illa, & deitate fuit conflata tertia natura aliquo ex modis, quos D. Thom. recenſuit, & impugnauit.

70. Quod etiam ex alio illius aſſerto colligitur; fatebatur enim, Verbum incarnatum fuiſſe, & diuinitatē fuiſſe incarnatam, quod ſubſiſtere non poteſt ſine carne ſibi vnita, nec poteſt ſufficienter ſaluari per conuerſionē carnis in diuinitatem: ex eo enim quòd panis conuertatur in corpus Chriſti, & hoc terminet conuerſionē panis in ipſum, non poteſt rectè dici, corpus Chriſti fieri panem, ſed ſolum ex pane fieri. Cum ergo Eutyches admiſerit, Verbum incarnatum fuiſſe, & deitatem incarnatam eſſe docuerit, non potuit conſequenter ſentire carnem, & humanitatem fuiſſe in diuinitatem cōuerſam, ſola deitate manente, & tota humanitate per conuerſionem deſtructa.

Vndè, iterum argumento reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem: ad cuius primam probationem reſponderi poteſt primò negado, Damaſcenum in ea fuiſſe ſententia: vt enim teſtatur Vazquez in referendis Patrum teſtimonijs diligentiſsimus *in præſenti diſput. 14. cap. 1. num. 8.* Damaſcenus *loco* in contrarium *adducto* inquit, Dioſcorum, Eutychetem, & Seuerum vnam in Chriſto naturam per conſperſionem, aut confuſionē, aut mixtionem, aut temperationem poſuiſſe; nullo autem ex his modis poſſet ex humanitate, & diuinitate vna reſultare natura, ſi humanitas in deitatem fuiſſet conuerſa conuerſione totali, vt ex *ſupra* dictis conſtat. Verba etiam ex Damaſceno in probationem minoris adducta manifeſtam repugnantiam important; aſſeritur enim ex ipſo, Eutychetem vnam in Chriſto poſuiſſe naturam ſecundum maſſam, aut confuſionem; quia duas illas naturas antecedentèr ad vnionē diſtinctas poſtea in vnam confundebat per conuerſionem humanitatis in deitatem, quæ inter ſe pugnantia videntur; quod enim in aliud conuerſione totali conuertitur, non facit vnum cum illo ſecundum maſſam, & confuſionem, cum deſtruatur totalitèr, vt ſupponitur, eſſe de conceptu cōuerſionis totalis: ergo, ſi Eutyches docebat poſt Incarnationem in Chriſto vnitatem naturæ ex deitate, & humanitate, ſecundum maſſam, & confuſionem, non potuit conſequentèr ſentire, fuiſſe humanitatem hoc genere conuerſionis in diuinitatem conuerſam.

71. *Explicatur Damaſcenus*

Nizephorum etiam P. Vazquez *loco vbi proximè* pro contraria refert ſententia: vt enim prædictus Auctor teſtatur, Nizephorus *lib. 18. hiſtor. cap. 45.* de Eutychete loquens, ait: *Duas, quidem, & ipſe ante vnionem naturas dixit, deindè, vnitas; poſt vnionem autem in vnam, eas naturam abiiſſe, confuſaſque eſſe, & mixtionem ſubiiſſe*: cum quo ſtare non poteſt, quòd Eutyches ſenſerit, fuiſſe humanitatem conuerſione totali in diuinitatē conuerſam; quod enim in aliud hoc

72. *Nizephorus oppoſitū ſentit.*

genere

genere conuersionis conuertitur, non potest mixtionē cum illo subire, nam extrema, quæ miscentur, necessariò coexistunt; quod autem in aliud conuersione totali conuertitur, non coexistit cum illo, sed desinit esse totaliter, vt supponitur, conuersionem totalem exigere.

73. *Respondetur secundo.* Vel secundò respondetur, admisso, prædicta verba in Damasceno, & alijs PP. inueniri, quod examinare non possumus; quia illos non habemus ad manus, explicandos esse non de cōuersione totali, & transsubstantiatiua, sed de conuersione transmutatiua, & formali, ita vt senserit Eutyches, fuisse humanitatem hoc secundo conuersionis genere in diuinitatem conuersam: cum enim, vt ex prædictis PP. Vazquez referente, vidimus, Eutyches mixtionem admisserit inter diuinitatem, & humanitatem, & ex alia parte inter extrema multū distātia perfecta mixtio esse nequeat, ita vt ex illis resultet tertia natura, sed extremū in actiuitate excedens aliud in sui naturam conuertat, vt vera Philosophia testatur, & experientia demonstrat: fortè Philosophiam istam non ignorans Eutyches, sensit, fuisse humanitatem in diuinitatem conuersam hoc genere conuersionis propter extremorum distantiam, ita vt non totaliter fuerit destructa humanitas secundum materiam, & formam, sed solum secundum formam, illius materia remanente; cum enim assereret, diuinitatem passionem, & mortem subijsse, non potuit consequenter negare, saltim carnem mansisse Verbo post Incarnationē vnitam, nam licet in fide errauerit, non est præsumendum, se etiam lumini rationis naturalis opposuisse, diuinitatem in se, & sine carnis cōsortio passibilem, & mortalem affirmans, quod rationi naturali aduersatur.

74. Ad secundam probationem dicatur, Eutychetem attribuisse passionem, & mortem soli deitati principaliter comparatione facta inter humanitatem, & diuinitatem: & hoc ideo, quia inter partes tertiam illam constituentes naturam præcipua, & principalior erat diuinitas, non autem soli diuinitati absolutè per omnimodā exclusionem humanitatis à morte, & passione, quod rectè compatitur cum eo, quòd humanitas per vnionē destructa non fuerit, sed simul cum deitate tertiam naturam, quam Eutyches fingebat in Christo, constitueret: cum enim diuinitas præcipuum locū in prædicta cōpositione teneret, hoc potuit esse in causa, vt hæreticus illi vt principali patienti passionem, & mortem adscriberet.

75. *Respondetur ad primam cōfirmationem.* Ad primam confirmationem, distinguo maiorem: non esset cur absolutè, concedo maiorem, non esset cur ex falsa suppositione, mortem, & passionem adscriberet deitati, nego maiorem, & concessa minori iuxta doctrinam numeri præcedentis, nempè, de principali, non de adæquata attributione, nego consequentiam. Cum enim Eutyches, licet falsò sentiret, deitatem esse passibilem, & passionis, ac mortis capacem (quod Auctores argumento vtentes negare non possunt, cum doceant, ipsum tenuisse, solam diuinitatem subijsse passionem, & mortem) hac suppositione facta, causa est, vt diuinitati principalius, quam humanitati mortem, & passionem attribuat, etsi vtraque manserit post vnionem, & vtraque fuerit morti, & passioni subiecta, nempè, principalior deitatis, quam humanitatis cōcursus in constitutione illius tertiæ naturæ, quam Eutyches in Christo post Incarnationem esse somniabat; etsi absolutè nulla posset causa subesse, vt mors, & passio, nedùm principaliter, verum etiam vllo modo diuinitati in se ipsa attribuantur.

76. *Ad secūdam respōdetur primo.* Ad secundam confirmationem dicatur: si verum est, Eutychetem docuisse, humanitatem esse in diuinitatem conuersam conuersione transmutatiua, & formali, bonam esse Patrum consequentiam ex illius doctrina inferentium, humanitatem fuisse per Incarnationem destructam, quin, vt istius consequentiæ bonitas defendatur, necessarium sit affirmare, conuersionem totalem humanitatis in diuinitatem asseruisse; omnes enim constan

tèr fatentur, terminum *à quo* in conuersione formali desinere esse quoad formam, etsi illius materia perseueret, media tali conuersione vnita formæ terminidenouo incipientis; cum tamen, vt §. 4. vidimus *num.* 55. non omnes fateantur, destrui entitatiuè terminum *à quo* in conuersione totali destructione huiusce modi conuersioni essentialitèr annexa.

77. *Secundo.* Quia tamen incertum est, Eutychetem conuersionem etiam formalem humanitatis in diuinitatem docuisse, & oppositum est verius; ideò aliter ad secundam confirmationem est occurrendum, Patres humanitatis destructionem inferre ex doctrina Eutychetis, non illatione immediata, sed per mediatas consequentias illius hæreticæ existimationi innitêtes; docebat enim, vnionem humanitatis ad Verbum esse factam in natura, & post Incarnationem, non duas naturas, sed vnam tantum in Christo admittebat; cumque Ecclesiæ Patres meritò censuerint impossibile, ex vtraque natura vnam fieri, idque manifestis argumentis monstrauerint, rectè inferebant, vt vnitas naturæ post Incarnationem saluaretur in Christo, alteram illarum fuisse per Incarnationem destructã: & quia diuinitati omninò repugnat destrui, infertur, & benè, humanitatis per Incarnationem destructio ex doctrina Eutychetis; non quidem immediata illatione, sed per consequentias mediatas, ad quod necessarium non est, vt conuersionem humanitatis in diuinitatem expressè docuerit.

78. *Ad vltimam.* Et ex his ad vltimam confirmationem ex Leone Primo sumptam dicatur, Pontificem attribuisse Eutycheti, quòd humanam carnem, & animam in Christo negauerit, non tanquam ab ipso assertum, sed vt ex illius dictis per euidentes consequentias deductum: cum enim, vt *proximè* dicebamus, Eutyches post vnionem vnam tantum in Christo naturam constitueret, & hoc, vtraque natura in ipso post Incarnationem manente, non posset subsistere, rectè ex illius doctrina deducitur, in Christo post Incarnationem non mansisse vtramque naturam, sed illarum aliquã fuisse destructam: & quia destructio diuinitati repugnat, vlteriùs infertur, naturam humanam totalitèr destructam fuisse, hocque Eutycheti à Leone Primo attribuitur, non vt ab ipso expressè assertum, sed vt ex illius assertis illatum, & per legitimas consequentias deductum, ad quod non est necessarium, quòd senserit, humanitatem fuisse in diuinitatem conuersam.

§. VI.

Explicatur in quo facta sit vnio.

79. *Secunda cõclusio.* SECVNDA CONCLVSIO. *Vnio Verbi ad humanitatem facta est in persona.* Ita D. Thom. *locis præcedenti conclusione relatis, & in hac quæstione art. 2.* præcipuè videndus *4. Contra gentes cap. 34.* vbi vigintiseptem congerit argumenta pro illa; estque expressè contra Nestorium diffinita *in epistola Concilij Alexandrini*, approbata in Ephesino *primo*, in Constantinopolitano *5. collat. 8.* in Calcedonensi *collat. 1.* & in Symbolo Ephesina ducentorum Patrum *can. 2. 3. & 4.* Verba secundi canonis sunt: *Si quis non confitetur, carni secundum subsistentiam vnitum esse Verbum, quod est à Deo Patre, & vnum esse Christum cum sua carne, eundem, videlicet, Deum simul, & hominem, anathema sit.* Refertur in Lateranensi *consultatione 4.* habeturque *tom. 2. Conciliorum pag. 1097.* Eidē veritati consentiunt omnes Ecclesiæ Patres, Cyrillus *opusc. ad Euoptium*, Damascenus *lib. 3. de fide cap. 12.* Nazianzenus *oratione 1.* ad Dedaniū, quæ est 51. Athanasius *in Euangelium* Deiparæ *in 4. dialogo* de Trinitate, & plures alij, quos referunt Commentatores D. Thomæ *in præsenti.*

Et ostenditur primò: nam vnio illorum, ex quibus vna resultat persona, est vnio facta in persona; sed ex

Concil. Alex. Ephes. Cõstant. Calced. Symbol. Ephesin. Later. Cyrill⁹. Damasc. Nazian zenus. Athan.

80. *Prob. 1.*

vnione

vnione Verbi ad humanitatem vna resultauit persona subsistēs in duabus naturis, humana, nempè, & diuina, quæ est, & dicitur Christus: ergo vnio Verbi ad humanitatem in persona facta est. Consecutio est euidens, maior certa; hac enim sola ratione Nestorius, & illius sequaces negabant, vnionem Verbi ad humanitatem in persona factam esse, quia non recognoscebant in Christo vnam personam ex humana, & diuina resultantem naturam, sed Christum purum hominem esse asserebant, distinctum personalitèr à Verbo Dei, illique accidentalitèr solum vnitum per affectum specialem, & tanquam inhabitanti, vt in templo suo per gratiam. Minor autē, quam Nestoriani negant, ostenditur primò ex Symbolo Athanasij, illis verbis: *Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo: ita Deus, & homo vnus est Christus*; sed ex anima rationali, & carne subsistentiæ propriæ vnitis vna persona resultat: ergo ex diuinitate, & humanitate vnitis suppositò Verbi resultauit Christ⁹ in personæ vnitate.

Symbol. Athan.

81.

Secundò probatur ex Paulo 1. *ad Corinth.* 8. illis verbis: *Vnus est Dominus Iesus Christus, per quem omnia*; sed esse, per quem omnia, non conuenit Christo ratione humanitatis, quæ aliquid creatum est, & consequentèr omnium principium esse non potest, ad Deumque vt ad finem vltimum ordinatum, sicut cæteræ creaturæ, sed ratione diuinitatis, in qua, & in omnipotentia cum Patre identificatur, & consequētèr in ratione principij omnium rerum, quod Deo conuenit ratione omnipotentiæ: ergo Christus, prout ex diuinitate, & humanitate resultat, vnus est, & consequentèr est vna persona, non duæ, vt Nestoriani asserebant.

1. ad Corinth. 8.

82.

Tertiò probatur ex illis verbis Paulli ad Colossenses 1. *In ipso condita sunt vniuersa in Cœlis, & in terra*, & postea subdit: *Et ipse est Caput corporis Ecclesiæ, qui est principium primogenitus ex mortuis*. Ex quibus verbis sic arguo: esse primogenitum ex mortuis conuenit Christo: esse in quo condita sunt vniuersa, conuenit Filio Dei, scilicet, Verbo; sed idem ipse est, in quo vniuersa sunt condita, & qui est primogenitus ex mortuis, vt expressè Paulus *in allegato testimonio* testatur: ergo Christus, & Verbum Dei idem sunt: cumque non sint idem in natura, necessariò est asserendum, esse vnū in persona.

Ad Colos. 1.

83.

Denique probatur minor: nam de Christo est verum secundum fidem dicere, quòd est Deus, & Filius Dei naturalis: est etiam secundum fidem verum de Verbo dicere, quòd est homo; at si Christus, & Filius Dei personalitèr essent distincti; hæc esset falsa: *Christus est Filius Dei*: & hæc etiā: *Filius Dei, seu Verbum, est homo*: sicut istæ propositiones sunt falsæ: *Petrus est Paulus*; *Pater diuinus est Filius diuinus*: quia inter Petrū, & Paulum, & inter Patrē, & Filium in Deo realis personalis distinctio intercedit: ergo Christus, & Verbum Dei personalitèr non distinguūtur, sed vna persona sunt. Nec respōdere sufficit pro Nestorio, Christum dici Verbum, & Filium Dei, non identicè, nec substantialitèr, sed accidentalitèr, ratione inhabitationis per gratiam, & ob singularitatem affectus: sicut vir, & vxor vna caro dicuntur, ratione affectus specialis, quo se inuicem diligere debent.

Respōdebis pro Nestorio.

84.

Nam in contrarium obstat primò, Deum in cæteris iustis inhabitare per gratiam, quin ex hoc dicatur, Deum fieri Moysen, Petrum, Paulum, vel Dominicū, in quibus Deus, vt in templo, per gratiam inhabitat, nec ratione affectus, quo se diligūt vir, & vxor, dicitur vir factus vxor, aut è contra; sed ex fide habemus, quòd Verbum sit factum caro, id est, homo Christus; ergo Christus non est Verbum solum ratione affectus, aut inhabitationis per gratiam, sed ratione physicæ coniunctionis humanitatis cum Verbo in vnitatem personæ. Deindè, nā Deus in sanctis Angelis per gratiam inhabitat, ad quod sequitur coniunctio cum illis secūdum specialem affectū; & tamen iuxta Paulum ad Hebræos 2. nusquam Angelos apprehēdit, sed semen Habrahæ apprehendit: ergo

Sed contra primo.

Secūdo.

Ad Hebræos 2.

huma-

humanitatis apprehensio, de qua Paulus *ibi* loquitur, quæ idem est, atque assumptio illius à Verbo, non est ratione solius inhabitationis per gratiam, aut vnionis affectiuæ, sed ratione physicæ coniunctionis cum Verbo in vnitatem personæ.

85. *Tertiò.* Præterea, nam ex Scriptura constat Verbum esse factum hominem, non autem Patrem, aut Spiritum Sanctum; at si Verbum fieri hominem tolum esset verum ratione inhabitationis in Christo per gratiam, & ratione vnionis affectiuæ, non solum Verbo, sed etiam alijs personis diuinis conueniret, hominem fieri, de illisque verificaretur, cum omnes simul per gratiam in animabus iustis inhabitent, illisque speciali vniantur affectu, iuxta illud Ioannis: *Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionē apud eum faciemus*: ergo Verbum fieri, & esse hominem, & Christum esse Verbum, & Filium Dei, non verificatur ratione solius inhabitationis in Christo per gratiam, & vnionis affectiuæ cum illo, sed ratione vnionis humanitatis cum Verbo in identitatem personæ: Quo argumēto conuictus Nestorius dicebat, aut vnigenitum incarnatum non esse, aut vna cum Verbo Patrem, & Spiritum Sanctum carnem sumpsisse, vt refert Acazius Melithenæ Episcopus, cuius verba habentur *tom.* 1 Conciliorum in actis Concilij Ephesini. *Ioann. cap.* 14.

86. *Vltimò.* Denique prædicta euasio reijcitur: nam Christus ratione dignitatis personalis fuit sufficiens ad satisfaciendum perfectè pro peccato humani generis, vt ostendimus *tract. præcedent. disputat.* 4. sed dignitas personalis purè creata, quantumcumque dignificata per gratiam, sufficiens non erat ad satisfaciendum perfectè pro peccato humani generis, vt *disputat.* 2. *eiusdem tract.* docuimus, & monstrauimus ex Patribus ad hunc finem asserentibus, fuisse Incarnationē necessariam: ergo Christus verè fuit persona diuina, & increata per physicam coniunctionem cum illa, seu ex illa constitutione, & non solum ratione singularis affectus, & inhabitationis per gratiam, aliàs insufficiens fuisset ad perfectam satisfactionem præstandam pro peccato humani generis.

87. *Probatur secundò conclusio.* Secundò principalitèr suadetur conclusio ratione D. Thomæ *in præsenti* ad hanc formam reddacta: nam omne, quod intrinsecè alicui conuenit, vnitur illi in persona; sed Verbum intrinsecè est homo, & consequentèr humanitas illi conuenit intrinsecè: ergo humanitas fuit vnita Verbo in persona. Vel aliter potest ratio Diui Thomæ proponi: omne, quod de aliquo prædicatur in quid, vel denominatiuè denominatione intrinseca, est vnum cum eo secūdum suppositum, quo circa hæc est falsa: *Petrus est Paulus*, quia suppositalitèr differunt: & in Deo hæc est falsa: *Pater est Filius*, quia personalitèr, & suppositaliter distinguuntur; sed secundum fidem natura humana prædicatur de Filio Dei concretiuè, & in quid, & intrinseca denominatione: ergo homo, & Filius Dei nō distinguuntur suppositalitèr, sed sunt vnum suppositum, & consequentèr vnio humanitatis ad Verbum facta est in supposito, & persona.

88. *Notatur ex Caietan.* Vbi ex Caietano est notandum, non esse idem, duo vniri in persona, & vniri secundum hypostasim, vel personam; nam ad primum sufficit intrinsecè vniri: sicut accidens vnitur subiecto; ad secundum autem præterea vnionē intrinsecam requiritur, quod ex vnione illorum resultet persona: vndè, si accidēs posset Verbo Dei immediatè, & intrinsecè vniri, vniretur illi in persona, non tamen secundum personam; quia ex Verbo, & accidenti persona resultare non posset, eo quòd persona est subsistens in rationali natura; accidens autem natura rationalis non est; ac proindè concretū ex Verbo Dei, & accidenti resultans persona non foret; natura autem humana vnitur Verbo Dei in persona, & secundum personam: primum, quia intrinsecè illi vnitur: secundum, quia ex illorum vnione resultat vna persona in duabus naturis subsistens: primū probauit D. Thom. *in* 2. & 3. *art. huius quæstionis*; secūdū probat *in art.* 6. S. Tho.

vbi

vbi ostendit, vnionem istam non esse secundum accidēs, sed secundum subsistentiam, seu hypothasim.

§. VII.

Argumentis in contrarium occurritur.

89. *Argumentum primum.*

CONTRA istam cōclusionem arguitur primò argumento hæreticorum sumpto ex eo, quòd natura, & personalitas non distinguuntur, & consequenter non stat naturarum multiplicitas cum vnitate personæ: cumque in Christo fuerit duplex natura, vt Catholici fatemur, fuit etiā duplex persona, cum quo non comparitur, vnionem in persona esse factam. Cui argumento ex *supra* dictis respōdeo, negando antecedēs; differt enim personalitas à natura, in creaturis quidem realiter; in Deo autem virtualiter: & sicut ob distinctionem virtualem personalitatis à natura diuina stat in Deo cum vnitate naturæ Trinitas in personis: ita stat in Christo vnitas personæ cum naturarum reali diuersitate, & vnionem in persona esse factam, quin facta fuerit in natura.

Respondetur.

90. *Opponēs.*

Sed dices: distinctio virtualis inter naturam, & personalitatem diuinam non sufficit, vt natura terminet notitiam intuitiuam sui, personalitate nō terminante eándem intuitiuam notitiam; & è contra, vt personalitas intuitiuè videatur, non visa natura: ergo pariter prædicta distinctio non sufficit, vt vnio in personæ fiat, & nō fiat in natura. Patet consequentia primò à paritate rationis. Secundò, nā ideò antecedens est verū in sententia Thomistarum, quia notitia intuitiua terminatur ad rem ipsam, prout in se realiter est; natura autē diuina prout in se est personalitati identificata, & personalitas diuina vt in se est identificata naturæ; sed etiam vnio humanitatis ad Verbum terminatur ad personam, non prout est in nostra apprehensione, in qua personalitas à natura distinguitur, sed prout est in re: qua ratione personalitas identificatur cum natura: ergo quamuis inter personalitatem, & naturam diuinam virtualis distinctio intercedat, non stabit, vnionem humanitatis cum Verbo fieri in persona, seu ad illam terminari, & nō fieri in natura, & terminari ad illam.

91. *Respondetur;*

Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam. Ratio autem discriminis est, nam vnionem in natura fieri est, quòd ex illa inter extrema vnita resultet vnitas naturæ, & essentiæ, & fieri in persona, quando natura vnita substantialis, & rationalis, est, quòd resultet vna persona, in quo importatur, & exercetur formaliter distinctio, quæ inter personam, & naturam intercedit: vnde, arguendo ex vnitate in persona ad vnitatē in natura appellatio, vel applicatio terminorum variatur; ideoque consequentia non tenet; in terminando autem notitiam intuitiuam *vt quod* non exercetur prædicta distinctio, & ideo nō stat naturam, & essentiam intuitiuè videri, quin *vt quod* personalitas diuina videatur. Et instō argumentum; non enim valet: natura, *vt quo* videtur: ergo personalitas videtur *vt quo*; quia in terminando *vt quo* visionē, & in hoc, quòd est esse obiectū formale, & motiuum cognitionis intuitiuæ, exercetur, & importatur formaliter distinctio, quæ inter naturam diuinam, & personalitatem versatur: ita *in præsenti* Nos dicimus, quòd ex vnione facta in persona non sequitur vnio facta in natura ob rationem assignatam, bene tamen sequitur ex eo, quòd humanitas vnita fuerit personalitati Verbi, esse etiam vnitam *vt quod*, & mediatè naturæ diuinæ; quia in hoc modo vnionis vt extremio *cui* non exercetur, nec reduplicatur distinctio virtualis, quæ inter naturam, & personalitatem diuinam intercedit. Sed de his plura 1. *p. q.* 12. *tract. de visione Dei.*

92. *2. argumentum Durad.*

Secundò arguitur argumento Durandi *in 3. distinctione 5. q. 2.* in illo nāque est facta vnio humanitatis ad Verbum, quod est terminus actionis vnitiuæ;

tiuæ; ſed terminus actionis vnitiuæ non fuit perſona: ergo vnio humanitatis ad Verbum non fuit facta in perſona. Conſequentia cum maiori tenet; minor autem probatur, nam terminus actionis nō poteſt actioni præexiſtere, cum ſit effectus illius; ſed perſona Verbi præexiſtit actioni aſſumptiuæ & vnitiuæ; eſt enim ſimul cum alijs perſonis primum principium illius: ergo actio vnitiua ad perſonam terminata non fuit.

93. *Mens Durādi explicatur.*

Quo argumēto cōuincitur Durandꝰ, vt aſſerat, quòd propriè loquendo aſsūptio, ſeu actio vnitiua non fuit terminata ad naturā, nec ad perſonam, ſed ad vnionē naturæ aſſumptæ cum perſona aſſumente. Longè tamen diſtat à Neſtorio Durandus: tùm, quia error Neſtorij conſiſtit in eo, quòd Chriſtum purum hominem eſſe affirmabat, humanitatemq; non ſubſtantialitèr, ſed accidentalitèr eſſe Verbo Dei coniunctam aſſerebat, ſcilicet, per gratiam, ratione cuius Deus in Chriſto vt in templo inhabitabat, & vnione affectus ſpecialis, nec vnam perſonam diuinam, & humanam eſſe admittebat, quæ omnia longè diſtant à mente Durandi, cum *diſt. 6. q. 1.* expreſsè fateatur vnum tantum in Chriſto ſuppoſitum, & hoc increatum. Tùm etiam; quia in *eadem quæſtione num. 9.* fatetur Durandus, ſecundum conſuetum modum loquendi poſſe dici, quòd vnio terminata eſt ad vnitatem in perſona, non autem ad vnitatem in natura, in quo directè opponitur Eutycheti, & Neſtorio.

Durād.

94. *Occurritur argumento.*

Ad argumentum reſpōdeo, conceſſa maiori, negando minorem; ad illius probationem, cōcedo maiorem; & diſtinguo minorem: præexiſtit actioni vnitiuæ, & aſſumptiuæ Verbum prout ſubſiſtens in natura diuina, cōcedo minorem: vt ſubſiſtens in natura humana, nego minorem, & cōſequentiam; vt enim perſona ſit terminus actionis aſſumptiuæ, aut vnitiuæ, & conſequentèr, vt vnio facta in perſona dicatur, ſufficit, vt Verbum quatenus ſubſiſtens in natura humana, qualitèr eſt humana perſona, non præcedat talem actionem; licet autē Verbum vt ſubſiſtens in natura diuina actionem vnitiuam præcedat, quia vt ſic ſimul cū alijs perſonis eſt primum illius principium; prout tamen in natura humana ſubſiſtens primum principium actionis vnitiuæ non eſt, ſed terminus, vel effectus illius; fuit enim mediante actione vnitiua effectum, vt Verbum in humanitate ſubſiſteret.

95. *Deniq; arguitur S. Tho.*

Denique arguitur contra rationem, qua D. Thom. concluſionē probauit: *Quia, nempè, omne, quod ineſt alicui perſonæ, ſiuè ad illius naturam pertineat, ſiuè non, vnitur ei in perſona; ſed natura humana verè ineſt Verbo Dei, ideſt, verè illi conuenit, de illoque prædicatur, alias tolleretur Incarnationis fides: ergo vnitur illi in perſona.* Contra quam rationem arguitur; maior enim, cui innititur prædicta ratio, eſt falſa: ergo licet conſequentia facta ſit bona, ratio tamen probatiua non eſt, & conſequentèr nec bona. Cōſequentia eſt euidens: ratio namque probatiua, vt ſit bona, prætèr bonitatem conſequentiæ, requirit, quòd procedat ex veris: ergo, ſi maior aſsūpta eſt falſa, ratio probatiua non eſt; antecedens autem probatur primò ex verbis, quibus D. Thom. concludit corpus *præſentis art.* ibi: *Quia ergo Verbum habet naturam humanam ſibi vnitam, non autem ad ſuam naturam pertinentem, conſequens eſt, quòd vnio ſit facta in Verbi perſona, non autem in natura*: ergo falſa eſt maior in probationem concluſionis aſſumpta, qua dicitur; *Omne, quod ineſt alicui perſonæ, ſiuè ad illius naturam pertineat, ſiuè nō, vnitur illi in perſona.* Probatur conſequentia, nam huius, quod eſt, vnionem humanitatis ad Verbum eſſe factam in perſona, reddit D. Thom. rationem: *Quia Verbum habet naturam humanam ſibi vnitam, vt non pertinentem ad ſuam naturam diuinam*: ergo ſentit D. Thomas, quòd ſi humanitas Verbo vnita pertineret ad naturam Verbi diuinam, nō vniretur Verbo in perſona, & conſequentèr eſt falſum; *Quod omne, quod ineſt perſonæ, ſiue ad illius naturā pertineat, ſiuè non, vnitur illi in perſona.*

S. Tho.

S. Tho.

S. Tho.

Secundò probatur antecedens: ſi 96.

nam-

namque illa propositio esset vera, sequeretur, vnionem Verbi ad humanitatem esse factam in natura: consequens absurdum est, & contra doctrinam D. Thomæ *artic. præced.* ergo maior rationis Angelici Præceptoris est falsa. Probatur sequela; etenim si omne, quod vnitur alicui personæ, vnitur illi in persona, etiã omne, quod vnitur alicui naturæ, vnietur illi in natura; sed natura humana non solum est vnita personæ Verbi, sed etiam illius naturæ, vnione saltim mediata; quo circa humanitas sanctificata fuit à deitate sub conceptu naturæ sanctitate subsantiali, vt *tract.* 5. videbim⁹: ergo ex principio à D. Thoma pro maiori in conclusionis probationem assumpto, sequitur, vnionem humanitatis ad Verbum esse factam in natura, quod est contra fidem.

97. *Respondetur.* Respondeo, negando antecedens, ad illius primam probationem, admissis, vt iacent, verbis Angelici Præceptoris, nego consequentiam, ad cuius probationem dicatur, D. Thomam, ex eo, quòd Verbum habeat naturam humanam sibi vnitam, vt non pertinentẽ ad suam naturam diuinam, duo intulisse; primum, quòd vnio humanitatis ad Verbum sit facta in persona: secundum, quòd non sit facta in natura: rationem primi assignauit; quia Verbum habet naturam humanam sibi vnitam, ex quo suppositama iori vniuersali, quòd *omne, quod personæ inest, vnitur illi in persona*, rectè infertur, vnionem Verbi incarnati esse factam in persona; secundi autem, nempè, quòd vnio ista non fuerit facta in natura, assignauit D. Thom. rationem; quia natura humana non pertinet ad naturam Verbi diuinam; ac proindè ex verbis, quibus D. Thom. concludit corpus *artic.* non sequitur, Angelicum Doctorem sensisse, quòd si humanitas pertineret ad diuinã Verbi naturã, nõ vniretur illi in persona, nec falsitas propositionis vniuersalis pro maiori assumptæ ad probandam conclusionem.

98. *Oppones.* Sed dices: ex eo, quòd humanitas sit Verbo vnita, & non pertineat ad diuinam Verbi naturam, non sequitur benè, vnionem humanitatis ad Verbum non esse in natura factam: ergo Divus Thomas non probauit ex illo principio negationem vnionis humanitatis cum Verbo in natura, sed quòd vnio ista facta fuerit in persona. Consequentia patet; non enim decemus admittere, Divum Thomam mala consequentia vsum fuisse; antecedens autem probatur: si namque ex humanitate, & diuinitate tertia resultasset natura, vnio humanitatis ad Verbum in natura facta fuisset: vndè, D. Thom. *artic. præcedenti* exindè probauit, vnionem non fuisse in natura factam, quia ex illa non resultauit tertia natura, nec potuit; & tamen tunc casus, Verbum haberet humanitatem sibi vnitam, hæcque non pertineret ad diuinam Verbi naturam, cum extremum simul cum alio componens ad illius naturam non spectet, sed ab illo realiter distinguatur: ergo ex eo, quòd Verbum habeat humanitatem sibi vnitam, vt non pertinentem ad illius naturam diuinam, non infertur per bonam consequentiam, vnionem humanitatis ad Verbum in natura factam non esse. S. Tho.

99. *Respondetur.* Respondeo, negando antecedens: ad illius probationem, concesis maiori, & minori, distinguo consequens: ex illo solo principio, concedo consequentiam: ex illo principio, præsupposita doctrina articuli præcedentis, nego consequentiam. Itaque in primo istius quæstionis articulo monstrauerat Divus Thomas, non potuisse vllo modo ex humana, & diuina natura tertiam naturam conflari, & cõsequenter vnionem humanitatis ad Verbum in natura factam non fuisse per constitutionẽ tertiæ naturæ resultantis ex humana, & diuina: qua doctrina ex illo articulo præsupposita, rectè intulit D. Thom. *in art. 2.* ex eo, quòd humanitas Verbo vnita nõ pertineat ad diuinam Verbi naturã, nullo modo fuisse illi in natura vnitã, nam etiam si ex deitate, & humanitate nõ constitueretur tertia natura; si tamen humanitas vniretur Verbo, vt pertinens ad illius diuinam naturam, vnio in natura esset facta, & istũ modũ vnio S. Tho.

mis factæ in natura excluſit Angelic⁹ Doctor verbis, quibus concluſit corpus *præſentis artic.*

100 *Duplex ratio diſferentiæ aſſignatur. Prima.*

Ad ſecundā antecedētis probatiō nē, nego ſequelam: ad illius probationē, nego maiorem. Ratio autem differentiæ eſt duplex. Prima; quia omne, quod vnitur perſonæ, recipitur in perſona, vel ſuſtentatur, & terminatur ab illa, non autem omne, quod vnitur naturæ, ſuſtentatur à natura, aut in illa recipitur, vt cōſtat in vnione hypoſtatica, per quam humanitas naturæ diuinæ vnitur; & tamē nec recipitur in natura diuina, nec ab illa ſuſtentatur: & ideo omne, quod ineſt perſonæ, vnitur illi in perſona, non autem omne, quod vnitur naturæ, dicitur vniri in natura.

101. *Secūda.*

Secunda ratio diſcriminis eſt: natura nāque importat ſolū prædicata eſſentialia: vndè, vt docet D. Thom. in principio *corpor. præſentis art.* natura ſignificat eſſentiā rei, quæ per diffinitionē explicatur, & ſignificatur, & ſolū pro illa ſupponit; ideoq; ſolū id dicitur vniri in natura, quod vnitur in eſſentia, ac percōſequens vnione eſſentiali: ex quo fit, quòd, vt aliqua dicantur vniri in natura, neceſſum ſit, quòd ex illis reſultet vna natura, vt ex partibus eſſentialibus; perſona autē ſignificat habens naturā, & quia habēs naturam eſt etiam habens reliqua prædicata, quamtūvis accidentalia, fit conſequens, vt omne prædicatū, eſto ſit accidentale, in cōcreto ſumptum prædicetur de perſona, & hæc de omni accidēti concretè ſignificato, ſimilitèr enuntietur: ex quo vlterius ſequitur, vt omne, quod ineſt perſonæ, dicatur in perſona vniri, & in ſuppoſito cum illa communicare.

§. Vltimus.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

102. EX dictis infertur primò cum D. Thoma *in præſenti art.* 3. vnionem Verbi ad humanitatem factam eſſe in hypoſtaſi, vel ſuppoſito, cuius cōtrarium docuere nonnulli, quos ſine nomine refert D. Thom. exiſtimantes, in Chriſto eſſe vnam perſonam, plura tamen ſuppoſita, & conſequentèr vnionem in perſona eſſe factam, & non in ſuppoſito, vel hypoſtaſi, quorum error damnatus eſt in Concilio 2. Conſtantinopolitano, quod eſt quintum generale *canone* 5. illis verbis: *Si quis conetur introducere in myſterio Chriſti duas ſubſiſtentias, ſeu duas naturas, anathema ſit*; ſed ſubſiſtentia idem eſt, quòd hypoſtaſis, vel ſuppoſitum: ergo conſtituere in Chriſto duas hypoſtaſes, aut duo ſuppoſita in diffinitione prædicta damnatur.

Primū corollarium.

Concil. Conſt.

Et reijcitur à Diuo Thoma primò: perſona namque idem eſt, quòd ſuppoſitum intellectualis naturæ, vt conſtat ex diffinitione perſonæ, qua dicitur, perſona eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia; ſed ſi in Chriſto eſſent plura ſuppoſita, eſſent plura indiuidua intellectualis naturæ: ergo eſſent plures perſonæ, & conſequentèr implicatorium eſt, vnionem humanitatis ad Verbum eſſe factam in perſona, & non eſſe factam in ſuppoſito, ſeu hypoſtaſi. Niſi fortè dicatur, inquit Divus Thomas, perſonam ad ſuppoſitum addere ſolum dignitatem quandam; & idcircò vnionem duarum naturarum in Chriſto eſſe factam in perſona, quia humanitas eſt Verbo Dei vnita ſolum ſecundum dignitatem honoris, in quantum omnis honor, qui exhibetur Filio Dei, exhibetur homini Chriſto propter coniunctionem illorum: qui eſt error Neſtorij damnatus in ſecunda Synodo Epheſina *canone* 3. verbis relatis à D. Thoma *art.* 3. *in corpore.*

103 *Reijcitur primò.*

Deindè prædictum errorem reijcit Angelicus Doctor: nam hypoſtaſi, vel ſuppoſito attribuuntur operationes, & paſſiones naturæ; dicimus enim, quòd hic homo ratiocinatur, & eſt riſibilis; & idcirco hic homo dicitur ſuppoſitum, quia, nempè, ſupponitur omnibus, quæ ad hominem pertinent, & illorum prædicationem ſuſcipit,

104 *Secūdo.*

cipit, siuè essentialia sint, siuè accidentalia prædicata: ergo, si in Christo est alia hypostasis præter hypostasim Verbi, de illo distincto à Verbo verificabuntur, quæ pertinent ad Christum vt hominem, puta, esse natum de Virgine, passum, crucifixum, mortuum, & sepultum, quòd D. Thomas asserit, esse damnatum, approbante Concilio Ephesino primo *can.* 4.

105 *Obycies*

Sed dices, sequi ex doctrina D. Thomæ, damnatam esse illorum sententiã, qui asserunt, operationes à Christo Domino elicitas attribui humanæ naturæ *vt quod*: consequens durum videtur, cum sit plurium piorum, & Catholicorum sententia: ergo ista impugnatio D. Thom. supra dicti erroris non vrget. Probatur sequela, nam ex eo damnatur à D. Thoma multiplicitas hypostasium, vel suppositorum in Christo, quia, illa admissa, alicui distincto à Verbo attribuentur passiones, & operationes humanitatis, quod intelligendum est de attributione, non vt principio *quo*, sed *vt quod*, nam *vt quo* certum est, quod attribuuntur humanitati, quæ est aliquid à Verbo distinctum; sed in illorum Theologorũ sententia operationes, & passiones Christi humanitati attribuuntur *vt quod*, & cõsequenter ea, quæ sunt hominis, alicui à Verbo distincto attribuuntur: ergo prædicta sententia est damnanda, & vt error reijciẽda, si vera est doctrina D. Tho. proximè tradita.

106 *Respondetur.*

Respondeo, quidquid sit de veritate consequentis, negãdo sequelam, ad illius probationem distinguo, & explico maiorem, seu causalem D. Thomæ: quia attribuerentur operationes, & passiones humanitatis alicui distincto à Verbo, excludendo Verbum à prædicta attributione, tam proximè, quam remotè, tam elicitiuè quã denominatiuè, concedo maiorem: quia attribuerentur alicui distincto à Verbo sine exclusione Verbi ab attributione talium operationum, & passionum, aliquo ex prædictis modis, nego maiorem, & sub eadẽ distinctione minoris, nego consequentiam: in sententia namque asserẽte, humanitatẽ nõ solum *vt quo*, sed etiam *vt quod* operari, & subijci operationibus, & passionibus, non excluditur Verbum à denominatione operantis *vt quod*, sed asseritur, humanitatem esse principium *quod* proximum operandi; Verbum autem principiũ *quod* remotum, aut elicitiuum, aut saltim denominatiuũ, ac percõsequẽs aliqualiter saluatur, Verbum propter nos passum, & mortuum, & pro nobis satisfeciſſe, & meruisse, quod an sufficienter saluetur, viderint illius sententiæ Auctores; est tamen necessariò asserendum, vt verborum Scripturæ veritas subsistat. Cõstituto autem duplici supposito in Christo, humano, nempè, & diuino, taliter supposito humano attribuerẽtur operationes, & passiones humanitatis, vt in nullo sensu possent de supposito diuino enũtiari, nec illi possent attribui, siue proximè, siue remotè, elicitiuè, aut denominatiuè, nã in supposito humano sisteret omnis attributio operationum, & passionum humanitatis, & hoc est, quod D. Thom. asserit, esse in Synodo Ephesina damnatũ: & meritò, cum in Scriptura sacra Verbo diuino omnia prædicta attribuantur, & cõsequẽter in aliquo sensu debeant de illo verificari.

107 *Corollarium secundum*

Secundò ex dictis colligitur, fuisse in Christo factam vnionem animæ, & corporis, quod D. Thom. *in art.* 5. asserit, esse de fide, fuitque diffinitum ab Alexandro Tertio, & constat ex illis testimonijs Scripturæ, quibus asseritur, Christum fuisse verum hominẽ, fuisse mortuum, & resurrexisse: quæ nullatenus possunt saluari, nisi Verbũ assumpserit animam corpori vnitã, sine qua homo verus non esset, nec mori, nec resurgere potuisset: tum, quia anima est immortalis. Tum etiã: quia mors Christi in eo posita fuit, quòd anima Verbo vnita à corpore fuerit separata, & per hoc resurrexit, quòd anima revnita fuit corpori, quæ, vt constat, sine vnione animæ, & corporis in Christo facta subsistere nequeunt.

108 *Prob. à D. Tho.*

Veritatem istam sic probat Divus Thomas: nam Christus est vniuocè homo nobiscum, hoc est, eiusdem rationis cum alijs hominibus, ac percõ-

Ad Phil. 2.

ſequens eſt eiuſdem naturæ, vt cõſtat ex illo Pauli ad Philippenſes 2. *In ſimilitudinem hominum factus.* Quod de ſubſtantiali ſimilitudine eſſe accipiendum patet, nam ly *homo*, non accidentia, ſed naturam hominis ſubſtãtialem ſignificat, & conſequentèr ſimilitudo Chriſti cum alijs hominibus ab Apoſtolo aſſerta debet eſſe, non in accidentibus, ſed in ratione ſubſtantiali hominis; ſed ſine vnione animæ ad corpus non ſtat, Chriſtum eſſe hominem eiuſdem ſpeciei nobiſcum; pertinet enim ad rationem ſpeciei humanæ, quòd anima corpori vniatur, anima namque non conſtituit ſpeciem, niſi informando, actuandoque materiam, quod præſtat, mediante vnione: ergo vnio animæ, & corporis verè fuit in Chriſto facta.

109 *Opponeſ.*

Sed dices: vnio ſolius animæ ad Verbum ſufficit, vt Chriſtus ſit eiuſdem naturæ, & ſpeciei cum alijs hominibus: ergo ex hoc non probatur, fuiſſe in illo factam vnionem animæ, & corporis. Antecedens probatur primò: nam forma eſt, quæ dat ſpeciem; ſed anima rationalis eſt forma hominis: ergo vnita Verbo, & non vnita materiæ conſtitueret Chriſtum eiuſdem ſpeciei nobiſcum. Secundò, nam Chriſtus ratione ſolius animæ conſtitueretur in genere intellectiuo creato; ſed non eſſet in aliqua ſpecie Angelica: ergo eſſet in ſpecie intellectualitatis humanæ, & conſequentèr eiuſdem ſpeciei cum alijs hominibus. Tertiò, nam eſto ſuppoſitum Chriſti ſit diuerſæ rationis à ſuppoſito creato, Chriſtus eſt eiuſdem ſpeciei cum alijs hominibus, quia forma, nempè, humanitas eſt eiuſdem rationis; ſed caſu, in quo ſola anima Verbo vniretur ſine præuia vnione cũ materia, forma eſſet eiuſdem rationis cum forma aliorum hominum: ergo eſſet eiuſdem ſpeciei cum illis. Quod amplius vrgetur: anima namque nõ conſtituit ſpeciem, niſi radicando ſubſiſtentiam, & conſtituendo ſuppoſitum; & tamen, licet in Chriſto ſubſiſtentiam non radicet, nec ſuppoſitum, vel perſonam conſtituat, conſtituit ſpeciem eiuſdẽ rationis nobiſcum: ergo ex eo, quòd anima non conſtituat ſpeciem, niſi actuando materiam (vt arguit Divus Thomas) non ſequitur, quòd caſu, in quo materiam non actuaret, nõ conſtitueret ſpeciem eiuſdẽ rationis, nec quòd Chriſtus non eſſet vniuocè homo nobiſcum.

110. *Occurritur obiectioni.*

Reſpondeo, negando antecedens: ad primam probationem dicatur, nõ à forma partiali, ſed à forma totali deſumi proximè ſpeciem; licet autem caſu, in quo ſola anima rationalis Verbo vniretur, conueniret ipſi forma hominis partialis, non cõueniret illi forma totalis hominis, quæ non eſt anima, ſed humanitas conſtituta ex anima, & corpore; & ideo eſſe non poſſet eiuſdem ſpeciei nobiſcum, imò nec homo eſſe poſſet: homo namque eſt humanitatis concretum, quæ in eo caſu Chriſto non conueniret.

111.

Ad ſecundam probationem, conceſſis maiori, & minori, diſtinguo cõſequens: eſſet in ſpecie intellectualitatis humanæ completè, nego conſequentiam: incompletè, concedo conſequentiam: ex quo non ſequitur, ratione ſolius animæ fore eiuſdem ſpeciei cum alijs hominibus: ſicut nec anima rationalis poteſt dici eiuſdem ſpeciei cum illis, quandoquidem ſpecies completa nõ eſt. Ad tertiam probationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: forma incompleta, & partialis, concedo minorem: forma totalis, & completa, nego minorẽ, & conſequentiam, nã Chriſtus de facto ideo eſt eiuſdem ſpeciei cum alijs hominibus, quia cum illis conuenit in forma totali, nẽpè, in natura conſtituta, ex anima, & corpore, & ſolũ in ſuppoſito differt ab illis, quod nec forma eſt, nec pars formæ hominem conſtituẽtis, ſed ſolum conditio, & complementum, vt homo directè in prædicamento ponatur; in caſu autem argumenti, etſi Verbum, & homines conuenirent in forma partiali, non conuenirẽt in forma totali; quia corpus, quod deficeret Verbo, eſt pars naturæ, & formæ totalis hominis; ideoque Verbum in tali caſu non eſſet eiuſdem naturæ, nec eiuſdem ſpeciei cum alijs hominibus.

Ad

112. Ad confirmationem respondeo primò, negando maiorem, nam radicatio subsistentiæ propriæ, & constitutio proprij suppositi supponit constitutam naturam, & consequenter supponit constitutam speciem: vndè radicatio subsistentiæ est quid concomitans constitutionem speciei, non concomitantia essentiali, sed cōnaturali: ex quo fit, vt, quamuis de facto impediatur, vt contingit in Christo, in quo humanitas propriam subsistentiam etiam nō radicauit impedita per subsistentiam Verbi, natura, & species constituta eiusdem rationis sit. Actuatio autem, & informatio materiæ est essentialis animæ rationali vt constituenti speciem, & naturam humanam; ideoque sine vnione illius ad corpus non potest species, & natura humana consurgere, nec Christus esse eiusdem naturæ, & speciei cum alijs hominibus.

113. Secundò respondeo, distinguendo maiorem: anima non constituit speciem, nisi radicando subsistentiam, vt complementum connaturale naturæ, & speciei constitutæ, concedo maiorem: vt partem naturæ, vel complementum essentiale illius, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam, nam materia actuata per animam est pars essentialis naturæ, & speciei humanæ: ex quo fit, vt sublata materia, humanitas non subsistat: vndè, in triduo mortis, Christus non extitit homo; quia anima in triduo non erat materia vnita, sed ab illa separata, in cuius separatione Christum mori fuit constitutum. Subsistentia autem radicata ab anima non est pars essentialis naturæ, nec complementum essentiale illius, sed modus, & complementum connaturale: ex quo prouenit, vt sine propria subsistentia natura eiusdem rationis saluetur, & quòd Christus sit in ratione hominis eiusdē speciei nobiscum, etsi in nobis detur subsistentia creata; in Christo autem non creata, sed increata subsistentia inueniatur, inter quas subsistentias intercedit distantia infinita.

114. Tertiò colligitur, humanitatem vnitam fuisse Verbo, nec secundum essentiam, nec secundum accidens, seu accidentaliter, sed substantialiter, seu secundum hypostasim. Quod docuit D. Thom. *in hac quæstione art. 6.* & quoad primam partem patet; nam vniri secundum essentiam, seu naturam est, quòd ex tali vnione vna essentia, seu natura resultet; sed non sic fuit humanitas vnita Verbo, vt ex illa, & Verbo vna essentia, vel natura resultauerit, vt contra Eutychetem docuimus, & fide catholica credimus: ergo non fuit illi secundum essentiam vnita. Quoad secundam partem, si intelligatur de accidenti prædicamentali, est veritas fide certa, vtpotè, contra Nestorium diffinita in sexta Synodo Constantinopolitana *can. 4.* illis verbis: *Sancta vero Dei Ecclesia vtriusque perfidiæ, nempè, Eutychetis, & Nestorij, impietatem reijciens, vnionem Verbi Dei ad carnem secundum compositionem confitetur, quod est secundum subsistentiam*; sed vnio secundum subsistentiam vnio substantialis est, & non accidentalis prædicamentaliter: ergo, quòd vnio ista non fuerit secundum accidens prædicamentale, est fide certa tenendum.

Et ostenditur primò, quia aliàs nō in quid, sed in quale prædicaretur de diuino Verbo esse hominem, quod est contra diffinitionem Alexandri Tertij in *cap.* cum Christus, vbi Pontifex, ait: *Cum Christus sit perfectus Deus, & perfectus homo, qua temeritate audent quidam dicere, quòd Christus secundum quòd homo non est quid?* Quæ verba refert D. Thom. *artic. 6. in argument. sed contra.* Secundò, nam vniri secundum accidens est, quòd mediū vnionis, & in quo fit vnio, sit accidens; sed id, in quo facta est vnio duarum naturarum in Christo, non est accidens, sed substantia; est enim vnio facta in persona, vt ostendimus; persona autem non accidens, sed substantia est: ergo vnio ista non est facta secundum accidens, sed secundum substantiam; ac proinde accidentalis prædicamentaliter dici non potest.

Et ex his probata relinquitur tertia pars corollarij, nempè, vnionem

Tertium corollarium.

Synod. Const.

115. *Prima ratio. Alex. 3.*

Secunda ratio.

3 pars corollarij probatur.

iſtam factam eſſe ſecundum hypoſtaſim; hoc enim conſiſtit in eo, quod ex tali vnione vna hypoſtaſis reſultet; ſed ex vnione humanitatis cū Verbo vna hypoſtaſis reſultauit, vt conſtat ex dictis: ergo vnio iſta facta eſt ſecundum hypoſtaſim.

116. *Difficultas emergens. Sententia Durādi.*

An autē poſsit dici humanitas vnita Verbo Dei accidētaliter prædicabiliter, nō eſt cōcors Theologorū sētētia? Durādus nāque *in 3. diſt. 6. q. 4.* etſi cū Catholicis ſentiat, in Chriſto duas perſonas non eſſe, & vnionem humanitatis ad Verbum non eſſe in acciden ti factam, ſed in perſona, quod eſt, non fuiſſe factam ſecundū accidens prædicamentale; docet tamen, poſſe dici, humanitatē accidentaliter Verbo ad uenisſe, hoc eſt, accidentaliter prædicabiliter, cuius ſententiam approbaſſe videtur Paludan in *eād diſt. q. 1. art.* 3. Fundamentū Durandi eſt, nā quod advenit enti in actu completo, accidentaliter advenit illi; ſed humanitas advenit Verbo Dei vt enti in actu cōpleto: ergo accidentaliter prædicabiliter fuit illi coniuncta. Et confirmari poteſt, nam quod eſt extra alicuius eſſentiam, accidentaliter prædicatur de illo; humanitas autem eſt extra eſſentiam Verbi: ergo accidentaliter de illo prædicatur, & conſequenter accidentaliter prædicabiliter illi coniungitur.

Palud.

117. *Vera ſententia.*

Vera tamen eſt, & tenenda cōmunis Theologorum ſententia aſſerentium, nullatenus eſſe dicendum humanitatem fuiſſe Verbo Dei vnitam accidentaliter. Tūm, quia cum hæreticis nec in terminis eſt conveniendū; dicere autem vnionē iſtam fuiſſe accidentalem, eſt ſaltem in vocibus cōuenire cum illis: ergo reijciendus eſt modus iſte loquendi. Tūm etiam: nam quod accidentaliter prædicabiliter alicui coniungitur, nō prædicatur de illo in quid, ſed in quale; ſed hæc prædicatio, Verbum eſt homo, nō eſt in quale, ſed in quid: vndè D. Thom. *infra q. 16. art.* 1. docet, hominem prædicari de Deo prædicatione ſecundi prædicabilis: ſicut ſpecies de ſua hypoſtaſi: ergo humanitas non coniungitur Verbo accidentaliter prædicabiliter. Tūm denique, nam ex ſententia Durandi ſequitur manifeſtè, Deum nō dici propriè hominē, ſed humanatū, cū non prædicetur de Deo in quid, ſed in quale, quod admittit Durādus *in 3 diſt. 4. q. 2. n.* 13. vbi docet, hominē non omninò propriè prædicari de Deo; conſequēs autē eſt falsū, vt cōſtat ex Cōcilio Frā cofordienſi *in epiſt.* ad Epiſcopos Hiſpaniæ *ante medium*, vbi dicitur: *Vnā perſonā eſſe Deum, & hominē, non hominem Dei Filiū, & humanatum Deum*: ergo humanitas non vnitur Verbo Dei accidentaliter prædicabiliter.

S. Tho.

Durād.

Concil. Frāc. f.

Nec vrget motivum Durandi, ad quod reſpondetur, diſtinguendo maiorem: quod advenit enti in actu cōpleto, accidentaliter advenit illi, ſi ad illius eſſe trahatur, ab illoque eſſe ſubſtantiale recipiat, nego maiorem: ſi non trahatur ad eſſe ſubiecti, nec ab illo eſſe ſubſtantiale recipiat, nec illi eſſe ſubſtantiale communicet, concedo maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: humanitas namq; trahitur ad eſſe Verbi, & per illius ſubſiſtētiā ſubſiſtit, eiq; tribuit eſſe ſubſtātiale; & ideo, quāuis adveniat Verbo vt enti in actu cōpleto, nō advenit illi accidentaliter, nec accidētaliter prædicatur de Verbo. Et ex his ad cōfirmationē cōſtat ſolutio: vt enim prædicatū aliquod accidentaliter de ſubiecto dicatur, non ſufficit, eſſe extra eſſentiā illius, ſed inſuper eſt neceſſariū, quòd cū illo non cōmunicet in aliquo eſſe ſubſtātiali, cuius contrariū in humanitate vnita Verbo cōtingit; & ideò, quāuis extra eſſentiam Verbi ſit, nō prædicatur accidētaliter de illo. Pro cuius doctrinæ intelligentia vidēdus eſt Caietan. *infra q. 16. art.* 1. vbi cōtra Scotū, & Durandū cū Angelico Præceptore defendit propoſitionē iſtā, *Deus eſt homo*, eſſe per ſe.

118. *Argumētō Durādi occurritur.*

Caietan.

Denique infertur ex dictis, quòd licet humanitas ſit inſtrumentū Verbi coniunctum, non eſt dicēdum, vnitam eſſe Verbo ſolum vt inſtrumentum. Quod patet: nam vnio ſolū per modum inſtrumenti eſt vnio in ratione cauſæ, & accidentalis; ſed non fuit vnita Verbo accidentaliter: ergo non eſt dicendum, fuiſſe vnitam Verbo ſolum

119. *Vltimū corollarium.*

Cyril. lum vt instrumentum: vnde Cyrillus, teste D. Thom. *art. 6. solut. ad 4. argumentum*, dicit *in epistola* ad Monachos Ægypti, hunc Emanuelẽ, ideſt, Christum non tanquam instrumenti officio assumptum, dicit Scriptura, sed tanquam Deum verè humanatum, idest, hominem factum. Pro quo videantur Caietanus *art. 6. circa solut. ad 4.* Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in 3. dist. 5. §. 1.* ad illa verba ex Augustino sumpta: *Deus humanam naturam in vnitatem personæ suscepit.* Caiet. M. Sãt.

DISPVTATIO DECIMA.

An Christus verè sit, & dicatur persona composita propria compositione?

§. I.

Relatis sententijs, vera eligitur, & probatur.

Nu. 1. EX VNIONE humanitatis ad Verbum Christum esse cõpositũ, sumpta cõpositione pro cõstitutione ex pluribus realitèr distinctis, à nullo Theologorum negatur, imò nec posse negari ex ipsa terminorum explicatione manifestè conuincitur; Christus enim est aliquod vnum, & non omninò simplex, & consequentèr est aliqua ratione compositus, abstrahendo à modo talis compositionis. Quod igitur in discrimen vertimus, est, an persona Christi prout in duabus naturis subsistit, sit composita vera, & propria compositione? Qua in re duas repetio Theologorum sententias. Prima est negatiua, quam tenent Bonaventura *in 3. dist. 6. art. 1. q. 2.* Richardus *in eadem dist. art. 2. q. 3.* Durandus *q. 3.* Gabriel. *q. 2.* Almaynus *q. 1. concluſ. 2.* & ex Modernis Scoti discipulis Radda *3. p. controu. 2. art. 3.* pro illa referens Scotum *in 3. dist. 6. q. 3.* & Marsilium *in ead. dist. & q. art. 3.*

Prima sententia. *Bonau. Richar. Durãd. Gabr. Almai. Radda. Marsil.*

Secunda, & iam frequentior Theologorum sententia affirmat, personã Christi esse verè, & propriè compositam. Hanc tenet D. Thom. *in hac q. art. 4.* quem sequuntur Caietanus *in commentario istius articuli*; nam licet asserat, personam Christi dicendam esse compositam mirabili compositione, hæc additio non est diminuens à compositionis proprietate, sed deno-

2. Secũda sententia S. THO. *Caiet.*

tans, nõ esse ex illis compositionibus, quæ naturales sunt, in quibus partes per se ad totius compositionem inclinantur. Vincentius *relectione de gratia Christi q. 7. concl. 2. pag.* mihi 880. Aluarez *in præsenti disp. 12.* Nazarius *art. 4. controuers. vnic.* Lorca *disput. 13.* & cæteri D. Thomæ Discipuli. Tenent etiam ex Patribus Societatis Suarez *disp. 6. sect. 4.* Vazquez *disput. 16. cap. 2.* & alij ex eadem familia frequẽtẽr.

Vincẽt. Alvar. Nazar. Lorca.

Suarez Vazq.

3. Quorum sententia sit nostra prima conclusio. Et ostenditur primò ex quinta Synodo generali *actione 8. can. 4.* illis verbis: *Cùm enim multis modis vnitas intelligatur, aliqui, qui impietatem Appollinaris, & Eutychetis sequuntur interemptionem eorum, quæ conuenerunt colentes vnitionem secundum confusionem prædicant; Theodori autem, & Nestorij sequaces diuisione gaudentes affectualem vnitatem introducunt.* Et post relatum vtrumque extremum errorem sic habet: *Sancta vero Dei Ecclesia vtriusque perfidiæ impietatem ejciens vnitionẽ Verbi Dei ad carnem secundum compositionem confitetur, quod est secundum subsistentiam; vnitio enim per compositionem in mysterio Christi, non solum inconfusa, ea, quæ conuenerunt, conseruat, sed nec diuisionem suscipit.* Referũtur hæc verba in Concilio Lateranensi sub Martino Primo *consultatione 4.* Quod etiam habetur *canone septimo*, & in eodem Concilio Lateranensi quintæ Synodi canones confirmantur; sed verba ista cum proprietate sunt accipienda, vt constat ex Concilio *allegato consultatione 5. cap. 17.* vbi damnantur, qui, ea, quæ de Christo in his Conciliis sunt diffinita, negant, propriè, & secundum veritatem dicta esse: ergo Christus verè, & propriè est persona composita.

Prima cõclusio Probatur ex Cõcilijs.

Conc. Later.

4. Deindè probatur ex Patribus, qui absolutè Christum compositum docent. Ita Dionisius *cap. 3. de Ecclesiastica hierarchia p. 3. circa finem*, ibi: *Ad compositum, atque visibilem sine mutatione sui per summam clementiam, benignitatemque processit.* Damascenus *lib. 3. fidei cap. 3. 4. & 5.* Athanasius *oratione*, quòd vnus sit Christus. Petrus Diaconus *de Incarnatione, & gratia cap. 3.* Bernardus *sermone 2. in Cantica*, ad illa verba: *Osculetur me osculo oris sui*, vbi sic habet: *Attendite; sit os osculans Verbum assumens, osculatum caro, quæ assumitur; osculum verò, quod paritèr ab osculante, & osculato constituitur persona ipsa ex vtroque compacta, mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus.* Idipsum docent, & eodem modo loquuntur alij Patres frequentèr, quos lato calamo refert noster Vincentius *vbi supra pag.* 881. Sed ea, quæ Patres non semel, aut iterũ, sed sæpè absolutè pronuntiãt, cum proprietate sunt accipienda: ergo asserendum est, Christum esse veram, & propria compositione compositum.

Petrus Diacon. Bernar.

Vincẽt.

5. Præterea probatur ratione: omnis vnitas per se, aut est per simplicitatem, aut per compositionẽ; sed Christus est per se vnus, & non per simplicitatem, simplicitas namque realem distinctionem constituentium excludit; in Christo autem sunt plura realitèr constituentia, & distincta, & consequentèr simplex non est: ergo est vnus per veram, & propriam compositionẽ. Confirmatur primò: vt enim inquit Basilius *lib. 2.* cõtra Eunomiũ: illud dicitur compositum, quod vnũ cum sit, ex multis cõstat; sed Christus vnus est, & constat ex multis: ergo est verè, & propriè compositus. Confirmatur, & vrgetur secundò: nam compositio est distinctorum vnio: ergo vnio realis distinctorum realitèr, est realis compositio, & vnio propria extremorum propriè distinctorum est verè, & propriè compositio; sed Christus constat ex pluribus propriè distinctis; natura namque diuina propriè ab humana distinguitur, & vnitis vnione vera, & propria; non enim est, vndè vnio humanitatis ad Verbum à proprietate vnionis deficiat: ergo est realitèr compositus vera, & propria compositione.

Ratione etiã probatur.

Basil.

6. Si opponas: non omnis realis extremorum distinctio realem facit cõpositionem: ergò ex eo, quòd in Christo Verbũ, & humanitas realitèr distin-

Obycies

guan-

guantur, non sequitur, personã Christi esse realitèr compositam vera, & propria compositione. Probatur antecedens; nam secundum fidem patet nitas, filiatio, & passiua spiratio realitèr distinguuntur in Deo; & tamen ex illis realis compositio non resultat, aliàs Trinitas personarũ in Deo summè simplex non esset, quod asserere hæreticum est. ergo non omnis realis extremorum distinctio realem facit compositionem, & consequentèr ex eo, quòd diuinitas, & humanitas, ex quibus Christus coaluerit, realitèr, & propriè distinguantur, non sequitur, Christum ex illis componi reali, & propria compositione.

7. *Solutio.* Respondeo, obiectionem istam, si quid probat, conuincere, nõ solum non esse in Christo propriam compositionem realem, sed etiam nullatenus esse compositum realitèr, quod nullus Theologorum docet. Quòd autem sequatur, patet: nã Trinitas personarum, non solum propriam, sed etiam omnem realem excludit compositionem, aliàs summè simplex non esset: ergo, si ab illa fit argumentum ad Christum, non solum infertur in illo negatio compositionis propriæ, sed etiam omnimoda realis compositionis negatio, quod, vt in limine disputationis monuimus, omnium sententiæ aduersatur. Ad obiectionem ergo dicatur, distinctionem solam extremorum compositionem non facere, sed insuper est necessarium, quod vniantur inter se ad constituendum aliquod vnum, à quo distinguantur iuxta compositionis qualitatem; relationes autem diuinæ, etsi distinguantur realitèr inter se; non tamen realitèr vniuntur ad constituendum aliquod vnum, à quo distinguantur realitèr; ideoque ex illis nulla realis compositio resultat; at verò in persona Christi inuenitur realis extremorum distinctio, & ex illis resultat vnum, à quo realitèr distinguuntur extrema; & ideò rectè infertur in Christo compositio realis, & propria. Et quidem, si hæc obiectio aliquid probaret, conuinceret, quòd etiam si paternitas diuina esset realitèr entitatiuè ab essentia distincta, non resultaret ex illis realis compositio in Patre, quod omniũ Theologorum sententiæ aduersatur, exindè contra realem distinctionem relationũ ab essentia à Gilberto assertam arguentium, quia ex illa sequeretur realis compositio in Deo. Sed de his plura *tract. de Trinitate q. 28.*

8. Ex dictis inter probandam conclusionem colligitur, Christum absolutè dicendum esse compositum, & personam compositam, quod patet primò: nam Concilia, & Patres absolutè loquuntur, & absque vllo additamento dicunt, personam Christi cõpositam esse: ergo ita loquendum est, & absolutè dicendum, Christum esse personam cõpositam, quin sit necessarium vti aliqua limitatione, vel addito diminuente. Secundò, nam ab eo, quòd res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa; sed in re ita est, quòd Christus est persona composita: ergo absolutè est dicendum. Nec in hoc est conuenientia cum hæreticis in modo loquendi, quod solet esse in causa, vt id, quod aliàs sensum verum, & catholicum admittit, absolutè non proferatur, sed cum Conciliis, & Patribus ita absolutè loquentibus: ergo non est, cur prædicta propositio absolutè proferenda non sit.

§. II.

Argumentis in contrarium occurritur.

9. *Primũ argumẽtum.* S. Thom.

CONTRA istam conclusionem arguitur primò ex D. Thoma *in 3. Sentent. dist. 6. q. 2. art. 3. ad 5.* illis verbis: *Dicendum, quòd Damascenus dicit, compositam hypostasim, in quantum est ibi aliquid de ratione compositionis, non quòd sit simpliciter composita quantum ad perfectam compositionis rationem.* Quod etiam docuerat *in corpor.* eiusdem articuli, & ad Annibaldũ *in ead. distinct. q. vnic. art. 3. in corp. & ad 4. argum.* quæ doctrina

con-

conformis est ijs, quæ tradit D. Tho. 1. p. q. 3. art. 8. vbi docet, Deum in nullius rei compositionem posse venire; si autem Christus esset persona composita, vnum ex componentibus esset Verbum, quod Deus est, & consequēter iam Deus in alicuius rei compositionem veniret: ergo Christus non est compositus, nec persona composita vera, & propria compositione.

10. *Solutio.* Respondeo, D. Thomam *in 4. art.* huius quæstionis esse à cōmuni Theologorum sententia: vndè, ne dicam°, illam mutasse, asserendum est *in præallegatis ex 3. sent.* solum negasse compositionem secundum primam huius nominis impositionem, nempè, philosophicam, & naturalē, & à Philosophis cognitam, in qua compositum excedit componentia: & hæc ad illius compositionē per se ordinantur: non autem negasse compositionē in Christo secundum huius nominis secundā impositionem factam à Theologis fidei lumine ductis; qua ratione solum dicit, vnionem plurium distinctorum in aliquo esse. In testimonio autem ex 1. p. adducto negauit, Deum venire posse in compositionem alicuius naturæ, ad quod necessarium esset, quòd vel vt materia, vel vt forma concurreret, quod omninò diuinæ actualitati repugnat; non autem negauit, posse Deum venire in compositionē personæ, ad quod sufficit concursus per modum termini, in quo nulla imperfectio Deo repugnans importatur, vt *tract.* 3. videbimus.

11. *Secundū argumentum* Secundò arguitur: nam compositio, vt sit propria, debet esse compositio realis; etenim compositio rationis nec vera, nec propria compositio est; sed persona Christi nō est composita reali compositione: ergo Christus non est persona propriè composita. Minor, in qua est difficultas, probatur: persona Christi est composita ex alia, & alia ratione subsistendi, cum D. Thom. *in art.* 4. indè probet compositionem in Christo, quia est in illo alia, & alia ratio subsistēdi; sed ex alia, & alia ratione subsistendi compositio realis in Christo resultare non potest, cum ratio subsistendi non sit natura, sed subsistentia; personalitas autem Verbi, vt est ratio subsistendi in humanitate, non distinguatur realitèr à se ipsa, vt est ratio subsistendi in natura diuina, quod necessarium erat ad realem compositionem: ergo Christus non est compositus, nec persona composita compositione reali, & consequentèr nec propria compositione.

12. *Aliquorum solutio impugnata* Non defecere, qui auctoritate ista, D. Thomæ connicti, censuerunt, compositionem Christi non esse ex personalitate Verbi, & natura diuina, aut humana, sed ex diuersis habitudinib°, quas persona Verbi dicit ad naturas terminatas, nempè, humanam, & diuinam. Illorum tamen existimatio sustinenda non est; nam intèr prædictas habitudines non intervenit realis distinctio, sed distinctio realis intèr componentia omninò requiritur ad veram, & realem compositionem, qualem esse compositionem Christi docuimus, docentque omnes Patroni nostræ sententiæ: ergo non est ex diuersis habitudinibus personæ Verbi ad diuersas naturas, quas terminat. Minor cum cōsequentia tenet; maior autem probatur; nam habitudines illæ duplicitèr sumi possunt, nempè, formalitèr pro respectibus rationis ab intellectu nostro cōfictis, & fundamentalitèr pro subsistentia Verbi, vt fundat habitudines rationis ad naturam humanam, & diuinam, quas terminat; sed nullo ex his modis realitèr distinguuntur: non primo; quia sic sumptæ extrema realia non sunt, sed rationis, & consequēter non possunt distinctione reali gaudere, quæ solum inter extrema realia versatur: nec secundo; nam subsistentia Verbi eadem realitèr est, prout in vtraque natura subsistit, vt omnibus est conspicuum: ergo inter habitudines personalitatis Verbi ad diuinam, & humanam naturam realis distinctio esse nequit.

13. *Vera solutio.* Vndè ad argumentum factum, concessa maiori, nego minorem, ad illius probationem responderi potest primò, rationem subsistendi in recto, dicere modum terminantē naturam, in obliquo naturā terminatam; licet autem non multiplicetur realitèr in

Christo

Christo quoad rectum, multiplicatur realitèr quoad obliquum, cũ sint in illo duæ naturæ realitèr distinctæ, & de ratione subsistendi sic sumpta loquutus est D. Thomas, cum compositionem Christi probauit, eo quòd est in illo alia, & alia ratio subsistendi.

14. *Respondetur secundò.*

Vel secundò dicatur, compositionem Christi non esse ex alia, & alia ratione subsistendi, sed vel ex subsistentia terminante, & natura terminata, vel ex naturis humana, & diuina. Nec obstat, D. Thomam assumpsisse pro medio probatiuo compositionis in Christo aliam, & aliam rationem subsistendi, nam licet ita sit; nõ tamen indè colligitur, Angelicum Doctorem sensisse, extrema istius compositionis esse vnam, & alteram subsistendi rationem, sed naturas, in quibus Verbum subsistit, quarum distinctio infertur ex diuersis habitudinibus in Verbo in ordine ad illas, ac si ita argueret Divus Thomas: vbi est alia, & alia ratio subsistendi, sunt diuersæ naturæ subsistentes, & consequentèr ex illis in eodem supposito, realis compositio resultat.

15. *Tertium argumẽtum.*

Tertiò arguitur: compositio propria partes cõponentes petit, sed nullum prædicatum diuinum potest rationem partis subire: ergo in Christo nequit esse propria compositio personæ. Consequentia est legitima, nam huiusmodi compositio non potest in Christo saluari sine aliquo prædicato diuino, ex quo Christus componatur: ergo, si omni prædicato diuino repugnat rationem partis subire, & hoc necessarium est ad propriam compositionẽ, nequit in Christo saluari. Minor autem constat, nam partialitas dicit incompletionem, & hæc imperfectionem repugnantem omni Dei prædicato; maior autem probatur: nam omne propriè compositum est verè, & propriè totum; sed totum dicitur correlatiuè ad partes, nec sine illis potest subsistere: ergo omnis compositio constat ex partibus.

16. *Cõfirmatur primò.*

Confirmatur primò: nam omne compositum est perfectius quolibet extremo componente diuisiuè sumpto; sed prædicato diuino nihil potest esse perfectius: ergo ex prædicato diuino nihil potest componi, & consequentèr nequit prædicatum diuinum ingredi alicuius rei compositionem. Maior, in qua solà potest esse difficultas, probatur: nam omne compositũ importat totam perfectionem cuiuslibet componentis diuisiuè sumpti, & aliquid addit, nempè, aliud extremum componens: ergo omne compositum excedit in perfectione extrema componentia sumpta diuisiuè.

Cõfirmatur secundò.

Confirmatur secundò: omne cõpositum dependet à componentibus, & est posterius illis; sed persona Christi, vtpotè, increata à nullo dependere potest: ergo persona Christi nequit esse composita.

17. *Quorundà solutio reijcitur, & vera traditur.*

Huic argumento responderi solet primò, concessa maiori, negando minorem; censent enim istius solutionis Auctores, de ratione partis nullam imperfectionem esse, nec dependentiæ, nec incompletionis, ob quà prædicatis diuinis repugnet. Sed melius respondetur secundò, negando maiorem cum D. Thoma *solutione ad 2. argum.* eo quòd tam est de ratione partis incompletio, quam de ratione formæ informatio, & vtrumque æquè prædicatis diuinis repugnet, sed quia informatio repugnat prædicatis diuinis, nullum Dei prædicatũ potest rationem formæ physicè informantis subire: ergo paritèr non potest rationem partis physicè componentis habere. Ad probationem maioris dicatur, totum dupliciter sumi negatiuè, scilicet, & positiuè: secundo modo sumptum transeat, quòd ordinem ad partes componẽtes importet; primo autem modo ordinem ad partes non dicit, sed solum negationem partialitatis, in qua negatione ratio totius negatiuè sumpti consistit, & de ratione compositi vt sic non est positiua totalitas, sed abstrahens à positiua, & negatiua; ac proindè ex eo, quòd Christus compositus sit, non sequitur, aliquod prædicatum diuinum in ipso rationem partis subire.

18. *Cõfirmationis solutio.*

Ad primam confirmationem, nego maiorem, ad illius probationem dicatur, omne compositum importare perfectionem cuiuslibet compo-

nen-

nētis, & addere aliquid ſupra id, quod formaliter dicit quodlibet extremū componens ſumptum diuiſiuè, non tamen ſupra eminentialem continentiam: nam quando extremum componens diuinum eſt, continet ratione ſui eminētèr alterū extremum, quod compoſitum ſuperaddit; & ideò non excedit tale compoſitum extremum componens, quando diuinum eſt. Ad ſecundam confirmationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: perſona Chriſti, prout ſubſiſtit in natura diuina à nullo dependere poteſt, concedo minorem: prout ſubſiſtit in natura humana ſubdiſtinguenda eſt minor, & concedenda ratione illius, quod dicit in recto, neganda verò ratione illius, quod importat in obliquo, ſcilicet, naturæ creatæ ſuppoſito diuino coniunctæ, & neganda eſt conſequentia, ſed ſolū infertur, perſonam Chriſti, prout in natura diuina ſubſiſtentem, quia vt ſic à nullo dependere poteſt, omninò incompoſitam eſſe, non autem, quòd compoſita non ſit, prout in humanitate ſubſiſtens.

19. *Opponēs primò.*

Sed oppones primò: in omni compoſitione, ex qua reſultat vnum per ſe, extrema componentia per ſe ordinantur ad illam, cum non alia ratione ex duobus entibus in actu completis non poſsit vnum per ſe reſultare, niſi quia eo ipſo, quòd entia cōpleta ſunt, nequeunt per ſe ad alicuius rei compoſitionem ordinari; ſed hæc ordinatio abſque partialitate, & incompletione ſubſiſtere nequit, illud enim, quod ens completum, & perfectum eſt, per ſe ordinari non poteſt ad alterius compoſitionem: ergo compoſitio per ſe, & propriè talis neceſſariò petit partes componentes contra id, quod diximus *in ſolutione argumenti.*

Secūdò.

Secundò obijcies: quod eſt poſterius natura extremis componentibus, eſt factum ex illis; ſed perſona Chriſti non eſt perſona facta: ergo non eſt poſterior natura extremis componētibus, & conſequentèr ſolutio ſecundæ confirmationis eſt falſa. Maior conſtat; nam poſterioritas naturæ eſt poſterioritas dependentiæ, & cauſalitatis: ergo quod eſt poſterius natura extremis componentibus, fit dependentèr ab illis, & conſequentèr ex illis eſt factū; minor autē eſt D. Thomæ *infra q. 16. art.* 10. vbi, etſi concedat iſtam propoſitionem, Chriſtus in quantum homo eſt creatura, & incæpit eſſe; iſtam verò, Chriſtus eſt creatura, docet, eſſe negandam: ergo etiam hæc propoſitio, Chriſtus eſt factus, ſeu eſt perſona facta, debet negari.

20. *Solutio.*

Reſpondeo ad primam obiectionem, veram eſſe maiorem, loquendo de compoſitione naturali; faliam autem de ſupernaturali, & admirabili compoſitione, quæ ſupernaturalis eſſe non poſſet, ſi extrema per ſe ad illā ordinarentur: & vt ex illa reſultet vnū per ſe, ſufficit, quòd vnū extremū incompletum ſupponatur, & quòd extremum completum, ex quo ſimul cum incompleto reſultat, ſuppleat vices alicuius, per quod erat naturalitèr complendum, quod in præſenti cōtingit; etenim natura humana ſupponitur incompleta ſine ſubſiſtentia propria; Verbum autem, quod complerum præſupponitur, ſupplet vices ſubſiſtentiæ creatæ, per quam naturalitèr humanitas erat complenda, & ad quam naturalitèr inclinabat.

21. *Soluitur 2. obiectio.*

Ad ſecundam obiectionem dicatur, quòd licet perſona Chriſti facta non ſit, prout in diuinitate ſubſiſtit; conſiderata verò, prout ſubſiſtit in humana natura, & ratione illius, facta dici poteſt; ratio verò, cur abſolutè dicatur compoſita, & non dicatur abſolutè facta, ſed cum dictis limitationib⁹, eſt; quia aſſerendo abſolutè compoſitam, non cum hæreticis, ſed cum Patribus, & Concilijs in modo loquendi convenimus; aſſerendo verò, abſolutè eſſe factam, ſeu eſſe creaturā, quod idem eſt, etſi non in ſenſu conveniamus cum hæreticis; in modo tamen loquendi convenimus cum illis: & quia non ſolum convenientia in ſenſu, ſed etiam in verbis, & in modo loquendi cum hæreticis debet vitari, hinc fit, quòd dicatur abſolutè perſona Chriſti compoſita, & non dicatur abſolutè facta.

22.

Quartò arguitur, nam ſequitur ex noſtra ſententia, concedendam eſſe

iſtam

Quartũ argumẽtum.

istam propositionem, *Verbum est persona composita*: consequens est falsum: ergo nostra sententia deficit à veritate. Probatur sequela: hæc consequentia est bona: *Verbum Dei est Christus, Christus est persona composita: ergo Verbum est persona composita.* Sed maior est de fide, minor cõtinet nostram doctrinã: ergo ex illa colligitur, esse concedendam istam propositionem, *Verbum est persona composita.*

Solutio.

Respondeo, negando sequelam, ad cuius probationem, nego maiorem; variatur namque in dicta consequentia appellatio: sicuti in hac, *animal est homo, homo est compositus ex animali, & rationali: ergo animal est compositum ex animali, & rationali.* Et ratio est; quia ly *compositum* applicat suum significatum ad materiale termini, cui adiungitur ratione formalis, vel ad significatum formale adæquatum: & quia formale significatũ adæquatum huius termini *personaChristi* est Verbũ vt subsistens in duabus naturis, humana, nẽpè, & diuina, ratione quarum illi cõpositio cõvenit, fit consequens, quòd verè dicatur, *Christus est persona composita*; formale autem significatũ huius termini *persona Verbi* est personalitas vt subsistens in natura diuina, cui prout sic omnis compositio repugnat; & ideò ex eo, quòd Verbum sit Christus, & Christus sit persona composita, non colligitur rectè, Verbum esse personam compositam.

23. *Instabis primò.*

Instabis primò: formale significatum huius termini *persona Christi*, non est natura diuina, aut humana, sed personalitas Verbi; at hæc est etiam significatum formale huius termini *persona Verbi*: ergo significatum formale vtriusque termini est idem, & consequentèr ex defectu variatæ appellationis claudicare nequit consequentia facta.

Secũdò.

Secundò, nam iuxta regulam Dialecticorum non datur appellatio realis, nisi termini collocentur ex parte eiusdem extremi, subiecti, scilicet, aut prædicati: ergo in hac propositione *persona Christi est composita* realis appellatio non datur, & consequentèr ista consequentia erit bona, *Verbum est persona Christi, personaChristi est composita*: ergo *Verbum est compositum, aut est persona composita*: cum que maior sit de fide, & minor nostra sententia, colligi videtur ex illa, concedendam esse istam propositionem, *Verbum est persona composita.*

24. *Solutio.*

Respondeo ad primam instantiã: formale significatum in recto huius termini *persona Christi*, esse personalitatem Verbi; in obliquo tamen de formali significatur vtraque natura, humana, nẽpè, & diuina; appellatio autem cadit non supra significatum solum in recto, sed supra significatum formale in obliquo, vel supra conflatum ex recto, & obliquo. Et licet significatum formale in recto huius termini *persona Christi* sit idem cum significato formali in recto huius termini *persona Verbi*; significatum tamẽ formale in obliquo, vel conflatum ex recto, & obliquo, non est idem in vtroque termino.

25. *Secundæ instantiæ solutio.*

Ad secundam instãtiam dicatur, quòd licet inter terminos non collocatos ex parte eiusdem extremi non detur appellatio realis formalitèr, quia ad hanc requiritur applicatio formalis supra formale non proveniens ex intrinseca terminorum connexione; quo circa in hac propositione, *album est disgregativum visus*, appellatio formalis non est; quia, licet applicetur formale significatum prædicati supra materiale subiecti ratione formalis, id provenit ex intrinseca extremorum connexione; est tamen appellatio æquivalentèr, vel ad minus diuersa terminorum applicatio, quod sufficit, vt consequentia vitietur: vndè ob similem defectum ista consequentia non tenet, *album est disgregativum visus; album est dulce: ergo dulce est disgregativum visus*: quia in maiori disgregatio visus supra albedinem cadit, & in conclusione supra dulcedinem, quæ est diuersa terminorum applicatio, & potest dici appellatio æquivalentèr, quamuis non sit appellatio formalitèr.

26. *5. argumentũ.*

Quintò arguitur, nam sequitur ex nostra sententia, esse concedendas in Christo duas personas realitèr distinctas; consequens est hæreticum: ergo

nostra

noſtra ſententia eſt falſa. Probatur ſequela: perſona realitèr compoſita, realitèr diſtinguitur à perſona realitèr incompoſita, & ſimplici; ſed perſona Verbi eſt realitèr incompoſita, & ſimplex, & perſona Chriſti realitèr compoſita eſt: ergo perſona Verbi, & perſona Chriſti realitèr diſtinguũtur, & conſequentèr in Chriſto, in quo eſt perſona Verbi, & etiam perſona Chriſti, erunt duæ perſonæ inter ſe diſtinctæ realitèr.

27. *Solutio.* Reſpondeo, negando ſequelam: ad illius probationem, diſtinguo maiorem: realitèr adæquatè, nego maiorem: realitèr inadæquatè, concedo maiorem, & conceſſa minori, diſtinguo primum conſequens: diſtinguuntur realitèr adæquatè, nempè, quoad ſignificatum in recto, & in obliquo, nego conſequentiam: realitèr inadæquatè, ſcilicèt, quoad naturam ſignificatam in obliquo, concedo conſequentiam: ex quo non colligitur, eſſe in Chriſto duas perſonas; quia ad hoc neceſſarium erat, quod formale ſignificatum in recto, pro quo hic terminus *perſona* ſupponit, realitèr in Chriſto multiplicaretur, quod ita nõ eſt, nam perſonalitas ſignificata in recto eſt vna realitèr in Chriſto, & omninò realitèr indiſtincta.

28. Pro quo advertendum eſt primò, terminum iſtum *perſona*, qui ſubſtãtivus eſt, ſignificare perſonalitatem, & ſubſiſtentiam in recto, & in obliquo naturam, vt communitèr docetur à Theologis 1. *p.* q. 29. *art.* 4. Secundò eſt præmittenda regula Dialecticorũ, de qua Theologi cum D. Thoma 1. *p.* q. 36. *art.* 4. & in hac 3. *p. infra* q. 3. *art.* 5. nempè, terminum numeralem cadẽtem ſupra terminum ſubſtantivum multiplicare ſignificatum eius formale; & ideò tres perſonæ in Deo dicuntur, quia ſubſiſtentia, vel perſonalitas in perſonis multiplicatur, quæ eſt formale ſignificatum in recto huius termini *perſona diuina*, etſi natura vna ſit in tribus perſonis, quæ licet ſignificetur, non importatur in recto.

Theologi cum D. Tho.

29. Tertiò eſt advertẽdũ, cõpoſitionẽ perſonæ Chriſti non eſſe in eo, quod in recto per iſtum terminum *perſona Chriſti* ſignificatur, ſed in eo, quod importatur in obliquo, vel in conflato ex recto, & obliquo: ex quo vlterius ſequitur, diſtinctionem realem perſonæ Chriſti à perſona Verbi, non eſſe in ſignificato formali in recto huius termini *perſona*, ſed in ſignificato in obliquo; quia, ſcilicet, *perſona Verbi* in obliquo ſolum naturam diuinam importat; *perſona* autem *Chriſti* importat in obliquo naturam humanam, & diuinam. Ex quibus manifeſtè colligitur, quòd, licet perſona Chriſti à perſona Verbi diſtinguatur realitèr inadæquatè, nõ ſit dicenda perſona diſtincta à perſona Verbi abſolutè, nec quod in Chriſto ſint duæ perſonæ realitèr diſtinctæ admittẽdæ; quia ad hoc neceſſarium erat, quòd eſſent in illo duæ perſonalitates inter ſe diſtinctæ realitèr ob rationem aſſignatam.

30. *Inſtabis primò.* Sed inſtabis primò, nam ſequitur ex hac doctrina, quòd dicendum non ſit, eſſe in Chriſto vnam realitèr perſonam: conſequens eſt contra fidem: ergo doctrina traditæ ſolutionis eſt falſa. Probatur ſequela: eſt in Chriſto realis diſtinctio inadæquata in ratione perſonæ: ergo in ratione perſonæ non eſt in illo realis vnitas abſolutè: hæc namque omnem realem diſtinctionem excludit, & conſequentèr dicendum non eſt, eſſe in Chriſto vnam realitèr perſonam. Secundò inſtabis: nam hæc propoſitio abſolutè eſt concedenda: *perſona Chriſti eſt realitèr à perſona Verbi diſtincta*: ergo eſt in Chriſto alia, & alia perſona abſolutè, & conſequentèr duæ perſonæ abſolutè admitti debent in illo. Antecedens, in quo eſt difficultas, probatur: nam ex reali cõpoſitione colligitur realis diſtinctio à re ſimplici: ergo ex reali compoſitione abſolutè enuntiata de aliquo colligitur realis diſtinctio abſolutè enuntiata de illo; ſed hæc abſolutè cõceditur, *perſona Chriſti eſt realitèr compoſita*: ergo abſolutè debet concedi, quòd perſona Chriſti ſit realitèr diſtincta à perſona Verbi, quæ eſt realitèr incompoſita, & ſimplex.

Secũdò.

31. *Solutio.* Reſpondeo ad primã inſtantiam, negando ſequelam; ad illius probatio-

nem

nem, distinguo antecedens: quoad id, quod in recto significat, & pro quo supponit *persona*, nego antecedens: quoad id, quod in obliquo importat, & significat, concedo antecedens, & nego consequentiam; quia, vt vnitas absolutè enūtietur de significato per terminum *substantivum*, sufficit, quòd in eo, quod in recto significatur, & pro quo supponit terminus, realis distinctio non sit: & quia *persona Christi* in recto significat subsistentiam, & pro illa supponit, & solum in obliquo significat, & importat naturam, consequens sit, quòd, non obstante distinctione reali personæ Christi à persona Verbi ratione naturæ, quam in obliquo significat, absolutè concedatur vna tantùm in Christo persona: sicut è contrario catholicè confitemur, & dicimus absolutè, esse in Deo tres personas, non obstante illarum vnitate in natura; quia personalitas, quæ in recto significatur, per hunc terminum *persona divina* realiter multiplicatur.

32. *Secūdæ instātiæ solutio.*

Ad secundam, nego antecedens: tùm, quia hæc propositio, *persona Christi est realiter à persona Verbi distincta*, ita exponitur: *persona Christi est, & persona Verbi est, & persona Christi non est realiter persona Verbi.* Quæ vltima exponens est contra fidem, & consequēter exponibilis est falsa. Tùm etiam: nā distingui realiter: vel est esse aliud, & aliud neutraliter: vel est, esse aliū, & alium masculinè; Christus autem, nec est alius masculinè à persona Verbi, nec est aliud neutraliter, vt docet D. Thomas *infra q. 17. art. 1.* eo quòd aliud neutraliter petit alietatem suppositi; in Christo autem duo suppositta non sunt, & consequenter nec aliud, & aliud neutraliter.

33. Ad antecedentis probationem, concesso antecedenti, nego cōsequentiam: & ratio est, nam compositio absolutè de persona enuntiata non cadit supra formale significatum in recto per ly *persona*, sed supra significatum in obliquo, vel supra conflatum ex recto, & obliquo; distinctio autem, cum numeratio sit, & numeratio cadens supra terminum substantivum numeret suppositta, & formas, absolutè enuntiata de persona cadit supra personalitatem significatam in recto, & pro qua persona supponit: vndè à compositione absolutè enuntiata de persona ad distinctionē absolutè enūtiatā de illa appellatio, seu applicatio variatur, & ex reali cōpositione suppositi cum natura creata infertur realis subsistentiarum in Christo distinctio, quarum realis multiplicatio Nestoriana hæresis est.

34. *Vltimū argumētum.*

Denique arguitur: non stat, personam Christi consideratam, secundū quod est in se, esse simplicem, & secūdum rationem personæ, vel hypostasis, ad quam pertinet in aliqua natura subsistere, esse realiter compositam, sed sic explicat D. Thomas *in præsenti art. 4.* compositionem in Christo: ergo compositio ista, prout à D. Thom. explicata, admittenda non est. Minor cum consequentia tenet; maior autē probatur: quod enim convenit rationi superiori, non potest de inferiori negari: sicut quia animali convenit esse viuens sensibile, de omni inferiori sub animali cōtento, viuens sensibile prædicatur; sed ratio personæ, & hypostasis est quid commune respectu personæ Christi acceptæ secundum se: ergo non stat, personam Christi esse cōpositam secundum rationem personæ, & hypostasis, & esse simplicem acceptam, prout est in se.

35. *Solutio.*

Difficultatem istam monit Caietan. *in præsenti*, in cuius solutione multa cōgessit solita subtilitate, Nos ab illa facilè expedientur, negando maiorem: ad illius probationem explico, & distinguo maiorem, illamq; concedo de prædicatis, quæ positiuè, & essentialiter rationi superiori conueniunt; nego autem maiorem de illis prædicatis, quæ rationi superiori conueniunt per *non repugnantiam*, & prætermissa numeri, nego consequentiam: vel distinguo consequens distinctione maioris, compositio nam esse non conuenit rationi communi personæ essentialiter positiuè, alias omni personæ conueniret, esse compositam, quod obiectio conuincit, sed tantùm illi conuenit per *non repug-*

nan-

nantiam; permittit namque compositionem, & illam habet de facto in aliquibus sibi inferioribus, & etiam in persona Christi, non quidē prout præcisè subsistit in natura diuina; sic enim simplicissima est, & hoc est, quod D. Thom. intelligit nomine personæ Verbi acceptæ secundum se; benè tamen prout simul subsistit in duabus naturis, humana, nempè, & diuina. Nec licet argumentari: *Vt subsistit in natura humana, & diuina, persona Christi est composita: ergo etiam est composita, prout subsistit in diuina natura*: sicut non licet ex compositione totius inferre, partes esse compositas, nam Verbum vt subsistens in diuina natura est extremum compositionis personæ Christi vt subsistentis in natura humana, & diuina.

§. III.

Explicantur extrema istius compositionis.

36. *Secūda cōclusio Probatur primò.*

SECVNDA CONCLVSIO. *Persona Christi est composita ex Verbo, & humanitate, ex personalitate Verbi, & humanitate, & ex diuina, & humana natura.* Conclusio ista quantum ad primam partem probatur primò ex quinta Synodo generali *actione. 8. can. 4.* illis verbis, quæ superius retulimus: *Sancta verò Dei Ecclesia vtriusque perfidiæ*, nempè, Eutychetis, & Nestorij, *impietatem eijciens vnitionem Verbi Dei ad carnem secundum cōpositionem confitetur.* Ex quibus verbis probatur prima pars cōclusionis: vnitio Verbi Dei ad carnem est compositiua, seu secundum compositionem, vt expressè à quinta Synodo asseritur verbis relatis; sed est vnitio Verbi, vt Verbum est, ad humanitatem: ergo est compositiua Verbi cum humanitate, & consequentèr persona Christi ex Verbo, & humanitate componitur.

37. *Secūdò.*

Secundò probatur: Christus est compositus ex humana, & diuina natura; sed diuina natura non ingreditur istam compositionem immediatè se ipsa; ingreditur enim illam ea ratione, qua est extremum vnionis, nō autem est vnionis extremum ratione sui immediatè, sed ratione Verbi, aliàs vnio esset immediatè facta in aliquo prædicato absoluto, & consequentèr esset toti Trinitati communis: ergo ingreditur compositionem, mediante Verbo, & consequentèr Verbum ratione sui cū humanitate personam Christi componit, nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis. *Tertiò.* Denique probatur; nam vnio propria realitèr distinctorum est propriè compositio, vt *concluſ. præcedenti* probauimus; sed vnio Verbi ad humanitatem, & humanitatis ad Verbum, est vnio propria extremorum propria distinctione gaudentium: ergo est vera, & propria compositio, & consequentèr persona Christi ex Verbo, & humanitate cum proprietate est composita.

38. *Secūda pars cōclusionis. Probatur primò.*

Et ex his secunda pars conclusionis ostenditur primò: nam id, quod vnionem istam mirabilem terminat, est extremum compositionis resultantis ex natura terminata, & extremo terminante; sed personalitas Verbi terminat vnionem: ergo ingreditur compositionem. Secundò, nam persona creata componitur ex personalitate propria, & natura: persona etiā diuina constituitur personalitate diuina, & natura terminata; sed personalitas Verbi supplet in hoc mysterio vices subsistētiæ creatæ: ergo personam Christi constituit, & ex illa, & humanitate Christi persona est composita. *Tertiò.* Tertiò, nam in diuinis prædicatis id, quod de concreto dicitur, etiam de abstracto enuntiatur, nisi prædicatum talis conditionis sit, quod abstracto repugnet; quo circa hæc est vera, *Deus generat*, & hæc falsa; *Deitas generat*, quia generatio repugnat abstracto; secus autem concreto; sed componere Christi personam prædicatur de Verbo, & abstracto non repugnat; munus enim componēdi non repug-

nat

nat abstracto, cum de alijs abstractis verificetur, vt de humanitate, & deitate: ergo verè affirmatur de personalitate Verbi, & consequentèr ex illa, & humanitate persona Christi est composita.

39. *Tertia pars conclusionis probatur primò.*

Denique tertia pars conclusionis ostenditur primò; nã personam Christi esse verè, & propriè compositam præcipuè suadetur ex Concilijs, & Patribus asserentibus, vnionem esse factam secundum compositionem; sed Concilia, & Patres asserunt, personã Christi esse compositam ex duabus naturis, & ex illis, & in illis subsistere: ergo verè, & propriè est composita ex natura humana, & natura diuina.

Secũdò.

Quod amplius vrgetur: etenim Concilia asserentia personam Christi compositam explicantur de propria compositione ex persona Verbi, & humana natura, nec aliter rectè posse explicari sentiunt Auctores, contra quos tertia pars nostræ conclusionis procedit; sed etiam asserunt, esse compositam ex duabus naturis: ergo explicandi sunt de compositione propria, & consequentèr asserendum est, Christum verè, & propriè esse compositum ex natura humana, & diuina.

40. *Respondebis.*

Respondebis, negando consequẽtiam; quia prima Patrum locutio est absoluta, & ideo est cum omni proprietate accipienda; secunda autem limitata est ad naturas; & ideò non est, cur debeat accipi cum proprietate, & explicari de propria compositione. Sed contra primò; nam licet secunda locutio Patrum sit limitata ad naturas vt extrema componentia, nõ tamen inuenitur in illa aliquod Verbum diminuens, aut detrahens à proprietate compositionis: ergo absque vllo fundamento de impropria compositione explicatur.

Sed contra primò.

Secũdò.

Secundò, nam etiam si Concilia primam compositionem asserentia vterentur locutione determinata designante extrema compositionis, nempè, Verbum, & humanitatem, non explicarentur rectè de compositione impropria iuxta Auctores ista solutione vtentes: ergo, quamvis compositio personæ Christi ex duabus naturis asseratur verbis designantibus naturas, vt extrema compositionis, malè explicatur de compositione impropria, & sine fundamento verba Patrum de impropria compositione accipiuntur.

41. *Tertiò.*

Tertiò, & vrgentur amplius prædicta: si namque, non obstante, quòd Concilia doceant, personam Christi esse ex duabus naturis compositam, & quòd Concilium Lateranense decernat, diffinita in his Concilijs esse cum proprietate accipienda, explicantur de compositione impropria ex naturis propter hanc, vel illam rationem, quæ proprietatem compositionis ex naturis dissuadere videtur: cum Scoto, & sequacibus, apparentes rationes non desint ad impugnandam proprietatem cõpositionis Christi ex persona Verbi, & humana natura, absque iniuria Conciliorum poterunt illa explicare de compositione impropria, & præsens dissidium totum ad rationes verteretur, & non ad Conciliorum auctoritatem; sed hoc Auctores præfata solutione vtentes affirmare non possunt, cum proprietatem compositionis Christi præcipuè suadeant ex Conciliorum auctoritate: ergo nec debent asserere, cum Concilia, & Patres docent compositionem Christi ex duabus naturis, accipienda esse de compositione impropria, maximè cum rationes, quibus mouentur ad prædictam explicationem, facilem solutionem admittant.

42. *Probatur secũdò tertia pars conclusionis*

Secundò probatur tertia pars cõclusionis: nam vnio propria extremorum vera, & propria distinctione gaudentium propria compositio est, vt *prima conclus.* probauimus; sed vnio humanæ, & diuinæ naturæ in Christo vnio propria est; & humanitas, & diuinitas verè, & propriè distinguuntur: ergo ex illis propria compositio resultat, & consequenter persona Christi vera, & propria compositione componitur ex humana, & diuina natura.

Respondebis.

Respondebis, quòd licet diuinitas sit realitèr ab humanitate distincta; non tamen distinguitur à persona Christi realitèr, quod tamen necessarium erat, vt diuinitas cum humani-

manitate personam Christi diceretur componere reali, & propria compositione, nam extrema realitèr componentia, non solum inter se, sed etiam à composito exillis realitèr debent distingui.

43. *Sed contra primo.* Sed contra, nam licet diuinitas nõ distinguatur à persona Christi realitèr quoad id, quod in persona Christi importatur in recto; realitèr tamẽ à persona Christi distinguitur, quoad id, quod in obliquo importatur distinctione includentis ab incluso, cum in obliquo importet persona Christi diuinam, & humanam naturam complexiuè, à quo complexo diuinitas distinguitur realitèr, sicut incluſum ab includente; sed compositio personæ Christi non est secundum id, quod dicit, seu importat in recto, hoc namque est personalitas Verbi, quæ simplex omninò est, sed quantum ad id, quod dicit in obliquo: ergo eo modo, quo persona Christi est composita, sufficientèr à diuinitate distinguitur, vt dicatur propriè ex illa, & natura humana componi. *Secũdò.* Quod amplius vrgetur: nam Verbum non distinguitur realitèr à persona Christi pro eo, quod importat in recto, sed solum secundũ id, quod in obliquo à persona Christi importatur, scilicet, ab humana natura; & tamen propriè dicitur persona Christi composita ex Verbo, & humanitate: ergo etiam est dicendum, propriè esse compositam ex diuina, & humana natura, quin huic proprietati obstet identitas deitatis cum persona Christi cõposita ex illa.

§. IV.

Occurritur argumentis in contra.

44. *Theologi.* IN PRIMA parte nostræ conclusionis conueniunt omnes Doctores primæ conclusioni assentientes, nullo excepto, quemviderim: secundam negat Vincentius vbi *supra pag. mihi 886. conclusione quarta*: tertiam negare videtur Suarez *disputatione septima sectione quarta §. dico quartò*. Contra primam partem argumentari possumus primò: extrema namque propriæ compositionis diuisiuè sumpta non possunt verè de composito enuntiari: vndè, quia ex anima, & corpore humanitas propriè componitur, istæ propositiones sunt falsæ: *humanitas est anima rationalis: humanitas est corpus*, quamvis verè sit, & dicatur composita ex anima, & corpore; sed hæc propositio: *Christus, seu persona Christi est Deus, & Verbum Dei*, secundum fidem est vera: ergo persona Christi non est composita ex Verbo, & humanitate per veram, & propriam compositionem.

Vincẽt. *Suarez.* *Contra primam partẽ arguitur primò.*

45. *Solutio.* Respondeo, veram esse maiorem, quando compositum in recto pro omnibus componẽtibus collectiuè sumptis supponit; falsam autem, quando, etsi omnia componentia in recto, & in obliquo importet, vnum tamen solum importat in recto; tunc namque importatum in recto de composito verè enuntiatur: vndè, licet albũ albedinem significet de formali; quia tamen in supponendo, non albedinem in recto, sed solum corpus importat, hæc propositio, *album est corpus*, est vera, quamvis album realiter, & propria compositione componatur ex albedine, & corpore. In exemplo autem adducto, nempè, humanitatis compositæ ex anima, & corpore oppositum opposita de causa contingit; quia, scilicet, humanitas nec supponit in recto pro anima, nec pro corpore, sed pro constituto ex illis. Quia ergo persona Christi, non solum in supponendo, sed etiam in significando solum importat in recto personalitatem Verbi in concreto, consequens fit, quòd de persona Christi verè prædicetur Verbum, etsi sit ex Verbo, & humanitate composita.

46. *Secundò arguitur* Secundò arguitur; licet persona creata ex personalitate, & natura verè sit, & dicatur composita, non tamen est, nec composita dicitur ex natura,

tura, & suppositò, vel persona: ergo paritèr, etsi persona Christi ex natura humana, & personalitate Verbi dicatur, & sit composita; non tamen est, nec dici potest composita ex humanitate, & supposito Verbi. Patet consequentia à paritate rationis, & insuper, nam suppositum Verbi gerit in hoc mysterio vices subsistētiæ creatæ: ergo, si in casu resultantiæ personalitatis propriæ non diceretur persona humana composita ex supposito, & natura humana, nec modò dicetur persona Christi composita ex humanitate, & supposito Verbi. Antecedens autem probatur: in nulla namque vera compositione extremum componens diuisiuè sumptum ab alio dicit totum id, quod compositum importat; sed suppositum creatum rationalis naturæ dicit totum, quod importat persona creata: ergo hæc ex supposito, & intellectuali natura composita dici non potest.

47. *Solutio.* Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam, & disparitas ex argumento facto desumitur, nam suppositum creatum rationalis naturæ dicit totum id, quod importat persona creata, ac proindè hæc ex illo composita dici nequit; est enim contra rationem veræ compositionis, quòd in aliquo ex componentibus totum id, quod dicit compositum, reperiatur: cæterum suppositū Verbi nec in recto, nec in obliquo explicat naturam intellectualem creatam, quam in obliquo importat persona Christi: & ideo rectè dici potest persona Christi composita ex natura humana, & supposito Verbi, etsi persona creata dici non possit composita ex supposito, & natura. Nec obstat, suppositum Verbi in hoc mysterio gerere vices suppositi creati, nam licet ita sit quantum ad hoc, quod est complere naturam assumptam, illamque sustentare; non tamen est verum quoad hoc, quod est naturam in obliquo importare: importatur namque à supposito creato in obliquo, non autem à supposito Verbi. Ex quibus ad vtramque probationem consequētiæ constat solutio.

Contra secundam partem arguit Vincentius primò: nam compositionis Christi ex personalitate Verbi, & humanitate nullus antiquorum Theologorum meminit: ergo absque fundamēto, & cum nouitate introducitur, & consequentèr admittenda non est. Respondeo, dato, quòd antiqui Theologi expressè illius non meminerint; quia tamen cōpositionis ex humanitate, & supposito Verbi expressam fecerunt mentionē, & ex hac, compositio ex humanitate, & personalitate Verbi rectè deducitur, cōsequēs sit, quòd cū maximo fundamento à Nobis adstruatur. Et quidem aliqualitèr posse concedi ex personalitate, & humanitate personam Christi componi, fatetur Vincentius; & tamē antiqui Theologi, nec cū hac limitatione istius cōpositionis forsitan meminere. Quid ergo mirum, quòd etsi ab illis expressa mētio talis compositionis vt propriæ facta non sit; à Nobis tamen cum dicto fundamento inferatur?

48. *Cōtra secundam partē arguitur primò ex Vincentio.*

49. *Secundò arguitur.* Secundò sic arguit: personalitas Verbi non est extremum compositionis Christi, sed tantū medium, quo humanitas trahitur adesse Verbi, *vt* ab illo sustentetur: ergo persona Christi dici non potest cōposita ex personalitate Verbi, & humana natura. Probat consequentiam: quia namque quantitas nō est, cui vt subiecto inhærent accidentia, sed solum mediū, quo vniuntur proprio subiecto, illique inhærēt, etsi accidentale compositum dicatur propriè componi, ex substantia, & accidenti; non autem propriè dicitur ex accidentali forma, & quantitate compositum: ergo, si personalitas Verbi non est, cui vnitur humanitas, sed solū mediū, quo humanitas Verbo vnitur, dicetur persona Christi ex humanitate, & Verbo propriè cōposita; nō autē poterit cum proprietate dici cōposita ex personalitate Verbi, & humanitate.

50. *Solutio.* Respondeo, negando antecedens: sicut namque personalitas propria creata *vt quod* humanitatem terminaret: ita personalitas Verbi illam terminat *vt quod*, & non solum est medium, sed etiam extremum vnionis;

ac proindè etiam eſt extremum compoſitionis. Nec obſtat, quòd ſit ratio, qua Verbum terminat humanitatem, quominus etiam ipſa humanitatem terminet *vt quod*: ſicut, quòd quantitas ſit ratio quantificandi ſubſtantiam, non obſtat, quominus ipſa ſit *vt quod* quanta. Nec exemplum Vincentij ipſi prodeſt, ſed potius obeſt, nam cum quantitas accidentia *vt quod* recipiat tanquam proximum illorum ſubiectum, ex quantitate, & accidenti in ipſa recepto accidentale compoſitum fit, & componitur, vt in Sacramento Altaris apparet, in quo accidentia componunt cũ quantitate, quin componant cum ſubſtantia, quæ ibi non eſt, ſed fuit per conuerſionem deſtructa.

51. *Contra vltimã partem cõcluſionis arguitur primò.*

Contra vltimam partem noſtræ conclusionis arguitur primò: vel perſona Chriſti dicitur composita ex duabus naturis, & ex ſubſiſtentia Verbi, vel ſolum ex duabus naturis comparatis inter ſe; ſed in neutro ſenſu poteſt eſſe propriè ex duabus naturis composita: ergo non eſt propriè cõposita ex illis. Minor pro prima parte conſtat, nam extrema propriæ cõpoſitionis debent realiter diſtingui; ſed licet perſonalitas Verbi à natura humana realiter diſtinguatur, non tamen diſtinguitur realiter à diuina natura: ergo perſona Chriſti non eſt propriè composita ex ſubſiſtẽtia Verbi, & natura diuina; ac proindè nec ex ſubſiſtentia Verbi, & duabus naturis.

Pro ſecunda parte probatur: nam particula *ex* propriè accepta immediatè afficit extrema immediatè componentia: ſicut cum dicitur, *homo componitur ex corpore, & anima*, particula *ex* immediatè afficit corpus, & animã, ad modum quo ad cauſam efficientem relata ipſam immediatè afficit, vt cum dicimus, *eleuatio miſeriæ prouenit ex miſericordia*, ly *ex* immediatè miſericordiam afficit, vt cauſam efficientem immediatam; ſed natura diuina non vnitur immediatè cum natura humana, & conſequenter nec cum illa immediatè perſonam Chriſti componit: ergo perſona Chriſti non dicitur propriè composita ex duabus naturis inter ſe comparatis.

52. *Solutio.*

Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem pro ſecunda parte; ad illius probationem, nego maiorem: vt enim aliquid dicatur, propriè ex duobus componi, non eſt neceſſarium, quòd extrema componentia inter ſe immediatè vniantur, ſed ſufficit, ſi vniantur mediatè; ſicuti, vt aliquid dicatur propriè educi de potentia ſubſtantiæ, neceſſarium non eſt, quòd immediatè educatur ex illa, vt conſtat in accidentibus, quæ propriè dicuntur educi de potentia ſubſtantiæ corporeæ; & tamẽ omnia, præter quantitatem, non immediatè, ſed media quantitate, educuntur ex illa; & propriè dicitur aliquid à cauſa efficienti cauſari, quamuis non immediatè, ſed mediatè ab illa cauſetur; propriè namque dicitur ignis cauſatus à ſubſtantia alterius ignis, quamuis non immediatè, ſed medio calore, cauſetur ab illa; ſupponimus namque ſententiam Diui Thomæ aſſerentis, ſubſtantiam non eſſe immediatè operatiuam: paritèr ergo propriè aliquid dicitur ex duobus componi, quamuis vnum immediatè, & alterum mediatè compoſitionem ingrediantur; ac proindè licet deitas non vniatur immediatè cum humanitate, ſed media perſona Verbi, & illa mediante, perſonam Chriſti componat, cum proprietate dicetur perſona Chriſti compoſita ex diuinitate, & humanitate.

53. *Secundò arguitur.*

Secundò arguitur: nam ſequitur ex noſtra ſententia, propoſitionem iſtam eſſe concedendam: *Chriſtus eſt duæ naturæ, & perſona Chriſti eſt humanitas, & diuinitas*: conſequens eſt falſum: ergo perſona Chriſti non eſt propriè composita ex humana, & diuina natura. Sequela patet, nam componentia ſimul ſumpta cum composito identificantur, & conſequenter verè prædicantur de illo: ergo, ſi perſona Chriſti eſt propriè composita ex humana, & diuina natura, vera eſt hæc propoſitio: *Chriſtus, vel perſona Chriſti eſt humanitas, & diuinitas*; falſitas

autem

autē consequentis probatur ex Concilio Constantiensi *sess.* 12. & post *sessionem* 45. vbi ponuntur, & damnantur errores Ioannis Hus de Boemia, inter quos quartus est, *diuinitas, & humanitas sunt vnus Christus*; si autem de Christo verè affirmaretur, esse duas naturas, verum etiam esset, duas naturas esse vnū Christum; non enim solum componentia simul sumpta verè affirmantur de toto, sed etiam de illis simul sumptis verè totum prædicatur. Præterea, quia aliàs vera esset ista propositio, *diuinitas, & humanitas passa est*, cum benè inferatur, *diuinitas, & humanitas simul sumptæ sunt Christus, Christus est passus: ergo passæ sunt diuinitas, & humanitas simul sumptæ*: consequens falsum videtur: ergo etiam falsum est dicere, quòd Christus sit humanitas, & diuinitas.

Concil. Const.

54. *Primus modus dicendi refertur.*

Variè respondetur à Theologis huic argumento. Suarez 1. *tom. in tertiam partē disputatione* 35. *sectione secunda* ad finem, & Vazquez *disput.* 16. *cap.* 5. docent, prædictam propositionem esse veram in sensu identico, non autem in sensu formali; cum hoc tamen discrimine inter præfatos Auctores, quòd Suarez docet, vsurpandam non esse, quia impropria est, & valdè ambigua, & in aliquo sensu errorem generare potest; Vazquez verò tuetur, simplicitèr esse admittendam.

S. Aug.

Quòd autem prædicta propositio sit vera, probant ex Augustino *in enchiridion. cap.* 38. vbi ait: *Vtraque substantia, diuina, scilicet, & humana, Filius est vnicus Patris omnipotentis*: & *tom.* 10. *sermone* 58. de verbis Domini, sic ait: *Agnoscamus geminam substantiam, &c. vtramque autem simul, non duo, sed vnus Christus*; & paulò inferius: *Ac per hoc Christus Deus, & anima rationalis, & caro.* Idipsum docent Leo Primus *in epistol.* 11. quæ est ad Iulianum. Leo Secundus *in epistol.* ad Imperatorem, quæ est in sexta Synodo *action.* 18. Bernard. *sermone* 8. in vigilia Natiuitatis, & expressius Damascenus *lib.* 3. *fidei cap.* 19. ante medium his verbis: *Nam & duæ naturæ vnus Christus est, & vnus Christus duæ naturæ.*

Leo. 1. *Leo. II.* *Bernar.* *Damasc.*

Per oppositum Cardinalis de Lugo *disputat.* 10. *in dubio appendice*, docet, non esse veram in sensu identico, sed in sensu formali. Quod probat: nam, vt sit vera prædicta propositio, non debet accipi Christus materialitèr, & specificatiuè: vt sic enim, supponit pro supposito Verbi, de quo falsò affirmatur, esse humanitatem, & diuinitatem coniunctim, sed formalitèr, & reduplicatiuè pro composito ex humanitate, & diuinitate, qualitèr sumptum, verum est, esse formalitèr humanitatem, & diuinitatem, non diuisiuè, sed complexiuè, nam compositum est formalitèr sua componentia simul sumpta, & vnita; sed in prima Christi acceptione fit sensus identicus; in secunda autem fit sensus formalis: ergo dicta propositio falsa est in sensu identico, & vera in sensu formali.

55. *Secundus modus dicendi.*

56. *Tertius modus dicendi.*

Lorca *disputatione* 13. *in secundo dubio appendice*, tenet, nec esse veram in sensu formali, nec in sensu identico. Primum probat: nam ideò posset esse vera, quia totum non distinguitur à suis partibus, vel compositum à suis componentibus, simul, & complexiuè sumptis, & propterea possunt ad invicem prædicari; sed cōpositum non est idem formalitèr, sed solum identicè cum suis componentibus simul, & complexiuè sumptis: ergo illa propositio non potest esse in sensu formali vera. Quòd verò neque in sensu identico sit vera in rigore sermonis, sic probat: nam totum solum est idem cum omnibus componentibus simul; sed diuinitas, & humanitas non sunt omnia componentia Christum, cum etiam suppositum illius compositionem ingrediatur: ergo ista propositio: *Christus est humanitas, & diuinitas*, adhuc in sensu identico vera non est; ad Damascenum autem, qui expressius illam docuit, respondet, fuisse in sensu minus proprio loquutum.

57. *Vltimus dicendi modus.*

Tandem Recens quidam Societatis Theologus aliter discurrēdum existimat, nempè, dictam propositionē vsurpatam esse à Patribus, veramque debere censeri, partim in sensu identi-

co, & partim in ſenſu formali; ſubintelligendo tamen nexum phyſicũ inter diuinum, & humanũ eſſe Chriſti. Et quidem ſubintelligendam eſſe ſemper vnionem, vt prædicta propoſitio in aliquo ſenſu ſit vera, certiſsimum debet eſſe, dato, quòd ab extremis vnitis realitèr diſtinguatur, nã Chriſtus eſſentialitèr vnionem includit: ergo, ſi ab extremis vnitis realitèr diſtinguitur vnio, non poterunt duæ naturæ, nec identicè, nec formalitèr verè affirmari de Chriſto, niſi exprimatur, vel ſubintelligatur vnio; nõ enim componentia de compoſito verè affirmantur, niſi ſumãtur ſimul omnia, quæ ingrediuntur illius compoſitionem, aliàs per id, quod relinquitur, realitèr diſtinguetur ab illis, ac percõ ſequens, nec identicè poterunt invicem prædicari. Primam autem, & ſecundam partem ſuæ ſententiæ ſic probat: nam Chriſtus iuxta communem, & quaſi naturalem huius vocis vſum non dicit deitatem formalitèr, ſed compoſitum ex humanitate, & ſubſiſtentia Verbi, quæ materialitèr tantum, & identicè eſt deitas: ergo iſta propoſitio: *Chriſtus eſt deitas, & humanitas*, ex parte humanitatis habet ſenſum formalem; ex parte autem deitatis ſolum identicum, & materialem.

58. *Primus modꝰ dicendi reiicitur.*

Omnes tamen iſti modi dicendi ſunt inſufficientes, & à primo inciendo, etſi verum exiſtimem, propoſitionem iſtam: *Chriſtus eſt humanitas, & diuinitas*, in ſenſu, in quo vera aſſeritur à prædictis Auctoribus, non eſſe à Concilio Conſtantienſi damnatam; falſum tamen cenſeo, eſſe veram in ſenſu identico, & non in ſenſu formali. Primũ rectè probat Vazquez ex Thoma Vvaldenſi *tom. 1. doctrinalis fidei antiquæ lib. 1. artic. 3. cap. 42.* vbi cum Vviclef loquens, cuius errorem ſequutus fuit Ioannes Hus de Boemia, ſic ait: *Tu ipſe, cap. 6. de Incarnatione, inquis, quòd perſona Verbi ſit corpus, anima, & deitas ſigillatim. igitur tripartiris Verbum alitèr, quam antiqua Eccleſia, quæ iſta tria dixit, eſſe Chriſtum ſolum coniunctim.* Ex quibus verbis manifeſtum apparet, errorem Vviclef, quem ſequutus fuit Ioannes Hus, & quem Concilium Conſtantienſe damnauit, in eo ſitum fuiſſe, quòd aſſerebant, Chriſtum eſſe diuinitatem, & humanitatem diuiſim, per quod manifeſtè indicabatur, eſſe in Chriſto duas perſonas; ſed Theologi iſtam propoſitionem admittentes vt veram, non ſumunt diuinitatem, & humanitatem diuiſim, ſed coniunctim: ergo in ſenſu Theologorum damnata à Concilio Conſtantienſi non eſt.

Vazq.

Quòd autem in ſenſu ſolum identico non poſsit eſſe vera, ſic probo: nam aut ſumuntur humanitas, & diuinitas ſimul cum alijs componentibus Chriſtum, aut diuiſim ab illis: ſi primum: nequit eſſe vera in ſenſu idẽtico, quin ſit vera in ſenſu formali: ſi ſecundum, nec in ſenſu identico eſt vera: ergo in ſenſu materiali, & identico vera eſſe non poteſt. Minor pro prima parte patet; veritas enim dictæ propoſitionis fundatur in eo, quòd componentia ſimul ſumpta ſunt idẽ, cum toto compoſito; ſed componentia, quæ ſunt idem cum compoſito, formalitèr identificantur cum illo, vt contra Lorcam monſtrauimus: ergo aut vera non eſt in ſenſu materiali, & identico, aut eſt vera in ſenſu formali. Pro ſecunda parte probatur: compoſitum namque diſtinguitur ab extremis componentibus, niſi omnia ſimul ſumantur, vt fatentur omnes Philoſophi: ergo, ſi diuinitas, & humanitas ſumuntur diuiſim ab alijs ingredientibus compoſitionem Chriſti, non prædicantur verè de illo in ſenſu materiali, & identico. 59.

Deindè contra ſecundum modum dicendi facit: vt enim propoſitio ſit in ſenſu formali vera, requiritur, quòd prædicatum, & ſubiectum ſupponant pro eodem; ſed ly *Chriſtus*, quod ponitur ex parte ſubiecti, *& diuinitas, & humanitas* poſitæ ex parte prædicati non ſupponunt pro eodem, nam *Chriſtus* ſupponit pro ſubſiſtente in duabus naturis, non verò pro naturis ipſis, niſi ad ſummum pro diuinitate identicè, quia identificatur cum

60. *Secũdus reiicitur*

ſuppo-

suppositō Verbi, pro quo *Christus supponit*; *humanitas* verò, & *diuinitas* positæ ex parte prædicati pro naturis ipsis supponunt, non autem pro suppositō Verbi, vt in illis subsistente: ergo propositio, in qua humanitas, & diuinitas prædicantur de Christo, non est in sensu formali vera.

61. *Tertius ex parte reijcitur*

Tertius modus dicendi, quem sequitur Lorca, etsi quoad vtramque partem veram contineat doctrinam; deficit tamen in vtriusque probatione. Et quòd in primæ partis probatione deficiat, probatur: partes namque, seu extrema, quæ simul sumpta realitèr identificantur cum toto, formalitèr identificantur cum illo: ergo falsum assumit Lorca, cum docet, partes identicè dici de toto, non autem formalitèr. Probatur antecedēs: partes simul sumptæ, qualitèr solū cum toto idētificantur, sunt diffinitio physica totius: sicut partes methaphysicæ simul sumptæ sunt diffinitio methaphysica ipsius, nec enim alitèr melius totum diffiniri potest, quam per omnes sui partes simul sumptas, & vnitas; sed diffinitio, non solum identicè, sed etiam formalitèr identificatur cum diffinito: ergo partes simul sumptæ, qua ratione solum cum toto identificantur, non solum identicè, sed etiam formalitèr, identificantur cum illo.

62. Quòd verò secundam partem deficienter probet, ostenditur: vt enim componentia non prædicentur verè de composito identicè ex eo, quòd non omnia accipiuntur, necessarium est, quòd relinquatur aliquod ex componentibus non identificatum realitèr cum illis, quæ in prædicatione assumuntur; si enim extremum relictū cum aliquo ex enuntiatis realitèr idē tificatur, omnia identicè assumuntur; sed suppositū Verbi, ex cuius nō assumptione probat Lorca falsitatem dictæ propositionis in sensu identico, realitèr identificatur cum diuinitate enuntiata de Christo: ergo ex eo, quòd non assumatur suppositum simul cum diuinitate, & humanitate enuntiatis, perperam colligit Lorca illius propositionis in sensu identico falsitatem.

63. *Quartus modus impugnatur.*

Denique quartus dicendi modus reijcitur: Christus namque subsistit in duabus naturis humana, nempè, & diuina: ergo vel nullam in recto, & de formali significat, vel significat vtramque. Si primum, nequit humanitas de Christo formalitèr prædicari: si secundum, etiam diuinitas formalitèr prædicatur de ipso: ergo vel neutra, vel vtraque formalitèr prædicatur. Prima consequentia, ex qua cætera pendent, probatur: nomen namque personale significat subsistens in intellectuali natura: ergo, quando persona significata subsistit in duabus naturis, vt contingit in Christo, non est maior ratio, cur vnam, quam aliam in recto importet formalitèr, & consequentèr dicere, quòd hoc nomen *Christus* significat in recto naturā humanam, & non naturam diuinam, est voluntarium omninò.

Cōfirmatur.

Confirmatur; non enim est minus formalis hæc propositio: *Christus est Deus*, quam ista: *Christus est homo*: ergo non magis formalitèr significat nomen *Christus* naturam humanam, quam naturam diuinam; ac proindè hæc prædicatio: *Christus est humanitas, & diuinitas*, vel adæquatè in sensu formali est vera, vel non est vera in sensu formali quantum ad aliquam partem.

64. *Vera resolutio traditur*

Ex dictis impugnando prædictos modos dicendi infero, propositionem istam: *Christus est humanitas, & diuinitas*, non esse veram, nec in sensu identico, nec in sensu formali, prædicato sumpto complexiuè; si autem diuisiuè sumatur, esse veram in sensu identico quantum ad vnam partem, scilicet, diuinitatem; non autem quantum ad aliam, scilicet, humanitatem. Primam partem sic probo: vt enim propositio sit in sensu identico vera, necessariò requiritur, quòd prædicatum non distinguatur realitèr ab eo, pro quo subiectum in recto supponit; quo circa hæc propositio: *Petrus est humanitas*, est falsa; quia humanitas distinguitur realitèr à persona, pro qua ly *Petrus* supponit; sed subiectum dictæ propositionis, videlicèt,

Chriſtus, ſupponit in recto pro ſubſiſtente in humana, & diuina natura, à quo realiter diſtinguuntur humanitas, & diuinitas, prædicato ſumpto complexiuè. ergo, ſic ſumpto prædicato, dicta propoſitio non eſt in ſenſu identico vera; ac proindè vera in ſenſu formali eſſe nequit.

65. Secundam, & tertiam partem in hunc modum oſtendo: diuinitas namque identificatur realiter cum ſuppoſito Verbi, pro quo in recto Chriſtus ſupponit; humanitas autem realiter ab illo diſtinguitur: ergo iſta propoſitio: *Chriſtus eſt diuinitas, & humanitas*, prædicato ſumpto diuiſiuè, quantum ad vnam partẽ, ſcilicet, diuinitatem, vera eſt in ſenſu identico; falſa autem quantum ad aliam, ſcilicet, humanitatem. Ex quibus obiter colligo, falli Gabrielem Vazquez *diſput. citat. cap. 5. num. 35. & 36.* vbi docet, erraſſe Vviclef aſſerendo, Chriſtum eſſe naturam diuinam; hoc enim ſaltim in ſenſu identico à nullo poteſt negari, cum Chriſtus ſit Verbum, & Verbum ſit natura diuina per identitatem realẽ, ex quibus euidenter infertur, Chriſtum ſaltim identicè eſſe naturam diuinam. Error ergo illius Auctoris in eo poſitus erat, quòd aſſerebat, Chriſtum eſſe naturam diuinã diſiunctim phyſicè à natura humana, vt mox explicabo

Colligitur contra Vazquez.

66. Nec auctoritates Patrum inductæ pro primo modo dicendi ijs, quæ diximus, repugnãt: exponendæ namque ſunt, non in ſenſu formali, aut idẽtico, ſed in ſenſu cauſali, in quo verum eſt, Chriſtum eſſe duas naturas humanã, nempè, & diuinam, ideſt, ex duabus naturis componi, & ab illis ſuo modo cauſari. Vel ſecundò dicatur, Patres aſſerentes, Chriſtum eſſe humanitatẽ, & diuinitatem ſumpſiſſe abſtractum pro concreto: vndè, nihil aliud dicere intenderunt, quam Chriſtum Deum, & hominem eſſe, quod veriſsimum eſt; quo circa Athanaſius in Symbolo explicans vnitatem duarum naturarum in Chriſto, ſic ait: *Sicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo: ita Deus, & homo vnus eſt Chriſtus*, vbi nõ dixit: *Ita diuinitas, & humanitas*, etſi poſſet id in ſenſu cauſali affirmare; *ſed ita Deus, & homo vnus eſt Chriſtus*, loquendo in ſenſu formali.

Auctoritas Patrum exponitur.

Symb. Athan.

Sed dices: Patres docent, Chriſtũ eſſe duas naturas coniunctim, non diuiſim, vt conſtat ex Vvaldenſi vbi *ſupra cap. 42.* illis verbis: *Ponit igitur antiqua fides Eccleſiæ tres naturas, deitatem, ſcilicet, carnem, & ſpiritum, eſſe Chriſtũ coniunctim, nullã harũ diuiſim*; ſed in ſenſu cauſali, quælibet illarum diuiſim prædicatur de Chriſto, cum ab illarum qualibet diuiſiuè cauſetur: ſicut homo cauſatur ab anima, & corpore ſumptis diuiſim: ſumpto etiam abſtracto pro concreto, quælibet diuiſim de Chriſto verè prædicatur, cũ iſta ſit vera, & catholica propoſitio: *Chriſtus eſt Deus*, & ſimiliter iſta: *Chriſtus eſt homo*: ergo non rectè à Nobis explicantur, aſſerendo, fuiſſe in ſenſu cauſali loquutos, nec aſſerendo abſtracto pro concreto vſos fuiſſe.

67. *Obuicies Vvald.*

68. Reſpondeo, coniunctim, & diuiſim dupliciter ſumi poſſe, nempè, phyſicè, & dialecticè: coniunctim phyſicè eſt, quòd vtraque natura in eodem ſuppoſito phyſicè coniuncta inueniatur, & diuiſim in hoc ſenſu eſt, quòd vna ab alia reperiatur ſuppoſitaliter ſeparata, aut ſeiuncta: coniunctim dialecticè ſumptum eſt, quòd vtraque ſimul natura ex parte prædicati ponatur, & diuiſim in hoc ſenſu eſt, quòd vna ſine altera prædicetur. Quando ergo Vvaldenſis, & alij Eccleſiæ Patres affirmant, Chriſtum eſſe duas naturas *coniunctim, non diuiſim*, ſumunt ly *coniunctim, & diuiſim*, phyſicè; non verò dialecticè. Quod probo manifeſtè, ni fallor: nam Vvaldenſis ait, nullam illarum trium naturarũ eſſe Chriſtum diuiſim; at diuiſim dialecticè accepto, hoc eſſet falſum, cũ à nullo Theologorum poſsit negari, ſaltim in ſenſu idẽtico, iſta propoſitio: *Chriſtus eſt deitas*, Chriſto de ſe ipſo aſſerente: *Ego ſum via, veritas, & vita*; vita autem, & veritas per eſſentiam idem ſunt, ac deitas: non ergo ſumitur ab Vvaldenſi ly *diuiſim* dialecticè, ſed phyſicè, quod idẽ eſt, ac dicere, Chriſtum non eſſe Deum deitate phyſicè ab humanitate diſiuncta ſuppoſito, nec homi-

Reſpondetur.

Ioan. 14

nem

nem humanitate à deitate ſuppoſitalitèr ſeparata, quod verum eſt, & de fide contra Neſtorium diſtinguentem ſuppoſita in Chriſto.

69. *Occurritur principali argumẽto.*

Et ex his ad argumenti principalis ſolutionem veniendo, neganda eſt ſequela: ad cuius probationem dicatur, verum eſſe antecedens in compoſito compoſitione huius ex his, quòd pro omnibus componentibus in recto ſupponit; falſum autem loquendo de compoſito compoſitione huius ad hoc, qualem eſſe compoſitionẽ Chriſti *§ ſeq.* monſtrabimus, eo quòd nomen talis compoſiti ſolum importat in recto vnum ex componentibus à quo alia componentia ſimul ſumpta, & collectiuè realitèr diſtinguuntur; ac proindè de illo, nec in ſenſu identico poſſunt ſimul ſumpta verè componentia enuntiari, ſed vnum tantum illorum, nempè, quòd in recto importat: vndè, quia album non eſt compoſitum compoſitione huius ex his, ſed huius cum his, vel huius ad hoc, hæc eſt vera propoſitio, *album eſt corpus*; hæc autem eſt falſa, *album eſt corpus, & albedo* coniunctim.

§. V.

Modus iſtius mirabilis compoſitionis exponitur.

70. *Tertia concluſio. Durãd. Ferrara. Caiet. Nazar.*

Sit Tertia Conclvsio. *Perſona Chriſti non eſt compoſita compoſitione huius ex his, ſed huius ad hoc, ſeu cum his.* Hanc tenent Durandus *in 3. diſt. 6. q. 3.* illique fauere videntur Ferrara 2. *Contra gentes cap.* 54. vbi docet, cõpoſitionẽ ex eſſentia, & exiſtentia non eſſe huius ex his, ſed cum his, & Caietanus *in præſenti art.* 4. *ad* 3. *dubium*, & ex parte ſequitur Nazarius *in præſenti controuerſ. vnic. concl.* 5. 6. & 7. vbi docet, compoſitionem Chriſti ex humanitate, & perſonalitate Verbi eſſe compoſitionem cum his; compoſitionem autem ex humanitate, & diuinitate eſſe ex his, ac tandem compoſitionem Chriſti ex Verbo, & humanitate eſſe compoſitionem cum his pro ea parte, qua Verbum ſubſiſtentiam includit, & compoſitionem ex his pro ea parte, qua includit diuinitatem.

71. *Fundamentum Durãdi.*

Illam probat Durandus, eo quòd omne compoſitum compoſitione ex his dependet à componentibus tanquam à partibus conſtituentibus ipſum, eſtque illis poſterius, ſaltim ordine naturæ; ſed perſonalitas Chriſti nõ dependet à natura diuina, & humana tanquam à partibus conſtituentibus ipſam, nec eſt aliquid illis poſterius, ſed præexiſtit vni ex illis, ſcilicet, naturæ humanæ: ergo perſona Chriſti non eſt compoſita ex natura diuina, & humana cõpoſitione huius ex his, ſed huius ad hoc. Ex quo infert Durandus, compoſitionem Chriſti non eſſe propriè compoſitionem; nam cõpoſitio huius ad hoc, inquit ipſe, propriè compoſitio non eſt, cuius illatio Nobis placere non poteſt, eo quòd abſque vrgenti fundamento, & abſq; neceſſitate Conciliorum verba ad improprium ſenſum detorquet.

72. *Reiicitur primò.*

Fundamentum autem Durandi deficit primò; quia arguit in quatuor terminis, cum ex independentia perſonalitatis Chriſti ab humanitate, & omnimoda prioritate perſonalitatis Verbi ad illam inferat omnimodam independentiam, & prioritatem perſonæ Chriſti reſpectu humanitatis; nõ enim ſunt idem omninò perſonalitas, & perſona Chriſti, nam perſonalitas ſolum dicit modum terminantem naturam; perſona verò aliquo modo importat naturam ſubſiſtentia terminatam; ac proindè ex omnimoda independentia perſonalitatis perperam infert Durandus omnimodam independentiam perſonæ Chriſti ab humanitate. Deindè, nam perſona Chriſti non dicit ſubſiſtentiam Verbi abſolutè, ſed vt ſubſiſtentem in natura humana; ſed licet ſubſiſtẽtia Verbi ſumpta abſolutè prior ſit humanitate, & omninò independens ab illa; prout tamen in humanitate ſubſiſtit prior humanitate terminata nõ eſt, nec omninò ab illa independens: ergo malè

Secũdò.

Duran-

Durandus ex independentia perſonæ Chriſti ab humana natura probat, nō eſſe ex illa compoſitam compoſitione huius ex his.

73. *Tertiò.* Denique, nam omne compoſitū aliquomodo dependet à ſuis componentibus: ergo vel perſona Chriſti ab humanitate, & perſonalitate Verbi aliqua ratione dependet, & conſequētèr eſt illis aliqua ratione poſterior, vel nullatenus poteſt dici ex humanitate, & perſonalitate Verbi compoſita. *Dices.* Si fortè dicatur, non dici compoſitam compoſitione ex his, ſed compoſitione huius ad hoc, quia, ſcilicet, perſona Chriſti humanitati coniungitur, & in hoc conſiſtit illi componi, ſeu cum illa poni. *Obſtat primò.* In contrarium obſtat primò, nam perſonam Chriſti hoc modo eſſe compoſitam, non tam eſt eſſe compoſitam, quam eſſe extremū compoſitionis; ſed extremum compoſitionis non compoſitum, ſed componens eſt: ergo compoſitio perſonæ Chriſti non poteſt in hoc conſiſtere. *Secundò.* Præterea, nam iſto modo explicata compoſitione, etiam perſona Verbi poſſet compoſita dici, eſt namque humanitati coniuncta, & cum illa poſita; ſed talitèr de Chriſto, ſeu de perſona Chriſti à Concilijs, & Patribus dicitur, eſſe compoſitam, vt de perſona Verbi ſub his terminis nullatenus id aſſeratur: ergo compoſitio perſonæ Chriſti non conſiſtit in ſola illa coniunctione, & appoſitione, nec per illam rectè explicatur. Vndè, ſi Durandus in hoc ſolo ſenſu admiſit compoſitionem in Chriſto, vt eius fundamentum inſinuat, ſuſtinendus non eſt, nec audiendus.

74. *Fundamentum Nazarij.* Secundò alitèr arguit Nazarius: etenim perſona creata non eſt compoſita ex ſubſiſtentia, & rationali natura compoſitione huius ex his, ſed cum his; at perſonalitas Verbi in hac mirabili compoſitione reſpectu naturæ humanæ vices ſupplet ſubſiſtentiæ creatæ: ergo ex perſonalitate Verbi, & humana natura non eſt compoſita perſona Chriſti compoſitione ex his, ſed cum his. Probat maiorem: in compoſitione ex his reſultat tertiū, quod eſt per ſe vnum, & à componentibus realitèr diſtinctum, vt cōſtat in cōpoſito ex materia, & forma; ſed ex ſubſiſtentia, & natura creata non reſultat tertiū, quod ſit per ſe vnū, & a cōponētibus diſtinctū realitèr: ergo perſona creata non componitur ex illis cōpoſitione ex his. Minorem pro prima parte probat ex eo, quòd vt aliquid ſit per ſe vnum per compoſitionem, debent componentia comparari, vt actus, & potentia; natura autem creata, cum actus ſit, non poteſt ad ſubſiſtentiam vt potentia ad actū comparari, & conſequentèr ex natura, & ſubſiſtentia non poteſt reſultare vnū per ſe. Pro ſecunda autem parte probat minorem ex eo, quòd ſubſiſtentia eſt modus completivus naturæ: ergo reſultans ex natura, & ſubſiſtentia nō eſt aliquid realitèr diſtinctum ab illis.

75. *Reiicitur primò.* Sed certè non benè capio huius argumenti efficaciam; falſum enim eſt, perſonam creatam quatenus ex ſubſiſtentia; & natura compoſitam non eſſe per ſe vnam, quod probo: tùm, quia eſt vna vnitate ſubſtantiali, non accidentali; ſed vnitas ſubſtantialis eſt vnitas per ſe, & ſimplicitèr talis: ergo perſona creata prout ex ſubſiſtētia, & natura compoſita eſt vna vnitate tali ſimplicitèr, & conſequentèr eſt aliquid per ſe, & ſimplicitèr vnum. Tùm etiam; quia aliàs perſona Chriſti non eſſet vna vnitate per ſe, ſed per accidens, quod Magiſter iſte aſſerere non audebit. Tùm denique, nam ſi illius ratio, qua probat, perſonā creatam prout ex natura, & ſubſiſtentia compoſitam, non eſſe per ſe vnam, aliquid probaret, conuinceret, perſonam Chriſti prout ex diuina, & humana natura compoſitam non eſſe vnam vnitate per ſe; ſed hoc non poteſt Nazarius admittere: ergo ratio illius eſt nulla. Minor conſtat; docet enim, perſonam Chriſti eſſe ex humanitate, & diuinitate cōpoſitam cōpoſitione huius ex his: ergo, vt conſequentèr loquatur, tenetur aſſerere, prout ſic compoſitam, eſſe vnam vnitate per ſe. Maiorem autem probo: etenim natura humana, & diuina vt potentia, & actus non comparantur: ergo, ſi perſona creata prout compoſita ex

natu-

natura, & subsistentia non est vna vnitate per se, quia personalitas, & natura non se habent vt potentia, & actus, persona Christi vt composita ex natura humana, & diuina non erit vna per se.

76. *Secundò.* Deindè reijcitur, nam ex eo, quòd subsistentia creata sit modus naturæ, non rectè colligitur, personam constituram ex subsistentia, & natura, nō distingui realitèr à natura; hæc namque subsistentiam in sui constitutionem non dicit, benè tamen persona, quæ ex subsistentia, & natura constituitur: ergo persona constituta ex illis distinguitur realitèr à natura ratione subsistentiæ, quam natura in sui constitutionem non importat, & à subsistentia ratione naturæ, quam subsistentia non dicit. Quod amplius confirmo: etenim persona diuina ratione distinguitur à natura diuina, & à personalitate, ex quibus constituitur: à natura, quia dicit personalitatem, & à personalitate ratione naturæ, eo quòd inter naturam diuinam, & personalitatem datur distinctio rationis; sed inter naturam creatam, & creatam personalitatem realis distinctio intercedit: ergo persona creata ex personalitate, & natura composita realitèr à natura distinguitur ratione personalitatis, & à personalitate ratione naturæ, & consequentèr cōpositum ex personalitate creata, & natura ab extremis componentibus realitèr distinguitur.

Cōfirmatur primò.

77. *Secundò.* Confirmatur, & vrgetur secundò: non enim potest alia ratione probari, compositum ex personalitate creata, & natura non distingui realitèr ab extremis componentibus, nisi quia personalitas creata non est ens, sed modus entis: at hæc ratio non conuincit: ergo persona creata realitèr distinguitur ab his, ex quibus componitur. Maior cum consequentia tenet; minor autem probatur, nam personalitates diuinæ, prout virtualitèr à natura distinctæ, non sunt ens, sed modi entis; & tamen realitèr distinguunt personas: ergo, quòd personalitas, quam persona creata superaddit ad naturam, non sit ens, sed modus entis, non probat, quòd per illam non distinguatur realitèr à natura, & consequentèr non probat, quòd persona creata ab extremis componentibus realitèr non distinguatur.

Missis igitur his argumētandi modis, suadenda est nostra conclusio primò, nam de composito compositione huius ex his nullum ex componentibus verè prædicatur, vt constat in humanitate, de qua, quia compositione ex his componitur ex corpore, & anima, nullū ex illis diuisim verè affirmatur de illa: hæc namque propositio, *humanitas est anima*, & hæc, *humanitas est corpus*, sunt falsæ; sed de Christo, seu de persona Christi verè prædicatur vnum ex componētibus, scilicet, Verbum, seu Verbi personalitas; hæc enim propositio: *Christus est Verbum Dei*, est certa secundum fidem: sicut hæc: *Christus est Deus*: hæc etiam: *Christus est personalitas Verbi*, est vera per realem identitatem; nam sequitur benè: *Christus est Verbum, Verbum est sua personalitas: ergo Christus est personalitas Verbi*: ergo ex Verbo, aut Verbi personalitate, & humana natura non componitur persona Christi compositione huius ex his, sed huius ad hoc, seu cum his.

78. *Probatur conclusio primo.*

79. *Secundò probatur.* Secundò suadetur, nam compositum compositione ex his intrinsecè in recto includit vtrumque extremum componens, & pro vtroque cōplexiuè in recto supponit; sed persona Christi non includit intrinsecè in recto personalitatem, & humanitatem, nec pro vtraque in recto supponit, sed personalitatem importat in recto, & humanitatem in obliquo: ergo non componitur ex illis cōpositione huius ex his, sed compositione huius ad hoc, seu huius cum his. Consequentia est legitima; præmissæ autem indigent probatione. Maior ostenditur primò; album namque non componitur ex albedine, & corpore compositione huius ex his, sed compositione huius ad hoc, seu cum his, eo quòd in supponendo non importat in recto vtrumque, sed in recto importat subtractum, & albedinem in obliquo: ergo ad compositionē huius

ex

ex his necessariò requiritur, quòd vtrumque ex componẽtibus à composito importetur in recto. Secũdò probatur: nam importare vnũ ex cõponentibus solum in recto, & alterum in obliquo sufficientèr distinguit à composito vtrumque in recto importante, vt vnum dicatur compositum huius ad hoc, & alterum dicatur compositum compositione huius ex his: ergo ad compositionem huius ex his petitur necessariò, quòd vtrumque ex componentibus à composito importetur in recto.

80. S. Tho. Deindè minor argumenti suadetur primò ex doctrina D. Thomæ 1. *p. q. 29. art. 4.* vbi docet, personam significare in recto relationem vt subsistentem, & in obliquo rationalem diuinam naturam: ergo persona Christi, seu Christus, cum sint nomina personalia, non important in recto naturam, sed solum in obliquo. Quod etiam constat ex diffinitione personæ tradita à Boetio, & admissa ab omnibus Theologis, scilicet: *Persona est rationalis naturæ individua substantia*, ideſt, incommunicabilis subsistentia, in qua diffinitione, vt ex ipsa constat, rationalis natura solum in obliquo ponitur: ergo à persona solum in obliquo importatur, & consequentèr persona Christi solum in obliquo importat naturam, & in recto personalitatem. *Boet.* Præterea probatur: nam si persona importaret in recto, siuè in supponendo, siuè in significando naturam, non posset dici, esse in Deo tres personas: consequens est contra fidẽ: ergo persona non importat in recto naturam. Probatur sequela: nam terminus numeralis cadens supra substantivum numerat totum id, pro quo adæquatè supponit, & in recto de formali significat; sed persona est terminus *substantivus*: ergo, si in recto significaret naturam rationalẽ, aut pro illa supponeret, non multiplicata natura, non posset terminus numeralis verè de persona enuntiari, & cõsequẽtèr, cũ natura diuina nõ muliplicetur in personis, sed sit vna, & eadẽ in illis, vt fide docemur, hæc propositio esset falsa, *in Deo sunt tres personæ.*

§. Vltimus.

Contraria argumenta diluuntur.

81. *Primũ argumẽtum. Synod. gener.* CONTRA istam conclusionem arguitur primò ex quinta Synodo generali *canone 7.* illis verbis: *Si quis in duabus naturis, non vt in deitate, & humanitate vnum Dominum Iesum Christum cognosci confitetur, ex quibus inconfusè ineffabilis vnitas facta est, &c.* & postea: *Ex quibus, & compositus est*, nempè, Christus; sed ly *ex* denotat compositionem huius ex his: ergo Christus est persona composita compositione huius ex his. Si respõdeatur ex doctrina Nazarij *vbi supra*, ex verbis quintæ Synodi allegatis solum concludi compositionem Christi ex duabus naturis, esse compositionem ex his, non autem quòd compositio personæ Christi ex personalitate, & humanitate sit compositio ex his, nam de ista compositione quinta Synodus *ibi* non loquitur, sed de compositione Christi ex diuina, & humana natura. In contrarium obstabit, naturam diuinam non cõponere cum humanitate immediatè, sed mediante personalitate cum humanitate cõponente: sicut non immediatè, sed media personalitate Verbi, humanitati vnitur: ergo, si compositio ex personalitate, & humana natura non est compositio ex his, nec compositio ex humana, & diuina natura potest esse compositio ex his.

82. *Respondetur.* Ad argumentum ergo respõdeo, negando minorem, nam in hoc, quod est, componi ex componentibus, omnes modi compositionis conueniunt; album namque verè ex albedine, & corpore compositum est; & tamen non dicitur compositum compositione huius ex his, sed cõpositione cum his, aut huius ad hoc: constare ergo

ex componentibus non constituit cō positionē huius ex his, prout ab alijs condistinctam, sed genericè se habet ad omnes modos compositionis: vndè, vt compositio aliqua sit huius ex his, vltra hoc, quod est ex componentibus resultare, requiritur, quòd compositum sit vnum per se, & insuper, quòd vtrumque extremum componens, in composito, non solum intrinsecè, sed etiam in recto includatur, & pro conflato ex vtroque suppo natur in recto; licet autem personæ Christi vnitas per se non deficiat; deficit tamen inclusio vtriusque compo nentium in recto; non enim importat in recto, nisi solam subsistentiam: & ideo, etsi à Concilijs asseratur compo sita ex natura humana, & diuina, non colligitur, esse ex illis compositam compositione huius ex his.

83. *Secundū argumē tum.* Secundò arguitur: coniunctum ex humanitate, & persona Verbi est compositum ex illis compositione huius ex his, cum de nullo ex componentibus prædicetur; hæc enim est falsa propositio: *Verbum est coniunctum ex humanitate, & Verbo*; sed Christus, seu persona Christi hoc coniunctum significat: ergo est composita ex persona Verbi, & humanitate compositione huius ex his. *Solutio.* Respondeo, prætermissa maiori, distinguendo minorem: significat coniunctum in recto, nego minorem: partim in recto, & partim in obliquo, concedo minorē, & nego consequentiam: vt enim rectè inferretur, necessariū erat, quòd sicut coniunctum dicit vtrumque cōponentium in recto: ita persona Christi vtrumque in recto importaret: & sicut ex eo, quòd coniunctum ex persona Verbi, & humanitate non prædicetur verè de Verbo, & Christus hoc coniunctum significet, non sequitur, Christum de Verbo nō prædicari: ita ex eo, quòd coniunctum illud sit cōpositum compositione ex his, & persona Christi coniunctum significet, non sequitur, personam Christi esse compositam ex persona Verbi, & humanitate hoc modo compositionis.

84. Tertiò arguitur, & instatur contra hanc solutionem: persona Christi importat humanitatem in recto: ergo non importat in recto solum personalitatem Verbi, & consequenter ex vtraque componitur compositione huius ex his. Vtraque consequentia ex dictis infertur; antecedens autē probatur primò: nam hæc propositio est vera: *Christus, seu persona Christi est homo*; sed concretum non potest verè affirmari de aliquo, nisi identificetur cum illo: ergo prædicatum *homo* cum Christo, seu persona Christi identifica tur, quæ identitas nō potest saluari, si persona Christi solum importet subsistentiam in recto, & humanitatem in obliquo. *Tertium argumē tum.*

Secundò proba tur ante cedens. Secundò probatur: nam alitèr persona Christi importat humanitatem, atque importat illá personalitas Christi; sed hæc importat humanitatem in obliquo: ergo persona Christi illam importat in recto.

85. *Solutio.* Respondeo, negando antecedens; ad primam probationem dicatur, ho minem idem esse, quod habens humanitatem: vndè, verè prædicatur de omni eo, quod humanitatem habet: & quia persona Christi est habens humanitatem, fit consequens, vt verè de illa affirmetur, quòd sit homo, etsi natura humana non identificetur realitèr cum eo, quod in recto à persona Christi importatur per hoc, quod habens humanitatem realitèr cum illo identificetur. Ad secundam probationem, concessis maiori, & minori, nego consequentiam, nam personalitas connotat in obliquo naturam rationalem vt terminabilem; persona autem, cum significet personalitatem in concreto, importat in obliquo naturam, vt actu completam, & terminatam, quod sufficit, vt distinguantur in modo importandi naturam, etsi per vtramque importetur in obliquo. sicut album, & albedo distinguuntur in modo significandi qualitatem, quia licet per vtrumque nomen significetur de formali, significatur per vnum vt inhærens impotentia, & per alterum vt actu inhærens subiecto.

86. Denique arguitur: nam persona Christi est composita ex personalitate

Verbi,

Vltimũ argumẽtum. Verbi, & humanitate compoſitione huius ex his: ergo, vel tertia concluſio eſt deficiens non attingẽs modum iſtum compoſitionis Chriſti, vel falſa illum comprehendens. Conſequentia tenet; antecedens autem probatur: indè namque aſſerebamus, compoſitionem Chriſti eſſe huius ad hoc, non autem huius ex his, quia in illa de vno ex componentibus compoſitum prædicatur; ſed in compoſitione ex humanitate, & perſonalitate Verbi compoſitum de nullo ex componentibus prædicatur: ergo huiuſcemodi compoſitio non eſt huius cum his, ſeu ad hoc, ſed compoſitio huius ex his. Maior continet noſtram doctrinam, conſequentia eſt bona, & minor probatur; nam in primis certum eſt, de humanitate non prædicari Chriſtum ex illa compoſitum; quòd autem non prædicetur verè de perſonalitate probatur, nam ſi de perſonalitate Verbi verè prædicaretur Chriſtus, etiam de illa verè affirmaretur, eſſe hominem, cum benè ſequatur, *perſonalitas Verbi eſt Chriſtus, Chriſtus eſt homo: ergo perſonalitas Verbi eſt homo*; ſed hæc eſt falſa, *perſonalitas Verbi eſt homo*: ſicut iſta, *perſonalitas Petri eſt Petrus*: ergo etiam hæc eſt falſa, *perſonalitas Verbi eſt Chriſtus.*

87. *Solutio.* Reſpondeo, negando antecedens, ad illius probationem, conceſſa maiori, nego minorem, nam licet de humanitate non prædicetur adhuc identicè Chriſtus, de perſonalitate Verbi in ſenſu identico prædicatur: cũ enim perſonalitas Verbi ſit Verbum, & Verbum ſit Chriſtus, perſonalitas Verbi in ſenſu identico eſt Chriſtus, quando quidem eſt idem cum Verbo, de quo verè affirmatur, eſſe Chriſtũ: & ſimilitèr concedendum eſt, perſonalitatem Verbi eſſe in ſenſu identico hominem, ſiquidem eſt idem cum habente humanitatem, nempè, cum Verbo, de quo verè affirmatur, quòd humanitatẽ habet, & hoc, & nihil aliud denotat, perſonalitatem Verbi eſſe in ſenſu identico hominem, nempè, eſſe idem cum Verbo, quod verè eſt homo, & verè eſt humanitatem habens.

88. *Obijcies* Si opponas: etſi hæc propoſitio, *Deus generat Deum*, vera, & catholica ſit, hæc eſt hæretica, & falſa, *deitas generat deitatem*, eſto deitas de Deo verè affirmetur: vndè iſta conſequentia negatur à Theologis: *deitas eſt Deus, Deus generat: ergo deitas generat*: ergo paritèr, quamuis perſonalitas Verbi ſit Verbum, & Verbum ſit Chriſtus, non ſequitur, perſonalitatem Verbi eſſe Chriſtum. Reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando cõſequentiam; diſparitas autem eſt, nam *generare, & generari*, appellat ſupra proprium, & formalem conceptum termini, ſupra quem cadit, nec admittit ſenſum identicum: vndè hæc propoſitio, *deitas generat deitatem*, ſignificat, deitatem, prout à filiatione diſtinctam, producta, & genitam eſſe, quod hæreticum eſt, & ex illo infertur, deitatem Filij eſſe realitèr à deitate Patris diſtinctam. Iſta autem propoſitio, *perſonalitas Verbi eſt Chriſtus*, non reduplicat ſenſum formalem, ſed identicum admittit, in quo poteſt eſſe vera: etenim ſi hæc propoſitio, *perſonalitas Verbi eſt Verbum*, admittit ſenſum idẽticum, non eſt, cur iſta propoſitio, *perſonalitas Verbi eſt Chriſtus*, identicum ſenſum excludat; & ideò tenet conſequentia à Nobis facta.

Solutio.

89. Pro complemento *iſtius diſputationis* adverto in *ſolutione ſecundi argumenti* contra tertiam concluſionẽ conſultò fuiſſe prætermiſſam maiorem, non autem admiſſam vt veram, aliàs in Chriſto, vt ex diuino Verbo, & humanitate compoſito, duplex compoſitio daretur, vna huius ex his, & altera huius cum his, ſeu ad hoc, quod aſſerendum non eſt; quia tamen, permiſſa maiori, argumentum non conuincebat ob diſcrimen aſſignatum inter perſonam Chriſti ſignificatam hoc nomine, & vt ſignificatam alio, ſcilicet, per ly *coniunctum ex humanitate, & Verbo*, ideo prætermiſſa fuit maior, nõ tamen admiſſa vt vera. Falſum enim eſt, coniunctum ex humanitate, & Verbo eſſe compoſitum cõpoſitione huius ex his; cum enim hæc extremorum coniunctio ſolum ſit ad conſtituendam perſonam humanam

Chriſti,

Christi, & coniunctum hoc idem sit, quod persona Christi humana; hæcque non sit composita compositione huius ex his, sed cum his ex Verbo, & humanitate, fit consequẽs, vt coniunctum ex humanitate, & Verbo non sit alio modo compositionis compositum. Nec obstat, quòd significatum hoc nomine complexiuo, *coniunctum ex humanitate, & Verbo*, non prædicetur de Verbo; sufficit enim, quòd nomine simplici, & personali significatum verè dicatur de illo, nempè, vt significatum hoc nomine *Christus*: sicuti ad hoc, quòd compositio albi ex albedine, & corpore sit huius cum his, seu ad hoc, non autem huius ex his, sufficit, quòd album verè affirmetur de corpore, etsi coniunctum ex corpore, & albedine, hoc nomine cõplexo significatum non dicatur verè de illo. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in 3. dist. 6. §. quarto*, ad illa verba: *Cum autem, & alij, qui istis in particulari consentiunt, &c.* vbi à Durãdo excitatur. *M. Set.*

DISPVTATIO VNDECIMA.

An vnio humanitatis ad Verbum sit realitèr distincta ab extremis? Quid sit, & quotuplex sit?

§. I.

Resolvitur prima pars istius disputationis.

Nu. 1. *Triplex vnionis acceptio*

CIRCA primam disputationis partẽ ante illius resolutionẽ breuitèr est advertẽdum, vnionem humanitatis cum Verbo posse triplicitèr sumi. Primò pro actione vnitiua, quæ cum maiori proprietate dicitur vnitio, quã vnio; quia ab illa vnio extremorum causatur. Secundò pro nexu, quo realitèr nectuntur extrema. Tertiò pro relatione prædicamentali ad vnionem extremorum sequuta. Non dubitamus de vnione in prima acceptione, nec de illa sic accepta præsens disputatio procedit; sic namque vsurpata, si est actio immanens in Deo formalitèr, & solum virtualitèr transiẽs, vt tenet communis Thomistarũ sententia, est aliquid increatum realiterque ab humanitate distinctũ, & cum Verbo assumente realitèr identificatum; nihil enim realitèr in Deo immanens, ipsique conueniens formalitèr, prætèr oppositas relationes, potest realitèr à Verbo distingui; si

autem

autem est actio transiens formaliter, vt extra Scholam D. Thomæ communiter circumfertur, realiter à Verbo distinguitur; an autem ab humanitate realiter distinguatur, vel non, dependet ab illa quæstione, an actio transiens à termino producto, vel communicato realiter distinguatur? Cuius resolutio ad Philosophos spectat. Nec præsens disputatio instituitur de vnione sumpta pro relatione prædicamentali sequuta ad extrema vnita, nam sic acceptam distingui, vel non distingui ab extremis pendet ab illa logicali quæstione, an relatio à subiecto, vel fundamẽto realiter distinguatur, nec ne? Quæ in prædicamento relationis à Logicis, & Methaphysicis examinatur.

2. Præsens ergo disidium ad vnionem in secunda acceptione devolvitur, an, scilicet, per actionẽ vnitiuam humanitatis ad Verbum nexus aliquis realis producatur realiter ab humanitate, & Verbo distinctus? In quo duæ extremæ oppositæ versantur sententiæ. Prima docet, humanitatem seipsa diuino Verbo vniri, & Verbum humanitati absque aliquo reali nexu realiter ab illis distincto. Hanc tenẽt Gregorius *in* 1. *dist.* 28. *q.* 2. *in responsione ad* 17. *&* 18. *argum.* Maior *in* 3. *dist.* 1. *q.* 1. Ochan *in* 1. *dist.* 30. *q.* 1. *§. ad secundum inconveniens.* Eidem sententiæ adhærent ex Discipulis D. Thomæ, Caietanus *in hac quæstione artic.* 7. versu *in hoc articulo accutissimè, & art.* 10. *circa solutionẽ ad* 1. Aluarez *disput.* 13. *conc.* 1. Nazarius *art.* 8. *contr.* 3. *concl.* 3. & alij plures in physica disputantes, an vnio formæ, & materiæ in composito physico ab illis realiter distinguatur? Eandem sententiam tenet ex Patribus Societatis Valentia *disput.* 1. *q.* 2. *punct.* 5.

Prima sentẽtia — *Greg. Maior. Ochan.* — *Caiet.* — *Aluar. Nazar.* — *Valent.*

3. Secunda per extremum affirmat, humanitatẽ Christi vniri diuino Verbo per modum quendam vnionis realiter modaliter ab ipsa, & à Verbo distinctum. Hanc tenent Scotus *in* 3. *dist.* 1. *q.* 1. Durandus *in eod.* 3. *dist.* 5. *q.* 2. *num.* 8. *& dist.* 6. *q.* 4. Gabriel *in* 3. *dist.* 30. *q.* 4. *art.* 2. & *in* 3. *dist.* 1. *q.* 1. *art.* 1. Suarez *in præsenti disp.* 8. *sectione* 3. Vazquez *disput.* 18. Tanerus *q.* 3. *dub.* 4. Cardinalis Lugo *disput.* 11. *num.* 2. Puente-Hurtado *disput.* 21. asserens euidenti rationi probari, & alij Recentiores Societatis frequentius. Tenent etiam ex nostris Illustrissimus Herrera Tarazonensis Episcopus bis in Salmantina Vniuersitate Primarius, & nostro sæculo nulli secundus, *ad art.* 7. huius quæstionis *dub. vnic. concl.* 2. & Illustrissimus Araujo Episcopus Segobiensis *dub.* 2. *concl.* 3.

Secũda sentẽtia — *Scotus. Durãd. Gabriel.* — *Suarez.* — *Vazq. Taner. Lugo. Puente Hurt.* — *Magist. Herrera* — *Araujo.*

4. Sententia ista, etsi euidentibus, & demonstratiuis rationibus non innitatur, vt quibusdam malè in Thomistas animatis videtur, efficatioribus tamen argumentis subsistit, quam sententia contraria, & licet tot ex nostris Patronos non habeat; conformius tamen ad Thomistica principia procedit: quare, cum Doctori Angelico non aduersetur, sed potius ex illius doctrina efficacitèr deducatur, pro nostra conclusione statuitur, & ostenditur primò ex D. Thom. *in hac q. art.* 7. *in corpor.* vbi postquam docuit, vnionem esse relationem, sic habet: *Sicut autem in prima parte dictum est, omnis relatio, quæ consideratur inter Deum, & creaturam, realiter quidem est in creatura, per cuius mutationem talis relatio innascitur; non autem est realiter in Deo, &c.* Quod etiam repetit *art.* 8. in principio corporis articuli. Ex quibus verbis tale argumentum pro nostra conclusione conficitur: relatio vnionis, quæ est inter humanitatem, & Verbum, est realis ex parte humanitatis, & ad illius sequitur mutationem, vt expressè docet D. Thomas: ergo humanitas ex vi actionis vnitiuæ, ad quam sequitur ista relatio, fuit realiter immutata; sed mutatio humanitatis absque modo aliquo realiter superaddito, realiterque ab illa distincto, nec dari, nec intelligi potest: ergo ex vi prædictæ actionis resultat in humanitate modus aliquis realis realiter distinctus ab illa, ad quem sequitur vnionis relatio.

Conclusio. — *Probatur primò.* — S. Tho.

5. Antecedens est Diui Thomæ expressum, consequentia prima probatione non indiget, secunda euidenter

infer-

infertur; minor verò subsumpta, ad quā reducitur difficultas in hunc modum probatur: nam mutari realitèr est aliter realitèr se habere; ergo ad realem mutationem requiritur realis alietas in re, quæ mutatur; sed alietas realis inter humanitatem, vt terminantem actionem vnitiuam, & eandem vt terminantem prædictam actionem stare non potest, nisi in humanitate vt terminante actionem, reale aliquid intrinsecum detur illi pro priori ad talē actionē non competens: ergo stare nequit humanitatis mutatio in vi actionis vnitiuæ absq; eo, quòd in vi illius aliquid producatur in humanitate realitèr, saltim modaliter distinctum ab illa, sed hoc productum est nexus, quo humanitas Verbo vnitur: ergo nexus iste, seu vnio realitèr ab humanitate distinguitur.

6. *Quadruplex solutio refertur.*

Huic argumento responderi posset primò, verum esse, humanitatem mutari, cæterum mutationē istam nō fieri per modū aliquē absolutum, ad quem sequatur relatio, sed per vnionē sumptam relatiuè, idest, per relationē prædicamentalē resultantē in humanitate in vi actionis vnitiuæ. Vel secundò responderi potest, fieri huiusce modi mutationē per actionē ipsam vnitiuam humanitatis ad Verbū formaliter, non per modū aliquem productū ab illa. Tertiò potest dici, fuisse humanitatem immutatam formaliter à personalitate Verbi, quæ sicut se ipsa humanitatem terminat, ita se ipsa formaliter illā immutat. Vel denique, respōderi potest, quòd, vt humanitas in vi actionis vnitiuæ effectiuè immutetur, sufficit, quòd in vi illius aliquid reale humanitati conveniat, quod antea nō cōveniebat, nō quidē novū quoad entitatem, sed quoad denominationem, & hoc ita contingit, nā in vi prædictæ actionis redditur humanitas, & denominatur realitèr vnita Verbo, qua denominatione pro priori ad actionem vnitiuam non gaudebat.

7. *Reiicitur primo.*

Sed nulla ex his solutionibus vires elevat facti argumenti, non primatùm, quia mutatio ista conveniens humanitati in vi actionis vnitiuæ, nō accidentalis, sed substantialis est, cum in vi illius terminus substantialis resultet, efficiaturque, nempè, Christus, sed relatio ad vnionē suo secuta quid accidentale est, non solum prædicabiliter, sed etiam prædicamentaliter, & consequenter impotens ad præstandum se ipsa formaliter mutationem substantialem: ergo mutatio humanitati conveniens in vi actionis vnitiuæ, de qua D. Thomas loquitur non præstatur à relatione formaliter. Tùm etiam, quia, vt inquit D. Thomas, relatio sequitur realē mutationē eius, cui realitèr inest: ergo relatio vnionis inhærens humanitati, illique conveniens in vi actionis vnitiuæ mutationem realem in humanitate supponit, & consequentèr non præstat illam formaliter, etsi præbeat mutationem accidentalem relatiuam; nō enim potest relatio se ipsa formaliter suū fundamentum constituere, & consequentèr nec potest formaliter se ipsa præstare mutationem, ad quam sequitur, cum supra illam fundetur.

Ad solutio primò.

8. *Secunda solutio reiicitur primò.*

Nec magis secunda solutio satisfacit: tùm, quia actio vnitiua est aliquid in Deo formaliter manens, in veriori sententia, quam tenent omnes Discipuli D. Thomæ. nam licet Caietanus, quem aliqui Recentiores sequuntur, defendat, actionem, per quam Deus agit ad extra, esse actionem transeuntem, est, quia censet Caietanus, de ratione actionis transeuntis nō esse transitum formalem ad passum, sed solū virtualē ratione effectus, quem causat: ergo actio vnitiua non potest se ipsa humanitatem immutare formaliter, sed solum effectiuè, & causaliter, mediante aliqua realitate per illam in humanitate producta. Patet consequentia, id enim, quod humanitatem se ipso immutat formaliter, debet illi intrinsecè convenire, illamque intrinsecè informare; actio autem in Deo manens, ipsique identificata non potest informare intrinsecè humanitatem, & consequentèr nec potest illam se ipsa formaliter immutare.

9. *Secundò.*

Tùm etiam: nam estò admittamus sententiam extra Scholam Diui Thomæ communem, quæ docet, actionem, qua Deus agit ad extra, esse

formaliter tranſeuntem, & creaturæ inhærentem intrinſecè, adhuc nō poteſt mutatio, de qua D. Thomas loquitur, ab actione vnitiua præſtari formaliter. Quod probo; nam mutatio iſta ſubſtantialis eſt, vt *proximè* dicebamus; actio autem vnitiua in allegata ſententia eſt de prædicamento accidentis: ergo impotens ad præſtandam prædictam mutationem formaliter. Tùm denique, nam eſtò actio, quæ eſt formaliter, & virtualiter immanens, poſſit ſe ſola immutare ſubiectum, cui conuenit abſque immutatione effectiua, medio termino per illam cauſato; actio tamen, quæ tranſiens eſt formaliter, aut virtualiter, vel ſolum effectiuè immutare poteſt paſſum, ſi alteratur, recipi in agente formaliter, vel ſi in paſſo recipiatur, non ſolum illud immutat formaliter per ſui receptionem, ſed etiam effectiuè per terminum ab ipſa productum; ſed actio vnitiua humanitatis ad Verbum eſt tranſiens ad minus virtualiter: ergo neceſſariò immutat effectiue humanitatem, & conſequenter non præſtat de ipſa formaliter talem mutationem, ſed mediante termino ab illa producto.

10. *Reijcitur tertia ſolutio.*

Contra tertiam ſolutionem facit, quidquid aliud immutat formaliter, eſſe per ſui receptionem in ſubiecto immutato: ſicut quod mutatur eſt ratione potentiæ paſſiuæ, & receptiuæ, vt conſtat ex diffinitione mutationis, ſeu motus, qua dicitur, quòd eſt *actus entis in potentia ſecundum quod in potentia*; quo circa, vt *tract. ſeq.* videbimus, Verbū mutatū nō fuit per hoc, quòd fieret homo in tēpore, quia nō eſt homo ratione potētiæ paſſiuæ, & receptiuæ, ſed ratione intrinſecæ terminationis, & ſuſtentationis humanitatis; ſed perſonalitas Verbi, etſi humanitatē terminet, in ea tamē non recipitur, aliàs illam informaret intrinſece phyſica informatione, quod implicat, nec humanitas eſt in potentia paſſiua, & receptiua reſpectu perſonalitatis Verbi, ſed ſolum in potentia terminabili ab illa: ergo non fuit mutata realiter ex vi perſonalitatis ratione ſui formaliter immutantis, ſed ratione modi vnionis illam cum perſonalitate Verbi nectentis.

11. *Quarta ſolutio reijcitur primò.*

Tandem quarta ſolutio reijcitur primò, quia mutatio realis entitatiua eſt alietas entitatiua realis, ſed alietas realis entitatiua ex nouitate ſolius intrinſecæ denominationis non prouenit, ſed ſolum alietas denominatiua: ergo per conuenientiam ſolius nouæ denominationis humanitas mutata non fuit. Patet conſequentia: nā alietas humanitatis in vi actionis vnitiuæ non fuit ſolius denominationis, ſed entitatiua, aliàs nō differret ab alietate Verbi, terminātis humanitatem, vt ſtatim ponderabimus.

Secūdò.

Secundò, & explicatur magis hoc ipſum: nouitas namque ſolius denominationis, quāvis intrinſecæ, abſq; nouitate entitatis nō ſufficit ad mutationem realem intrinſecam: ergo, ſi humanitas fuit mutata intrinſece realiter in vi actionis vnitiuæ, non ſolum fuit in illa nouitas denominationis intrinſecæ, ſed etiam nouitas entitatis. Probatur antecedēs: Verbū namque in tempore de nouo terminauit humanitatem Chriſti, & conſequenter de nouo ſubijt intrinſecam denominationem; & tamen, quia hæc nouitas eſt ſolius denominationis, licet intrinſecæ, abſque ſuperadditione nouæ intrinſecæ entitatis, non fuit mutatum intrinſecè terminando humanitatem: ergo nouitas ſolius denominationis, quamuis intrinſecæ, abſque nouitate entitatis ad intrinſecam mutationem non ſufficit.

12. *Obijcies*

Si dicas: corpus Chriſti in vi actionis cōuerſiuæ mutatur intrinſece realiter, cū *in hac quæſt.* 1. inde probet D. Thom. Deum non poſſe eſſe terminū conuerſionis, quia eſt omninò immutabilis; & tamē ex vi cōuerſionis nullam intrinſecā entitatē de nouo recipit, ſed ſolū eſſe id, in quod panis conuertitur: ergo intrinſeca mutatio poteſt abſq; noua entitate cōtingere per nouitatem ſolius denominationis intrinſecæ.

Reſpondeo.

Reſpondeo, in diuerſis ſententijs iuxta diuerſa principia diſcurrēdū eſt: ſe: vndè, vel eſt dicendū, corpus Chriſti intrinſecè nō mutari ex vi actionis

conuersiuæ, vel est asserendū, entitatē aliquam intrinsecā realitèr à se distinctam ex vi prædictæ actionis recipere: vt enim demonstratū est, sola nouitas denominatiua ad intrinsecā mutationem non sufficit: & iuxta primū modū explicandus est D. Thom. cum docet, Deum esse non posse terminū conuersionis, non de conuersione totali, & transubstantiatiua, sed de formali, & transmutatiua, quæ sine noua forma, & cōsequentèr sine intrinseca mutatione terminari non potest. Consulantur, quæ diximus *disput. 9. §. 4.*

§. II.

Duplex ratio pro nostra sententia.

13. *Secūdo suadetur conclusio.*

SECVNDÒ principaliter suadetur conclusio: quæ realitèr separantur, si mutua sit separatio, entitatiuè realiter distinguuntur; si autē separatio sit non mutua, ideſt, talis, quòd vnum sine alio existere possit, non è cōuerso, realitèr saltim modalitèr necessariò debent distingui; nihil enim à se ipso potest realitèr separari, nec sine se ipso, & sine sibi identificatis existere, & destrui, & nō destrui realitèr, quæ contradictoria sunt; sed vnio humanitatis ad Verbum est ab humanitate separabilis separatione reali non mutua, potest namque existere humanitas, non existente vnione humanitatis ad Verbum, cum possit à Verbo dimitti de potentia absoluta, & potuerit Verbo non vniri, in quibus casibus existeret humanitas, & non existeret vnio ipsius ad Verbum; è contra, tamen non potest contingere, vt vnio humanitatis existat absque humanitate existente, cum sit modus illius, & implicet, modum existere sinere, cuius est modus: ergo vnio ista realitèr modalitèr ab humanitate distinguitur.'

14. En vobis argumentū, quibusdam Recentioribus Societatis visum euidens, & omninò insolubile. Mirū est, quam acritèr pungant, quādò impugnant Thomistas; cum tamen, etsi in nostris principijs difficile sit, in illorū doctrina non difficilem solutionē admittat, & instātias habeat manifestas: in illorū namque sententia duratio à re durante realitèr non distinguitur; & tamen potest res esse, & nō durare, & consequentèr realitèr separari possunt separatione non mutua. Item, creatio à cōseruatione non distinguitur realitèr; & tamen potest aliquid creari, & non cōseruari, & consequētèr separari potest creatio à conseruatione separatione reali nō mutua. Ac deniq; relatio à fundamēto nō distingui tur realitèr; cū tamen possit fundamētū relationis existere, relatione destructa, aut non existente: ergo argumentum vitium euidens his Recētioribus, in illorum principijs euidentes habet instantias; ac proindè cum ad hominem contra nostros Thomistas non arguat, inefficax debet ab ipsis cēseri.

Redarguuntur Recentiores.

15. *Respondent.*

Sed dicūt ad hanc vltimam instantiam, fundamentū quidem relationis posse existere sine relatione; fundamētū autē, & terminus simul sine relatione existere nunquā posse: ex quo solū sequitur, relationē distingui à fundamento seorsim, & diuisim à termino accepto; nō verò quòd à fundamento, & termino simul sūptis distinguatur, & hoc secundū est, quod ipli docēt, nō primū; in nostro autē casu, nō solū humanitas seorsim à Verbo, sed etiā Verbū, & humanitas simul possunt existere, vnione nō existente; ac proindè, nō solum distinguitur vnio ab humanitate diuisim accepta à Verbo, sed etiā ab humanitate, & Verbo simul, & collectiuè sumptis: ex quo vlterius infertur, esse modum intrinsecè in humanitate receptum, & realitèr ab illa distinctum.

16. *Instatur*

Sed non occurrunt solidè instantiæ contra illos factæ: nam licet Verbum, & humanitas possint existere simul, non existente vnione humanitatis ad Verbū; humanitas tamē, Verbū & actio vnitiua existere simul nequeunt, quin existat vnio Verbi cum humanitate: ergo sicut ipsis asserere

licet, fundamẽtum relationis dici modò relatum, cum antea relatum nõ eſſet abſque ſuperadditione intrinſecæ entitatis modalis per poſitionem termini connotati, quia, fundamento, & termino exiſtentibus ſimul, nõ poteſt non ſubiectum referri; licebit etiam Thomiſtis aſſerere, niſi illorum principijs obſtet, humanitatem vniri Verbo abſque modo intrinſeco realitèr ab illa diſtincto per nouam connotationem, nõ ſolius Verbi, ſed Verbi ſimul cum actione vnitiua; quia, humanitate, Verbo, & actione vnitiua exiſtentibus, non poteſt nõ exiſtere vnio humanitatis ad Verbum. Iuxta quam doctrinam poterit argumento facto occurri, diſtinguendo maiorem: ſi ſeparatio ſit quoad entitatem, concedo maiorem: ſi ſolum quoad denominationem, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam; nam quando humanitas exiſteret Verbo non vnita, aut coniuncta, non deficeret illi aliqua intrinſeca entitas, ſed ſolum realis denominatio vnitæ; poſſe autẽ denominationẽ deficere, non deficiẽte aliqua entitate intrinſeca, exẽplis adductis, ſumptiſq; ex principijs cõtrariorum probatur.

17. *Impugnatur ſolutio ex principijs Thomiſtarũ.*

Sed licet hæc ſolutio ab aduerſarijs efficacitèr impugnari non poſsit; ex principijs tamen noſtrorũ Thomiſtarũ cõtra illam ſic arguitur: quia nãque relationi eſt eſſentiale exercitiũ referendi, quando ex defectu termini deficit hoc exercitiũ, deſtruitur non ſolũ denominatio intrinſeca relati, ſed etiam entitas relationis, cum ex hoc à Diſcipulis D. Thom. probetur, relationẽ prædicamentalẽ realitèr à ſuo fundamento diſtingui, quia, nempè, relatione deſtructa, fundamentũ perſeuerat, quod argumentũ efficax eſſe non poteſt, ſi, perſeuerante fundamento, exercitium referẽdi deficeret ex ſolo defectu intrinſecæ denominationis relati, & non ex defectu entitatis; ſed vnioni humanitatis ad Verbum eſt eſſẽtiale exercitium vniendi actualitèr: ergo, quando hoc exercitiũ deficeret, aut non eſſet, deficeret, aut non eſſet entitas vnionis, humanitate ſuperſtite, & cõſequẽtèr vnio humanitatis ad Verbũ realitèr ab humanitate diſtinguitur, diſcurrendo conſequentèr ad principia Thomiſtarum.

18. *Reſpondebis.*

Reſpõdebis, exercitiũ vniendi actualitèr non eſſe eſſentiale entitati vnionis entitatiuè ſumptæ, ſed ſolũ eſt eſſentiale entitati vnionis vt præſtanti denominationem actualitèr vniti: ex quo ſolũ ſequitur, deficiente exercitio, aut non exiſtente actualitèr vniendi, deficere, aut non exiſtere prædictam entitatem, non entitatiuè, ſed denominatiuè, hoc eſt, vt præbentem denominationem vniti actualitèr, ex quo modo deficiendi nõ arguitur realis diſtinctio vnionis ab humanitate vnita. Sed contra: exercitiũ referẽdi eſt relationi eſſentiale, non ſolũ denominatiuè ſumptæ, hoc eſt, vt denominanti relatum, ſed etiam entitatiuè acceptæ: & idcirco, deficiẽte hoc exercitio, non ſolũ deeſt realis denominatio, ſed etiam entitas relationis, aliàs ex tali defectu non colligeretur diſtinctio realis relationis à fundamento, vt *proximè* arguebamus: ergo exercitiũ actualitèr vniendi eſt entitati vnionis eſſẽtiale, nõ ſolũ ſumptæ denominatiuè, & vt dati denominationẽ actualitèr vniti, ſed etiã entitatiuè sũptæ, & ſecundũ ſuã entitatẽ, & conſequẽtèr, hoc exercitio deficiẽte, aut nõ exiſtente, deficeret, aut non exiſteret entitas vnionis, nõ ſolũ denominatiuè sũpta, ſed etiã accepta entitatiuè: ex quo vlterius infertur realis diſtinctio vnionis ab humanitate vnita.

Sed contra.

19. *Reſpondebis.*

Reſpondebis, negando cõſequentiam, & diſparitatem conſtitues in eo, quòd relatio pertineat ad prædicamentum ſpeciale, & ab alijs prædicamentis diſtinctum; ideoque exercitium referendi eſſentialitèr conuenit entitati relationis, prout à fundamento diſtinguitur, non ſolum ſumptæ denominatiuè, ſed etiam entitatiuè; vnio autem ad ſpeciale genus aut prædicamentum non ſpectat, ſed reducitur ad genus extremi, quod per illam nectitur, & vnitur; ideoque exercitiũ actualitèr vniendi ſpecialem entitatem non petit, cui eſſentiale ſit entitatiuè acceptæ, ſed accidentalitèr, & ſeparabilitèr conuenit entitati extremi,

mi, quod alteri vnitur: ex quo vlteriùs sequitur, relationem realiter à fundamento distingui; rectèque huiusmodi distinctionem inferri ex separabilitate non mutuâ relationis ab illo; secus autē vnionem ab extremis vnitis; quia separatio non mutua solū arguit realem distinctionem, quando fit argumentum in ijs, quæ pertinent ad prædicamenta distincta, vel saltim ad diuersas species sub vno genere cōtentas.

20. *Sed contra primò.*

Sed contra primò; nam ex diuersitate prædicamentali non probatur realis aliquorum distinctio: ergo distinctio realis relationis à suo fundamento nō probatur rectè ex eo, quòd fundamentum, & relatio ad diuersa prædicamenta pertineant, sed ex separabilitate realī non mutua, quæ inter fundamentum, & relationem intervenit, & cōsequenter; quamvis vnio nō pertineat ad diuersum prædicamentū ab illo, ad quod pertinet extremum vnitum, ex separabilitate reali non mutua vnionis ab extremo vnito rectè infertur realis illorum distinctio. Consequentia tenet; antecedens autem probatur primò, nam maior est diuersitas generum transcendentium, nempè, entis veri, & boni, quam diuersitas prædicamentorum, quæ sub ente continentur; sed prima distinctionem realem non petit; nemo enim inter ens verum, & bonum realem distinctionem constituit: ergo neque ex secunda distinctio realis arguitur. Secūdò, nam actio, passio, & motus prædicamētaliter differunt: actio quidē, & passio, vt prædicamēta diuersa, motus autem, vt postprædicamētum; & tamen non distingui realiter, sed solū virtualiter, & ratione ratiocinata, docet valdè probabilis plurium Thomistarum sententia: ergo prædicamentalis diuersitas realem distinctionem non arguit, nec illam exposcit.

21. *Secūdò, & vrgētius.*

Contra secūdò, & vrgentius: exercitiū personandi naturam creatam petit esse essentiale alicui entitati, quæ non solū quoad denominationem, sed etiam entitatiuè deficiat, aut non existat, tali exercitio deficiente; aut non existente; & tamen hoc exercitiū non est alicuius pertinentis ad diuersum prædicamentū; sed reductiuè spectantis ad speciē naturæ, quam terminat, & modificat: ergo etiam si exercitiū vniendi humanitatem ad Verbū non spectet ad diuersum prædicamentū à natura, quam vnit, nihilominus exposcet esse essentiale entitati deficiēti, nō solū denominatiuè, sed etiam entitatiuè ad defectum exercitij. Consequētia tenet ex doctrina solutionis, minor est certa; personalitas namq; non est accidens, sed de prædicamēto substantiæ, & quia completa non est, non ponitur in prædicamento directè; & consequenter reducitur ad speciē naturæ, quam terminat; maior autē probatur: nam in omniū Thomistarum sententia, & cōmuni Theologorum, subsistētia, seu personalitas creata realiter distinguitur à natura, quam terminat, quæ realis distinctio cōmuniter probatur à Theologis ex mysterio Incarnationis, in quo fide credimus, existere humanam naturam sine propria subsistentia, sed si exercitium personandi naturā creatam non peteret esse essentiale entitati deficiēti entitatiuè, cū exercitium deficeret, hæc cōsequentia esset nulla: ergo huiusmodi exercitiū petit esse essentiale entitati deficienti entitatiuè, deficienti tali exercitio.

22. *Cōfirmatur primò.*

Et ex his roborari potest amplius veritas nostræ conclusionis, ex eo nāque probatur distinctio realis subsistētiæ à natura, quia in Christo existit natura humana sine propria subsistētia; sed etiā potuit existere humanitas sine vnione sui ad Verbū: ergo vnio humanitatis ad Verbū realiter ab humanitate distinguitur. Confirmatur, & vrgetur secūdò, & tradita solutio rejicitur: etsi vnio humanitatis ad Verbū non spectet ad diuersū prædicamētū à natura, quā vnit, spectat tamē ad diuersam lineam ab illa: ergo exercitiū vniendi humanitatē ad Verbū petit esse essentiale entitati deficiēti, nō solum sub ratione denominationis, sed etiam sub ratione entitatis, deficienti tali exercitio.

Secūdò.

Consequentia videtur bona à paritate rationis: si namque exercitium

ſpectans ad diuersũ prædicamentũ petit præcitari ab entitate, quæ, ipſo deficiente, entitatiuè deficiat, non eſt, cur etiam exercitium ad diuerſam lineam ſpectans huius conditionis non ſit. Antecedẽs autem probatur, nam vnio humanitatis ad Verbum eſt ſupernaturalis; humanitas autem naturalis eſt, imò & ipſa potentia obedientialis, qua humanitas vnionẽ recipit, eſt ordinis naturalis in veriori ſententia: ergo humanitas, & vnio ad diuerſas lineas ſpectant.

23. *Denique probatur concluſio.*

Denique principaliter ſuadetur concluſio: ex vi actionis vnitiuæ producitur vnio humanitatis ad Verbũ; & tamen ex vi illius actionis non producitur humanitas, ſed per aliam diſtinctam: ergo vnio realiter ab humanitate diſtinguitur. Patet conſequentia: nam diuerſæ actiones realiter productiuæ petunt terminos productos diſtinctos realiter: minor conſtat, nam ad productionem humanitatis Beatiſsima Virgo concurſum præſtitit; ſecus autem ad vnionem humanitatis cum Verbo: ergo humanitas non per illam, ſed per aliam actionẽ fuit producta; maior autẽ probatur; omnis enim actio formaliter, aut virtualiter tranſiens eſt realiter productiua; ſed actio vnitiua humanitatis ad Verbum eſt actio tranſiens formaliter, aut virtualiter: ergo eſt productiua realiter: cumque humanitatem non producat, dicendum neceſſariò videtur, quod producat vnionem humanitatis ad Verbum.

24. *Dices.*

Dices, ex vi iſtius actionis produci Chriſtum vt hominem, qui eſt terminus totalis illius, nec ad rationem actionis formaliter, aut virtualiter tranſeuntis aliquid aliud expoſcitur, quam quòd terminũ totalẽ producat. *Sed contra primò.* Sed contra primò: omnis actio productiua termini totalis neceſſariò petit terminũ partialẽ producere, media cuius productione, terminũ totalẽ attingat; ſed reſpectu actionis vnitiuæ humanitatis ad Verbũ non poteſt aſsignari terminus partialis productus, niſi vnio humanitatis: ergo huiuſcemodi actio, non ſolum producit Chriſtũ, ſed etiam producit vnionem. Conſequentia cum minori tenet; maior autem probatur: non enim poſſet generatio æterna Verbi Verbum producere tanquam terminum totalem, ſi nec relationem produceret, nec produceret naturam diuinam, aliàs defendi poſſet, nec naturam Verbi, nec filiationẽ fuiſſe productam per æternam generationem, & defendi ſimul, Verbum fuiſſe per illam productum tanquam terminum totalem, quod catholicè dici non poteſt: ergo nõ ſtat, actionem aliquam terminum totalẽ producere, niſi producat aliquid repertum in illo tanquam partialẽ, vel quaſi partialem terminum. *Secũdò.* Secundò, nam ex vi actionis vnitiuæ humanitas Verbo vnitur; ſed nõ vnitur per illam formaliter: ergo vnitur per illam effectiuè; ſed vniri effectiuè per actionẽ eſt, efficienter vnionem cauſari, quod idem eſt, atque vionem produci: ergo ex vi prædictæ actionis producitur vnio: cumque ex vi illius non producatur humanitas, neceſſariò eſt dicendum, vnionem realiter ab humanitate diſtingui.

§. III.

Duplici argumento occurritur, & explicatur mens D. Thomæ.

CONTRA noſtram concluſionem argumentantur Auctores contrarij primò ex D. Thoma *in 3. ad Annibaldum diſt. 5. q. vnic. art. 3. in corpore*, illis verbis: *Vnio triplicitèr poteſt accipi: vno modo, prout vnio idẽ eſt, quòd vnitio: & ſic idem eſt, quòd diuina eſſentia: alio modo, vt vnio eſt paſsio: & ſic eſt quædam naturæ aſſumptæ dependentia ad aſſumentem: tertio modo, & propriè, vnio eſt relatio conſequens huiuſmodi actionem: & ſic eſt quædam comparatio, vel habitudo vnitorum, &c.* Ergo, vel D. Thom. diminutè in hoc myſterio explicando pro

25. *Primò arguitur S. Tho.*

ceſsit,

cessit, quod à Nobis admittendum non est, vel inter humanitatem, & Verbum, præter actionē vnitiuam, & passionem, prædicamentalemque relationem, nihil mediat realitèr ab humanitate, & Verbo distinctum.

26. *Confirmatur primò.* S. Tho.

Confirmatur primò ex eodem D. Thoma *in hac quæstione art. 1. solut. ad 1.* vbi docet, vnionem humanitatis ad Verbū factā esse immediatè in persona, *& infra q. 6. art. 6. ad 1. & 3. argum.* vbi docet, factam esse secundum esse personale sine dependentia ab aliquo intermedio, *& in 3. Sent. dist. 2. q. 2. art. 1. & 2.* vbi probat, in vnione ista non cadere medium formalitèr causans vnionem; sed si humanitas vnita esset Verbo, medio aliquo nexu realitèr ab extremis distincto, vnio ista nō fuisset facta immediatè in persona, & aliquod medium caderet inter extrema vnita causans vnionem formalitèr: ergo iuxta D. Thomam inter humanitatem, & Verbum non mediat vnio realitèr ab illis distincta. *Secūdò.* Confirmatur secundò: nam D. Thom. modi realitèr ab humanitate, & Verbo distincti inter vtrumque mediantis nullibi fecit mentionem, sed tantum actionis vnitiuæ ex parte Dei, passionis ex parte humanitatis, & relationis prædicamentalis ad passionem consequutæ: ergo, præter hæc, modus vnionis medians inter humanitatem, & Verbum ab humanitate realitèr distinctus contra mentem D. Thomæ statuitur.

27. *Respondetur argumēto.*

Respondeo ad argumētum, quòd licet D. Thom. *in testimonio allegato* non expresserit modum vnionis mediantem inter humanitatem, & Verbum realitèr ab humanitate distinctum; ex eius tamen verbis colligitur à priori, & à posteriori: à priori quidem, ex primo, & secundo modo, quo accipitur vnio, videlicet, actiuè, & passiuè; nō enim stat vnitio actiuè sumpta, & vnio accepta passiuè absque modo reali per illas causato, formalitèr permanentèr vniente, *vt superius* arguebamus; à posteriori autem ex tertio modo, quo iuxta D. Thomam accipitur vnio, nempè, relatiuè: relatio namque non potest realitèr conuenire humanitati, quin mutatio in humanitate præcedat, vt ex D. Thoma vidimus, nec potest mutari humanitas realitèr, mutatione præcedente relationem absque modo realitèr superaddito, & ab illa distincto, vt in primo argumento satis efficacitèr monstrauimus.

28. *Ad primā cōfirmationē* S. Tho. *Si dicas* *Respōdetur primò.*

Ad primam confirmationem dicatur, D. Thomam in priori testimonio solum docere, vnionem factam esse in persona, quod verissimum est; Nobis tamen in nullo præiudicat, & licet adderet, factam esse immediatè in persona, verissimum etiam esset, nō per exclusionem vnionis mediantis, sed per exclusionem vnionis factæ in natura, & per exclusionem accidentis mediantis inter humanitatem, & Verbum: & hoc solum docet D. Thom. *in secundo testimonio*, vt ex intento articuli constat, quod erat probare, naturam humanam, mediante gratia, assumptam à Verbo nō fuisse. Si dicas: eo ipso, quòd mediauerit vnio, cū hæc sit gratia facta humanitati, necessariò gratia mediauit: ergo, si fuit humanitas media vnione assumpta à Verbo, fuit, mediante gratia assumpta, quod à D. Th. negatur. Respondeo primò, vnionē non esse gratiam sanctificantē humanitatē, sed solū est nexus gratiæ personalis illam sanctificātis, vt *tract. 5.* videbimus; ac proindè ex eo, quòd mediauerit vnio, non sequitur, quòd mediauerit gratia. *Secūdò.* Vel secundò dicatur, medium, quod D. Tho. in illo *articulo* excludit, nō esse vnionē, quæ gratia substantialis est essentialitèr cū gratia personali connexa: hæc namque non ponit in numero cū extremis vnitis, sed gratiam accidentalē, cuius primarius cōceptus non sit vnire humanitatē Verbo, & quæ non vnitiuè, sed dispositiuè præuiè ad vnionē ipsam cōcurrat. *Ad tertiam.* Et ex his mens D. Tho. *in tertio testimonio* colligitur, quæ fuit excludere formā accidentalem formalitèr causantē vnionē, non autem modum substantialem, qui à Nobis inter humanitatem, & Verbum statuitur.

29. *Sed oppones* 1.

Sed oppones primò D. Thomam *in 3. dist. 2. q. 2. art. 2. quæstiuncul. 3. in corpore*, illis verbis: *Ad tertiam quæstionem*

nem dicendum, quod inter humanam naturam, & diuinam neceſſe eſt, cadere vnionem mediam, non ſicut cauſam, ſed ſicut effectum coniunctionem naturalem conſequentem; ſed ſi modus ſubſtantialis conſtituatur inter humanitatem, & Verbum, dabitur vnio media formaliter cauſans naturarum coniunctionem, cum ad hoc modus iſte conſtituatur, vt, illo mediante, humanitas Verbo vniatur: ergo talis modus admittendus non eſt. Secundò oppones: ſi modus iſte abſolutus vniens formaliter humanitatem Verbo realiter ab illa diſtinctus daretur, D. Thomas aliquando feciſſet expreſſam illius mẽtionem; ſed D. Thom. nunquam illius mentionem fecit, vt conſtat ex adductis teſtimonijs, nec aliud aſsignabitur, in quo Angelicus Doctor talem modum inter humanitatem, & Verbum ſtatuerit: ergo contra illius mentem à Nobis iſte modus conceditur.

Secũdo.

30. *Reſpondetur ad primam inſtãtiã.*

Reſpondeo ad primam inſtantiã, loqui D. Thomam *in teſtimonio alleg.* de vnione relatiuè ſumpta, vt conſtat ex ratione, qua probat, non mediare vt cauſam coniunctionis, quia, ſcilicet, accidens eſt, quod ſolum verificatur de vnione ſumpta relatiuè: ſumpta namque pro formali nexu, non eſt accidens, ſed ſubſtantia incompleta, modusque ſubſtantialis: vndè *ex dicto teſtimonio* nihil contra Nos infertur.

Ad ſecundam.

Ad ſecundam inſtantiam reſpondeo, diſtinguendo maiorem: illius in ſe ipſo formaliter, nego maiorem: in cauſis, & in effectu, concedo maiorẽ, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: nam licet D. Tho. modum iſtum abſolutum realiter ab extremis diſtinctum ſub his terminis nũquam expreſſerit, quod omittim⁹, quia veritatem vniuerſalis negatiuæ examinare eſt difficile; meminit tamen, & expreſſam fecit mentionem cauſarum iſtius modi, & effectus illius: cum enim actionis vnitiuæ, & paſſionis humanitatis meminerit, ex quibus talis modus neceſſariò cauſatur, & relationis humanitatis ad Verbum, quæ iuxta D. Thomam illius mutationẽ neceſſariò ſupponit; mutatio autem humanitatis relationem præcedẽs ſine modo à Nobis poſito nequeat ſaluari, conſequens fit, vt D. Thom. modi à Nobis conſtituti meminerit in effectu, & cauſis illius, quod ſufficit, vt à Nobis adſtruatur in nullo cõtraueniẽdo Angelici Præceptoris doctrinæ, ſed illi cum omni rigore adhærendo. Ratio autem, cur iſtius modi expreſſam mentionem non fecerit, eſſe poteſt; quia, cum modi minimæ entitatis ſint, & obſcuræ cognoſcibilitatis, ideò D. Thom. illum explicuit à priori per actionem, & paſsionem, ex quibus cauſatur, & à poſteriori per relationem, quia humanitas ad Verbum refertur, talem modum ſupponentẽ, & ſuper illum fundatam. Et ex his ad ſecundam cõfirmationem conſtat ſolutio.

31. *Secundò arguunt*

Secundò principaliter arguunt: vt forma vniatur materiæ, non requiritur modus vnionis realiter ab extremis diſtinctus: ergo vt humanitas diuino Verbo vniatur, modus realiter ab illa diſtinctus neceſſarius non eſt. Conſequentia videtur bona; rationes enim, quibus noſtram concluſionem monſtrauimus, æquè militant in forma, vt vniatur materiæ, atque in vnione humanitatis ad Verbũ; antecedens autem oſtenditur primò ex D. Thom. *lib. 8. Methaphyſic. lectione vltim. propè finem*, dicente: *Quod aliqui antiqui errabant, inquirendo, quid faciat vnum potentiam, & actum, quaſ oporteret, ea colligari per aliquod vnum medium; ſicut ea, quæ ſunt diuerſa ſecundum actũ.* Et ſubdit: *Quod non oportet ea vniri per aliquod vinculum: ſicut ea, quæ ſunt pènitus diuerſa, &c.* Ergo iuxta Divũ Thomam vt forma, & materia vniantur, vinculum neceſſarium non eſt ab vtroque extremo diſtinctum. Et 1. 2. *q. 110. art. 1. ad 2.* illis verbis: *Dicendũ, quod Deus eſt vita animæ per modum cauſæ efficientis, ſed anima eſt vita corporis per modum cauſæ formalis; inter formam autem, & materiam non cadit aliquid medium, quia forma per ſe ipſam informat materiam, vel ſubiectum, ſed agens informat ſubiectum, non per ſuam ſubſtantiam, ſed per formam, quam cauſat in materia.* Quod etiam docet 1. *p. q. 76. art. 7. in corpor.* illis verbis: *For-*

Antecedens probatur 1. S. THO.

S. THO.

ma

ma autem per se ipsam facit, rem esse in actu, cum per essentiam suam sit actus, nec dat esse per aliquid medium, &c. Ergo sentit D. Thomas, vt forma vniatur materiæ, illamque actuet, & informet, modum, seu vinculum à materia, & forma distinctum necessarium non esse.

32. *Secundo. S. Tho.*

Secundò id ipsum probatur: nam D. Thomas 1. *p. q. 76. art. 6.* indè probat, animam non vniri materiæ, mediante aliquo accidente: *Quia, cum materia sit in potentia ad omnes actus ordine quodam, oportet, quod id, quod est primum simpliciter in actibus, primo in materia intelligatur; primum autem inter omnes actus est esse*: quod, vt in eodem *articulo* explicat, prouenit à forma substantiali; sed hæc ratio etiá probat, formam non vniri materiæ mediante entitate reali, etiam substantiali, realiter ab ipsà distincta; hæc nãque non est actus simpliciter, sed actus secundum quid, & consequenter præueniri debet à forma substantiali, quæ solá dat esse simpliciter: ergo ita realis entitas realiter ab extremis distincta inter materiam, & formam admittenda non est.

33. *Tertiò probatur ratione ex testimonijs D. Thomæ desumpta: Cõfirmatur.*

Tertiò probatur ratione ex testimonijs D. Thomæ desumpta: nã materia se ipsa est potentia receptiua formæ, & forma se ipsa est actus informatiuus materiæ: ergo absque aliqua entitate mediante materia recipit formam, & forma informat materiam, & in illa se ipsa recipitur. Confirmatur: nam, si materia, & forma substantialis, medio aliquo modo realiter ab ipsis distincto, vnirentur, sequeretur, materiam, & formam non comparari inter se tanquam potentiam, & actũ, sed vtramque ad modum illum, vt potentiam ad actum comparari: consequens est falsum: ergo talis modus inter materiam, & formam non datur. Probatur sequela; etenim, quia partes lineæ vniuntur mediãte puncto, quod realiter ab illis distinguitur, non comparantur ad inuicem tanquam actus, & potentia, sed vtraque puncto actuatur, & terminatur: ergo, si materia, & forma copulantur, medio modo realiter ab illis distincto, non comparantur inter se tanquam actus, & potentia, sed vtraque vt potentia respectu talis modi se habebit.

34. *Quartò;*

Quartò probatur: si namque inter formam, & materiam mediaret modus vnionis realiter ab illis distinctus, sequeretur, esse concedenda tria principia entis naturalis in facto esse: consequens est contra omnes Philosophos, solum duo principia entis naturalis in facto esse admittentes: ergo talis modus inter formam, & materiam non datur. Minor cum consequentia tenet; sequela autem probatur: si talis modus daretur, non minus poneret in numero cum materia, & forma in ratione principij respectu entis naturalis in facto esse, quam priuatio ponit cum illis in numero respectu entis naturalis in fieri; sed priuatio distinguitur à Philosophis in ratione principij à materia, & forma respectu entis naturalis in fieri; ideoq; tria principia entis naturalis in fieri constituuntur: ergo modus ille, si datur, erit in ratione principij à materia, & forma distinctus, & consequenter erunt tria principia entis naturalis in facto esse constituenda.

35. *Denique probatur.*

Denique primum antecedens probatur: anima rationalis se ipsa vnitur materiæ absque modo aliquo realiter superaddito: ergo etiam cæteræ formæ se ipsis materiæ vniuntur absque modo superaddito. Consequẽtia patet à paritate rationis; antecedens autem probatur: nã modus realiter distinctus ab anima illam cum materia nectens corporalis esse nõ potest; entitas enim corporea in subiecto spirituali non potest, saltim permanẽter, recipi, nec potest esse spiritualis, primò; quia talis modus, si datur, educi debet de potẽtia materiæ, cui vnitur; forma autem spiritualis non potest in potentia materiæ contineri; ac proindè, nec potest ex illa educi: secundò, nam ille modus deberet ab homine generante causari; entitas autem spiritualis non potest efficienter causari ab homine, cum idcirco anima rationalis ab homine generante non procedat efficienter, nec possit causari ab illo, quia spiritualis est. ergo talis modus

dus

dus ab anima rationali distinctus non datur, sed se ipsa absq; superaddita entitate vnitur materiæ, illamq; actuat, & informat, & cõsequentèr id ipsum est de cæteris formis dicendum.

36. *Respondetur.* Ad argumentum, negando antecedens, ad primam probationem dicatur, D. Thomam inter formam, & materiam solum excludere medium, quod sit res, & cuius munus adæquatum nõ sit vnire, & nectere formam cum materia; non autem excludere medium, quod non est res, sed modus rei, & cuius munus primarium, & adæquatum est exercitium vniendi: &, quòd sic accipiendus sit D. Thomas, patet, nam *in primo, & tertio testimonio* impugnat quosdam antiquos, quorũ alij asserebant, quòd anima intellectiua habebat corpus incorruptibile sibi vnitum naturalitèr, & inseparabilitèr, mediãte quo, vniebatur corpori corruptibili hominis; alij verò docebant animam rationalem, mediãte luce, corpori vniri; hæc autem sunt res, & nõ modi, & munus primarium, & adæquatum illorum non est vnire formam cum materiâ. Cõtra istos Philosophos rectè docet D. Thomas, animam vniri corpori immediatè per exclusionem rei mediantis inter illam, & corpus, non verò per exclusionem modi, cuius munus adæquatum sit vnire animam corpori, iste namque in numero cum extremis vnitis non ponit. Nec obstat, quominus absolutè verũ sit, & dicatur, animam immediatè corpori vniri: sicut, quamuis inter agens, & patiẽs mediet actio realitèr ab illis distincta, si nihil aliud mediet, rectè dicitur agens immediatè contingere passum, eo quòd actio in numero cum agente nõ ponit. In secundo autem testimonio solum intendit, differentiam constituere inter Deum, vt dantem homini efficientèr vitam, & animam vt formalitèr vitam præstantem, consistentem in eo, quòd Deus non se ipso, sed mediante forma intrinsecè in subiecto recepta, quæ vitam formalitèr præstet, vitam homini communicat; anima autem se ipsa immediatè per exclusionẽ formæ mediantis vitam corpori communicat, non verò per exclusionem modi, qui nec res, nec forma sit, formalitèr vitam communicans, sed modus vniẽs formam formalitèr vitam præstantem.

37. *Respondetur ad secundâ probationem.* Ad secundam probationem, concessa maiori, nego minorem, nam esse, quod dat vnio, non ponit in numero cum esse formæ, quâ vnit, cum illius adæquata ratio, & essentia consistat in vniendo formam dantem esse materiæ: & sic est ipsum esse formæ incompletè, reductiuè, & vialitèr; esse autem, quod forma accidentalis præstaret, in numero poneret cum esse formæ substantialis, eo quòd essentia illius non consisteret primariò in vniendo formam cum materia, neque in ratione causalitatis formæ, sed primò aliud esse præstaret; nam si in ratione vnionis, & in exercitio vniendi formam cum materia illius esse cõsisteret, non esset de prædicamẽto accidentis, sed de prædicamento substantiæ reductiuè: & cum aliàs illud esse, in quo forma accidentalis consistit, non sit primum esse, nec tale simplicitèr, non debet præcedere, sed subsequi ad formam substantialem dantem esse primum, & tale simplicitèr; ideoque rectè probat D. Thomas ex isto principio, non posse animam rationalem vniri materiæ, mediante aliquo accidente; quia ad hoc erat necessarium, quòd accidens præstans esse secundum quid prius vniretur materiæ, quam anima rationalis, quæ præbet esse simplicitèr.

38. *Ad tertiam.* Ad tertiam probationem, distinguo antecedens: materia se ipsâ est receptiua formæ, & forma se ipsa actus informativus materiæ per exclusionẽ medij dãtis potentiam receptiuã, & informatiuam, cõcedo antecedẽs: per exclusionem medij dantis materiæ actu recipere formam, & formæ actu informare materiam, nego antecedens, & consequentiam: sicut enim ex eo, quòd in ordine effectiuo potentia proxima sit se ipsa operatiua, tantum infertur, nullo alio indigere, vt ipsi dante posse proximum respectu operationis, non autem, quòd non egeat actione realitèr à se distincta, vt

illam

illam constituẽtem actu operantem: ita ex eo, quòd materia sit se ipsa receptiua formæ, & forma se ipsa informatiua materiæ, solum colligitur, nec materiam, nec formam indigere medio dante illis potentiam proximè receptiuam, & proximè informatiuam; non autem, quòd non indigeant aliquo ab ipsis distincto constituẽte materiam actu recipientem formam, & formam actu informantem, & actuantem materiam. Ad confirmationem, nego sequelam; ad illius probationẽ, nego causalem in antecedenti datam; ratio enim, cur partes lineæ non comparantur inter se vt actus, & potẽtia, non est, quia medio puncto realiter distincto vniuntur, vel continuantur, sed quia compositio continui talis cõditionis est, quòd constat ex partibus eiusdem rationis; ideoque non est maior ratio, cur vna sit actus, quam alia, & cur vni potius, quam aliæ ratio potentiæ attribuatur, cuius oppositum in compositione physica ex materia, & forma invenitur.

Ad cõfirmationẽ

Ad quartam probationem, nego sequelam; ad illius probationem, nego maiorem. Ratio autem discriminis est, nam priuatio habet diuersissimum modum principiandi ens naturale in fieri ab illo, quem habent materia, & forma, nec cõparatur ad materiam, & formam vt illarum causalitas in actu secundo; & ideo cum illis ponit in numero in ratione principij entis naturalis in fieri cõsiderati; vnio autem, etsi à materia, & forma vnitis realiter distinguatur; est tamen illarũ causalitas respectu cõpositi, & actuale exercitium causandi constituens materiam, & formam in suis proprijs generibus in actu secundo causantes; causalitas autem cum causa, cuius est causalitas, non ponit in numero in ratione causandi, & Philosophi constituentes duo principia entis naturalis in facto esse, nempè, materiam, & formam, non præscindunt ab vnione, sed illam includunt, & loquuntur de materia, & forma vnitis.

39. *Ad quartam.*

Ad vltimam probationem, nego antecedens; ad illius probationem, nego secundam partem antecedentis; modus enim, quo anima rationalis vnitur materiæ, non corporeus, sed spiritualis est. Ad primam probationem dicatur, modum, quo anima subiectiuè vnitur materiæ, non educi de potentia materiæ, sed de potẽtia animæ; educitur nàq; de potẽtia illius, in quo immediatè recipitur; non autẽ recipitur immediatè in materia, sed in anima rationali; & ideo non ex potentia materiæ, sed ex potentia animæ rationalis educitur; alius autẽ modus, quo materia vt subiectum vnitur animæ, & ad animam terminatur, in materia recipitur, & ex illa educitur; iste autẽ non spiritualis, sed materialis est, & corporeus.

40.

Ad vltimam.

Ad secundam probationem dicatur, animæ rationali ideo repugnare, quòd ab homine generante causetur, quia per se subsistẽs est, & à subiecto, & materia in essendo independens; ideoque non potest per eductionem fieri, sed solum per creationẽ fit; creatio autem agẽti creato repugnat; modus autem vnionis, quo anima subiectiuè vnitur materiæ, licet spiritualis sit, non est per se subsistens, nec à subiecto independens: vndè, nõ per creationem, sed per eductionem fit; ideoque potest, medio semine in virtute animæ rationalis ab homine generante produci, & de facto producitur, cum homo ab homine generatur.

Ad secundam probationẽ.

§. IV.

Cætera argumenta diluuntur, & explicatur, an personalitas creata absque modo superaddito vniatur propriæ naturæ?

TERTIÒ arguitur: personalitas creata se ipsa vnitur naturæ propriæ absque modo realiter superaddito: ergo etiam personalitas diuina absq; modo aliquo realiter ab extremis

41. *Tertio arguitur.*

tremis diſtincto vnitur humanitati. Conſequētia videtur tenere, eo quòd perſonalitas Verbi gerit vices ſubſiſtētiæ creatæ, & quia illius vices gerit, infertur à Thomiſtis communiter cum Angelico Doctore *in hac quæſtione articulo* 10. quod ſicut ad vnionē cum ſubſiſtentia propria nullum accidens in humanitate mediaret: ita nullum accidens mediat ad vnionem humanitatis cum Verbo: ergo, ſi non mediaret, nec intercederet vnio realiter ab extremis diſtincta inter naturam humanam, & propriam perſonalitatem, nec mediari debet in vnione humanitatis cum Verbo. Antecedens autē oſtenditur primò: ſubſiſtentia namq; eſt modus incompletus naturæ; ſed quia vnio modus eſt, nō ponimus modum vnionis, quo vnio vniatur, ſed ſe ipſa vnitur extremo, quod vnit: ergo pariter ſubſiſtentia, ſeu creata perſonalitas, quia modus incompletus eſt, per ſe ipſam abſque modo realiter ſuperaddito, vnitur propriæ naturæ.

Thomiſta.

42. Secundò probat antecedens Nazarius: modus nāq; inter materiam, & formam realiter ab illis diſtinctus ad hoc conſtituitur, vt ſit cauſalitas materiæ erga formam, & formæ erga materiam: at ſubſiſtentiæ ad naturam nulla eſt cauſalitas, nec natura erga ſubſiſtentiam nullam cauſalitatē exercet; ſubſiſtentia namque, aut perſonalitas creata eſt purus terminus reſpectu naturæ; puri autem termini nulla eſt cauſalitas in rem terminatam, & natura ad ſubſiſtentiam, vt quid incōpletum ad ſui complementum comparatur; complementum autem à re, quam cōplet, nullatenus poteſt cauſari, ſed ab eadem cauſa res cum ſuo cōplemento producitur: ergo, vt ſubſiſtentia, vel perſonalitas creata vniatur propriæ naturæ, nulla indiget entitate, adhuc incompleta, & modali realiter ab illa diſtincta.

43. *Reſpōdetur primò.* Huic argumento reſponderi poteſt primò, negando antecedens, ad primam probationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: ex ratione modi in communi, nego minorem; quia talis modus eſt, cuius formalis ratio eſt vnire, concedo minorem, & nego cōſequentiam. Itaque ratio formalis non indiget alia ratione formali: vndè, quia lux eſt formalis ratio coloribus, vt videantur, non indiget, vt videatur alia ratione formali, ſed ipſa per ſe ipſam videtur: & quia actio eſt ratio formalis egrediendi ab agente, ſe ipſa ab agente egreditur abſque aliquo ab illa diſtincto, per quod egrediens ab agēte conſtituatur. Quia ergo ſubſiſtentia, quamvis modus incōpletus ſit, non eſt modus, qui ſit ratio formalis vniendi, ſed ratio formalis ſubſiſtendi, fit, vt non indigeat alio, quod illi ſit ratio formalis ſubſiſtendi, ſed per ſe ipſam ſubſiſtat; indiget tamen alio, quo vniatur vt ratione formali vniendi, non vt ratione formali ſubſiſtendi; vnio autem eſt modus in ratione formali vniendi conſiſtens: & ideo, vt vniatur, non indiget modo vnionis, ſed ſe ipſa abſque modo realiter ſuperaddito vnitur.

44. *Ad ſecūdam probationē reſpondetur primo.* Ad ſecundam probationem, nego maiorem: materia namque per modum realiter ſuperadditū vnitur animæ rationali; & tamen erga illam non exercet materialem cauſalitatē, & licet de facto formas corruptibiles materialiter cauſet; potuit tamen de potentia abſoluta forma corruptibilis vniri materiæ, quin hæc in illam exerceret materialem cauſalitatem: imò de facto formæ cœlorū, & elemētorum in ſua prima cōditione nō fuerunt à materia cauſatæ, cum ex illa eductæ non fuerint in veriori ſententia; & tamen in caſu illo poſsibili daretur vnio realiter à materia, & forma diſtincta, & de facto talis vnio intervenit in Cœlis, & elementis in ſua prima conditione: non ergo ad illud ſolum munus, nempè, cauſandi conſtituitur à Nobis inter materiam, & formam modus realiter ab illis diſtinctus, ſed ex præciſſo munere vniendi, quod etiam inter ſubſiſtentiam, & naturam exercetur, cum ſubſiſtentia ſit vnita naturæ, & natura vnita ſubſiſtentiæ.

Secūdò, Vel ſecundò, ad ſecundam antecedentis probationem, prætermiſſa maiori, nego minorem; nam ſubſiſtētia creata ſuo modo cauſat naturam,

cum

cum illam ad existendum præparet: qua ratione forma substantialis dicitur causare materiam, quia, nempe, materia non, nisi mediante forma capax est existentiæ; natura etiam creata propriam subsistentiã caulat: tùm, quia subsistentia in natura intrinsecè recipitur: tùm etiam, quia ad illam dimanatiuè consequitur, cui causalitati non obstat, quòd ab eodem agente natura creata, & propria subsistentia procedant: sicut nec obstat, quòd natura, & proprietates illius ab eodem agente ex vi eiusdem actionis causentur, quo minus proprietates à natura dependeant materialitèr, & dimanatiuè.

45. *Secunda solutio.*

Secundò ad principale argumentum respondeo, distinguendo antecedens: subsistẽtia vnitur seipsa absque modo realitèr superaddito, illam subiectiuè vniente, transeat antecedens: absque modo realitèr superaddito vniente naturam subiectiuè ad subsistẽtiam terminatiuè se habentem, nego antecedens, & distinguo consequens per eandem distinctionẽ; solum enim sequitur, subsistentiam Verbi vniri humanitati seipsa per exclusionem modi realitèr superadditi subiectiuè vniẽtis Verbum, humanitati se habẽti vt termino talis vnionis; nõ autem, quòd vniatur seipsa per exclusionem modi realitèr superadditi humanitati, illam subiectiuè vnientis ad subsistentiam Verbi se habẽtem terminatiuè, quod ita euenisse in mysterio Incarnationis ex *infra* dicendis *in hac disputatione* constabit.

46. *Sed oppones primò.*

Sed oppones primò: non est ratio, cur subsistẽtia seipsa sine modo superaddito vniatur subiectiuè, & vt natura subiectiuè vniatur, necessarius sit modus realitèr superadditus, & realitèr ab illa distinctus: ergo, si ex parte subsistentiæ non datur modus realitèr superadditus, vt vniatur subiectiuè, neque ex parte naturæ, vt subiectiuè vniatur, superaddẽdus est modus realitèr ab illa distinctus, & consequẽtèr inter subsistentiam creatam, & propriam naturam modus vnionis realitèr ab extremis distinctus nõ dabitur.

Secũdò. Secũdò: cum enim vnio essentialitèr sit nexus duorum extremorum, non stat, vnum alteri vnire, quin nectat vtrumque: ergo id ipsum, per quod subsistentia vnitur naturæ, vnit etiam naturam subsistentiæ, & consequentèr, si hæc per seipsam vnitur naturæ absque modo superaddito, per eandẽ subsistentiam vnietur etiam natura: ex quo vlterius infertur, superfluere modum vnionis realitèr ab extremis distinctum, per quem natura creata propriè subsistentiæ vniatur.

47. *Resp. ad primam replicã.*

Respondeo ad primam replicam, negando antecedẽs. Ratio autem differentiæ est, nam subsistentia, seu personalitas est essentialitèr inseparabilis à natura, quam terminat: in hoc sensu, quòd separata ab illa, illique non vnita, non potest existere, etiam de potentia absoluta, & consequentèr vnio subsistentiæ cum propria natura est à subsistentia inseparabilis, mutua, & non mutua separatione, ita vt nõ possit vnio existere sine subsistentia, nec subsistentia existere sine vnione; natura verò creata potest sine vnione ad propriam subsistentiam existere, vt constat in Christi humanitate; cũ autem distinctio realis vnionis ab extremo per illam vnito præcipuè colligatur ex separabilitate reali non mutua extremi, quod vnit, fit consequens, quòd, etiam si admittamus, vel omittamus, vnionem subsistentiæ cum natura non distingui realitèr à subsistentia, non vrgeamur indè concedere, vnionem naturæ cum subsistentia esse realitèr à natura indistinctam.

Ad secũdam replicam. Ad secundam, distinguo antecedens: quia vtrumque extremum nectat subiectiuè, nego antecedens: vnum subiectiuè, & aliud terminatiuè, concedo antecedens, & sub eadem distinctione primi consequentis, nego secundam consequentiam. Vel distingui poterit consequens, & concedi, non requiri modum vnionis realitèr distinctũ à subsistentia, & natura, vt hæc terminatiuè vniatur; negari autem, quòd necessarius non sit, vt subiectiuè vniatur natura ad subsistentiam terminatiuè, de quo in tertia disputationis parte sermo aliquantò fusior redibit.

Quartò

48. *Quarto arguitur.* Quartò arguitur, vt humanitas vniatur Verbo, ſufficit ſimultanea exiſtentia Verbi, humanitatis, & actionis vnitiuæ: ergo modus intrinſecè in humanitate receptus realitèr ab extremis diſtinctus neceſſarius non eſt. Probatur antecedens: poſita actione vnitiua humanitatis ad Verbum, neceſſariò humanitas illi vnitur: ergo ad huiuſcemodi vnionem ſufficit ſimultanea exiſtentia Verbi, humanitatis, & actionis vnitiuæ. *Reſpondetur.* Reſpondeo, negando antecedens, ad probationem diſtinguo antecedens: ex vi actionis vnitiuæ efficientèr, concedo antecedens: ex vi actionis vnitiuæ formalitèr, nego antecedens, & conſequentiam: ſicut iſta conſequentia non tenet: *Poſita actione calefactiua, neceſſariò exiſtit calidum: ergo calidum ſit per actionem calefactiuam, vel per ſolam coexiſtentiam ſubiecti, & calefactionis abſque aliqua forma intermedia.* Cuius conſequentiæ defectus indè prouenit, quòd neceſsitas, vt calidum ſit, exiſtente actione calefactiua, non eſt ex vi actionis calefactiuæ formalitèr, ſed ſolum efficientèr, quia, nempè, calefactio actualis eſſentialitèr infert calorem, per quod non excluditur, ſed potius infertur neceſsitas formæ à calefactione diſtinctæ, per quam ſubiectum conſtituatur formalitèr calidũ: ita in præſenti Nos dicimus, poſita actione vnitiua humanitatis ad Verbũ, neceſſariò vniri humanitatem Verbo, non per ipſam actionem vnitiuam formalitèr, ſed efficientèr, quia efficientèr cauſat modum formalitèr vnientem humanitatem, per quod non excluditur, ſed potius includitur, vel infertur neceſsitas modi diſtiſtincti ab humanitate, & actione vnitiua ad præſtandum prædictum effectum formalitèr.

49. *Obijcies.* Sed obijcies: diſtinctio realis modi vnientis formalitèr ab humanitate vnita probatur à Nobis ex ſeparabilitate reali non mutua vnionis ab humanitate; ſed licet abilla abſolutè sũpta ſit realitèr ſeparabilis vnio, ab illa tamen connotata actione vnitiua, implicat realitèr ſeparari: ergo ab humanitate cum hac connotatione non diſtinguitur realitèr vnio. Patet conſequentia: nam reſpectu humanitatis, adiuncta cõnotatione actionis vnitiuæ, non militat medium probativum diſtinctionis: ergo ab illa ſic ſumpta non diſtinguitur realitèr vnio.

50. *Reſpondetur.* Reſpondeo, conceſſa maiori, & minori, negando cõſequentiam, nam quòd ab humanitate, & actione vnitiua ſit inſeparabilis vnio, provenit ex eo, quòd actio vnitiua eſsẽtialitèr habet ſibi annexum modum vnionis formalitèr vnientem humanitatem Verbo prædicta actione efficientèr cauſatum: ex quo, vt *proximè* dicebã, potius infertur neceſsitas modi realitèr ab humanitate diſtincti, quam excluſio talis modi. Nos ergo rectè probamus ex eo, quòd vnio ſit realitèr ſeparabilis ab humanitate, quòd realitèr diſtinguatur ab illa, & ex eo, quòd ſeparabilitas hæc eſt alicuius intrinſeci, rectè etiam arguimus, quòd non poſſit prouenire, niſi ab aliquo intrinſecè in humanitate recepto; ac proindè quòd, poſita actione vnitiua, non proveniat abilla formalitèr, ſed tantum efficientèr: ex quo vlterius colligitur, quòd licet ſit inſeparabilis ab humanitate ſub actione vnitiua, nihilominus realitèr diſtinguatur ab illis: ab actione quidem vnitiua; quia ab illa efficiẽter cauſatur, ſi actio immanens in Deo formalitèr ſit; quòd ſi ſit actio tranſiens formalitèr in paſſo recepta, diſtinguetur ab illa, vel diſtinctione reali entitatiua, vel diſtinctione reali formali iuxta varias ſententias de diſtinctione actionis tranſeuntis à termino per illam producto; ab humanitate autem diſtinguitur realitèr; quia eſt realitèr ſeparabilis ab illa: & quidem hæc obiectio non poteſt Diſcipulis D. Thomæ fauere probantibus diſtinctionem realem relationis à fundamẽto, quia realitèr ſeparatur ab illo, ſeparatione non mutua: cum tamen à fundamento connotato termino relatio ſeparari non poſsit.

51. *Denique arguitur.* Denique arguitur: ſtat ſeparatio realis non mutua abſque intrinſeca diſtinctione reali inter extrema ſeparationis: ergo ex eo, quòd vnio humanitatis ab Verbum ſit ab illa ſeparabilis

ſepa-

separatione realitatis non mutua, perperā à Nobis infertur distinctio realis intrinseca modi vnionis ab humanitate vnita. Consequentia est bona; antecedens autē ostenditur primò; nam quòd hæc albedo, v.g. realiter fundet relationem realem similitudinis ad aliam albedinem actu existentem, est ab illa realitèr separabile, & de facto separatur, si albedo terminans relationem similitudinis desinat esse; & tamen, quòd hæc albedo fundet prædictam relationem, non est aliquid reale intrinsecum realitèr ab illa distinctum: ergo stat separatio realis nō mutua absque distinctione reali intrinseca inter extrema separationis.

Probatur antecedens primò.

52. *Secundò.* Deinde, nam Verbum diuinum realitèr terminare humanitatem, illamq; reddere subsistētem est ab illo separabile; & tamen prædicta terminatio non dicit entitatem Verbo intrinsecam realiter ab illo distinctam: ergo separatio realis nō mutua stare potest absque reali intrinseca distinctione. Præterea, nam quòd amor Petri erga Paulum sit amor amicitiæ, est aliquid reale ab illo realitèr separabile per hoc, quòd Petrus non redametur à Paulo; & tamen ratio amicabilitatis in prædicto amore nō addit entitatem intrinsecam: ergo verum est antecedens.

Tertiò.

Denique probatur; nam exercitium realitèr referendi patrem ad secundum filium genitum de nouo est separabile à relatione paternitate, ipsa perseuerante, si, nempè, secundus filius pereat, primo existente; & tamen exercitium illud non addit relationi entitatem modalem à paternitate distinctam, qua pater ad primum filiū refertur: ergo idem, quòd prius.

Quartò.

53. *Respondetur.* Respondeo, negando antecedens, loquendo de separatione reali entitatiua, de qua nostra ratio procedit: ad primam probationem, concessa maiori, nego minorem, nam licet esse fundamentum relationis realis similitudinis per modum actus primi nihil reale intrinsecum superaddat albedini; illam tamen actu fundare aliquid reale addit, scilicet, actionem, seu emanationē: sicut enim agens per veram, efficientiā denominatur tale ab actione: ita principium influens dimanatiuè constituitur in actu per dimanationem, quæ reductiue actio est. Vel secundò dicatur, quòd sicut subiectū causat materialitèr accidens, & materia formam, mediante vnione, quæ aliquid intrinsecum est, & realiter ab illis distinctum: ita albedo fundat relationem similitudinis, illamque fundamentaliter causat, mediante vnione cum illa: quæ vnio est aliquid reale intrinsecum realiter ab albedine distinctum.

54. *Ad secundam probationē.* Ad secundam probationem, distinguo maiorem: separatione quoad denominationem tantum, concedo maiorem: separatione quoad entitatem, seu entitatiua, nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens distinctione maioris; solum enim sequitur, separationem realem purè denominatiuam non esse argumentum distinctionis realis intrinsecæ; non autē, quòd separatio realis entitatiua non arguat intrinsecam realem distinctionem inter extrema separationis. Neque ex eo, quòd Verbum diuinū absq; superadditione entitatis terminet humanitatem, præstetque nouam denominationem intrinsecam, vel illam à propria personalitate suscipiat, licet inferre, quòd hoc ipsum possit in humanitate contingere, quòd namque Verbum entitatiue invariatum id præstet, quod in creaturis absque mutatione intrinseca nequit contingere, prouenit ex illius infinitate; ac proindè ad entitates creatas extendendum non est: sicut ex eo, quòd idem actus Dei entitatiue invariatus denominet Deū volentem necessariò, & volentem liberè absque superadditione entitatis, quæ Deo deficere possit, non licet inferre, actum creatum, & finitum in nobis vtramque istam denominationem posse invariatum omninò præstare; quia id concedimus actui voluntatis diuinæ ob illius infinitatem, & summam actualitatem.

55. *Ad tertiam.* Ad tertiam probationem dicatur, denominationem amicitiæ in actu amoris, quo vnus diligit alium, esse partim intrinsecam, & partim extrinsecam; ideoque deficere potest absque

defe-

defectu entitatis, quæ sit intrinseca amori: denominatio autem vniti, etsi petat extremum tãquam terminum, ab illo tamen nõ sumitur, sed adæquate ab intrinseco: sicut denominatio relati prædicamentaliter, etsi termini existentiam desideret, non sumitur ab illo formaliter; & denominatio liberè volentis in Deo licet connotet obiectum creatum vt terminum; ab illo tamen nec inadæquatè sumitur, sed adæquatè ab intrinseco in veriori Theologorũ sententia: ita in denominatione vniti contingit, quòd licet sine extremo terminante subsistere nequeat; non tamen ab illo sumitur, sed est adæquate intrinseca: & ideo nequit deficere sine defectu alicuius entitatis intrinsecæ: & ratio est; nam denominatio intrinsecè respicientis, etsi petat terminum, sine quo saluari nequit; ab illo tamen non sumitur; denominatio autem vniti in humanitate est denominatio respectiua intrinseca, nõ prædicamentaliter, sed transcendentaliter; ideoque non sumitur ab extrinseco extremo, ad quod terminatur, sed adæquatè ab intrinseco.

56. *Ad vltimam.* Ad vltimam probationem, distinguo maiorem: exercitium referendi patrem ad secundum filium est separabile à relatione paternitatis, adhuc perseuerante, separatione solũ quoad denominationem, concedo maiorẽ: quoad entitatem, nego maiorem, & prætermissa minori, de qua inter Thomistas est disceptatio, nego consequẽtiam; Nos enim loquimur de separatione reali non mutua duorum quoad entitatem, cum ex illa inferimus realem illorum distinctionem; quandò autem, primo filio genito, alius generatur de nouo, paternitas præexistens, quæ in probabili sententia, etsi non omnibus Thomistis communi, ad secundum filium extenditur, non extenditur ad illum ratione nouæ, & superadditæ entitatis, sed entitatiuè inuariata denominat patrem ad secundum filium relatum: vndè, si secũdus filius pereat, nihil entitatis præ dictæ relationis deperditur, sed sola denominatio. Quòd si rationẽ petas, cur exercitium referendi patrem ad secundum filium desinit absque destructione entitatis, & in nostro casu, non solum desinit denominatio vniti, sed etiá aliqua entitas? Ea est, quia, nempè, solum exercitium referendi patrem ad aliquem filium vagè, qui est formalis terminus prædictæ relationis, est illius entitati essentiale; ad hunc verò, aut illum filium in particulari referre, quos de materiali respicit, essentiale entitati prædictæ relationis non est: & ideò ex defectu extẽsionis ad hunc, vel illum filium in particulari, remanente aliquo, ad quem terminetur, nihil entitatis perdit; quia solum destruitur terminus materialis illius; vnio autem habet pro primario, & formali termino extremum, cui nectit humanitatẽ: vndè, illo termino deficiente, in ratione termini vnionis, non destruitur sola denominatio vniti, sed etiam entitas vnionis, cui est prædicta denominatio essentialis.

57. Quòd si hæc non placuerint, poterit responderi secundò, patrem non respicere filium genitum de nouo per antiquam relationem, qua filium primo genitum respiciebat, sed per nouam supervenientem, prima relatione destructa: vndè, si secundus filius deficiat, deficit secunda relatio, & alia supervenit, nè duo accidẽtia solo numero distincta dentur simul in eodem subiecto, quod etiam in accidentibus respectiuis impossibile à D. Thoma censetur: iuxta quam doctrinam nunquam desinit esse denominatio relati absque defectu entitatis, ex quo argumentum contra Nos sumebatur.

§. V.

Resolvitur secunda pars præsentis disputationis.

58. *Referuntur sententiæ.* CIRCA secundam partem, in qua examinandũ proposuimus, quid sit modus iste vnionis, variæ sunt Theologorum sententiæ. Prima docet,

cet, esse qualitatem quandam supernaturalem, per quam humanitas diuino Verbo coniungitur. Ita Gabriel *in 1. dist. 30. q. 4. art. 2. & in 3. dist. 1. q. 1. art. 1.* Secunda sententia docet, esse relationem prædicamentalem extrinsecus advenientem. Hanc tenent Scotistæ cum suo Doctore subtili *in 3. dist. 1. q. 1. art. 3.* Illamque vt de mente Scoti, & Discipulorum eius explicant, & tuẽtur Radda *3. part. controuers. 3. art. 4.* & Franciscus del Castillo *in præsenti disputatione 5. q. 4.* Tertia sententia docet, vnionem hypostaticam esse influxum activum Verbi in humanitatem proprium Verbo, & in eo consistentem, quòd humanitatem reddat independentem à subiecto. Pro qua refertur Carolus Franciscus de Abra *tractatu de Incarnatione cap. 3. quæstione 3.* Quarta, & vera sententia defendit, vnionem illam, nec qualitatem, nec relationem prædicamentalem esse, nec activum influxum Verbi in humanitatem, sed modum quendam substantialem transcendentaliter relativum. Hanc tenent cæteri Theologi in *1. p. disputationis* pro nostra sententia relati.

Gabr. *Scotistæ* *Radda.* *Castillo.* *Abra.* *Theologi.*

59. *Prima conclusio.*

Pro cuius explicatione dicendum est primò contra Gabrielem, vnionem humanitatis ad Verbum qualitatem non esse. Ita communiter Theologi, & ostenditur primò: nam accidens, cum det esse secundum, necessariò supponit esse substantiale, quod est esse primum, & tale simpliciter; sed pro priori ad subsistentiam non convenit humanitati esse substantiale, cũ existat, & subsistat per existentiam, & subsistentiam Verbi: ergo pro priori ad subsistẽtiam nullum accidens inest humanitati, quod tamen necessarium erat, vt humanitas Verbo vniretur, media qualitate supernaturali; hæc namque est de prædicamento accidentis. Confirmatur primò: nam inter subsistentiam creatam, & naturam, quam terminat, nullum accidens prædicamentale mediat: ergo nec inter subsistentiam Verbi, quæ vices supplet subsistentiæ creatæ, & naturam humanam, quã terminat, potest qualitas supernaturalis mediare. Confirmatur secundò, nam humanitatem terminari per subsistentiam Verbi, est aliquid substantiale, & consequenter non potens medio accidenti prædicamentali præstari; sed præstatur media vnione: ergo vnio accidens prædicamentale non est, & cõsequenter non consistit in qualitate supernaturali. Confirmatur, & vrgetur tertiò, nam de essentia compositi substantialis esse non potest accidens prædicamentale, alias non esset vnum per se, cum ex pertinentibus ad diuersa prædicamenta non possit vnum per se resultare; sed Christus est substantiale compositum gaudens vnitate per se, & de illius essentia est vnio humanitatis ad Verbum: ergo huiusmodi vnio accidẽs prædicamentale non est, & consequẽter supernaturalis qualitas esse non potest.

60. *Suadetur conclusio secundò.*

Deindè principaliter suadetur cõclusio: nam vnio formæ substantialis cum materia non est accidens prædicamentale: ergo nec vnio humanitatis ad Verbum accidens prædicamentale esse potest. Consequentia tenet: ratio namque probans, vnionem formæ cum materia accidens prædicamentale non esse, pari efficacia militat in vnione humanitatis ad Verbũ; antecedens autem probatur: si namque semel asseratur, vnionem formæ cum materia esse de prædicamẽto accidentis, sequitur, posse defendi, subsistentiam, & personalitatem esse accidens prædicamentale: consequens est contra omnium Philosophorum, & Methaphysicorum sententiam: ergo vnio formæ substantialis cum materia non est de prædicamento accidentis. Probatur sequela; non enim alia ratione probari potest, subsistentiam, & personalitatem accidens prædicamentale non esse, nisi quia ex illa, & natura vnum per se in linea substantiæ resultat; sed hæc ratio manifestè instatur, concesso, vnionem formæ substantialis cum materia esse de prædicamento accidentis, cum ex prædicta vnione resultet substantiale compositum, quod est per se vnum: ergo, concesso vnionem formæ substantialis cum materia esse de prædicamen-

to accidentis, ſequitur, poſſe defendi, ſubſiſtentiam, & perſonalitatem ſub prædicamento accidentis contineri.

61. *Opponens.* Nec refert, ſi opponas in fauorem Gabrielis; nam vnio humanitatis ad Verbum poteſt conuenire, & non cõuenire humanitati, vt potè, cum ſit extra eſſentiam illius, nec ſit paſsio ad illius eſſentiam conſequuta: ergo conuenit humanitati accidentaliter, & conſequenter eſt de prædicamento accidentis. Nõ, inquam, obſtat: tùm, quia ad ſummum colligitur, comparari ad humanitatem vt accidẽs prædicabile, non autem, quòd ſit accidens prædicamentale, vt conſtat in exiſtentia ſubſtantiæ, quæ poteſt illi conuenire, & non conuenire; & tamen de prædicamento accidentis non eſt. Cõſtat etiam in ſubſiſtentia Verbi terminante humanitatem, quæ taliter illi conuenit, quòd potuit non conuenire; & tamen accidens prædicamentale non eſt. Tùm etiam: nam Verbo taliter conuenit eſſe hominem, quòd potuit illi non conuenire, ſi humanitati non vniretur, vt potuit; & tamen homo de Verbo non prædicatur accidentaliter, adhuc prædicabiliter, vt docet S. Thom. *infra q. 16. art. 1.* eo quòd humanitas trahitur ad eſſe Verbi. Cũ ergo vnio humanitatis ad Verbum eadem exiſtentia exiſtat, qua exiſtit humanitas, etiam ſi poſsit humanitati non conuenire, non ſequitur, accidentaliter, adhuc prædicabiliter, conuenire humanitati.

62. *Secũda concluſio.* Secundò eſt dicendum, vnionem humanitatis ad Verbum non eſſe relationem prædicamentalem. Ita extra Scholam Scoti ſentiunt Theologi communiter, & oſtenditur primò ex D. Thom. *in 2. Sent. diſt. 2. q. 2. art. 2. quæſtiuncul. 3. in corpore*, vbi docet, vnionem ſumptam pro relatione cõſequi coniunctionem humanitatis ad Verbũ: ergo coniunctio humanitatis ad Verbũ relatio prædicamentalis nõ eſt, cum illam præcedat, & conſequenter vnio in hac coniunctione cõſiſtẽs prædicamentalis relatio eſſe nequit. Deindè, nam relatio prædicamentalis in hoc præcipuè à tranſcendentali diſtinguitur, quòd prædicamentalis reſpicit terminum vt purum terminum; tranſcendentalis verò non ita, ſed vt cauſam, vel effectum; ſed humanitas, mediante vnione, dependet à Verbo tanquam à ſuſtentante, illudque reſpicit, tanquam à quo in exiſtendo, depẽdet: ergo vnio iſta relatio prædicamentalis non eſt.

63. Denique: vt enim contra Gabrielem *proximè* oſtendimus, de eſſentia compoſiti ſubſtantialis accidens prædicamentale eſſe nequit; ſed relatio prædicamentalis eſt de prædicamento accidẽtis: ergo eſſe nequit de eſſentia Chriſti, quatenus cõpoſiti ex Verbo, & humanitate, qua ratione eſt ſubſtantiale cõpoſitum; cumque de eſſentia illius, prout ſic, ſit vnio humanitatis ad Verbum, non poteſt huiuſcemodi vnio in relatione prædicamentali conſiſtere.

Reſpondet Caſtillo. Si fortè dicatur cum Franciſco del Caſtillo *vbi ſupra*, relationẽ iſtam, eſto prædicamentalis ſit, non eſſe accidens, ſed aliquid ſubſtantiale. In cõtrarium obſtat, hoc inter alia poriſsimum diſcrimen verſari inter relationem prædicamentalem, & tranſcendentalẽ, quòd hæc diuagatur per alia prædicamenta, & cum illis identificatur; prædicamentalis verò ſpeciale prædicamentum conſtituit diuiſivum accidentis, & ſub accidente contentum; ideoque prædicamẽtalis dicitur: ergo, vel relatio iſta prædicamentalis non eſt, vel ſub genere accidentis cõtinetur, vt de omni relatione prædicamentali creata cenſent communiter Philoſophi, & Methaphyſici. Quòd ſi hic Auctor tenaciter inſiſtat in eo, quòd poteſt eſſe prædicamentalis relatio, & in genere ſubſtantiæ; quæſtio erit de nomine; debebit tamen ſequi cõmunem modum loquendi, & cum illo conformari.

64. *Tertia concluſio.* Tertiò eſt dicendum contra tertiã ſententiam, hypoſtaticam vnionem non eſſe influxum actiuum ſpecialem Verbi in humanitatem, nec in tali influxu conſiſtere. Ita omnes Theologi, nullo excepto, quem viderim, & oſtenditur primò: influxus namque actiuus in efficientia conſiſtit; ſed efficientia Incarnationis eſt toti Trinitati

com-

communis: ergo influxus activus Verbi in humanitatem est communis toti Trinitati, & consequenter vnio humanitatis ad Verbum, quæ Verbo est propria, & alijs personis non competens, in influxu actiuo Verbi in humanitatem consistere nequit. Minor, in qua sola potest esse difficultas, probatur ex Concilio Lateranensi relato *in cap. firmiter de summa Trinitate*, vbi de Filio loquens, sic ait: *A tota Trinitate communiter incarnatus, ex Maria semper Virgine Spiritus Sancti cooperatione conceptus, verus homo factus, &c.* Conc. Later. Et ex Concilio Toletano 6. *cap.* 1. illis verbis: *Et cum tota cooperata sit Trinitas formationem suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis; solus tamen Filius suscepit humanitatem in singularitate personæ*: ergo efficientia Incarnationis toti Trinitati est cõmunis, & consequenter nullus influxus activus in humanitatem competit specialiter Verbo, in quo possit consistere vnio humanitatis cum ipso. Conc. Tolet.

65. Deindè probatur: nam iuxta communem Patrum, & Theologorum axioma opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, & tribus personis communia, vt constat ex Concilio Toletano 6. *proximè* adducto, illis verbis: *Quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis*, habetque fundamentum non leue in illis verbis Ioannis 5. *cap. Filius non potest à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem; quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit*; sed omnis influxus activus Verbi in humanitatem est opus ad extra: ergo omnis talis influxus indiuisus est, & omnibus personis diuinis communis, & consequenter vnio, quæ Verbi est specialiter, in actiuo influxu Verbi in humanitatem consistere nequit. Ioann. cap. 5.

66. Præterea, nam, vt Verbo specialis influxus activus in humanitatem competeret, necessarium erat, vt vis actiua conueniret diuinis personis ratione proprietatis relatiuæ, quatenus à perfectionibus absolutis distinctæ; sed hoc asserere est contra omnium Theologorum sententiam, & rationi manifestæ aduersatur: ergo Verbo in humanitatem nullus conuenit specialis activus influxus. Maior cũ consequentia tenet; minor autem ostenditur primò: nam vis actiua conuenit personis diuinis ratione omnipotentiæ; sed hæc non conuenit illis ratione relationum secundum id, quod addũt ad essentiam, sed est perfectio absoluta, aliàs esset concedenda triplex omnipotentia in Deo, contra illud Symboli Athanasij: *Non tres omnipotentes, sed vnus omnipotens*: ergo vis actiua nõ cõuenit diuinis personis ratione relationum secundum id, quod addunt ad essentiam, sed est perfectio omnibus illis communis. Symb. Athan.

67. Secundò probatur minor: nam vis actiua competens diuinis personis ratione relationum, vel esset vis actiua effectiua omnis factibilis, vel ad aliqua factibilia limitata; hoc secundum imperfectio est in ratione actiuitatis, & consequenter nõ est admittendum in Deo; primum autem omnipotentiam in personis multiplicat, cum omnipotentia consistat in vi effectiua omnis factibilis: ergo vis actiua ratione relationum diuinis personis conueniens admittenda non est.

Tertiò eadem minor probatur: nam vis actiua ad extra non est minus absoluta in Deo, quam vis intellectiua, & vis volitiua, & quam misericordia, & iustitia; sed hæc, quia absoluta sunt, non competunt diuinis personis ratione relationum secundum id, quod addunt ad essentiam, aliàs darentur in Deo tres intellectus, tres voluntates, &c. quod omninò absurdum est: ergo nec vis actiua potest diuinis personis competere ratione relationum secundum id, quod addunt ad essentiam.

68. Si opponas primò: vis generatiua est vis actiua; & tamen Patri competit ratione paternitatis, vel vt principij *quo* proximi, vel saltim vt complemẽti principij, ideoque non convenit alijs personis: ergo aliqua actiuitas cõuenit vni personæ, quæ non convenit alijs, & consequenter id ipsum dici poterit de speciali influxu actiuo Verbi in humanitatem, quòd, nempè, con- *Obijcies primò.*

ueniat Verbo ratione proprietatis relatiuæ, vel vt principij, vel vt complementi principij, & conſequenter non ſit alijs perſonis communis. Secundò, nam Verbum aliquem ſpecialem influxum in humanitatem exereet, cum humanitas ſpecialiter à Verbo dependeat, aliquo dependentiæ genere, quo non dependeat ab alijs perſonis, & ſpecialis dependẽtia ſpecialem influxum neceſſariò ſupponat; ſed influxus iſte finalis non eſt, nam etiam influxus finalis eſt omnibus perſonis communis, nec materialis, nec formalis; ratio enim materiæ, & ratio formæ imperfectionem important, & conſequenter repugnat diuino Verbo munus materiæ, & munus formæ exercere: ergo eſt influxus actiuus, & effectiuus, & conſequenter datur in Verbo influxus ſpecialis actiuus in humanitatem.

Secũdò.

69. *Ad primam obiectionẽ reſpondetur.*

Reſpondeo ad primam obiectionem, vim generatiuam non eſſe abſolutè potentiam, nec abſolutè vim actiuam, ſed potentiam, & vim actiuam prout in Patre, quæ in recto, & pro ratione formali abſolutam perfectionem importat, & in obliquo, & completiuè paternitatem, *vt tract. de Trinitate* docuimus, & ideo Patri eſt propria, & non cõmunis alijs diuinis perſonis, quia in actione ad intra opponuntur; in actione autem, ſeu influxu actiuo ad extra inter diuinas perſonas oppoſitio non eſt: ideoque non poteſt alicui ex diuinis perſonis conuenire influxus actiuus ad extra, qui alijs cõmunis non ſit: & ſicut ex eo, quòd Pater poſsit generare, & Filius generare non poſsit, non ſequitur, aliquam potentiã eſſe in Patre, quæ non ſit in Filio, quia vt docet D. Thom. *1. p. q. 42. a. 6. ad 3.* mutatur quid in ad aliquid, id eſt, abſolutum in relatiuum: ita ex eo, quòd vis generatiua Patri conueniat, & non conueniat Filio, non ſequitur, aliquam vim actiuam deeſſe Filio, aut illi non conuenire ob eundem defectum; quia, nempè, vis generatiua non eſt vis actiua abſolutè, ſed vis actiua cum reſpectu. Ad ſecundam obiectionem dicatur, influxum Verbi in humanitatem eſſe terminatiuum, qui ad influxum formalem reducitur; propriè tamen formalis influxus non eſt; quia perſonalitas Verbi non informat phyſicè humanitatem, ſed tantum terminat illam.

S. Tho.

Ad ſecũdam.

70. *Quarta cõcluſio.*

Dicendum eſt quartò cum vltima ſententia *ſupra* relata, vnionẽ eſſe modum ſubſtantialem ſupernaturalẽ reſpectiuum tranſcendentaliter Verbi vt ſuſtẽtantis humanitatem. Et quòd ſit modus, probatur: nam eſt quid incompletũ humanitati affixũ eſſentialiter, in quo ratio modi cõſiſtit. Quòd autem ſubſtãtialis ſit, ex dictis colligitur; nihil enim non ſubſtantiale poteſt eſſe de eſſentia ſubſtãtialis cõpoſiti; Chriſtus autem ſubſtantiale compoſitũ eſt, & de illius eſſentia eſt vnio: ergo eſt modus ſubſtantialis. Quòd verò ſit ſupernaturalis, nulli Theologorũ eſt dubium; eſt enim ſupra debitum omnis naturæ creatæ, & creabilis, cum namque cuiuis naturæ creabili ſubſiſtentia creata ſibi propria debeatur, nulli naturæ creabili poteſt eſſe debita ſubſiſtẽtia increata, & cõſequenter nec vnio, quæ eſſentialiter eſt connexa cũ illa; ſed in hoc exceſſu ad exigentiam omnis naturæ creabilis conſiſtit ſupernaturalitas entis, vel ſaltim ex illo probatur: ergo modus iſte vnionis eſt ſupernaturalis. Quòd, denique, ſit reſpectiuus tranſcendentaliter Verbi, probatur: vnio namque eſſentialiter nectit vnum extremum cum alio: ergo reſpicit vnũ, vt ſubiectum, & alterũ ſaltim vt terminum; ſed vnio humanitatis ad Verbum eſt in humanitate ſubiectiuè; in Verbo autem vt in ſubiecto eſſe nequit, vt ex dicendis *in tertia diſputationis parte* cõſtabit: ergo reſpicit Verbum vt terminum: cumque non vt terminum purum, ſed vt terminum dependentiæ, ſequitur, reſpicere Verbum reſpectu tranſcendentali, ſeu eſſe reſpectum tranſcendentalẽ ad Verbum.

71. *Quæſtio incidens reſolvitur.*

An autem ſuper iſtum reſpectum tranſcendentalem fundetur alius prædicamentalis, quo humanitas referatur ad Verbum, non eſt cõcors Theologorum ſententia? Negat Vazquez *vbi ſupra cap. 4.* Affirmandum tamen cenſeo cum alijs: tùm, quia, vt ex D. Thoma vidimus, vnio ſumpta relatiuè

tiuè consequitur coniunctionem humanitatis ad Verbum, & illius mutationem; sed hæc doctrina de modo substantiali, quem hucusque explicuimus, vera esse non potest, cum formaliter humanitatem Verbo coniungat, & se ipso illam immutet, & consequenter nec ad coniunctionem, neque ad mutationem humanitatis sequatur: ergo verificari debet de relatione prædicamentali super modum istũ fundata, & ab illo distincta. Tùm etiam: nam in relatione similitudinis, præter fundamentum, scilicet, vnitatem, assignatur relatio prædicamentalis fundata: ergo etiam in præsenti præter vnionem debet constitui relatio fundata super illam.

72. Denique, nam si non esset huiuscemodi relatio admittenda supra modum substantialem fundata, maximè, quia modus ipse substantialis essentialiter respicit Verbum, ideoque ad ipsum respiciendum non est vlterior relatio assignanda; hoc enim fundamẽto ducitur Vazquez; sed hæc ratio est nulla: ergo constituenda est relatio prædicamentalis in humanitate ad Verbum consequens modum vnionis, & super illum fundata. *Minor* probatur primò: nam etsi actio essentialiter respiciat agens, & scientia essentialiter respiciat scibile, datur nihilominus prædicamẽtalis relatio ad agens super actionem fundata: & similiter datur relatio prædicamentalis, qua scientia refertur ad scibile: ergo pariter, licet modus vnionis essentialiter respiciat Verbum, fundabit nihilominus prædicamentalem respectum, per quem humanitas ad ipsum referatur. Secundò, & à priori, nam modus vnionis respicit Verbum respectu transcẽdentali, vt terminum dependentiæ: ergo, vt Verbum respiciatur ab humanitate respectu ad ipsum, vt ad purum terminum terminato, constituendus est prædicamentalis respectus.

* * * * * * * * * * *
* * * * * * *
* * * * * *

§. VI.

Occurritur argumentis in contra.

QVÆ in fauorem aliarum sentẽtiarum, quas retulimus, facere possunt, obiter opposuimus, & diluimus; contra nostram verò nullum extat argumentum, quod alicuius ponderis sit; possumus tamen contra illam argumentari, & primò contra primam partem: si namq; enti creato completo repugnat essentialis connexio cum Verbo vt terminante, à fortiori enti modali, & incompleto, quod inferioris conditionis est, huiusmodi connexio repugnat; sed non est dabile ens creatum completum essentialiter cum subsistentia Verbi cõnexũ: ergo nec est dabilis modus incõpletus, cui talis connexio competat.

73. *Primum argumẽtum.*

Respondeo, negando maiorem, imò potius ob maiorem perfectionẽ entis completi repugnat illi essẽtialis connexio, quæ non repugnat enti incompleto, & modali: sicuti accidenti, quod inferius est substãtia, non repugnat supernaturalitas, quæ tamen substantiæ repugnat: & ratio differentiæ, quantũ ad præsẽs attinet, est; quia ens cõpletũ, vel est substantia, vel accidẽs; substantiæ cõpletæ repugnat illa connexio: tũ, ex ratione supernaturalitatis in cõmuni, quã substantiæ repugnare tenent cõmunis sententia: tùm etiã; quia eo ipso, quòd substantia cõpleta sit, ei debetur subsistẽtia propria creata, cũ quo debito non cõpatitur essentialis, imò etiã cõnaturalis connexio cũ subsistẽtia Verbi. Si verò accidens sit, dicta connexio ei repugnat non ex ratione supernaturalitatis in cõmuni; dãtur enim supernaturalia accidẽtia, sed quia accidens ad summũ posset ad personalitatẽ diuinam dispositiuè se habere; vnitiuè namque concurrere repugnat accidenti ob rationes con-

74. *Solutio.*

tra Gabrielem factas, & ſolum formæ vnitiuè concurrenti poteſt eſſentialis eſſe connexio cum ſubſiſtētia Verbi; modo autem ſupernaturali ſubſtantiali non debetur ſubſiſtentia creata, & aliàs non repugnat illi vnitiuè ad compoſitum ſubſtantiale concurrere; ideoque non implicat modus eſſentialitèr cum perſonalitate Verbi connexus.

75. *Secundum argumētū.* Secundò contra eandem partem arguitur: modus identificatur realitèr cum re, cuius eſt modus; ſed modus ſupernaturalis, cum natura humana, quæ ordinis naturalis eſt, realitèr identificari non poteſt, cum minus diſtet ſupernaturale à naturali, quam ſpirituale à corporeo, inter quæ realis identitas non poteſt inveniri: ergo vnio humanitatis ad Verbum modus ſupernaturalis non eſt.

Solutio. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: realitèr negatiuè, concedo maiorem; realitèr poſitiuè, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: identificari realitèr poſitiuè, eſt, quòd vnum, & alterum entitas ſit, & quòd vnum ſit aliud: identitas realis negatiua conſiſtit in hoc, quòd non ſit inter aliqua entitatiua diſtinctio; inter modum autem, & rem, cuius eſt modus, non intervenit diſtinctio entitatiua, quia ad hoc requirebatur, quòd ſic diſtincta eſſent entitas, & entitas: & quia modus entitas non eſt, etſi diſtinguatur realitèr modalitèr à re modificata; non tamen ab illa diſtinguitur realitèr entitatiuè, & in hoc conſiſtit identificari realitèr negatiuè cum illa.

76. *Tertiū argumētum contra ſecundam, & tertiam partem.* Deindè contra ſecundam, & tertiam partem noſtræ concluſionis arguitur: vt enim tenet cōmunis Theologorum ſententia, implicat ſubſtantia ſupernaturalis creata: ergo non ſtat, modum vnionis humanitatis ad Verbum eſſe ſubſtantialem, & ſupernaturalem. *Solutio.* Reſpondeo communi ſolutione, implicare ſubſtantiam ſupernaturalem completam; ſecus autem ſubſtantiam ſupernaturalem modalem, & ratio differentiæ eſt, nam ſubſtantia completa à nullo extrinſeco ſpecificari poteſt: vndè, ſi ſupernaturalis eſſet, id non poſſet habere per reſpicientiam alicuius extrinſeci, nempè, Dei, quatenus ordinem omnium entium creatorum, & creabilium excedit, ſed id haberet à ſe, & conſequētèr eſſet ſupernaturalis per eſſentiam, quod cum ratione entitatis creatæ repugnat; modus autem incompletus eſt tranſcendentalitèr reſpectiuus, & ſpecificabilis ab extrinſeco: vndè poteſt eſſe ſupernaturalis, non à ſe, ſed ab alio, ſcilicet, per ſpecificationem à Deo, quatenus excedit totum ordinem naturæ.

Sed contra hanc ſolutionem opponit Magiſter Nazarius: eo ipſo, quòd vnio ſit modus humanitatis, debet realitèr identificari cum illa; modus enim identificatur realitèr cum re, quam modificat; ſed identificatum realitèr cum aliquo eſt illi connaturalitèr debitum: ergo eo ipſo modus ille eſt connaturalitèr debitus humanitati: cumque nihil ſupernaturale poſſit connaturalitèr enti naturali deberi, conſequens ſit, quòd humanitas debeat eſſe ſupernaturalis: ex quo vlterius ſequitur, non ſtare ſupernaturalitatem ſubſtantialem modalem abſque ſupernaturalitate ſubſtantiali completa. Deindè contra illam poſſumus argumentari: nam omnis modus cōnaturalitèr petit naturam, cuius eſt modus: ergo petit naturam aliquam, cui connaturalis ſit, & conſequentèr repugnat modus ſupernaturalis, repugnante natura ſupernaturali completa. Antecedens probatur: petit eſſentialitèr naturam, cuius eſt modus: ergo petit illam connaturalitèr; nihil enim magis connaturale, quam id, quod eſt eſſentiale.

77. *Obiectio primo.* *Secūdò.* *Tertiò.* Tertiò, nam ſequitur ex tradita ſolutione, eſſe dabilem formam ſubſtantialem ſupernaturalem: conſequens eſt falſum, aliàs eſſet dabile cōpoſitum ſubſtantiale ſupernaturale, & conſequentèr ſubſtantia ſupernaturalis completa: ergo, & tradita ſolutio. Probatur ſequela: ſupernaturalitas formæ ſubſtantialis eſſet ſupernaturalitas incompleta, ſed hæc iuxta ſolutionem traditam non repugnat:

ergo

ergo ex illa sequitur, esse dabilem formam substantialem supernaturalem.

78. *Resp. ad primam replicã.* Respondeo ad primam replicam, veram esse maiorem de identitate reali negatiua, non verò de positiua, vt *proximè* dicebamus, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam, nam licet identificatum realitèr positiuè cum alio sit illi connaturalitèr debitum, quod solum realitèr negatiuè cum aliquo identificatur, non est necessarium, quòd illi sit connaturalitèr debitum; vnio autem ex eo, quòd modus sit solum realitèr negatiuè cum humanitate identificatur; ideoque, non sequitur, esse illi connaturalitèr debitum. *Ad secũdam.* Ad secundam, distinguo antecedens: connaturalitèr mutua connaturalitate, nego antecedens: connaturalitate non mutua, concedo antecedens, & nego consequentiam, nam licet modo supernaturali debeatur natura, quam modificat, ille tamen non debetur naturæ modificatæ: & in hoc consistit, connaturalitatem esse non mutuam, neque ex eo, quòd modo debeatur natura, sequitur, modum naturæ deberi, nam lumini gloriæ, charitati, & gratiæ natura creata intellectualis debetur; illa tamen debita naturæ non sunt.

79. *Ad tertiam.* Ad tertiam obiectionem, nego sequelam, ad illius probationem dicatur, aliud esse supernaturalitatem incompletam partialem, & aliud supernaturalitatem incompletam modalẽ. Hæc secunda non repugnat: prima verò est omninò impossibilis: & ratio discriminis inter vtramque est, nam forma, etsi transcendentaliter aliud respiciat; hoc tamen, quod respicit, solum est materia, & materia solum respicit formam, cum qua, vt comparte totum componit, & nihil aliud extrinsecum respicere possunt. Cum ergo supernaturalitas sumatur ex respectu ad Deum, prout excedit totum ordinem naturæ, consequens fit, quòd non possint dari forma substantialis, nec materia supernaturales; entitati autem substantiali modali, quia infimum locum tenet intra genus substantiæ, etsi repugnet ordo inhærentiæ ad subiectum, *per quod ab accidenti* distinguitur; non tamen repugnat respicientia alicuius extrinseci, ex cuius specificatione supernaturalis euadat. Sed de his plura *tractatu de visione Dei*, vbi impossibilitatem substantiæ supernaturalis monstrauimus.

80. *Denique arguitur.* Denique contra vltimam conclusionis partem arguitur: nam respectus transcendentalis est ipsa rei natura in aliud essentialitèr ordinata, ita vt absque tali ordine nullatenus concipi possit: ergo omnis relatio transcendens est ei, cui conuenit, essentialis, & à fortiori connaturalis; nihil enim magis connaturale alicui, quam id, quod sibi conuenit essentialitèr; sed naturæ humanæ nequit esse connaturalis, aut essentialis relatio terminata ad Verbum: ergo, non potest illud respicere, respectu transcendendi, & consequentèr vnio consistere nequit in modo substantiali, per quem humanitas transcendentalitèr Verbum respiciat. Antecedens, in quo est difficultas, probatur; relatio enim transcendens illis tantum rebus conuenire potest, quæ, licet in prædicamento relationis non sint, non tamen possunt diffiniri sine additamento alicuius extrinseci; sed huius ratio non potest aliundè prouenire, nisi quia sunt ad aliud essentialitèr ordinatæ, vt constat in habitu, potentia, & motu; quæ idcirco sine additamento obiecti, aut termini extrinseci diffiniri non possunt, quia essentialitèr illa respiciunt: ergo respectus transcendentalis est ipsa rei natura essentialitèr ordinata ad extrinsecum terminum, sine quo nequit intelligi.

81. *Solutio.* Ita arguit Nazarius versu, *deindè contra Suarezium, &c.* Cuius argumento respondeo, distinguendo antecedens: ipsa rei, idest, subiecti respiciẽtis natura in aliud essentialitèr ordinata, nego antecedens: ipsa rei natura, idest, entitatis, per quam subiectũ respicit ad aliud essentialiter ordinata, concedo antecedens, & distinguo consequẽs: est essentialis rei respiciẽti

vt ſubiectum, nego conſequentiam: rei, vel modo, qui eſt ſubiecto ratio reſpiciendi, concedo conſequentiam, & conceſſa minori, diſtinguendū eſt conſequens: non poteſt natura humana Verbum reſpicere tranſcendentaliter per modum ſubiecti reſpectus, nego conſequentiam: per modum entitatis, quæ ſit ratio formalis reſpiciendi, concedo conſequentiam, & retorqueo argumentum: vnio namque ſub conceptu vnionis reſpicit tranſcēdentaliter extremum, cui vnit: ergo vnio humanitatis ad Verbum tranſcendentaliter reſpicit Verbum, cui vnit humanitaté; ſed humanitas ratione ſuæ entitatis, non poteſt tranſcendentaliter Verbum reſpicere, aliàs eſſentialiter reſpiceret illum: ergo reſpicit Verbum ratione ſibi ſuperadditæ entitatis modalis, & conſequenter ratione modi ſibi realiter ſuperadditi vnitur.

82. *Inſtatur argumētum.* Inſtoque argumentum primò in anima rationali, quæ per potētias realiter ab illa diſtinctas reſpicit tranſcendentaliter potentiarum obiecta, qui reſpectus animæ eſſentiales non ſunt: ſicut nec ipſæ potentiæ. Inſto ſecundò in potentijs animæ, quæ, non ſolū per ſe ipſas, ſed etiam per habitus ſuperadditos tranſcēdētaliter reſpiciūt obiecta; & tamen reſpectus tranſcendentales, quibus per habitus obiecta reſpiciunt, potentijs eſſentiales non ſunt: ſicut nec habitus ipſi eſſentiales ſunt potentijs. Inſto denique in agente creato, quod media actione tranſcendentaliter reſpicit terminum, vel effectum; & tamen reſpectus iſte eſſentialis agenti non eſt, quandoquidem actio eſſentialiter agenti non convenit, ſed realiter ab illo diſtinguitur: ergo, licet reſpectus trāſcēdētalis petat eſſe eſſentialis entitati, quæ eſt ratio reſpiciendi; non tamen petit ſemper eſſe eſſentialis reſpicienti per modum ſubiecti, & conſequenter in noſtro caſu ſufficiet, quòd reſpectus iſte trāſcendentalis ad Verbum ſit eſſentialis entitati modali vnionis, quin eſſentialis ſit humanitati, quæ vt ſubiectum per hunc reſpectum ad Verbum ordinatur.

83. Nec ſequitur, reſpectum iſtum, ex eo, quòd ſuperadditus ſit humanitati, eſſe relationem prædicamentalem, quia ad hoc oportebat, quòd munus illius vnicum, & adæquatum eſſet reſpicere Verbum; in hoc enim eſſentia relationis prædicamentalis conſiſtit, quòd illius munus ſit reſpicere terminum vt purum terminum; munus autem adæquatum modi vnionis ſuperadditi humanitati non eſt reſpicere Verbum, nec ad illud, vt ad purum terminum comparatur, ſed tanquam ad terminum dependentiæ. Et quidē reſpectus, quo actio comparatur ad terminum, prædicamentalis non eſt, etſi in entitate ſuperaddita agenti cōſiſtat; quia munus adæquatum actionis non eſt reſpicere, ſed aliquid aliud, nec ad terminum, vt ad purum terminum comparatur. Reſpectus etiam potentiæ, & habituum ad obiecta, licet ſint aliquid ſuperadditum animæ, prædicamentales non ſunt, ſed tranſcendentales, quia nec eſſentia potentiæ, nec eſſentiæ habituum in purè reſpiciendo conſiſtunt, nec ad obiecta vt ad puros terminos cōparantur.

§. VII.

Tertia pars diſputationis reſolvitur.

84. *Aperitur difficultas, & prima ſentētia refertur.* TERTIVM, quod examinandum in hac *diſputatione* propoſuimus, eſt, quotuplex vnio ſit inter humanitatem, & Verbum conſtituenda, an, ſcilicet, vna tantùm, per quam humanitas Verbo vniatur, & Verbum humanitati; ſicut multi probabiliter cenſent, ex vi vnius ſimplicis vnionis materiam vniri formæ, & formam vniri materiæ; an verò, ſicut alij exiſtimant, materiā vniri formæ per vnum modū vnionis, & per alium formam materiæ: ita inter Verbum, & humanitatem contingat, quòd, nempè, Verbum per vnionem ſibi propriam vniatur humanitati, & hæc Verbo per

vnionem aliam distinctam vniatur? Et quidem certum, & indubitatum est, non dari ex parte Verbi vnionē creatam realitèr ab illo distinctam, & in illo intrinsecè receptam, nec in hoc Theologorum aliquis potest dissentire: si namque Verbo in tempore adveniret modus intrinsecus realis realitèr ab illo distinctus, & in Verbo receptus, absque dubio intrinsecè mutaretur, cum mutatio intrinseca sit transitus de non esse intrinseco ad esse intrinsecum, & posito tali modo Verbum transiret de non esse intrinseco ad esse intrinsecum in ipso receptum. Non ergo de vnione intrinseca Verbo, realitèr ab illo distincta, difficultas procedit, sed de vnione increata indistincta realitèr à Verbo, an, scilicet, Verbum vniatur humanitati, non solum in vi vnionis se tenentis ex parte humanitatis, sed etiam se ipso per propriam entitatem vt gerentem munus vnionis humanitati intrinsecè vniatur? Negant ferè omnes Auctores Nobiscum admittentes vnionem realitèr ab humanitate distinctam existimantes, solum in vi vnitus, & eiusdem vnionis humanitatem Verbo vniri, & è contra, quin ex parte Verbi vnio distincta intercedat. Ita Suarez vbi *supra sect. 4. §. addunt aliqui*, vbi oppositum reputat improbabile. Cardinalis Lugo *disput. 11. sect. 6.* Puente-Hurtado *disput. 21. sect. 2. sub sectione 2.* & alij Recentiores Societatis frequentèr.

Suar.

Lugo Puente-Hurt.

85. *Conclusio.*

Consequentèr tamen ad principia Thomistarum asserendum existimo, Verbum vniri humanitati intrinsecè se ipso per propriam entitatem vt gerentem munus vnionis; ac proindè dari ex parte Verbi vnionem distinctam realitèr ab illa, per quam humanitas ipsi vnitur. Ita omnes Auctores, quos in prima parte *disputationis* pro prima sententia allegauimus, asserentes, Verbum, & humanitatem vniri se ipsis absque modo vnionis realitèr ab illis distincto, quos, licet impugnauerim, quantum ad modum vnionis ex parte humanitatis se tenentem; veram tamen illorum sententiam existimo quoad vnionē, quæ ex parte Verbi se tenet, & per quam Verbum vnitur humanitati, quòd, nempè, est huiusmodi vnio realitèr à Verbo indistincta.

Et ostenditur primò: nam Verbum est intrinsecè vnitum humanitati, aliàs non esset intrinsecè, sed extrinsecè homo, neque ex Verbo, & humanitate vnum per se resultasset, cum extrema non vnita intrinsecè, vnum per se tale componere nequeant, & consequentèr est vnitum humanitati per vnionem sibi intrinsecam: vnio namque non intrinseca non potest præstare denominationem intrinsecè vniti; sed vnio ex parte humanitatis se tenens non afficit Verbum intrinsecè: ergo vnitū fuit humanitati per vnionem sibi intrinsecam, sibique identificatam, & consequentèr distinctam ab vnione, qua humanitas illi vnitur: ex quo vlterius sequitur, entitatem propriam Verbi exercere munus vnionis.

86. *Probatur primò.*

Dices, Verbum ex vi vnionis receptæ in humanitate cum illa intrinsecè vniri, non quidem subiectiuè, sed terminatiuè, nec ex parte Verbi requiri alium modum vnionis, vt sit intrinsecè homo. Sed contra primò: nam si ex parte Verbi constituatur vnio intrinseca, ipsique identificata, per quam subiectiuè vniatur, percipitur differentia inter extrinsecum, & intrinsecum terminum, consistens in eo, quòd terminus extrinsecus terminat vnionem alteri intrinsecam absq; sibi intrinseca vnione; terminus verò intrinsecus terminat vnionem coextremi, illique per vnionem propriam vnitur; si verò talis vnio intrinseca nō constituatur, discrimen hoc, aut saluari non potest, aut difficilè percipitur: ergo ad saluandam vnionem intrinsecam Verbi cum humanitate cōstitui debet in Verbo vnio intrinseca realitèr ab illo indistincta.

87. *Respondebis.*

Sed contra primò.

Secundò, nam ex eo, quòd humanitas non possit intelligi vnita intrinsecè Verbo, quin Verbum intelligatur terminare intrinsecè vnionem humanitatis, & vt terminum vniri cum illa, non sequitur, quòd vniatur, & terminet ex vi vnionis terminatæ, sed

88. *Cōtra secundo.*

potius

potius ex vi alterius ſibi intrinſecæ, & ab vnione terminata diſtinctæ: ergo, vt vniatur tanquam terminus intrinſecus, debet ex parte Verbi vnio diſtincta conſtitui. Probo, & explico antecedens; etenim ex eo, quòd non poſsit intelligi vnum album ad aliud album relatum, quin extremum, ad quod refertur, terminans intelligatur, non ſequitur, extremum oppoſitum terminare relationem per ipſam formam, quam terminat, ſed potius per aliam ſibi intrinſecam, & ab illa diſtinctam: ergo pariter, ex eo, quòd non poſsit intelligi humanitas intrinſecè Verbo vnita, quin intelligatur Verbum vnitum vt terminus, non ſequitur, Verbum vniri ex vi vnionis humanitatis, quam terminat, ſed potius ex vi alterius ſibi intrinſecæ, ab illa diſtinctæ.

89. *Contra tertiò.* Tertiò, nam etſi ex vi vnionis animæ ad materiam, materia intelligatur terminatiuè vnita, requiritur ex parte materiæ vnio illi intrinſeca diſtincta realitèr ab vnione immediatè animam afficiente, vt ſuppono ex veriori ſententia inter illos, qui modum vnionis realitèr ab extremis diſtinctũ inter materiam, & formam conſtituunt: ergo id ipſum in præſenti contingit. *Reſpondebis*, negando conſequentiam, & diſparitatem dabis; materia enim perficitur per vnionem ad formam, & ante illam intrinſecè incompleta ſupponitur: ideoque indiget modo vnionis ſibi intrinſeco ſubiectiuè, & ab vnione formæ diſtincto; Verbum autem non perficitur ex vnione ad humanitatem, nec ante illam ſupponitur incompletum; & id circò neceſſarium non eſt, vnionem ex parte Verbi conſtitui diſtinctam ab ea, per quam humanitas ipſi vnitur. *Sed contra*; neceſsitas namque vnionis ſe ex parte Verbi tenentis realitèr ab illo indiſtinctæ non arguit incompletionem in Verbo; quam tamẽ argueret neceſsitas modi ſubiectiuè vnientis Verbum realitèr diſtincti ab illo: ſicut neceſsitas actionis diſtinctæ realitèr ab agente incompletionem, & imperfectionem arguit in illo; ſecus autem neceſsitas actionis indiſtinctæ realiter ab agente: ergo licet ex completione Verbi, & incompletione materiæ rectè inferatur, modum realitèr diſtinctum ſuperaddi materiæ, & non Verbo, non tamen colligitur, Verbũ vniri abſque vnione ex parte ſui diſtincta ab vnione humanitatis cum ipſo identificata, quod aſſerit noſtra concluſio.

90. *Secundò ſuadetur concluſio.* Deindè principalitèr ſuadetur: vnio namq; perſonalitatis ad naturam eſt cauſalitas, qua naturam terminat, & cauſat in actu ſecundo, eomodo, & in eo genere, quo perſonalitas eſt cauſa naturæ; ſed perſonalitatem diuinã cauſare in actu ſecũdo per aliquid realitèr ab illa diſtinctum omninò repugnat: ergo etiam repugnat, quòd vniatur humanitati per vnionem realitèr à ſe diſtinctam, & conſequentèr ſe ipſa per ſe ipſam humanitati vnitur. Probatur minor: quia namque actio eſt vltima actualitas agentis, repugnat in veriori ſententia, quam cum Doctore Angelico tuentur omnes Thomiſtæ, omnipotentiam agere ad extra per actionem realitèr à ſe diſtinctam, eo quòd ex oppoſito fieret, non eſſe actum purum in ratione principij operatiui, complerique, & actuari per aliquid ab illa diſtinctum, quod eius ſummæ perfectioni non cõgruit; ſed cauſalitas, qua perſonalitas cauſat, eſt actualitas vltima illius in ea linea, in qua eſt cauſa: ergo debet cum illa identificari, aliàs non erit in vltima actualitate in ratione cauſæ, & in ratione terminantis, complerique, & actuari per aliquid ab ipſa diſtinctum.

91. *Cõfirmatur primo.* Confirmatur primò: nam ratio, cur forma, & materia indigẽt cauſalitate realitèr ab illis diſtincta, eſt, quia ſunt aliquid potentiale limitatum, & finitum, nedum in genere entis, ſed etiam in genere cauſæ; ſed perſonalitas Verbi eſt in omni linea infinita, & actus purus: ergo non indiget cauſalitate realitèr diſtincta vt cauſa, & conſequentèr nec vnione realitèr à ſe ipſa diſtincta, vt humanitati vniatur. *Cõfirmatur ſecundò.* Confirmatur, & vrgetur ſecũdò: quia namque diuina eſſentia eſt in linea intelligibili infinita, & actus purus, ſe ipſa vnitur, nedum in actu primo, ſed

etiam

etiam in actu secundo, non solũ cum intellectu diuino, sed etiam cum intellectu beati, quin, vt actu vniatur cum illo, indigeat aliquo se tenente ex parte ipsius per modum actualis vnionis, sed solum intellectione se tenente ex parte intellectus, illumque obiecto applicante: quo circa 1. *p. q.* 12. *art.* 2. frequentius à Thomistis docetur, non produci Verbum à beatis, sed Dei essentiã se ipsa munus gerere speciei, & Verbi respectu intellectuũ illorum in ordine ad visionem beatificam; sed non minus est actus purus personalitas Verbi in linea terminandi humanitatem, quam diuina essentia in linea intelligibili: ergo, vt illam in actu secundo terminet, nullo indiget à se ipsa distincto, sed illam per se ipsam terminat, & consequentèr illi per se ipsam vnitur.

Tertiò. Confirmatur, & vrgetur tertiò: ratio, cur humanitas, vt vniatur Verbo, indiget modo realiter ab illa distincto, est, quia mutatur ex vi actionis vnitiuæ efficientèr, & quia terminat actionem productiuam, quæ absque termino producto nequit subsistere; sed rationes istæ non probant, vnionem ex parte personalitatis Verbi distinctam requiri, ipsa namq; non mutatur, nec sub aliqua ratione producitur: ergo personalitas Verbi per suam intrinsecam entitatem humanitati vnitur, & consequentèr datur ex parte illius vnio increata, per quã intrinsecè vnitur.

92. *Denique suadetur conclusio.* Denique suadetur conclusio: si namque ob aliquam rationem personalitas Verbi se ipsa non esset vnio sui ad humanitatem, maximè, quia existit ab æterno, quin sit ab æterno vnita; si autem se ipsa vnio esset, ab æterno Verbum humanitati vnitum constitueret, eo quòd forma existens, non posset non præstare suum effectum formalem: sed hæc ratio nulla est: ergo personalitas Verbi est vnio sui ad humanitatem se ipsa. Consequentia cum maiori tenet; minor autem ostenditur primò; actio namque productiua Dei ad extra, non minus est actualis productio, quam vnio sit actualis nexus duorum; & tamen ab æterno existit tota entitas actionis, per quam Deus agit ad extra, quin ab æterno aliquid ad extra producat: ergo stare potest, quòd personalitas Verbi sit per se ipsam vnio cum humanitate, & quòd ab æterno existat tota entitas vnionis, quin ab æterno actualitèr vniat Verbum cum humanitate.

Secundò probatur minor; non enim minus est de ratione Verbi per intellectionẽ producti actu vnire obiectum cum intellectu, & de ratione personalitatis actu terminare naturã, & de ratione actus liberi constituere voluntatem actu liberè volentem, quam sit de ratione vnionis actualitèr nectere extrema: & tamen existit ab æterno diuina essentia, quæ obtinet rationem Verbi respectu intellectus beati, quin ab æterno illi extiterit vnita, & personalitas Verbi etiam ab æterno existit, quin ab æterno terminauerit humanitatem, potuitque ab æterno diuina voluntas nihil liberè velle, tota entitate actus liberi ab æterno existente: ergo ex eo, quòd personalitas Verbi non fuerit ab æterno vnita humanitati, non sequitur, nõ habere rationem vnionis se ipsa, & ratione propriæ entitatis. **93.**

Denique probatur minor: nam licet forma creata non possit entitatiuè existere, quin præstet suum effectum formalem; forma autem infinita, & increata potest secũdum totam suam entitatem existere, quin suum effectum formalem communicet: vel quia eminentèr continet perfectiones multiplicis entitatis creatæ, & idcirco absque additione, & multiplicatione entitatiua præstat id, quod plures entitates creatæ possunt præstare, qualiter nonnulli de actu libero diuinæ volũtatis discurrunt; vel quia connotatum aliquod extrinsecum deficit, cuius existentia requiritur, vt suũ effectum, vel denominationem præstet, qualitèr alij in actu libero diuinæ voluntatis procedunt; vel quia licet habeat omnem suam entitatem intrinsecam, non tamen semper habet omnem intrinsecam formalitatẽ, seu intrinsecam terminationem, qualitèr Nos *tract. de voluntate Dei* de actu diuino **94.**

uino libero ſumus theologizati: ergo ex eo, quòd perſonalitas Verbi extiterit ab æterno, quin præſtiterit effectum formalem, ſeu denominationẽ vniti, non benè colligitur, non eſſe ſe ipſa, & ratione ſuæ intrinſecæ entitatis vnionem Verbi cum humanitate. Quòd ſi omnium exemplorum, quæ adduximus, veritas à contrarijs negetur, quod non mirabimur; non ideò eſt à noſtra ſententia deſiſtendum; Nobis namque ſufficit, eadem probabilitate gaudere, qua gaudent ea, quæ in illius confirmationem ſunt à Nobis adducta.

§. Vltimus.

Contrariorum argumenta diluuntur.

95. *Arguitur primò.*

LICET ex his, quæ diximus in noſtræ ſententiæ confirmationem, ferè ſoluta maneãt omnia Recẽtiorũ argumẽta; placet tamẽ maioris claritatis gratia ea proponere, & diluere. Primò ſic arguunt: vnio, vt in ſubiecto ponitur in extremo incompleto de ſe, & complebili per illam; ſubiectum namque perficitur vnione ad formam accidentalem, materia vnione ad formam ſubſtantialem, forma vnione ad ſubiectum, vel materiã, & natura perficitur vnione ad proprium, vel alienum ſuppoſitum; ſed diuinum Verbum eſt in ſe omninò cõpletum, nec completur, aut perficitur vnione ad humanitatem: ergo in Verbo conſtituenda non eſt vnio ſubiectiuè intrinſeca, vt humanitati vniatur.

96. *Reſpondetur.*

Reſpondeo, veram eſſe maiorem de vnione diſtincta realitèr ab extremo, in quo ſubiectiuè conſtituitur; falſam autem de vnione realitèr ab illo indiſtincta; hæc namque ſubiectiuè per identitatem cõvenit extremo vndiquè completo, vt conſtat in vnione diuinæ eſſentiæ cum intellectu beati in linea intelligibili, quæ non ſolum in intellectu beati, ſed etiam in diuina eſſẽtia adſtruitur; & tamen incompleta, & perfectibilis nõ præſupponitur. Conſtat etiam in actione, quæ, cum realitèr ab agente diſtinguitur, illud incompletum ſupponit, & complet; ſecus autem, quando actio ab agente eſt indiſtincta, vt contingit in actione, qua Deus agit ad extra, quæ, quia eſt realitèr identificata cum Deo, Deum operantem conſtituit, quin ipſum perficiat realitèr, incompletumque præſupponat. Exquo ſolum ſequitur, nõ eſſe in Verbo ſubiectiuè conſtituendam vnionem realitèr ab illo diſtinctam, non verò, quòd non ſit in ipſo veluti ſubiectiuè ſtatuenda vnio increata, & realitèr indiſtincta.

97. *Arguitur ſecũdo.*

Secundò obijciunt: eſſentia actualis vnionis eſt actualitèr extrema vnire: ergo non poteſt exiſtere vnio, niſi vniendo actualitèr; ſed perſonalitas Verbi exiſtit actu ab æterno completa, quin ab æterno vnierit Verbum cum humanitate: ergo ſe ipſa actualis vnio non eſt. Confirmatur: nam implicat, formam in ſubiecto exiſtere, & nõ præſtare illi ſuum effectum formalem; ſed ab æterno exiſtit perſonalitas Verbi, & non vnit ab æterno Verbum cum humanitate: ergo perſonalitas non eſt vnio formalis ſe ipſa, vel forma formalitèr vniens.

Reſpõdetur primò.

Reſpondeo primò, diſtinguendo maiorem: eſſentia vnionis ſumptæ entitatiuè, & denominatiuè eſt *vnire* actualitèr, concedo maiorem: ſumptæ entitatiuè præcisè, nego maiorẽ, vt veram vniuerſalitèr, & conceſſa minori, nego conſequentiam; quia licet perſonalitas Verbi extiterit ab æterno quoad omnẽ ſui entitatem; non tamen ab æterno exiſtit quoad omnẽ ſuam denominationem: ideoque licet ſe ipſa ſit vnio, aut forma formalitèr vniens, non vnit Verbum cum humanitate ab æterno.

98. *Contra obijciũt Recẽtiores.*

Sed opponunt Recentiores, ſequi ex iſta ſolutione materializationem non diſtingui entitatiuè à materia, informationem à forma, nec denique vnionem ab extremo vnito aliquantò realitèr diſtingui: conſequens eſt

contra

contra ea, quæ in prima parte disputationis docuimus: ergo solutio tradita non subsistit. Probatur sequela. nam iuxta solutionis doctrinam potest entitas entitatiuè existere, & non existere denominatiuè: ergo poterit tota entitas ad materializãdum, informandum, & vniẽdum, existere in materia, in forma, & in extremo vnibili, quin existat denominatio materializantis, informantis, & vnientis, & consequenter poterunt denominationes istæ destrui, & de nouo advenire, quin destruatur, vel adveniat aliqua entitas de nouo: ex quo vlterius sequitur, non distingui realiter receptionem à materia, nec informationẽ à forma, vnionemque ab extremo vnito, nunquam realiter distingui. Sic arguit Puente-Hurtado vbi *supra*, sed prorsus inefficaciter, nam ex eo, quòd entitas infinita possit existere, quin præstet actu omnem denominationem, quam præstare potest, non rectè colligitur, id ipsum convenire posse omnibus formis creatis, aliàs ex eo, quòd actus liber voluntatis diuinæ potuerit non dare denominationem liberè volentis absque vllo defectu entitatis, liceret inferre id ipsum posse in actu libero voluntatis creatæ contingere: ergo ex eo, quòd potuerit ab æterno existere personalitas Verbi entitatiuè, & non denominatiuè, & præstare in tempore denominationem vniti absque additione alicuius entitatis, perperam infertur, posse existere entitatem vnionis creatæ entitatiuè, & non denominatiuè, & præstare de nouo denominationem vniti absque nouæ entitatis additione.

Solutio.

Secundò aduersus illam possumus argumentari: denominatio vniti est denominatio realis intrinseca: ergo non potest advenire de nouo absque aliquo intrinseco superaddito formæ talem denominationem præstanti; sed personalitati Verbi nihil intrinsecum addi, vel advenire potest in tempore, aliàs mutaretur intrinsecè, cum transiret de non esse intrinseco ad esse intrinsecum, in quo intrinseca mutatio consistit: ergo non potest in tempore dare denominationem vniti, quam ab æterno non præstat, nec ab æterno existere entitatiuè, & non denominatiuè, si ipsa esset potens hanc denominationem præstare.

99. *Secundo cõtra eidem solutionẽ arguitur.*

Huic obiectioni, qui actum Dei liberum constituunt in entitate defectibili eminentèr, & indefectibili formalitèr, consequentèr respõdebunt, cõcesso antecedenti, negando cõsequentiam; quando enim forma, vel entitas huius conditionis est, potest absque aduentu, aut destructione alicuius sibi intrinseci dare, & non dare denominationem intrinsecam; personalitas autem Verbi ob suam infinitatẽ est eminentèr defectibilis in terminando ad extra, & indefectibilis entitatiuè formalitèr; ideoque potuit ab æterno existere, quin ab æterno præstaret denominationem vniti, illamque præstare in tempore absque superadditione alicuius ipsi intrinseci: sicut dedit Verbo denominationem actu terminantis humanitatem in tempore absque intrinseca additione. Qui verò libertatem diuinæ voluntatis cum illius immutabilitate cõciliant per recursum ad diuersa cõnotata, quæ esse, & non esse, possunt, respondebunt cõsequentèr, concesso antecedenti, negando consequentiam, nam cum denominatio intrinseca talis est conditionis, vt præter formam denominationem præbentem, aliquod extrinsecum connotatum expoſcat, potest de nouo advenire absque intrinseca formæ additione; denominatio autẽ vniti huius conditionis est, petit namque præter entitatem intrinsecam Verbo, humanitatem illi coniunctam, quæ est istius vnionis extremum: vndè ex defectu huius connotati absque eo, quòd personalitati Verbi aliquid intrinsecũ deficeret, potuit ab æterno non dari denominatio intrinseci vniti, & per illius positionem absque additione alicuius intrinseci in tẽpore potuit præstari.

100 *Refertur duplex solutio.*

Nos autem consequentèr ad ea, quæ *tract. de diuina voluntate* docuimus, nempè, actum Dei liberum consistere in entitate intrinseca indefectibili quoad entitatem, & defectibili quoad intrinsecam terminationẽ, seu

101. *Vera solutio.*

forma-

formalitatem, reſpondemus, conceſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens: non poteſt de nouo aduenire abſq; ſuperadditione nouæ intrinſecæ entitatis, nego conſequentiam: abſq; ſuperadditione nouæ intrinſecæ terminationis, ſeu formalitatis, concedo conſequentiam, & ſub eadem diſtinctione minoris ſubſumptæ, nego ſecundam conſequentiam, nam licet perſonalitati Verbi propter ſuam immutabilitatem repugnet ſuperadditio nouæ intrinſecæ entitatis; non tamen illi repugnat ſuperadditio nouæ intrinſecæ terminationis, ſeu formalitatis, nec ex hac ſuperadditione ſequitur mutatio in Verbo: ſicut neque ex eo, quòd voluntati diuinæ vt liberè volēti deeſſe potuerit formalitas, ſeu terminatio intrinſeca, quam habuit de facto, ſequitur, potuiſſe mutari. Et ratio omnium eſt, nam mutatio eſt tranſitus de non eſſe intrinſeco ad eſſe intrinſecum: vndè petit tranſitum entitativum de non entitate in entitatē, aut de entitate in nō entitatem intrinſecam, aut completam, aut modalem ſuo conceptu entitatis; Verbum autē per vnionem ſui cum humanitate factam in tempore, non tranſiuit de non entitate in entitatem ſub cōceptu entitatis, ſed de nō terminatione in terminationem intrinſecam ſub conceptu terminationis; ideoque mutatum non fuit. Quæ cōtra doctrinam iſtam facere poſſunt *loco allegato* diluimus.

102 Tertiò contra eandem ſolutionē arguitur: ſequitur namque ex illa, poſſe Deum in tempore realitèr ad creaturas referri: conſequens eſt falſum, & contra omnes Theologos 1. *p. q.* 13. *art.* 7. vbi id negat D. Thomas: ergo ſolutio tradita non ſubſiſtit. Probatur ſequela: abſque ſuperadditione nouæ entitatis per additionem ſolius intrinſecæ terminationis, denominationis, vel formalitatis, vel extrinſeci connotati conuenit Verbo in tempore denominatio intrinſeca realitèr vniti humanitati, ideoque per illam intrinſecè non mutatur iuxta doctrinam noſtræ ſolutionis: ergo etiam poterit conuenire Deo ex tempore denominatio intrinſeca realitèr relati ad creaturas ſine additione entitatis intrinſecæ per additionem ſolius intrinſecæ formalitatis, & conſequentèr poterit in tempore realitèr de nouo referri.

Theologi.

103. Reſpondeo, obiectionem iſtam ab omnibus eſſe ſolvendam: nam illi, qui exiſtimant, denominationem agentis ad extra intrinſecam eſſe Deo, & ſimul docent, relationem in entitate intrinſeca ſubiecto conſiſtere, præmuntur difficultate poſita, cur, ſcilicet, poteſt Deus in tempore denominari agens per formam intrinſecam, & non poteſt in tempore denominari relatus per intrinſecam relationem. Qui verò ſentiunt, denominationem agentis ad extra eſſe à forma extrinſeca Deo, cum etiam frequentius teneant, relationem eſſe denominationem extrinſecam, eadem difficultate vrgentur, cur, ſcilicet, extrinſeca denominatio agentis Deo ex tempore competere poſsit, & non denominatio extrinſeca relati. Pro omnibus ergo dicatur, rationem, cur Deo denominatio realitèr relati non poſsit ex tempore conuenire, non ſumi ex eo, quòd mutaretur, vel non mutaretur, ſed quia nulla entitas realis poteſt Deo ab æterno conuenire, quæ ſit relatio prædicamētalis ad creaturas terminata, vel in tēpore terminabilis ob rationem traditam à D. Thoma 1. *p. q.* 13. *art.* 7. quia, nempè, relatio prædicamētalis, vt realis ſit ex parte vtriuſque extremi, petit, quòd extrema eiuſdē ordinis ſint, quod intelligendum eſt de identitate ordinis quoad cauſam referibilitatis; Deus autem, & creatura eiuſdem ordinis quoad cauſam referibilitatis non ſunt, nam cauſa, ob quam creatura refertur ad Deum, eſt, quia dependet ab ipſo: quæ cauſa in Deo per reſpectum ad creaturas non datur; & ideo nequit Deus relatione reali prædicamentali ad creaturas referri. Et quidem in obiecto ſcibili reſpectu ſcientiæ relationem realem, qua referatur ad ſcientiam, negat Angelicus Doctor ob rationem aſsignatam; quia, nempè, non ſunt eiuſdem ordinis quoad cauſam referibilitatis; cum tamen obiecto ſcibili non repugnet mutatio. Ratio ergo, cur Deus ac creaturas non poſsit

S. Tho.

referri

referri ex tempore, ex mutatione petenda non est, quod indè maximè cōfirmatur, quòd D. Thomas ad mutationem, quæ sequeretur, nō recurrit, vt à Deo relationem realem ad creaturas excluderet, sed ad causam explicatam, quia, nempè, eiusdem ordinis cum creaturis non est.

104 *Secūdò respond.* Secundò ad principale argumentum respondeti potest, distinguendo antecedens: essentia vnionis est actualiter vnire extrema primariò vnita, concedo antecedens: extrema secundariò vnita per ipsam, nego antecedens, & sub eadem distinctione primi consequentis, concedo, & nego consequentiam, & concessa minori subsumpta, neganda est secunda consequentia. Itaque sicut relationi est essentiale actualitèr referre ad terminū formalem, & primarium, à quo exercitio illius entitas separari non potest; non autem est illi essentiale actualitèr referre ad omnem terminum, quem secundariò, vel materialitèr respicit: quo circa supra admisimus cum probabili multorum sententia, posse existere relationē paternitatis, quin actu referat ad omnes filios, quos respicere potest, possitque perseuerare entitatiuè invariatam, aliquibus illorum destructis, dummodò aliquis existat, in quo ratio termini, quem primariò, & formalitèr respicit, saluetur, nempè, ratio vaga filij: ita vnioni est essentiale exercitium vniēdi extrema, ad quæ comparatur primariò; non verò exercitium vniendi extrema, quæ secundariò vnit; subsistentia autem Verbi habet rationem vnionis sui cum diuina natura primariò; sui verò cum humanitate secundariò, & ideò exercitium vniendi se ipsam cum natura diuina est ei essentiale, & ab illa inseparabile; exercitium autem vniendi se ipsa ad naturam humanam non est illi essentiale; ideoque potest separari ab illa, non quidem separatione entitatiua, sed tantum denominatiua. Cuius rei exemplum manifestum habemus in ipsa subsistentia Verbi secundum rationem suosistendi; munus namque terminandi naturam diuinam, quia primarium est, illi essentialitèr, & inseparabilitèr conuenit; secus autem munus terminādi naturam creatam, quia secundariū est. Hoc ipsum Nos dicimus de subsistentia Verbi sub ratione, & secundum conceptum vnionis, quòd, scilicet potuit ab æterno existere sine exercitio vniendi Verbum cum natura humana, non autem sine exercitio vniendi Verbum cum natura diuina; quia hoc exercitium ad subsistentiam Verbi comparatur primariò, illud autem secundariò.

105. *Dices.* Sed dices: subsistentia Verbi nullo modo habet rationem vnionis respectiuè ad naturā diuinam: ergo munus vniēdi Verbum ad naturam creatam, si illi conuenit, est primariū respectu illius, vt obtinet rationem vnionis, & consequentèr erit illi essentiale, & omninò inseparabile. Cōsequētia tenet ex doctrina solutionis; antecedens autem ostenditur primò: nam vnio, *vt supra* diximus, est transcēdentalis respectus inter extrema vnita; sed subsistētia Verbi non potest transcendentalitèr respicere naturam diuinam: ergo nec potest rationem vnionis sortiri comparatiuè ad illam. Deindè, nam vnio realis petit inter extrema realitèr distincta versari; sed subsistentia Verbi non distinguitur realitèr à natura diuina: ergo non habet rationem vnionis cōparatione illius. Denique, nam quod resultat ex vnione extremorum, nō est vnum per simplicitatem, sed per compositionem; at persona Verbi, vt ex natura, & personalitate constituta, est vnum per omnimodam simplicitatem: ergo personalitas Verbi non vnitur naturæ diuinæ, & consequentèr non est vnio sui cum illa.

106 *Respondetur.* Respondeo, negando antecedens: ad primam probationē dicatur: quòd sicut actio creata dicit respectū transcendentalem ad agens, à quo procedit, & ad terminum per illam productum; non autem actio vt sic, nec actio increata: ita vnio creata transcendentalem respectū importat ad extremū, cui vnit; secus autem ex cōmuni conceptu ad creatam, & increatam vnionem. Ad secūdam probationem, distinguo maiorem: vnio realis realitèr

formalitèr vniens diſtinguitur realitèr ab extremis vnitis, concedo maiorem: vnio realis vniens ſolum virtualitèr, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam: ſicut namque actio realis egrediens ab agẽte egreſſu reali formali petit realitèr ab agente diſtingui; ſecus verò actio realis virtualitèr ſolum ab agente egrediẽs: ita vnio realis realitèr formalitèr vniẽs petit inter extrema realitèr diſtincta verſari: ſecus autem vnio realis ſolum virtualitèr vniens. Et quidẽ perſonalitas realitèr formalitèr naturam terminans realitèr à natura diſtinguitur, quin ex hoc inferri poſsit, perſonalitatẽ diuinam debere realitèr à natura diſtingui: & hoc ideò, quia nõ terminat naturam diuinam terminatione reali formali, ſed tantum virtuali. Idem Nos de vnione dicimus.

107 *Ad tertiam probationẽ.*

Et ex his ad tertiam probationẽ, diſtinguo maiorem: ſi ex vnione reali realitèr formalitèr vniente reſultet, concedo maiorem: ſi ex vnione reali ſolum virtualitèr vniente reſultet, nego maiorem, & conceſſa minori, nego cõſequentiã, nam ad rationẽ vnionis realis ſufficit vnire realitèr, formalitèr, aut virtualitèr: ſicut ad realẽ actionẽ ſufficit egredi ab agẽte egreſſu reali, formali, vel virtuali, vt autẽ vnio realẽ faciat compoſitionẽ, debet eſſe vnio realitèr formalitèr vniens. Et vtraq; ſolutione data ſecũdo principali argumẽto, occurritur illius cõfirmationi. An autẽ ratio vnionis virtualitèr adæquatè, aut virtualitèr inadæquatè, aut æquialẽtèr ſolum diſtinguatur à ratione perſonalitatis diuinæ ſub diſtinctione reſpõdendũ eſt? Si namque vnio, & perſonalitas differunt diffinitione ex cõmuni conceptu vnionis, & perſonalitatis, ſtatuenda eſt virtualis diſtinctio adæquata inter perſonalitatẽ Verbi ſub conceptu perſonalitatis, & conceptũ, aut rationẽ vnionis. Si autem diſtinctio perſonalitatis creatæ ab vnione oritur adæquatè ex limitatione creata, non eſt virtualis diſtinctio ſtatuenda, ſed ſolũ æquivalens, iuxta ea, quæ 1. *p. tract. de eſſentia, & attributis Dei, & tract. de ſcientia, & tract. de volũtate*, dicemus.

Denique principalitèr arguitur: ex vi vnionis in humanitate receptæ vnitur Verbũ humanitati: ergo vnio increata ad vniendum Verbum ſuperfluit. Probatur antecedẽs: vnio namque eſſentialitèr eſt nexus duorũ: ergo non ſtat, per vnionẽ vnum extremum alteri vniri, quin alterum vnitũ reddatur, & conſequentèr ex vi vnionis in humanitate receptæ, per quam humanitas vnitur Verbo, vnitur etiã Verbum humanitati. Nec refert, ſi dicas, ex vi illius vnionis vniri Verbũ humanitati extrinſecè, non autẽ intrinſecè; ac proindè, vt intrinſecè vniatur, neceſſariam eſſe vnionẽ increatã. Nõ inquã, refert, nam ſolutio inſtauratione argumenti præcluditur; vnio enim intrinſeca eſt intrinſecus nexus duorũ: ergo nõ ſtat, vnũ extremũ alteri intrinſecè vniri, quin hoc illi intrinſecè vniatur, & conſequentèr ex vi vnionis in humanitate receptæ, per quã humanitas intrinſecè vnitur Verbo, Verbum etiam intrinſecè humanitati vnitur.

108 *Vltimũ argumẽtum.*

Si reſpõdeatur.

Si dicatur ſecundò, ex vi prædictæ vnionis vniri Verbum humanitati vt terminũ, non vt ſubiectũ, ac proindè requiri vnionẽ intrinſecã Verbo, illique identificatam, vt tanquam ſubiectum humanitati vniatur. In contrarium arguitur; nam Verbũ non vnitur humanitati vt ſubiectũ, ſed vt terminus ſolum: ergo, ſi vt terminus vnitur humanitati ex vi vnionis in humanitate receptæ, ſuperfluit alia vnio intrinſeca Verbo, vt vniatur humanitati. Antecedẽs probatur primò; nam Verbum non eſt ſubiectũ humanitatis, ſed ſolum terminus illius, aliàs mutaretur in tempore per hoc, quòd fieret homo: ergo non vnitur illi ſubiectiuè, ſed ſolũ terminatiuè. Secundò, quia tunc ſolum extremum aliquod vnitur alteri ſubiectiuè, quando per vnionem perficitur, vt conſtat in materia vnita formæ, in ſubiecto vnito accidenti, & in natura vnita ſubſiſtentiæ; quæ idcirco ſubiectiuè vniuntur, quia perficiuntur per vniones prædictas; ſed Verbum ex vnione ad humanitatem nullam accipit perfectionem intrinſecam: ergo non ſubiectiuè,

109 *Si ſecundò dicatur.*

ſed

sed solum terminatiuè humanitati vnitur.

110. *Respondetur.* Respondeo iuxta secundam solutionem, ex vi vnionis, per quam humanitas Verbo vnitur, Verbum vniri terminatiuè cum illa; vt autem non sit terminus extrinsecus, sed intrinsecus, requiri, quòd Verbum per vnionem sibi identificatam subiectiuè vniatur humanitati: non quia sit subiectum humanitatem recipiens, & ab illa informatum, sed quia non potest intrinsecè in humanitate subsistere, nisi per vnionem sibi identificatam illi vniatur, eo quòd non potest discrimen inter intrinsecum, & extrinsecum terminum percipi, nisi per hoc, quòd terminus extrinsecus terminat vnionẽ, quin per intrinsecam vnionem vniatur; terminus verò intrinsecus terminat vnionem coextremi, & per aliam sibi intrinsecè superadditam, vel intrinsecè identificatam, eidem extremo vnitur. Ad istius solutionis impugnationem, nego antecedẽs, ad primam probationem constat ex dictis; non enim ideò dicitur, Verbum subiectiuè vniri, quia in se humanitatem vt subiectum informationis recipiat, sed quia est subiectum vnionis intrinsecè sibi identificatæ. Ad secundam, distinguo maiorem: vnione realitèr ab extremo vnito distincta, concedo maiorem: vnione realitèr ipsi identificata, nego maiorem, & concessa minori, nego cõsequentiam, nam ex eo, quòd Verbum non perficiatur vnione ad humanitatem, solum infertur, non vniri cum illa per vnionem sibi realitèr superadditam; nõ verò, quòd non vniatur subiectiuè cum humanitate per vnionem sibi identificatam.

111. *Obijcies* Sed dices: vt Verbum dicatur intrinsecè vnitum, sufficit terminare vnionem: ergo non requiritur, esse alterius subiectum. Probatur antecedens: vt Verbum dicatur intrinsecè homo, sufficit terminare humanitatem, nec requiritur, quòd ad illam vt subiectum comparetur, aliàs, vt *proximè* arguebam, mutaretur intrinsecè Verbum per hoc, quòd fieret in tempore homo: ergo vt dicatur intrinsecè vnitum, sufficiet, quòd vnionem terminet, nec necessarium erit, subiectiuè ad vnionem comparari.

Respondeo, negando antecedens, ad probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam; quia licet nõ sit subiectum humanitatis; est tamen subiectum vnionis intrinsecæ cum humanitate, & ideò intrinsecè denominatur homo: cæterum, si ad omnem vnionem comparetur vt terminus, non potest saluari, quòd intrinsecè humanitati vniatur, nec quòd intrinsecè in illa subsistat; ac proindè saluari non potest, quòd sit homo per denominationem intrinsecam, sed tantum per denominationem extrinsecam, quod cum vnitate per se, quam Theologi recognoscunt in Christo, nequit subsistere.

112. *Primũ corollarium.* Ex dictis in discursu disputationis colligitur primò, vnionem naturæ diuinæ, & humanæ ex parte istius esse aliquid creatum; secus verò ex parte naturæ diuinæ, sed illi tantum superadditur respectus rationis. Quod patet: etenim natura humana vnitur naturæ diuinæ per modum realitèr sibi superadditũ, & ex vi actionis assumptiuæ productum; diuina verò vnitur humanæ naturæ per subsistentiam increatam Verbi, & nõ per modum aliquem ipsi realitèr superadditum, & in illa intrinsece receptum: ergo vnio naturæ diuinæ, & humanæ est quid creatum ex parte naturæ humanæ, non verò ex parte naturæ diuinæ. *Secũdũ.* Secundò colligitur, causam materialem vnionis, quæ per actionem assumptiuam producitur, esse solam humanitatem. Quod patet; nam id solum est causa materialis respectu alicuius formæ, quod in se illam intrinsecè recipit; sed sola humanitas in se intrinsecè recipit modũ vnionis in vi actionis assumptiuæ productum: si namque Verbum reciperet illum intrinsecè, mutaretur intrinsecè, quod omninò repugnat: ergo sola humanitas est causa materialis modi vnionis per actionem assumptiuam producti.

113. *Tertiũ.* Sequitur tertiò, causam formalem extrinsecam vnionis hypostaticæ esse Verbum diuinum vt in humanitate subsistens; causam autem formalem

lem intrinſecam illius, ſumptæ in concreto, eſſe modum vnionis; ſi autem in abſtracto ſumatur, non habet cauſam formalem intrinſecam. Primum patet: nam cauſa formalis extrinſeca reſpectus tranſcendentalis eſt terminus inſpectus ab illo; ſed terminus inſpectus à modo vnionis creato in humanitate recepto eſt Verbū prout in humanitate ſubſiſtens: ergo Verbum prout ſic, eſt illius cauſa formalis extrinſeca. Secundum probatur: nam hoc concretum humanitas Verbo vnita habet aliquam cauſam formalem intrinſecam, cum hoc ſit omni concreto commune, niſi in extrinſeca denominatione conſiſtat; ſed nulla alia poteſt aſsignari, niſi modus vnionis ex vi actionis aſſumptiuæ productus, & in humanitate receptus: ergo modus iſte eſt cauſa formalis intrinſeca vnionis hypoſtaticæ ſumptæ in concreto. Quòd autem ſumpta in abſtracto non habeat cauſam formalem intrinſecam, patet: nam forma in abſtracto ſumpta cauſam formalem intrinſecam nequit habere, niſi ipſa ſe ipſam cauſet, quod implicat: ergo vnionis hypoſtaticæ ſumptæ in abſtracto nulla eſt cauſa formalis intrinſeca.

114 *Quæſtio incidens remittitur.*

Certum eſt primò.

De cauſa efficiente phyſica vnionis hypoſtaticæ ſolet in præſenti diſputari, ſed difficultas magni momenti non eſt; ideoque ab illius diſcuſsione abſtinemus. Et quidem certum eſt primò, fuiſſe à tota Trinitate efficienter cauſatam, vt diffinitur in Concilio Lateranenſi ſub Martino Primo *canone* 2. & licet Spiritui Sancto ſpecialiter attribuatur, non eſt, quia ab ipſo tantummodò effecta fuerit, ſed quia, vt docet Divus Thomas 1. *part. q.* 39. *art.* 7. & 8. quæ amoris ſunt, Spiritui Sancto appropriantur; Incarnatio autem fuit opus maximi amoris diuini; ideoque efficientia illius ſpecialiter Spiritui Sancto attribuitur, non quia non ſit toti Trinitati communis. Et cum inſtrumentalis concurſus ſit in linea cauſæ imperfectus, Deoque ex conſequenti repugnans, certum etiam eſt, Incarnationem non inſtrumentaliter, ſed principaliter eſſe à tota Trinitate cauſatam.

S. Tho.

Secundo communiter docetur à Theologis, non poſſe vnionem hypoſtaticam principaliter phyſicè in genere cauſæ efficientis ab aliqua creatura cauſari, & præterquamquòd id eſt omni miraculo commune, vt à ſolo Deo principaliter effici poſsit; Incarnatio autem fuit maximum omnium miraculum, & conſequenter non poteſt ab aliqua creatura principaliter cauſari, ſpeciali ratione probatur: nam media vnione hypoſtatica factum eſt, vt Chriſtus, in quantum homo, ſit Filius naturalis Dei, vt *tractatu de Filiatione Chriſti* videbimus; ſed ſolus Deus poteſt principaliter Filium Dei naturalem efficere: ergo ſolus Deus poteſt efficienter principaliter hypoſtaticam vnionem cauſare.

115. *Secundo.*

An autem inſtrumentaliter phyſicè potuerit à creatura procedere ſub lite Theologorum eſt poſitum. Affirmant plures, negant alij, & omnes probabiliter ſentiunt, etſi difficile iudicent, implicationem ex parte facti aſsignare, vt media virtute creaturæ à Deo communicata poſsit inſtrumentaliter phyſicè in hypoſtaticam vnionem influere; quod enim ſit terminatiuè in creata implicationem non probat. Quod autem à non nullis Recentioribus additur, de facto Beatiſsimam Virginem inſtrumentaliter phyſicè vnionem humanitatis ad Verbum cauſaſſe, vt per hoc Dei genitrix ſit, & dicatur, abſque vrgenti fundamento aſſeritur, cum ad hoc ſufficiat, concurſum præſtaſſe ad formationem humanitatis aſſumptæ à Verbo in inſtanti informationis, vt ex D. Thoma *ſequenti diſputatione* videbimus. Et hæc de iſta diſputatione applicanda litteræ Magiſtri *in* 3. *diſtinct.* 5. §. 1. vbi à D. Thom. *q.* 1. *art.* 1. excitatur.

116.

S. Tho. *M. Sēt.*

****
****
***

DISPVTATIO DVODECIMA.

Quis sit terminus formalis, ad quem Incarnationis prout actio est.

§. I.

Aperitur difficultas, & referuntur sententiæ.

Nu. 1. DISPVTATIONE præcedenti vidimus ex D. Thom. vnionē tam posse pro relatione vnitorū, tam prædicamētali, quam transcēdentali, & pro actione vnitiua humanitatis ad Verbū, per quam vnio fuit efficienter producta, & Verbū fuit factus homo. Non inquirimus de termino *ad quem* vnionis acceptæ pro relatione prædicamentali, aut transcendentali; huius namq; terminus *ad quem* est Verbum, vt humanitatem terminans, illamque subsistētē constituēs, vt *disput. præced.* docuimus, sed de termino *ad quem* vnitionis, seu Incarnationis sūptæ pro actione vnitiua. Cum autē terminus *ad quem* duplex sit, totalis, nēpē, qui vocatur terminus *qui*, & formalis, qui appellatur terminus *quo*, ideſt, ratio formalis terminandi, & specificandi actionē, certū, & indubitatū est apud Theologos, istius actionis terminū totalē esse Christū, seu Verbū hominē esse: hoc enim est totū per huiusmodi actionē productū, vndè dissidiū Theologorum circa terminum formalem istius actionis versatur.

Explicatur difficultas.

Ante cuius resolutionem suppono cum frequentiori sententia, actionem vnitiuam, seu assumptiuam esse distinctā à creatione animæ, & à productione humanitatis. Primū patet: nam creatio animæ est actio distincta à generatione hominis per quam anima corpori vnitur: tùm, quia illa est productio totius entis ex nihilo; hæc autem ex subiecto præsuppositō. Tū etiam, quia ad creationē animæ solus Deus tanquam causa principalis concurrit; at verò ad generationē hominis vnientem animam corpori homo principaliter effectiuè cōcurrit: ergo etiam creatio animæ Christi est actio distincta ab illa, qua Verbo vnitur. Secundū etiā probatur; nam ad vnionē humanitatis ad Verbū solūm Deus vt causa principalis concurrit; ad humanitatis autē productionē B. Virgo suū præstitit principalē concursum. Et insuper, nam potuit contingere, quòd produceretur humanitas, & Verbo nō vniretur: ergo actio productiua humanitatis distincta est ab actione, per quā humanitas fuit Verbo vnita.

2. *Distinctio actionum probatur.*

3. *Obijcies*

Si opponas, ſequi ex hac doctrina Beatiſsimam Virginē non eſſe Matrē Chriſti, vel Dei: conſequens eſt cōtra fidem: ergo tradita doctrina eſt falſa. Probatur ſequela; vt enim Beatiſsima Virgo Dei, & Chriſti Mater ſit, requiritur, quod ad Dei, & Chriſti formationem concurrat; ſed ſi actio vnitiua, per quam Verbum fuit factus homo, diſtincta ſit ab actione formatiua humanitatis non concurrit B. V. ad formationem Chriſti, cum non concurrat ad actionem vnitiuam, per quā fuit formatus Chriſtus, ſed tolum ad humanitatis formationem: ergo licet poſsit dici Mater humanitatis; Mater tamen Chriſti dici non poterit: ſicut cauſa producens albedinem, & non concurrens ad actionem, qua albedo vniretur ſubiecto, poſſet dici cauſans albedinem; non tamē cauſans album.

4. *Reſpondetur.*

Reſpondeo, negando ſequelam, ad illius probationem dicatur, quòd, vt B. V. poſsit dici Mater Chriſti, ſufficit immediatus concurſus ad productionem humanitatis, à quo dependentiam habuit actio vnitiua humanitatis ad Verbum, & quòd in eodem inſtanti fuerit à Verbo aſſumpta. Ita D. Thom. *infra q. 35. art. 4. in corpore*, illis verbis: *Cum igitur in ipſo principio conceptionis fuerit humana natura aſſumpta à diuina perſona, conſequens eſt, quòd verè poſsit dici, Deum eſſe conceptum, & natum de Virgine; ex hoc autem dicitur aliqua mulier alicuius mater, quòd eum concepit, & genuit: vndè cōſequens eſt, quòd B. Virgo verè dicatur Mater Dei.*

S. Tho.

5. *Doctrina hæc duplici ratione probatur.*

Et quòd ad veritatem dictæ propoſitionis id ſufficiat, probatur; nam Iudæi Chriſtum crucifigentes Chriſticidæ, Deicidæque dicuntur, etſi vnionem humanitatis ad Verbum phyſicè non deſtruxerint per hoc, quòd vnionē animæ ad corpus diſſoluerint, deſtruxerintque humanitatem diuino Verbo cōiunctam, & tamen ſi humanitatem Verbo non vnitam deſtruerent, Deicidæ dici nō poſſent: pariter ergo in præſenti, vt B. V. Mater Dei Chriſtumque, & Deum genuiſſe dicatur, ſufficit, quòd concurrerit ad vnionem animæ rationalis ad corpus, & ad formationē humanitatis Verbo Dei in eodem temporis inſtanti cōiunctæ, etſi non produxerit vnionem humanitatis ad Verbum. Et quidem ſi B. V. ad vnionem humanitatis cum Verbo concurreret, non eſſet vt principalis cauſa; hoc enim modo implicare, vnionem à pura creatura effici, eſt cōmunis Theologorū ſentētia, ſed tantum inſtrumentali cōcurſu, qui, ſi fuit poſsibilis Virgini, potuit etiam lapidi cōmunicari; ſed concurſus potens lapidi cōpetere non poteſt B. Virginem Chriſti, aut Dei Matrem conſtituere: ergo prædictus concurſus omninò impertinens eſt, vt Chriſti, Deique Mater verè dicatur, & ſit.

6. *Inſtabis primò.*

Sed inſtabis primò: ex eo, quòd humanitas in primo ſuæ conceptionis inſtanti fuerit aſſumpta à Verbo, non ſequitur, actionem formatiuam humanitatis fuiſſe ad Verbum terminatam: ergo ex eo exiſtentia formationis humanitatis, & aſſumptionis illius non ſequitur, B. Virginem poſſe dici Matrē Verbi. Conſequētia patet: vt enim ſit, & dicatur Mater Verbi requiritur, cōcurſum Virginis eſſe ad Verbū terminatū, quod non eſt poſsibile, niſi actio formatiua humanitatis, ad quam B. V. materialitèr concurrit, ad Verbū terminata fuerit: ergo, ſi ex dicta coexiſtentia non ſequitur, actionem formatiuam humanitatis fuiſſe ad Verbum terminatam, neque ex illa habetur, poſſe Matrē Verbi dici. Antecedens autem probatur: nam ſola diuerſitas temporis, non poteſt terminum alicuius actionis variare: ſicut nec illius eſſentiā; ſed formata humanitate prius tēpore, quā aſſumeretur à Verbo, actio formatiua illius nō terminaretur ad Verbū: vndè in tali caſu Mater Verbi non diceretur, vt docet D. Tho. *3. p. q. 35. art. 4. in corpor.* ergo ex eo, quòd aſſumatur, & à Verbo aſsūpta fuerit in primo ſuæ cōceptionis inſtāti, nō ſequitur, quòd actio formatiua illi ad Verbū fuerit terminata.

S. Tho.

Cōfirmatur.

Quod amplius vrgetur: nam formatio humanitatis illius aſſumptionem à Verbo ordine naturæ præceſſit; ſed pro illo priori naturæ terminata fuit adæquatè efficientia actionis

forma-

formatiuæ humanitatis: ergo in alio posteriori, in quo humanitas fuit assumpta, nullam efficientiam habuit, & consequenter novum terminum habere non potuit, nec ad Verbum terminari, ad quod non terminabatur pro priori signo naturæ.

7. *Instabis secundò.* Obijcies secundò: causans formã, & nõ causans vnionem formæ ad subiectum, non potest dici causa concreti ex subiecto, & forma resultãtis: ergo, si B. V. non influxit in vnionem humanitatis ad Verbum, etsi humanitatem causauerit, nõ potest dici causa Christi, nec Verbi quatenus hominis, nec potest Christus ex illa genitus dici. Consequentia patet: nam Christus, aut Verbum quatenus homo est humanitatis concretum; antecedens autem ostenditur primò; causans enim materiam, si non causet vnionem materiæ cum forma, non potest causa compositi dici: ergo pariter causans formam, si illius vnionem cum subiecto non causat, non potest dici causa concreti resultantis ex forma. Secũdò probatur: nam causans albedinẽ, non autem vnionem albedinis cum subiecto, non dicitur causans album, quod est concretum ex albedine resultans: ergo verum est antecedens. Denique, nam Deus animam creans ex vi creationis animæ non dicitur causans hominem, aliàs homo, non genitus, sed creatus diceretur à Deo creante animam; sed hoc non ob aliam rationem est verum, nisi quia ex vi creationis ad animam terminatæ non causatur illius vnio cum corpore: ergo ad causandum concretum resultans ex forma, vel compositum ex illa, non sufficit formam causare, sed est necessarium, quòd causet vnionẽ formæ ad materiam, vel subiectũ.

8. *Respondetur ad primam instãtiã.* Respondeo ad primam instantiã, negando antecedens, loquendo, vt loquimur, de terminatione ad Verbum vt ad terminum *qui*, & materialem ratione humanitatis assumptæ, vt termini *quo*, & formalis; ad illius probationem, distinguo maiorem: sola temporis diuersitas non potest terminum formalem, & *quo* alicuius actionis variare, concedo maiorem: terminum *qui*, & materialem, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; si namque formaretur humanitas tempore antecedente assumptionem, formaretur in proprio supposito, & hoc esset, quod actionem formatiuam humanitatis in eo casu terminaret. Quia tamen, formata humanitate in eodem instanti assumptionis, fuit resultantia personalitatis propriæ impedita per subsistentiam Verbi, & hæc propriam personalitatem humanitatis suppleuit, & illius vices gessit, fuit talis actio ad Verbum *vt quod* terminata: & licet, invariata actione, non possit terminus formalis variari; materialis tamen diuersificari potest, actione invariata manente: illius namque specificatio, non à materiali, sed à formali termino sumitur.

9. Et quidem non minus est de ratione actionis principium, quam terminus; licet autem non possit, variato principio formali *quo*, actio invariata subsistere; potest tamen perseuerare invariata, variato principio *quod*: vndè actiones humanitatis diuinæ Verbo coniunctæ eiusdẽ sunt speciei cũ actionibus elicitis ab humanitate propria subsistentia gaudente, & per illam terminata, quia humanitas, quæ est principiũ *quo*, & formale operationũ, eiusdẽ rationis est, etsi principiũ *quod* sit diuersum, nempè, suppositum Verbi: ergo pariter, licet nõ possit actio invariata subsistere, variato termino formali illius, materiali tamẽ variato, cadẽ actio potest perseuerare. Et in eodẽ exẽplo insistẽdo: sicut actiones elicitæ ab humanitate tẽpore antecedẽti ad assumptionẽ formatæ non attribuerẽtur Verbo tanquam operanti *quod*: illæ tamen, quæ ab humanitate procedũt formata in instanti assumptionis, Verbo vt principio *quod* attribuũtur: ita actio formatiua humanitatis antecedẽs tẽpore assũptionẽ, Verbo vt termino nõ tribueretur, nec ad Verbum, adhuc materialiter, terminaretur; actio tamẽ formãs humanitatẽ in instãti assũptionis Verbo terminatiuè attribuitur, ad illudq; materialiter, & *vt quod* terminatur.

10. *Solutio cõfirmationis.*

Ad confirmationem, cõceſſa maiori, diſtinguo minorem: fuit pro illo priori actio formatiua humanitatis adæquatè, formalitèr, & intẽſiuè terminata, concedo minorem: adæquatè, extenſiuè, & materialitèr, nego minorem, & conſequentiã: licet enim illa actio pro priori naturæ, quo aſsũptionẽ antecedit, gaudeat termino formali adæquato; non tamen pro illo priori habet omnẽ terminum *qui*, & materialem, ad quem poteſt terminari: ex quo non ſequitur, pro alio poſteriori, non poſſe terminum novum materialem habere, ad quem illius efficientia *vt quod* materialitèr, & denominatiuè extendatur, ſed ſolum, quòd non poſsit ſuperaddi dictæ actioni novus terminus formalis. Et quidẽ ſi humanitati pro priori naturæ ad aſſumptionem à Verbo aliquæ actiones competerent, etſi pro ſequẽti ſigno aſſumptionis non poſſet illis actionibus diuerſum principium *quo*, & formale aſsignari; eis tamen diuerſum principium *quod* materiale reſponderet, nam pro tali ſigno *vt quod* à Verbo in humanitate ſubſiſtente procederent. Idipsũ eſt de actione formatiua humanitatis dicendum, nẽpè, nõ poſſe pro ſigno poſteriori illi addi novũ terminum formalem, poſſe tamẽ pro illo ſigno illi correſpondere novum terminum *qui*, & materialem.

Cõfirmatur à ſimili.

11. *Occurritur ſecũdæ obiectioni.*

Ad ſecundam obiectionẽ, diſtinguo antecedens: ſi cauſans formam, non cauſet vnionem formæ ad ſubiectum, nec vi actionis formam cauſantis, nec vi alterius illam cõplentis, & vices eius gerentis, concedo antecedẽs: ſi vnio formæ cum ſubiecto cauſetur aliquo ex prædictis modis, nego antecedens, & conſequentiam, nam licet actio, qua humanitas fuit formata, & in quam B. Virgo influxit, non cauſauerit vnionem humanitatis ad Verbum; actio tamẽ aſſumptiua, quæ vnionẽ humanitatis cauſauit, fuit cõpletiua actionis, qua humanitas fuit formata, & illius vices geſsit ſubſtituẽdo ſuppoſitũ Verbi terminans humanitatẽ vice ſubſiſtentiæ creatæ, cui actio humanitatẽ formans erat, quantum eſt de ſe, vnitiua humanitatis: & quando actio cauſans formam huius conditionis eſt, etſi vnionem formæ non cauſet, poteſt dici cauſa concreti reſultantis ex forma ſubiecto vnita. Ex qua doctrina ad probationes antecedentis conſtat ſolutio; actiones enim illæ huius conditionis nõ ſunt; creatio nãq; nõ eſt actio, quãtũ eſt de ſe, vnitiua animæ rationalis cũ materia; ac proindè actio, qua anima vnitur materiæ, vices creationis non gerit. Quòd ſi albedo, v. g. cauſaretur per actionẽ, quantũ eſt de ſe, vnitiuã albedinis cũ proprio ſubiecto, Deuſq; hãc vnionẽ impediret, aliud ſubiectũ vice proprij ſubiecti ſubſtituẽs, cauſãs tali actione albedinẽ diceretur cauſãs album ex ſubiecto ſubſtituto, & albedine reſultans, etſi non cauſaret vnionem albedinis ad tale ſubiectum.

12. *Prima ſentẽtia*

Capreol. Caiet. Aluar. Nazar. Valent. Araujo.

His ita præſuppoſitis circa præſentẽ difficultatẽ variæ ſunt Theologorũ ſententiæ. Prima docet, terminum formalẽ actionis incarnatiuæ eſſe perſonalitatẽ Verbi vnitam humanitati, vnione iſta vt conditione ſe habente. Hæc tribuitur Capreolo *in 3. diſt. 15. q. 1.* & Caietano *in hac. q. art. 8.* Illãtenent Aluarez *diſp. 13. conc. 3.* Nazarius *in præſenti contr. 2.* & ex Patribus Societatis Valẽtia relatus ab Illuſt. Araujo vbi *infra.* Secũda docet, terminũ formalẽ iſtius actionis eſſe modũ vnionis de nouo in humanitate productum.

Secũda ſentẽtia

Suar. Scot. Durãd.

Hãc vt probabiliorẽ defendit Suarez *diſp. 8. ſect. 3. dub. 1.* pro illa referẽs Scotũ *in 3. diſt. 11. q. 1.* & Durandũ *diſt. 5. q. 2.* Tertia diſtinguens inter Incarnationẽ vt ſignificatã nomine aſsũptionis, & nomine vnitionis, & nomine Incarnationis, affirmat, terminũ formalem illius ſub priori ſignificatione eſſe ipſam Verbi perſonã; ſub ſecunda verò modũ vnionis, & ſub tertia humanitatẽ. Hãc tenet Lorca *diſp. 16.* illãq; inſinuauerat Suarez vbi *proximè* relatus. Alitèr diſtinguit Lugo *diſp. 11. ſect. 2.* vbi docet, prædictã actionẽ vt nomine aſsũptionis, & Incarnationis ſignificatã ſpecificari ab humanitate aſsũpta; ſub nomine verò productionis ab vnione producta, & ſub nomine ſuppoſitationis à ſuppoſito Verbi terminante humanitatem.

Tertia ſentẽtia

Lorca. Suar. Lugo.

§. II.

Vera sententia explicatur.

13. *Quarta sententia defenditur.*

Vazq. Araujo.

QVARTA, & verior sententia tuetur, terminum formalem *quo* Incarnationis, quatenus actio est, esse humanitatem vt diuino Verbo vnitã, ly *vt* reduplicante vnionem vt cõditionem, & humanitatem vnitam tanquam rationẽ formalem. Hanc tenent Vazquez *disput.* 19. *cap.* 2. Illustrissimus Araujo *art.* 8. *dub.* 3. alijque Recentiores, quorum sententia à Nobis pro conclusione statuitur, & suadetur hac ratione: nam terminus formalis *quo* alicuius actionis est forma terminum totalem illam terminantem constituens; sed humanitas vt vnita Verbo constituit tanquam forma terminum totalem actionis incarnatiuæ, vnione solùm vt conditione ad constitutionem termini totalis se habente: ergo humanitas vt vnita Verbo est terminus formalis *quo* actionis incarnatiuæ, vnione ingrediente vt conditione. Consecutio est legitima; præmissæ autem indigent probatione: maior exindè constans videtur, nam terminus formalis *quo* alicuius actionis est ille, ratione cuius terminus *qui* terminat talem actionem; sed ratione nullius melius potest terminare, quàm ratione illius, quod ad eius constitutionem tanquam forma comparatur: ergo id, quod vt forma terminum totalem *qui* alicuius actionis constituit, est terminus *quo* formalis respectu talis actionis. Minor autem probatur: nam terminus *qui* totalis actionis incarnatiuæ est Verbum vt factum homo; sed huius concreti forma est humanitas Verbo vnita, vnione solum vt conditione ingrediente ad illius constitutionem: ergo humanitas, vt vnita, est forma constituens terminum Incarnationis vt actio, vnione vt conditione se habente.

Ratione probatur.

14. *Reijcitur prima solutio.*

Respondebis primò in fauorem primæ sententiæ, negando maiorem, quòd, nempè, terminus *quo* formalis alicuius actionis sit forma, illius terminum totalem constituens, sed terminus *quo* formalis est, qui præcipuè se habet in termino *qui*, & totali; in cõposito autem ex Verbo, & humanitate præcipuum locum obtinet Verbũ; & ideo non humanitas, quæ vt forma compositum hoc constituit, sed Verbum sustentans humanitatem est terminus *quo* formalis Incarnationis vt actio. Sed contra; nam in concreto causato per actionem dealbativam præcipuum locum tenet subiectum substans albedini; & tamen nullus dixit, subiectum hoc esse terminũ *quo*, & formalem actionis dealbatiuæ, illam specificantẽ, aliàs motus in albedinem, & motus in nigredinem essent eiusdem speciei, vtpotè habẽtes eundem terminum formalem, & specificativum: ergo esse, vel non esse terminum formalem *quo* respectu alicuius actionis, non est regulandum penès magis, vel minus principaliter ingredi, vel penès id, quod præcipuum locum obtinet in termino totali per talem actionem causato, sed sumendum est ex eo, quòd sit, vel non sit forma constituens terminum totalem *qui*.

15. *Respondebis secundo.*

Secundò in eiusdem sententiæ fauorem poterit quis respondere, concessa maiori, negando minorem. cum enim vnio humanitatis ad Verbum non fuerit facta in natura, sed in persona, terminus *qui* actionis incarnatiuæ est persona Verbi, vt in humanitate subsistit; cum autem, vt *supra* diximus, persona de formali, & in recto personalitatem significet, & in obliquo naturam, fit consequens, quòd forma constitutiua termini totalis actionis incarnatiuæ non sit humana natura à persona Christi solùm in obliquo importata, sed personalitas Verbi, quæ in recto significatur, & à persona Christi importatur.

16. *Reijcitur hæc solutio.*

Sed contra: nam licet personalitas sit formale significatũ in recto huius nominis *persona Christi*; non tamen est forma dans Christo specificum esse, sed veluti indiuiduale; at specificatio

actionis nõ ſumitur, vt à termino formali *quo*, à forma ſignificata, quæ dat eſſe veluti indiuiduale, etſi importetur in recto, ſed à forma dante eſſe ſpecificum, etſi in obliquo ingrediatur nominis ſignificationem: ergo terminus *quo*, & formalis non eſt perſonalitas Verbi in recto à perſona Chriſti importata, ſed natura humana, eſto in obliquo importetur, quæ dat eſſe ſpecificum Chriſto. *Minor*, in qua eſt difficultas, oſtenditur primò: vt enim *tract. de Trinitate* cum frequentiori Theologorum ſententia docuimus, terminus formalis *quo* generationis Verbi in diuinis non eſt filiatio producta, ſed natura communicata, relatione ſolum vt conditione, vel vt complemento ingrediente, eo quòd filiatio non eſt forma dans Verbo terminanti generationem eſſe veluti ſpecificum, quod à natura tribuitur, ſed veluti indiuiduale; & tamen Verbum, cum nomen perſonale ſit, non ſignificat in recto de formali naturam, ſed relationem vt in natura ſubſiſtẽtem: ergo terminus *quo* alicuius actionis non eſt forma in termino *qui* præcipuè ſignificata, ſi tantum eſſe veluti indiuiduale communicet, ſed forma, quæ termino totali eſſe ſpecificũ præſtat. Secundò probatur: nam generatio hominis vt ad terminum totalem, terminatur ad perſonam humanam, quæ de formali in recto ſignificat ſubſiſtentiam, & in obliquo naturam; & tamen terminus *quo* generationis humanæ non eſt perſonalitas geniti, ſed natura, aut anima rationalis: ergo ex eo, quod à perſona Chriſti terminante actionem incarnativam perſonalitas importetur in recto, & humanitas in obliquo, non ſequitur, perſonalitatem Verbi eſſe prædictæ actionis terminum formalem *quo*.

17. *Duplex ratio pro noſtra ſententia relinquitur.*

Mitto aliorum probationes, qui exindè ſuadere nituntur, perſonalitatem Verbi non eſſe terminum *quo* actionis incarnatiuæ, quia aliàs actio iſta non diſtingueretur ſpecificè ab actione, qua Verbum aſſumeret naturam Angelicam ad ſuum eſſe perſonale, cum haberent eundem terminum formalem, nempè, Verbi ſubſiſtentiam vtrique naturæ vnitam. Secũdò, quia ſequeretur, Incarnationem Patris fore actionem ſpecificè diſtinctam ab Incarnatione Verbi, cum haberent terminos formales eſſentialitèr diſtinctos, ſcilicet, perſonalitates Patris, & Filij, quæ non ſolum in ratione relationis, ſed etiam in ratione perſonalitatis eſſentialitèr diſtinguuntur.

Mitto, inquam, probationes iſtas, quia inefficaces apparent, nam ad primam reſponderi poteſt, negando ſequelam, eo quòd ſubſiſtentia Verbi terminans naturam Angelicam ſupplet vices ſubſiſtentiæ Angelicæ, & humanam terminans naturam ſupplet vices ſubſiſtentiæ humanæ, quæ duæ ſubſiſtentiæ eſſentialitèr diſtinguuntur, ſicut naturæ, quas terminant; ac proindè licet ſubſiſtentia Verbi ſit eadem formalitèr in vtraque terminatione, eſt tamen eminenter diuerſa, quatenus eminentèr continet diuerſas eſſentialitèr ſubſiſtentias: & hæc diuerſitas in ſubſiſtentia Verbi eſſet ſufficiens ad terminandas actiones ſpecificè diſtinctas. Ad ſecundam reſpõderi poteſt, concedendo ſequelam, nec in conſequenti inconueniens aliquod apparet, nec video, vndè poſsit inconueniens aliquod oſtendi in eo, quòd Incarnatio Patris foret ſpecificè ab Incarnatione Filij diſtincta, ſemel admiſſo, vt contraria ſententia admittit, & docet, ſpecificationem actionis incarnatiuæ non ſumi à natura aſſumpta. 18.

Tertio ad noſtrum argumentum reſponderi poteſt in fauorem ſecundæ ſententiæ, terminum formalẽ *quo* alicuius actionis non eſſe formam cõſtituentem terminum totalem in eſſe entitatiuo, ſed illam, quæ conſtituit terminum totalem in ratione termini formalitèr; licet autem humanitas ſit forma dans Chriſto eſſe ſpecificum in linea entis, non tamen illum formalitèr in ratione termini Incarnationis conſtituit, eo quòd cum actio incarnatiua ſit actualis productio, & conſequentèr petens ad terminum productum terminari, per id Chriſtus in ratione termini illius formalitèr conſtituitur, per quod conſtituitur formali- 19. *Tertia ſolutio.*

ter

ter in ratione producti per prædictam actionem; in ratione autem producti non potest per humanitatem constitui, quæ non producitur ex vi actionis vnitiuæ, sed ad illam productam supponitur; benè verò per vnionem, quæ producitur ex vi actionis incarnatiuæ: ideoque licet Christus in esse entitatiuo formalitèr per humanitatem cõstituatur, in esse tamẽ termini actionis vnitiuæ, non per humanitatem, sed per vnionem humanitatis ad Verbum formalitèr constituitur.

20. *Contra primo.* Sed contra primò: nam de termino, & principio actionis proportionabilitèr est discurrendum quoad modum constitutionis in ratione termini, & in ratione principij, sed eadem forma, quæ dat agenti esse specificum in aliqua linea entis, constituit illud in ratione principij actiui formalitèr: ergo forma, quæ dat termino esse specificum in genere entis per actionem communicati, illum constituit in ratione termini talis actionis formalitèr. *Secũdò.* Secundò: etenim natura diuina est terminus *quo* generationis Verbi, & non relatio in frequentiori Theologorum sententia; & tamen secundum fidem natura diuina per generationẽ non producitur, benè verò relatio: ergo forma non producta per aliquã actionem potest constituere terminũ totalem formalitèr in ratione termini actionis productiuæ.

Tertiò. Tertiò, nam etsi anima rationalis non producatur per generationẽ hominis, & vnio illius ad corpus producatur per illã, terminus formalis *quo* prædictæ generationis non est vnio, sed anima rationalis, cum terminus *quo* actionis generatiuæ sit id, in quo genitum generanti assimilatur assimilatione specifica: ergo, quòd humanitas per actionem vnitiuam non producatur, sed ad illam in vi alterius actionis supponatur producta, non obstat, quo minus sit forma constituens Christum, non tolum in linea entitatiua, sed etiam in ratione termini prædictæ actionis formalitèr.

21. *Vltima ad nostrũ* Deniq; responderi potest pro Auctoribus tertiæ sententiæ, terminum *quo* alicuius actionis non esse id, quod constituit terminum totalem in esse specifico, sed quod denominatur ab illa ratione sui, & est ratio, vt totalis terminus ab eadem denominetur: & quia humanitas denominatur assumpta, vnio denominatur producta, & hypostasis Verbi denominatur suppositans, consequens fit, quòd terminus *quo* actionis incarnatiuæ sub nomine assumptionis humanitas sit, quæ denominatur assumpta; illius verò sub nomine productionis terminus formalis sit vnio, quæ denominatur producta, & terminus formalis eiusdẽ sub nomine suppositationis sit Verbum, quod denominatur suppositans. *argumẽtum solutio.*

Sed contra primò; nã actio incarnatiua, vt illis nominibus significata non est diuersæ speciei, sed vna, & eadẽ actio, quæ omnibus illis modis potest significari; sed si illi vt significatæ vno nomine vnus terminus assignaretur, & vt significatæ alio nomine alius terminus specie distinctus non posset esse vnius, & eiusdem speciei sub illis nominibus, cum specificatio actionis sumatur à termino formali, & consequentèr, illo variato specificè, etiam actio specificè varietur: ergo esse, vel non esse terminum formalem *quo* specificativum alicuius actionis, non est sumẽdum ex eo, quòd denominetur, vel non denominetur ab actione specificata, sed ex eo, quòd constituat, vel non constituat vt forma terminũ totalem actionis, illam vt *quod* terminantem. Secundò reijtur: quia, vt *proximè* dicebamus, natura diuina est terminus *quo* generationis Verbi, & anima rationalis est terminus *quo* generationis hominis; & tamen nec natura Verbi denominatur genita per æternam Verbi generationem, nec anima rationalis per generationem hominis denominatur producta: ergo terminus formalis alicuius actionis non est, quod ab illa denominationem suscipit, sed quod terminum totalem illius vt forma constituit. 22.

****
****
***

§. Vlti-

§. Vltimus.

Argumentis in contrarium occurritur.

23. *Primũ argumẽtum.*

EX dictis ferè manent contrariorum argumenta ſoluta: primum argumentum eſt, nam terminus formalis alicuius actionis eſt id, quod dat eſſe primariò intentum per illam; ſed eſſe, quod dat ſubſiſtentia Verbi, nempè, ſubſiſtens diuinũ, eſt quod primariò intenditur per actionem vnitiuam, non autem eſſe humanum, quod ab humanitate præſtatur: ergo non humanitas, ſed ſubſiſtentia Verbi, vt humanitatem terminans, eſt terminus formalis Incarnationis vt actio. Probatur minor: nam per huiuſmodi actionem effectum eſt, vt humanitas ſubſiſteret per ſubſiſtentiam Verbi, & vt Verbum ratione vnionis ad humanitatem eſſet homo; ſed eſſe hominem, quod ab humanitate præſtatur, minus præcipuum eſt, quam humanitatem ſubſiſtere per ſubſiſtentiam diuinam, quod à ſubſiſtentia Verbi præſtatur: ergo eſſe, quod dat ſubſiſtentia Verbi, primariò intenditur per actionem vnitiuam, non autẽ eſſe humanum, quod præſtatur ab humanitate.

24. *Solutio.*

Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem, ad cuius probationem dicatur, quòd licet id, quod prouenit à ſubſiſtentia Verbi in eſſe entis ſit principalius, eo quòd ab humanitate provenit, vt argumentum convincit; comparatiuè tamen ad actionem, qua Verbum, non vt Deus, ſed vt homo producitur, principalius intenditur id, quod ab humanitate præſtatur, quam id, quod provenit à ſubſiſtentia Verbi; multoties enim id, quod principalius eſt entitatiuè, comparatione facta ad aliquam actionem, principalius non eſt, vt conſtat in concreto reſultante ex albedine, & corpore, in quo in eſſe entis principalius eſt corpus; in eſſe tamen termini actionis dealbatiuæ principalior eſt albedo, & per talem actionem intenditur: ergo ex eo, quòd ſubſiſtens diuinum, quod provenit à ſubſiſtentia Verbi, ſit in eſſe entis principalius in Chriſto, quam eſſe humanum, quod ab humanitate præſtatur, non ſequitur primariò intendi in vi actionis incarnatiuæ, nec eſſe terminum formalem illius.

25. *Secũdũ argumẽtum.*

Secundò arguitur in fauorem ſecundæ ſententiæ: nam terminus formalis alicuius actionis non eſt forma conſtituens terminum totalem in eſſe ſpecifico, nec actus principalis illius, niſi per talem actionem producatur; ſed humanitas non producitur in vi actionis vnitiuæ, & incarnatiuæ, ſed ad illam producta ſupponitur: ergo, licet ſit forma conſtituens Chriſtum in eſſe ſpecifico, non eſt terminus formalis Incarnationis vt actio, ſed vnio, quæ ex vi huiuſcemodi actionis producitur. Conſequentia eſt bona, minor habetur ex dictis, & maior, in qua eſt difficultas, oſtenditur primò: nam actus principalior huius cõcreti albũ, & forma conſtituens illud in ſuo eſſe ſpecifico eſt forma ſubſtantialis; albedo namque illud in ſuo eſſe ſpecifico conſtitutum ſupponit, cum det eſſe accidentale; & tamen, quia non producitur ex vi actionis dealbatiuæ, non eſt terminus formalis illius: ergo licet aliqua forma actus principalis ſit, & det termino eſſe ſpecificum, ſi tamen per actionem non producatur, non erit terminus formalis illius.

Secundò: vt enim forma conſtituens terminum totalem ſit terminus formalis actionis factiuæ, aut productiuæ, debet illum cõſtituere in ratione facti, aut producti; ſed forma dans termino eſſe ſpecificum, per actionẽ tamen non facta, nec producta, non conſtituit illum in ratione facti, aut producti: ergo talis forma non eſt terminus formalis actionis productiuæ. Tertiò, nam terminus formalis actionis productiuæ, aut factiuæ talis èr debet comparari ad illam, vt, poſita actione, neceſſariò ponatur, & non poſita, non exiſtat; ſed forma conſti-

tuens

tuens terminum totalem in esse specifico, per actionem tamen non producta, non sic comparatur ad illam, quòd, posita actione, ponatur, imò potius illam præcedit, vt cõstat in humanitate præcedẽte pro priori naturæ actionem incarnatiuam, & in anima rationali, quæ actionem vnitiuam ad corpus ordine naturæ præcedit: ergo forma per actionem nõ producta, non potest esse terminus formalis illius, quamvis terminum totalem specificè constituat.

26. *Respondetur.* Respondeo, negando maiorem, ad primam probationẽ, concessa maiori, nego causalem minoris; ratio enim, cur forma substantialis constituens subſtractum albedinis in suo esse specifico, non est terminus formalis actionis dealbatiuæ, non est, quia non producitur ex vi talis actionis, sed quia ex vi illius non vnitur materiæ, cui præstat esse specificum, sed subiectum vnitur albedini, à qua recipit esse accidentale: vt autem aliqua forma terminus formalis sit, requiritur, quòd ex vi actionis, quam dicitur terminare, det totali termino esse: sicut humanitas ex vi actionis vnitiuæ dat Verbo esse hominem, & hoc concretum constituit, & anima rationalis ex vi generationis præstat esse materiæ, & constituit humanitatem, & diuinitas ex vi æternæ generationis dat Verbo esse diuinum, Deumque Verbum constituit: & ideo humanitas, quamvis non producatur per actionem incarnatiuam, est terminus formalis illius: sicut anima rationalis est terminus formalis generationis hominis, quamvis non producatur per illam, & natura diuina est terminus formalis generationis Verbi, etsi per illam producta non sit.

27. *Ad secũdam probationẽ.* Ad secundam probationem maioris, cõcessa maiori, nego minorem, nam vt forma constituat terminum in ratione facti, aut producti, non requiritur, *vt quod* produci per illam, sed sufficit, quòd ex vi talis actionis producatur *vt quo*, & vt dicatur producta *vt quo* per actionem sufficit, quòd ex vi illius alteri vniatur, & terminum totalem constituat in eo esse, quod dicitur productum, seu factum, vt constat in anima rationali, quæ *vt quo* per generationem producitur, & tamen non producitur per illam *vt quod*; constituit tamen hominem, qui in esse hominis per generationem producitur: & fortè hoc secũdum necessarium non est; diuinitas namque producitur *vt quo* per æternam Verbi generationem; & tamen Verbum non producitur per illam vt Deus, sed vt Verbum. Quia ergo Christus vt homo per Incarnationẽ producitur, & in esse hominis per humanitatem constituitur, consequens fit, quòd humanitas per actionem incarnatiuam producatur *vt quo*; ac proindè, quòd illam specificet tanquam terminus formalis.

28. *Ad tertiam.* Ad tertiam probationem, distinguo maiorem: terminus formalis *qui*, concedo maiorem: terminus formalis *quo*, subdistinguo maiorem: secundum suum esse entitativum, nego maiorem: vt actu præstans esse termino totali, concedo maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam; nam licet forma per actionem non producta, sed tantum subiecto vnita ex vi illius, præcedat secundum suam entitatẽ talem actionem; illam tamen nõ præcedit, vt actu præbens termino totali esse, & hoc sufficit, vt sit termin⁹ formalis illius. Quæ doctrina manifesta fit exemplis non semel adductis, nam anima rationalis est terminus *quo* generationis hominis, quia licet illam entitatiuè sumpta præcedat; non tamen illam præcedit, prout dans esse materiæ, & prout humanitatem constituens. Diuinitas etiam est terminus *quo* formalis generationis Verbi; & tamen secundum suam entitatem præcedit origine talem generationem, quia illam nõ præcedit, prout diuinum Verbum constituens, & prout illi communicata: ergo quamvis humanitas entitatiuè sumpta ordine naturæ præcedat actionem incarnatiuam; quia tamen illam subsequitur vt præstans Verbo esse hominem, & Christum constituens, qui est terminus totalis actionis incarnatiuæ, & vt *quod* per illam

factus,

factus, erit terminus formalis illius.

29. *Tertium argumẽtum.* Tertiò arguitur, & inſtatur contra d ctã: actio, quæ ſupponeret calorem productum, & illum vniret ſubiecto, non haberet pro termino formali calorem, ſed vnionem caloris cũ ſubiecto: ergo actio incarnatiua, quæ ſupponit humanitatem productam, illamque ſubſiſtentiæ Verbi vnit, non habet pro termino formali *quo* humanitatẽ, ſed vnionem humanitatis cum Verbo. Conſequentia eſt euidens à paritate rationis; antecedẽs autẽ probatur, actiones namque, cum ſpecificẽtur à terminis, vt ſpecie inter ſe diſtinguantur, debent habere terminos formales ſpecificè diſtinctos; ſed actio, quæ calorem produceret, & ſimul illum vniret ſubiecto, ſpecificè eſſet diſtincta ab actione non producente calorem, ſed tantùm illum vniẽte, & actio producens, & vniens haberet pro termino formali calorem: ergo actio non producens calorem, ſed illum vniens ſubiecto, non calorem, ſed vnionem caloris reſpicit tanquam terminum formalem.

30. *Reſpondetur.* Reſpondeo, negando antecedens, ad illius probationem, diſtinguo maiorem: actiones ſpecie diſtinctæ debent habere terminos ſpecificè diſtinctos entitatiuè ſemper, nego maiorẽ: ſpecificè diſtinctos formalitèr in ratione termini, cõcedo maiorẽ, & cõceſſa minori, nego conſequentiam; quia licet calor terminans actionem productiuam, & vnitiuam ſimul entitatiuè nõ diſtingueretur ſpecificè à calore, vt terminante actionem tantùm vnitiuam; in ratione tamen termini ſpecificè ab illo diſtingueretur ob diuerſum modum tendendi actionum, quas terminaret, diuerſitate iſta in calorem terminantem in ratione termini refuſa; multoties enim idem terminus entitatiuè eſt diſtinctus in ratione termini ob diuerſum modum tẽdendi actionum, ſeu motuum, quos terminat, vt conſtat in motu circulari, & recto terminatis ad eundem locum, qui ſpecificè diſtinguuntur, & conſequentèr locus tales motus terminãs, licet ſit entitatiuè idem, in ratione termini diſtinctus eſt, cum motus ſpecificetur à termino; & tamen illa diuerſitas terminatiua naſcitur, vel arguitur ex diuerſo modo tẽdendi motus circularis, & recti: paritèr in præſenti, quia actio tantum vniens calorem diuerſo modo calorem attingeret, nempè, tantũ vnitiuè ab actione productiua caloris, illum productiuè attingente, etſi calor vtramque ſpecificans entitatiuè eſſet idem, formalitèr in ratione termini ſpecifica diſtinctione gauderet.

31. *Vltimũ argumẽtum.* Denique arguitur: idem eſt terminus formalis actionis, & paſsionis actioni identificatæ, vel ad illam ſubſequutæ; ſed terminus formalis Incarnationis v. paſsio, non eſt humanitas, ſed vnio humanitatis ad Verbum: ergo terminus formalis Incarnationis vt actio, vnio eſt, & non humanitas. Maior cum conſequentia tenet; minor autem probatur: cum enim cauſare formalitèr, etſi extrinſecè, qualitèr formalis terminus cauſat paſsionẽ, & cauſare materialitèr, quo modo cauſat illam ſubiectum, ſint diuerſi modi cauſandi, non poſſunt vni, & eidem conuenire; ſed humanitas eſt ſubiectum Incarnationis ſumptæ paſſiuè, cum prout ſic in Verbo ſubiectari non poſsit, quod incapax paſsionis, & tranſmutationis eſt: ergo non eſt terminus formalis illius, & conſequẽtèr aſſerendum eſt, actionem incarnatiuam ad vnionẽ humanitatis ad Verbum terminari vt ad terminum formalem.

32. *Reſpondetur.* Reſpondeo, conceſſa maiori, negãdo minorem, ad illius probationẽ, nego maiorem: creatio namque paſſiuè conſiderata, ſi diſtinguitur à termino per illam producto, in illo recipitur, cum non poſsit aliud aſsignari ſubiectum: generatio etiam ſumpta paſsiuè ſubiectatur in genito in ſentẽtia valdè probabili, & neceſſariò in via D. Thomæ tenenda, ſi generatio, vt mutatio, non ſubſtantia, ſed accidẽs ſit. Nec obſtat, quòd cauſare materialitèr, & cauſare formalitèr extrinſecè ſint diuerſi modi cauſandi; nam etiam cauſare effectiuè, cauſare materialitèr, & cauſare finalitèr ſunt diſtincti modi cauſandi; & tamen eſſẽ

tia materialitèr, finalitèr, & effectiuè suas proprietates causat, & forma est principium, & finis generationis. Accidens etiam omni modo absolutum à subiecto specificatur ad differētiam relationis prædicamentalis, & accidētium transcendentalitèr respicientiū extrinsecos terminos, quæ ab illis speciem desumunt; & tamen accidentia absoluta materialitèr à suo subiecto causantur: non ergo obstat, diuersos modos causandi materialitèr, & specificatiuè extrinsecè, vt humanitas sit subiectum Incarnationis vt passio, & simul terminus formalis illius. Et quidem humanitas non est subiectum Incarnationis vt passio separata à supposito, sed vt illi vnita; & tamen vt supposito vnita est terminus formalis eiusdem in contraria sententia: ergo idem potest subiecti, & termini Incarnationis vt passio rationem sortiri.

33. *Obijcies*

Sed hinc noua difficultas insurgit, nam terminus passionis est effectus illius in genere causæ efficientis; sed nihil potest sui causam efficientem causare: ergo terminus passionis nequit esse subiectum illius, nam subiectum est causa materialis formæ, quam intrinsecè recipit. *Respondetur*, non repugnare mutuam inter duo causalitatem in diuerso genere causæ, nam materia formam causat materialitèr, & ab illa causatur in genere causæ formalis. Terminus actionis illam causat finalitèr, & causatur ab illa efficiētèr. Et in sententia frequentiori apud Thomistas actus contritionis causat gratiam iustificantem in genere causæ materialis, & causatur ab eadem in genere causæ efficientis. Generatio etiam, vt *proximè* dicebamus, recipitur in termino genito, & consequentèr materialitèr causatur ab illo, & in genere causæ efficientis eundem terminum causat: vndè, concessa maiori, distinguenda est minor: in eodem genere causæ, videlicet, causæ efficientis, concedo minorem: in diuerso genere causæ, nempè, causæ materialis, aut finalis, nego minorem, & consequentiam.

Respondetur.

34. *Explicatur terminus à quo Incarnationis.*

Ex dictis in discursu disputationis facilè est intelligere, quis sit terminus *à quo* Incarnationis: cum enim, non motus, sed mutatio sit, vel non motum, sed mutationem inferat, non intèr terminos positiuos, sed inter positiuum, & negatiuum petit versari; hoc enim est omni mutationi commune, prout distinguitur à motu. Habet ergo pro termino *à quo* totali negationem termini totalis, scilicet, non esse Christi, qui est totalis Incarnationis terminus, & pro termino *à quo* formali negationem humanitatis, non entitatiuè sumptæ, sed constitutiuè acceptæ, nempè, vt Verbum in ratione hominis constituentis; prout sic namque ad Incarnationem non præsupponitur, sed efficitur per illā: sicut terminus totalis *à quo* generationis hominis est non esse hominis, & terminus *à quo* partialis, seu formalis eiusdem generationis est non esse animæ rationalis: non quidem entitatiuè sumptæ, sed vnitiuè, hoc est, vt materiæ vnitæ, vt illi dantis esse specificum, & hominem constituentis: qua ratione non supponitur generationi, sed per illam efficitur. Et hæc de ista disputatione, quæ applicari poterit litteræ Magistri, vbi disputatio præcedens.

DISPVTATIO DECIMATERTIA.

An Patres Antiqui Incarnationis ſubſtantiam ex congruo meruerint?

§. I.

Quibuſdam præſuppoſitis, referuntur ſententiæ, & vera eligitur.

Nu. 1. *Supponitur 1.*

IN hac diſputatione vt omninò certum, & indubitatum ſupponimus, Antiquos Patres non meruiſſe de condigno ſubſtantiam Incarnationis: quod patet primò ex illis verbis Pauli ad Titum 3. *cap. Cum autem apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.* Si autem exiſtentiam Chriſti, qui fuit noſtræ ſalutis initium, & Auctor, antiqui Patres merito condigno meruiſſent, ſalus noſtra ex operibus iuſtitiæ eſſet facta, cum id, quod ex merito condigno fit, ex iuſtitia fieri dicatur: ſicut gloria operibus iuſtorum de condigno promerita corona iuſtitiæ dicitur. Non ergo meruerunt antiqui Patres de condigno ſubſtantiam Incarnationis. Deindè, nam Incarnatio fuit maxima omnium gratiarum, quas Deus hominibus ſua largitate conceſsit, nõ ſolum in perfectione entitatiua, ſed etiam in ratione gratiæ, quod verum eſſe non poſſet, ſi antiquorum Patrũ opera illam condignè meruiſſent, cũ Deus non liberaliter, ſed ex iuſtitia obligatus Incarnationẽ operatus fuiſſet, contra illud Pauli ad Epheſ. 2. *cap. Deus autem, qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, cum eſſemus mortui peccatis, conviuificauit nos in Chriſto, cuius gratia eſtis ſaluati, &c.* Aſſerendum ergo eſt, antiquorum Patrũ opera de facto non meruiſſe de condigno ſubſtantiam Incarnationis.

Paul. ad Titũ c. 3

Patrum opera nõ fuerunt merita condigna Incarnationis

Ad Eph. cap. 2.

An autem de potentia abſoluta potuerit Incarnatio quoad ſubſtantiã cadere ſub merito condigno operum puræ creaturæ diſſidiũ eſt inter Theologos? Magiſter Medina *in hac q. art. 11. dub. 1. conc. 2.* affirmatiuè reſpondet. Negant communiter alij, & meritò quidem, nam ad meritum condignum requiritur æqualitas inter meritum, & præmium in morali æſtimatione; Incarnatio autem, cum ſit infinitæ æſtimabilitatis, non poteſt ab

2. *Nec potuerũt de potentia abſoluta Magiſt. Medin.*

ope-

operibus puræ creaturæ, quantumvis eximijs, in morali æstimatione exæquari, cum hæc, quantumcumque crescant, finitæ æstimabilitatis semper remaneant: non ergo possunt opera puræ creaturæ condignè promereri substantiam Incarnationis, etiam de potentia absoluta. Quod amplius cõfirmare possumus: vt enim *tract. præced. disput. 3.* docuimus, merita Christi Domini non excedunt in morali æstimatione, nec in valore meritorio Incarnationẽ Patris vt præmium, sed solum cum illa adæquantur; sed nullius puræ creaturæ factæ, aut factibilis opera possunt operationes Christi in valore meritorio adæquare: ergo nec possunt adæquare in morali æstimatione Incarnationem Patris, vt præmium; ac proindè nec possunt adæquari cum Incarnatione Verbi, quæ cum Incarnatione Patris in morali æstimabilitate adæquatur.

3. *Meruerunt aliquas circunstantias Incarnationis. Gen. 22. Ad Gal. 6. 2. Reg. cap. 7.*

Secundò exploratũ est apud Theologos, Patres antiquos aliquas circunstantias Incarnationis meruisse, constatque ex illis verbis Geneſis 22. *cap. Quia fecisti rem hanc, & non perpercisti vnigenito filio tuo propter me, benedicentur in semine tuo omnes gentes.* Quæ promissio explicatur à Paulo de Christo ad Galatas 6. ibi: *In semine tuo, quod est Christus.* Et quòd funderur in merito constat ex illa causali: *Quia fecisti rem hanc, &c.* Et similis promissio 2. *Reg. 7.* fuit facta Dauidi, illis verbis: *Stabiliam thronum Regni eius vsque in sempiternum*, nempè, in Christo Dauidis Filio. Quæ promissio etiã nitebatur in meritis, scilicet, propterea quòd Dauid proposuerat, animoque conceperat domũ Domino ædificare. Meruerunt ergo de congruo Habrahamus, & Dauid generis circunstantiam, ideſt, quòd ex illorum semine, media Virgine, nasceretur Christus. An autem etiam de condigno istam circunstantiam meruerint dubitant Theologi, & existimo, esse negatiuæ parti adhærendum, nam licet hæc, & aliæ circunstantiæ secundum se sumptæ non sint æstimabilitatis infinitæ; prout tamen coniunctæ Verbo, sunt infinitè æstimabiles, ac proindè superant valorem meritorium operum cuiusvis puræ creaturæ, cum quo non stat cadere sub illorum condignitate.

4. *Potuit de potentia absoluta substantia Incarnationis cadere sub merito cõgruo.*

Tertio ex communi Theologorum consensu supponimus, potuisse de potẽtia absoluta mereri de cõgruo antiquos Patres substantiam Incarnationis; potuit enim contingere, vt Incarnatio non decerneretur à Deo ante præuisa bona opera Sanctorum Patrum in gratia facta, & in Dei amicitia fundata, & intuitu talium operũ, & precum Verbi Incarnationem postulantium illius existentia decerni, cum huiusmodi opera nullam dependentiam ex natura rei habeant à decreto Incarnationis, & consequentèr potuerunt tale decretum præcedere; sed tunc casus, nihil his operib⁹ deesset, vt de congruo mererentur substantiam Incarnationis: tùm, quia æqualitas, quæ his operibus deficit, necessaria ad meritum congruum non est, cum meritum condignum, & cõgruum per æqualitatẽ potissimè distinguantur; quia, nempè, condignũ meritum moralitèr adæquatur cum præmio; secus autem meritum congruum. Tum etiam, quia, vt dicit D. Thomas, cui omnes Theologi consentiunt, congruum est, vt amicus aliquid ab amico petens audiatur, & cõsequentèr amicus ab amico petens de congruo mereatur audiri, illique postulata concedi: ergo potuit de potẽtia absoluta contingere, vt antiqui Patres suis bonis operibus substantiam Incarnationis à Deo postulates, illam mererentur de congruo, in quo, vt dixi, conveniunt communitèr Theologi.

5. *Obijcies primò.*

Si opponas primò: plus distat substantia Incarnationis ab operibus puræ creaturæ, etiam in Dei gratia factis, quam dona gratiæ distant ab operibus puræ naturæ, cum distantia Incarnationis ab operibus iustorum infinita sit in morali æstimatione; distantia autem donorum gratiæ ab operibus puræ naturæ limitata sit, & finita, vtpotè, quæ inter extrema finita versatur; sed dona gratiæ non possunt, etiam de potẽtia absoluta, cadere sub

merito congruo operum puræ naturæ, vt ſuppono ex communi Theologorum ſententia: ergo Incarnatio nō poteſt, etiam de potētia abſolura, cadere ſub merito congruo operum puræ creaturæ, eſto ſupernaturalia ſint, & in gratia Dei facta.

6. *Reſpondetur.* Reſpondeo, veram eſſe maiorem de diſtantia entitatiua; ſecus autem de diſtantia habitudinis: gratia namque ſupernaturalis, cum per elauationem ſupra connexionem cum natura conſtituatur, vel illam eiſērialitèr exigat, nequit habitudinem cōnexionis cum natura terminare; ac proindè nec ſub merito etiam congruo operum purè naturalium poteſt comprehendi, cum meritum etiam congruum aliquam habeat poſitiuam connexionem cum præmio. Ordo autem hypoſtaticus, etſi diſtet infinitè ab operibus ſupernaturalibus ab homine iuſto factis; poteſt tamen terminare habitudinē cōnexionis cum illis; actus enim fidei, quo credimus myſterium Incarnationis, infallibiliter cum illo connectitur; & idcircò in operibus ſupernaturalibus, poteſt eſſe cōgruitas cum ſubſtantia Incarnationis vt præmio: non enim conſiſtit ſubſtantia Incarnationis in eleuatione ſupra exigentiam, & connexionem operum ſupernaturalium, nec talem eleuationem, vel exceſſum eſſentialitèr expoſcit.

7. *Obijcies ſecundò* Si opponas ſecundò: poſito merito; etiam congruo reſpectu alicuius præmij, nō eſt maius miraculum præmium exiſtere, quam nō exiſtere, cum tali merito aliqualitèr præmij exiſtentia debeatur; ſed poſito quocumque opere ſupernaturali iuſtorum præviè ad decretum Incarnationis maius miraculum eſt, exiſtere Incarnationem, quam Incarnationem non exiſtere, cū Incarnationis opus ſit miraculorum miraculum, & maximum omniū miraculorum: ergo nullum opus ſupernaturale ab homine iuſto elicitum poteſt eſſe meritum congruum Incarnationis quoad ſubſtantiam.

Reſpondetur. Reſpondeo, duplex eſſe meritum congruum, vnum, cui eſt promiſſum præmiū: & hoc ratione promiſsionis adiunctæ habet infallibilem connexionē cum exiſtentia præmij, ideoq; tali merito ſuppoſito, nō poteſt maius miraculū eſſe, quòd præmiū exiſtat, quā quòd præmiū non exiſtat. Aliud eſt meritū congruum, cui promiſsio de præmio conferendo facta non eſt, cui merito nō eſt infallibiliter exiſtentia præmij annexa, ſed ſolum illi ex quadam condecentia præmium debetur, & tali exiſtente merito, poteſt maius miraculum eſſe exiſtētia præmij, quā non exiſtentia illius, quādo præmium in aliqua re mira, & extraordinaria cōſiſtit, & vtroque iſto modo potuit Incarnatio ſub merito cōgruo antiquorum Patrum cadere; cum hac tamen differentia, quòd ſi priori modo eſſet ab illis promerita, non eſſet maius miraculum exiſtentia Incarnationis, quam non exiſtentia illius; benè auē ſi ſolum ſecundo modo; etenim, diuina promiſsione ſuppoſita de Incarnatione exequenda, non eſt miraculum, quòd Incarnatio exiſtat, imò oppoſitum miraculum foret, vel, vt melius dicam, repugnat, nec eſt contra rationem operis, quantumvis miraculoſi, quòd, diuina promiſsione ſuppoſita, illius exiſtentia ſit debita, & futura infallibiliter, aliàs non poſſet Deus ad opus miraculoſum patrandum ſe promiſsione obligare.

8. *Prima ſentētia* His breuitèr prælibatis, præſens difficultas conſiſtit in eo, an, ſcilicet, hoc ordine rerum ſuppoſito, in quo gratia omnis fuit antiquis Patribus data intuitu Chriſti venturi, & conſequētèr opera ab ipſis elicita ſuppoſuerūt decretum de Incarnatione facienda, & de Verbo in carne mittēdo, huiuſcemodi opera fuerint meritoria de congruo Incarnationis Verbi quoad ſubſtantiam. Negatiuam ſententiam tenent Scotus *in 4. diſtinctione 2. q. 1.* *Scot.* Gabriel *in 3. diſt. 4. q. vnic. art. 3. dub. 3.* *Gabr.* Almainus *q. 1. dub. 3.* *Almai.* Magiſter Soto *lib. 2. de iuſt. & iure q. 1. art. 3.* poſt tertiam cōcluſionem, quos referunt, & ſequuntur Vazquez *diſp. 22. cap. 4.* *Soto.* *Vazq.* Lorca *diſp. 21.* *Lorca.* Cardinalis Lugo *diſp. 8.* *Lugo.* Puente-Hurtado *diſp. 28. ſect. 1.* & *Puente-Hurt.* alij Recentiores Societatis frequentius; licet autem allegati Auctores cōueniant in negādo antiquis Patrib⁹

meri-

meritū congruum Incarnationis Verbi quoad ſubſtantiam, & in eo, quòd aliquas circumſtantias Incarnationis meruerint; in aſsignando tamen circumſtantias, quas de facto meruerūt, diſcordant. Lorca, quem Lugo ſequitur, cenſet, circumſtantiam temporis eſſe excipiendam; cæteri verò, & temporis, & loci, & generis circumſtantias antiquos Patres de congruo meruiſſe tuentur.

9. *Secunda ſētētia à Nobis pro cōcluſione ſtatuitur. Caiet. Medin. Vintēt. Aluar. Soto. Nazar. Araujo. M. S. Thoma.*

Secunda ſententia docet, non ſolum circumſtantias, ſed etiam ſubſtantiam Incarnationis meruiſſe antiquos Patres merito congruo, nō quidem vt primò intentam à Deo, ſed vt executioni mandatam. Hanc tenent Caietanus, & Medina *in hac q. art.* 11. Vincentius *relectione de gratia Chriſti q.* 5. *concluſ.* 4. *pag. Mihi* 482. pro illa referens vniuerſos Diui Thomæ diſcipulos Aluarez *in præſenti diſputatione* 17. referens pro illa Sotum *lib.* 2. *de iuſt. & iure q.* 1. *art.* 3. *concl.* 3. Nazarius *in præſenti art.* 11. *contr.* 2. Illuſtriſsimus Araujo circa eundem *art. dub. vnic.* Magiſter Sancto Thoma *tom.* 2. *in* 1. *part. diſp.* 8. *art.* 5. *num.* 30. Eſtque frequentior apud Moderniores Diui Thomæ Diſcipulos, ideoque à Nobis pro concluſione ſtatuitur. Et quidem, quòd illam vt primò decretam, hoc eſt, vt ſubeſt decreto intentiuo Dei, priſci Patres non meruerint, etiam de congruo, ex argumentis in fauorem primæ ſententiæ aduerſus noſtram *infra* ſubijciendis apertè conſtabit; quòd verò ſubſtantiā Incarnationis vt executioni mādatā, & pro ut ſubeſt decreto Dei executiuo, meruerint, quod aſſerit noſtra cōcluſio.

10. *Prob.* 1. S. Tho.

Oſtenditur primò ex Angelico Doctore *in hac q. art.* 11. *in corpore*, quod ita concludit: *Ex congruo tamen meruerunt Sancti Patres Incarnationem deſiderando, & petendo; congruum enim eſt, vt Deus exaudiret eos, qui ei obediunt.* Id ipſum docuit *in* 3. *Sent. diſt.* 3. *q.* 4. *art.* 1. *ad* 2. & ad Annibaldum *in eadem diſtinct. q. vnic. art.* 4. Deindè probatur ratione à D. Thom. inſinuata: congruū enim eſt, vt Deus amicos ſuos, qui ipſi obediūt, exaudiat aliquid poſtulantes, vt docet D. Tho. vbi *proximè*, & 2. 2. *q.* 83. *art.* 15. *ad* 2. vbi ait: *Orationes de neceſſarijs ad ſalutem mererī de congruo, ipſis petentibus, ea, quæ petunt.* Sed antiqui Patres petebant à Deo Incarnationē Filij, quoad ſubſtantiam, vt cōſtat ex illo Eſai. 45. *cap. Rorate Cœli deſuper, & nubes pluāt iuſtum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem*: & etiam quoad circumſtantias, vt de circumſtātia tēporis cōſtat ex Pſal. 78. illis verbis: *Cito anticipent nos miſericordiæ tuæ*: ergo meruerūt de congruo Incarnationem Verbi, & quantū ad circūſtantias, & quatū ad ſubſtantiā, cumq; illam vt primò intētā à Deo promereri nō potuerint, meruerunt eam prout executioni mādatā, & prout ſubeſt decreto intentiuo Dei.

S. Tho. *Iſai. c.* 45. *Pſal.* 78

11. *Reſpondebis.*

Reſpondebis, verā eſſe maiorē de illis, quæ principiū merendi non ſunt; falſam autē de illis, quæ ſunt merēdi, & poſtulandi principium; Incarnatio autē Verbi fuit principiū omnis gratiæ Sanctis Patribus collatæ, cū omnis gratia illis exhibita fuerit intuitu meritorū Chriſti, & conſequentèr Chriſtus fuerit principium gratiæ, quæ in illis fuit principiū merēdi: ideoque nō potuerunt ſuis orationib⁹ Incarnationē Verbi quoad ſubſtantiam, nec exiſtentiam Chriſti mereri, aliàs promeruiſſent ſui meriti principium. Sed

Cōtra 1.

contra primò, nam merita, quibus Chriſtus antiquis Patribus gratiam promeruit, dependebant in ſui indiuiduatione ab hoc numero *tempore*: ergo hoc numero *tempus* vt cōditio ad minus ad gratiam antiquorū Patrum ex parte meritorum Chriſti ſupponitur; & tamē, vt frequētius aduerſarij Auctores fatentur, promeruerunt Patres antiqui Incarnationem quoad circumſtantiam temporis: ergo, non obſtante, quòd Incarnatio ad illorum gratiam ſupponatur præviſa, vt cuius intuitu illis conferebatur, potuerunt ſuis actibus in gratia intuitu meritorum Chriſti collata fundatis Incarnationem de congruo mereri.

Secūdò.

Deindè, nam etiam ſi gratia antiquis Patribus data effect⁹ fuerit Chriſti venturi, & meritorum illius, opera mediante illa elicita fuerunt impetra-

toria Incarnationis Verbi quoad ſubſtantiam, vt plures ex contrarijs fatentur: ergo, non obſtante prædicta dependentia gratiæ antiquorum Patrũ à Chriſto venturo, & à meritis illius, opera in prædicta gratia fundata fuerunt meritoria de congruo eiuſdem Incarnationis. Deniq; nã ſi gratia nõ eſſet antiquis Patribus data intuitu meritorum Chriſti, poſſent illorum preces de congruo mereri ſubſtantiã Incarnationis quantum ad executionem, vt ferè omnes Adverſarij fatẽtur, vno Recentiori excepto; ſed ex hoc, quòd intuitu meritorum Chriſti collata fuerit antiquis Patribus gratia, nihil in æſtimatione illorum preces decreſcunt, & aliàs tempore præceſſerunt executionẽ Incarnationis: ergo promeruere de congruo illius ſubſtantiam quantum ad executionẽ.

Tertiõ.

12. *Reſpõdebis.* Reſpondebis ex adverſariorũ doctrina, quòd licet antiquorũ Patrum preces tempore præceſſerint temporalem Incarnationis executionem; nõ tamen præceſſerunt decretum de Incarnatione: hoc enim ipſo, quòd gratia antiquis Patribus data, quæ fuit illarum precum principium, effectus fuerit Chriſti venturi, & meritorum illius, neceſſariò ſuppoſuerunt æternũ Dei decretũ de ſubſtantia Incarnationis, aliàs non poſſet Chriſtus, vt à Deo præviſus meritoriè in prædictam gratiam influere, cũ prævisio Chriſti venturi neceſſariò decretum de Incarnatione ſupponat, illique innitatur; vt autem Sanctorum precibus poſſet Incarnatio meritoriè de congruo obtineri, neceſſum erat, quòd non ſolum temporalem executionẽ Incarnationis præcederent, ſed etiam decretum æternum de illa, cum meritum nõ aliter cauſet præmium, quam mouẽdo voluntatem præmiantis, illamque alliciendo ad præmij exhibitionẽ: ideoque antiquorũ Patrum preces ſupponentes decretũ de Incarnatione, illam non potuerunt mereri; quia non potuerunt mouere diuinam voluntatẽ, vt intuitu illarum Incarnationem decerneret, quod neceſſarium erat, vt in illam influerent meritoriè.

13. Cæterum contra hanc ſolutionẽ, quæ vnicum eſt oppoſitæ ſententiæ fundamẽtũ, obijcio ſic primò: etenim non obſtante, quòd Sanctorũ Patrum preces decretum æternum Dei circa Incarnationem Verbi ſuppoſuerint, fuerunt impetratoriæ Incarnationis Verbi quoad ſubſtantiam, vt fatentur plures ex cõtrarijs Auctoribus: ergo, non obſtante prædicta ſuppoſitione, promeruerunt de congruo executionem ſubſtantiæ Incarnationis. Probo conſequentiam: ſicut enim meritum congruũ nõ exercet immediatè ſuam cauſalitatẽ erga præmium conferendum, ſed mediatè, nẽpè, mouendo voluntatem præmiantis, illamq; inducẽdo ad collationẽ præmij: ita impetratio nõ influit immediatè in effectum, quem impetrat, ſed mediatè, videlicet, alliciendo voluntatẽ illius, à quo effectus impetratus eſt conferendus: ergo, ſi nõ obſtante, quòd Sanctorum Patrum preces decretũ Dei æternum de Incarnatione Verbi ſuppoſuerint, potuerunt diuinam voluntatẽ allicere impetratoriè, & Incarnationis ſubſtantiam impetrare, potuerunt etiam Dei voluntatem meritoriè mouere, mererique de congruo ſubſtantiam Incarnationis.

Sed cõtra 1.

14. *Secundò* Secundò contra eandẽ ſolutionẽ obijcio: nã vt opus de cõgruo præmiũ aliquod promereatur, ſufficit, quòd in mẽte præmiantis præcedat decretum executivũ præmij, quãvis non præcedat decretũ intentivũ illius; ſed licet antiquorũ Patrũ preces nõ præceſſerint in mẽte diuina decretũ efficax intẽtivũ Incarnationis Verbi, præceſſerunt tamẽ decretũ eius executivũ: ergo meruerunt de congruo ſubſtantiã Incarnationis. Cõſecutio eſt bona, maior cõſtat in gloria, quã noſtris operibus in Deo factis, & in gratia adoptionis fundatis, merito condigno meremur; & tamen in frequentiori, & veriori ſentẽtia, quã ſuè monſtrabimꝰ *tract. de prædeſt. art.* 4. decretũ efficax intentivum gloriæ prævisionem noſtrorum meritorum præcedit, & conſequentèr noſtra merita in mente diuina ſolum decretum executivum gloriæ præcedunt: ergo ad rationem meriti non requiritur præceſsio

in

in mẽte præmiantis ad decretum præmij intentivum, sed sufficit, quòd decretum executivum præmij in præmiantis mente præcedat; minor verò probatur, nam decretũ executivum, & consequenter etiam decretum intentivum gratiæ initiantis antiquorũ Patrũ preces est prius decreto executiuo Incarnationis Verbi, nam etsi ordo intentionis quoad præcedentiã, & posterioritatem non commensuretur cũ ordine executionis; ordo tamẽ executionis cõmensuratur in diuina volũtate cum tẽporanea rerũ executione; sed in executione temporali gratia antiquis Patribus data, & preces fundatæ in illa præcesserunt Verbi Incarnationem: ergo decretũ executivum gratiæ, & precum antiquorũ Patrum prius est decreto executiuo Incarnationis, & cõsequenter orationes antiquorũ Patrũ potuerunt in diuina mẽte antecedere decretũ executivũ substantiæ Incarnationis, licet decretum efficax intẽtivum illius suppositum fuerint: ex quo vlterius fit, vt potuerint diuinam voluntatem mouere ad decretũ executivum substantiæ Incarnationis, quod sufficit, vt substantiam Incarnationis de congruo mereri potuerint.

§. II.

Soluuntur duo argumẽta cõtrariæ sententiæ, & mens D. Thomæ explicatur.

15. *Primũ argumẽtum. S. Tho.*

CONTRA nostram conclusionem arguitur primò ex D. Tho. 3. *ad Annibaldum dist. 4. q. vnic. art. 4. in corp.* illis verbis: *Dicendum, quòd duplex est meritum, condigni, & congrui; sancti autem Patres Incarnationem meruerunt merito congrui, scilicet, se ad suscipiendum tantum beneficium præparando, & non merito cõdigni, quia non eam per meritum hoc modo debitam sibi fecerunt, quãvis sic potuerunt mereri eius accelerationem: Deus enim disposuerat, vt eorum meritis, & precibus fieret acceleratio.* Hæc D. Thomas, ex quibus tale argumentum conficitur: meritum, quod Angelicus Doctor concedit antiquis Patribus respectu accelerationis, quæ circunstantia est, negat illis respectu substãtiæ Incarnationis; sed meritum antiquis Patribus à Diuo Thoma concessum respectu accelerationis, solum est meritum congruum: ergo hoc negat illis respectu substantiæ Incarnationis, & consequenter in prioribus verbis, quibus assertioni nostræ fauet, nomine meriti congrui, intelligit congruam dispositionem, nè D Thomam sibi ipsi cõtradicere cogamur asserere.

16. *Confirmatur I. S. Tho.*

Confirmatur primò ex solutione *ad 3. argum. art. præcitati*, illis verbis: *Dicendum, quòd B. Virgo non meruit Incarnationem, nisi supposita Incarnatione facienda, & sic meruit, vt per eam fieret non merito condigni, sed congui*: ergo iuxta D. Thomam B. V. non meruit de congruo substantiam Incarnationis, sed solum illius circũstantiam, scilicet, generis, quod, nempè, ex ipsa Christus nasceretur, & consequenter congruum meritum substantiæ Incarnationis est antiquis Patribus negandum. Secunda consequentia ex prima colligitur; quod enim negatur B. Virgini, non est antiquis Patribus concedendum; prima autẽ probatur: nam meritum, quod D. Thomas concedit B. Virgini respectu circumstantiæ generis, negat ipsi respectu substantiæ Incarnationis; sed meritum, quod respectu circumstantiæ concedit, non est condignum, sed congruum: ergo hoc negat respectu substantiæ Incarnationis, & consequenter B. Virgo substantiam Incarnationis non meruit merito congruo.

17. *Secũdò. S. Tho.*

Confirmatur, & vrgetur secundò ex eodem D. Thoma 3. *Sentent. dist 4. q. 3. art. 1. ad 4.* quod ita procedebat: *Oratio, quæ fit ab aliquo purè, & perseueranter, meretur sui impletionem; sed Sancti Patres hoc modo pro Incarnatione orabant: ergo.* Cui argumento his verbis respondet: *Dicendum, quòd ipsi non petebant Incarnationem, quam indubitanter credebant futuram, sed petebant*

bant eius accelerationem : ergo ſentit D. Thom. Sanctos Patres Chriſtum præcedentes non meruiſſe de cõgruo ſubſtantiam Incarnationis, ſed ſolum tẽporis circunſtantiam, ſcilicet, illius acceleracionem. Patet conſequentia primò, quia aliàs argumentum nõ ſol ueret: ſecundò, nam id ſolum potuit ſub merito congruo antiquorum Patrum cadere, quod ab illis fuit poſtulatum; ſed non petebant, Incarnationẽ fieri, quam certa fide ſupponebant futuram, vt docet D. Thomas, ſed petebant illius accelerationem, quia eius tempus ignorabant: ergo non meruere de cõgruo ſubſtantiam Incarnationis abſolutè, ſed ſolum illius acceleracionem, aut alias circunſtantias.

18. *Tertiò.* S. Tho. Confirmatur tertiò ex corpore illius articuli, quod ita de Incarnatione loquendo concludit: *Vndè nullo modo poteſt cadere ſub merito, niſi largè meritum dicamus omnem præparationem ad aliquid habendũ, quæ præceſſit in humano genere* : ergo ex mente D. Thomæ reſpectu ſubſtantiæ Incarnationis nõ præceſſit in Sanctis Patribus meritum congruum, ſed ſolum congrua diſpoſitio. Confirmatur, & vrgetur quartò ex D. Thoma *in hac q. ſolut. ad 3. argum.* vbi concedit B. Virgini meritum maternitatis, & negat illi meritum Incarnationis; ſed reſpectu maternitatis non concedit meritum condignũ, ſed congruum: ergo reſpectu ſubſtantiæ Incarnationis nec congruum meritũ in B. Virgine admittit, & conſequẽtèr nec in antiquis Patribus eſt admittendum. Deniq; confirmari poteſt, nam D. Thom. *in 3. Sent. diſt. 4. q. 3. art. 1. ad Annibaldum in ead. diſt. q. vnic. art. 4. & in præſenti art.* 11. quibus in locis inquirit, an Verbi Incarnationẽ aliqua præceſſerint merita, ſemper argumenta pro parte affirmatiua proponit, & negatiuè in corpore concludens, argumentis partis affirmantis reſpondet; ſed ſi ſentiret, Sanctos Patres Chriſtũ præcedentes meruiſſe Incarnationem de congruo, oppoſito modo procederet: ergo concluſio oppoſita menti D. Thomæ aduerſatur.

Vltimò. S. Tho.

19. Reſpondeo ad argumentum, D. Thom. in prioribus verbis manifeſtè noſtræ ſententiæ fauere, nec in poſterioribus illi aduerſatur; duplex enim eſt meritum cõgruum: vnum, cui annexa eſt promiſsio retributionis præmij, & conſequentèr obligatio ex parte Dei, ob quam infallibilitèr præmiũ retribuetur; aliud verò, cui promiſsio præmij annexa non eſt, & conſequentèr caret efficacia ad inducendum infallibilitèr præmium: primum concedit antiquis Patribus reſpectu accelerationis, & negat reſpectu ſubſtantiæ Incarnationis, & ideò vocat illud meritum condignum, non quia condignitatem intrinſecam habeat; hoc enim repugnat in operibus puræ creaturæ, quia non poſſunt cum acceleratione Incarnationis in morali æſtimatione adæquari, quod neceſſarium erat, vt condignitatem intrinſecam, & ſimpliciter talem haberent, ſed ideo illud meritum condignum appellat, quia cõvenit cum cõdigno merito in hoc, quòd efficacitèr inducit effectum; ſecundum autem meritum congruum, cui, nempè, nõ eſt annexa promiſsio, ratione cuius infallibilitèr inducat effectum reſpectu Incarnationis quoad ſubſtantiam, vt executioni dandam, & vt ſubeſt decreto Dei executiuo, non negat.

Reſpondetur argumẽto.

20. *Ad primã cõfirmationẽ*

Ad primam confirmationem, tota auctoritate admiſſa, neganda eſt cõſequentia, imò oppoſitum deberet inferri ex verbis relatis ex D. Thoma; cum enim Angelicus Doctor aſſerat, B. Virginem non meruiſſe Incarnationem, niſi ſuppoſita Incarnatione facienda, duo denotat, & docet: primũ, non meruiſſe Incarnationem ante talem ſuppoſitionem: ſecundum, illam, tali ſuppoſitione facta, meruiſſe; cuius ſenſus eſt, non meruiſſe primum Incarnationis faciendæ decretum, nec ipſam Incarnationem, prout primo decreto ſubeſt, videlicet, intentiuo; illo tamen præſuppoſito, meruiſſe Incarnationem vt exequendam, & prout ſubeſt decreto Dei executiuo. Nec obſtant illa verba ſubiuncta; *& ſic meruit, vt per eam fieret*, nam etſi ex illis habeatur, quòd B. Virgo meruit circunſtantiam generis, & quòd ex illa naſceretur Chriſtus; non ta-

men

men habetur ex illis negatio meriti cõgrui circa substãtiã Incarnationis.

21. *Ad secũdam.*

Ad secundam cõfirmationem dicatur, sensum D. Thomæ esse, Sanctos Patres non petijsse Incarnationẽ primò decerni, quia illam credentes indubitantèr futuram, primum illius decretum, vt à suis precibus omninò independens supponebant; petebant autem Incarnationis accelerationem, hoc est, Incarnationis executionem, quia, quamvis aliquid sit volitum efficacitèr decreto intentiuo omninò independenti à precibus, non per hoc excluditur, quòd ab illis in executione dependeat, vt constat in nostra beatitudine, cuius primum, & intentivum decretum nostra merita præcedit, estque omninò independens ab illis; & tamen in executione confertur dependentèr à meritis. Et quidem hanc esse germanam D. Thomæ intelligentiam ex eo Mihi manifestè probatur; quia ignorare non potuit Angelicus Doctor, quòd licet aliquid sit futurũ infallibilitèr, & vt tale credatur, non ideo à Deo precibus postulandum nõ est, alioquin Apostoli postquam suæ prædestinationis reuelationem habuerunt, ex qua certò credebãt, gloriam sibi à Deo retribuendam, illam non postulassent, & consequentèr oratione Dominica vsi non fuissent, in qua dicitur. *Ad veniat Regnum tuum*; quia, vt docet D. Thomas *opusc. 7. de oratione Dominica: Cum petimus, ad veniat Regnũ tuum, oramus, vt simus participes Regni Cœlestis, & gloriæ Paradisi*; hæc autẽ participatio ab Apostolis sibi, diuina reuelatione suppositа, certò credebatur futura, ac proindè, si aliquid credi infallibilitèr esse futurum, quod postularetur, excluderet, Apostoli, suppositа diuina reuelatione, participationem Regni Cœlestis, quam infallibilitèr futuram credebant, non postulassent.

S. Tho.

22. *Ad tertiam.*

Ad tertiam confirmationem dicatur, dispositionẽ duplicem esse: vnã, quæ amicitiam in subiecto se disponẽte supponit, & hæc est idem cum merito congruo: vt enim docet D. Tho. *in præsenti art.* 11. congruum est, vt Deus amicos suos aliquid postulantes exaudiat quæ congruentia, cum super amicitiam fundetur, nõ solum ex parte Dei, sed etiam ex parte amici postulantis se tenet, & consequentèr verum meritum congrui constituit. Alia dispositio est, quæ amicitiam nõ supponit, sed disponit ad illam: sicut actus peccatoris remotè disponentes ad gratiam, & in multorum sententia etiam actus contritionis vltimò ad gratiam disponens, & ista etsi impetrationis rationem sortiatur; quo circa, vt docuit Augustinus, fides impetrat iustificationem; non tamen obtinet veram rationem meriti congrui; quia omne meritum, siuè congruum, siuè condignum sit, amicitiam in subiecto præsupponit. Quando ergo D. Tho. *in testimonio allegato* docet, opera Sãctorum Patrum fuisse tantum præparationem ad Incarnationem, cum loquatur de præparatione primi generis, nempè, super amicitia fundata, nõ excludit à Sanctorum Patrum operibus omne meritum respectu Incarnationis, sed solũ meritũ cõdignũ, cũ eo ipso, quòd ad Incarnationẽ præparauerint, supponẽdo amicitiã cũ Deo, nõ potuerint nõ obtinere rationẽ meriti cõgrui, vt ex D. Thoma vidimus.

S. Tho.

23. *Ad quartam.*

Ad quartam cõfirmationem respondeo dupliciter; primò, respectu maternitatis concedere B. Virgini meritum congruum cum infallibilitate assecutionis præmij, quod ob hanc causam aliqualitèr condignum vocatur, vt in solutione argumenti dicebamus, & hoc genus meriti negare D. Thom. B. Virgini respectu substantiæ Incarnationis; non verò meritũ congruum, cui retributio præmij infallibilitèr annexa nõ est. Vel secudò dicatur, quòd licet B. Virgo nõ meruerit condignè maternitatẽ Dei; meruit tamen merito cõdigno augmẽtum suæ gratiæ, mediante quo, fuit ad maternitatẽ disposita, & hoc meritũ, quod D. Thom. concedit, nõ respectu maternitatis, sed respectu dispositionis ad maternitatẽ, negat respectu substãtiæ Incarnationis. Vnde nõ sequitur, sensisse Angelicũ Doctorem, quòd B. Virgo substantiam Incarnationis nõ meruerit de congruo.

Ad vltimam cõfirmationem.

Ad vltimam confirmationẽ, conceſſa maiori, nego minorem, nam intentum D. Thomæ, vt ipſum legenti conſtabit, fuit negare Sanctis Patribus meritum Incarnationis, quod ſit tale abſolutè, & ſimplicitèr; meritum autem congruum non eſt abſolutè, & ſimplicitèr meritum, ſed ſolum ſecundum quid, & cum addito, ideoque D. Thomas rectè proceſsit argumenta pro parte affirmatiua proponens, negatiuè reſpondens, & ſoluens argumenta contraria, nec debuit oppoſito modo procedere.

24. *Secũdũ argumẽtum.*

Secundò arguitur: ſi antiquorum Patrum opera meritoriè de congruo cauſaſſent ſubſtantiam Incarnationis, ſequeretur, ſe ipſa de cõgruo meruiſſe, & moraliter efficienter cauſaſſe: cõſequens eſt falſum: ergo antiqui Patres non meruerunt ſubſtantiam Incarnationis. Probatur ſequela: quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa effectus per ipſam cauſati; ſed Incarnatio Chriſti Domini fuit cauſa operum antiquorum Patrum, cũ meritoriè cauſauerit gratiam, quæ fuit talium operum principium: ergo, ſi prædicta opera meritoriè cauſarẽt ſubſtantiam Incarnationis, etiam cauſarent ſe ipſa.

25. *Reſpõdetur primo.*

Reſpondeo primò, diſtinguendo conſequens: cauſatione mediata, trãſeat conſequens: immediata, nego ſequelam, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego cõſequentiam: ſicut enim inconueniens non eſt, quòd aliquid in genere cauſæ finalis mediatè ſe ipſum cauſet, quatenus immediatè cauſat intentionem ſui, electionem mediorũ, illorumque executionem, quibus poſitis, finis in executione cauſatur: & ſicut inconueniens non eſt, quòd Chriſtus ſuis meritis in multorum ſententia B. Virginis exiſtentiam meruerit, & cõſequẽtèr ſe ipſum mediatè cauſauerit: ita ſimilitèr inconueniens nõ erit, quòd antiqui Patres Incarnationem de congruo merentes ſua iptorũ merita mediatè cauſauerint. Vel ſecundò, nego ſequelam; ad illius probationem, diſtinguo maiorem: quod eſt cauſa cauſæ intrinſeca connexione cauſantis, & neceſſariò inferentis effectum, eſt etiam cauſa effectus per ipſam cauſati, omitto maiorem: quod eſt cauſa cauſæ non connexæ neceſſariò cum effectu, eſt etiam cauſa effectus, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam, nam Incarnatio Verbi non ita cauſauit gratiam antiquis Patribus data, nec opera ab ipſis elicita, vt eſſet neceſſariò connexa cum prædictis effectibus, ſed liberè illos cauſauit: ſicut liber fuit in merendo, & in ſua merita applicando: & ideo ex eo, quòd opera antiquorũ Patrũ ſubſtantiam Incarnationis meruerint, non ſequitur, quòd ſe ipſa cauſauerint: ſicut plures Theologi probabilitèr ſatis diſcurrentes docent, ideo peccatorem ſe vltimò effectiuè diſponẽtem ad gratiam non cauſare gratiam iuſtificantem efficienter; quia vltima diſpoſitio à peccatore effectiuè cauſata, non infert neceſſariò gratiam iuſtificantem, nec cum illa neceſſariò connectitur.

26. *Tertiò.*

Vel tertiò reſpondetur, negando etiam ſequelam, ad illius probationẽ, diſtinguo maiorẽ: quod eſt cauſa cauſæ ſub ea ratione, & ſtatu, in quo cauſat, eſt cauſa effectus cauſati per ipſam, omitto maiorem: quod eſt cauſa cauſæ in diuerſo ſtatu ab illo, in quo cauſat, nego maiorem, & diſtinguo minorem: Incarnatio vt exiſtens in prævisione Dei, & prout ſubeſt decreto intentiuo, fuit cauſa gratiæ antiquis Patribus datæ, & operum, quib⁹ antiqui Patres meruerunt, concedo minorem: Incarnatio vt exequuta, nego minorem, & conſequentiam; quia antiquorum Patrum merita non cauſarunt meritoriè ſubſtantiam Incarnationis ſecundum exiſtẽtiam in præuiſione diuina, & prout erat ſub decreto Dei intẽtiuo, in quo ſtatu Incarnatio gratiã, & merita antiquorũ Patrũ cauſauit, ſed ſolũ fuerunt cauſa Incarnationis prout executioni mãdatæ, & prout obiectæ decreto Dei executiuo: qua ratione non cauſauit Incarnatio antiquorũ Patrum merita, & ideo ex eo, quòd opera antiquorũ Patrum meritoriè influxerint in ſubſtantiam Incarnationis, nõ ſequitur, ſe ipſa cauſaſſe, qualitèr plures probabilitèr ducunt in fine, docentes, nõ ſequi, ſe ipſũ

Secũdò.

cauſare

causare finalitèr ex eo, quòd causet finalitèr media, & à medijs causetur; quia media nō causant ipsū, prout est in apprehēsione, in quo statu excercet finis in media causalitatem, sed prout in executione, in quo statu non influit in electionem mediorum.

27. *Sed contra primam solutionē instabis primò.*

Sed contra primam solutionem obijciet aliquis primò: quod est causa causæ proximè causantis effectum, nō solum influit in causam, sed etiam tuo influxu formalitèr attingit effectum, quia namque natura radicalitèr causat potentias dimanantes ab ipsa, suo influxu, non solum attingit potētias, sed etiam transit in actus proximè à potentijs causatos: ergo, si merita Patrum causarūt meritoriè Incarnationem, & hæc moralitèr influxit in illa, influxus meritorum in Incarnatione non sterit, sed etiam ad se ipsa transiuit.

Secūdò.

Secundò, quia non solum causa proxima, sed etiam causa mediata, & remota realitèr ab effectu, seu termino causato distinguitur: ergo merita Patrum, nec etiam mediatè, & remotè potuerunt se ipsa causare. Probatur antecedens: avus namque non est causa proxima, sed tantùm remota nepotis; & tamen non solum inter patrem, & filium, sed etiam inter nepotem, & avum necessariò intervenit realis distinctio: & 1. *p. q.* 35. communitèr à Thomistis docetur, quod etiā si Spiritus Sanctus non procederet proximè à Patre, dummodo à Filio procederet, realitèr distingueretur, non solum à Filio, à quo proximè procederet, sed etiam à Patre ratione influxus mediati, & remoti, quo Pater in Filium in prædicto casu gauderet: ergo non solum causa proxima, sed etiam causa remota, seu remotum principium realitèr ab effectu, seu termino producto distinguitur.

28. *Respondetur ad primam replicā.*

Respondeo ad primam replicam, distinguēdo antecedens: quādo quod in causam influit, realitèr ab effectu talis causæ distinguitur, concedo antecedens: quando nō distinguitur realitèr ab illo, nego antecedens, & cōsequētiam, & instantiam adduco *ex* 1. 2. *q.* 113. vbi cōmunitèr à Thomistis docetur, quòd licet homo media gratia habituali sub cōceptu auxiliantis causet efficienter actus vltimò physicè disponentes ad eandem gratiam sub conceptu iustificantis, non ideò gratiam iustificantem physicè efficienter causat; quia axioma illud philosophicum, ageus, quod causat vltimam dispositionem ad formam, efficienter causat formam, intelligendum est de agente, quod causat vltimam dispositionem ratione formæ realitèr distinctæ à forma media tali dispositione introducenda: quæ distinctio inter gratiam sub conceptu auxiliantis, & eandem sub conceptu iustificantis nō datur. Idem, & eadem ratione Nos dicimus in præsenti.

29. *Ad secūdam.*

Ad secundam probationem, distinguo antecedens: causa physica remota petit realitèr ab effectu distingui, concedo antecedens: causa moralis remota, nego antecedens, & cōsequentiam: opera namque antiquorum Patrum, cum non physicè, sed moralitèr, Incarnationem causauerint, non physicè, sed moralitèr, mediatè, & remotè causauēre se ipsa. Ratio autem discriminis inter causam physicam, & moralem quoad præsens attinet, est, nam causa physica, vt causet, petit existere physicè, vel ad minus physicè extitisse, & effectus, antequam causetur, existētiæ physicæ tam præsentis, quam præteritæ carentiam exposcit; cum autem idem non possit physicè existere, & physicè carere existentia, consequens fit, quòd nequeat idem se ipsum, etiam remotè, causare; causa autem moralis causat, vt existens in prævisione præmiantis: vndè potest effectus physicam suæ causæ existentiam præcedere, & vt existens in prævisione præmiantis ad suæ causæ physicam existentiam concurrere, & consequentèr potest se ipsum remotè causare: qua ratione inconveniens non censetur, quòd finis se ipsum causet mediatè finalitèr; quia potest in apprehensione mediorum existentiam præcedere, & ab illis in executione physicam existentiam accipere.

§. III.

Proponitur tertium argumẽtum, & examinantur varij modi dicendi.

30. *Tertiũ argumẽtum.*

TERTIVM argumentum, illudque in hac parte potiſsimum, eſt, nã principiũ meriti non poteſt ſub merito, cuius eſt principium, cadere; quo circa prima gratia ſub merito cadere nequit, quia eſt merendi principium, aliàs daretur mutua inter duo cauſalitas in eodem genere cauſæ, cũ principium merendi effectiuè moralitèr concurrat ad meritum, & moralitèr effectiuè cauſaretur ab illo, ſi ſub illo vt præmio caderet; ſed Incarnatio Chriſti fuit principium meriti antiquorum Patrum, cum omnis gratia, tam ſufficiens, quam efficax, quæ fuit illis principium merendi, intuitu meritorum Chriſti fuerit ipſis collata, vt ſupponimus, aliàs vniuerſalis Redẽptor non fuiſſet: ergo non potuerunt ſuis bonis operibus Incarnationis ſub ſtantiam mereri.

31. *Primus modus dicendi. Vazq.*

Huic argumento, quod abſque dubio eſt difficile, varijs modis reſpondetur ab Auctoribus noſtræ ſententiæ. Prima ſolutio, quam ſine Auctoris nomine refert Vazquez *diſput.* 22. *cap.* 5. *num.* 46. conceſſa maiori, negat minorem, eo quòd Incarnatio nõ alitèr potuit eſſe Patribus principium merendi, niſi eis gratiam iuſtificantẽ, aut auxiliantem merendo, quæ fuerit proximum principium operum, quibus Incarnationem meruerunt; gratia autem ſiuè auxilians, ſiuè iuſtificans, talium operum principium non fuit, ſed ſolum conditio ex parte ſubiecti ſe tenens, vt per opera ex viribus arbitrij profecta mererentur Incarnationem de congruo: & ideo Incarnatio principium meriti antiquorum Patrum non fuit; ac proindè ex eo, quòd Incarnationem meruerint, non ſequitur, quòd principium merendi cadat ſub merito à ſe cauſato. Quam ſolutionem ſibi aliquando placuiſſe fatetur Vincentius vbi *ſupra pag* 487. eamque tenuiſſe Valentiam in præſenti *punct.* 8. manifeſtè colligitur ex eo, quòd negat Patribus meritum Incarnationis condignum, quia, quòd condignè mererẽtur, habebant ex Incarnatione, vt ex prima radice, & oppoſita de cauſa eiſdem congruum Incarnationis meritum tribuit. *Vincẽt. Valent.*

32. *Reijcitur prædicta ſolutio primò.*

Hæc tamen ſolutio diſplicet communitèr Theologis, poſſeque illius Auctores alicuius erroris conuinci, docet Vazquez vbi *ſupra num.* 47. & reijcitur primò ex Concilio Arauſicano 2. *can.* 3. vbi erroris damnatur, qui dixerit, gratiam nobis invocatione humana conferri: at licet Concilium de gratia nobis ad iuſtificationẽ collata loquatur; à fortiori tamen de gratia Incarnationis debet intelligi: ergo illam antiqui Patres per opera ex viribus naturæ profecta, & nõ procedentia ex gratia, neutiquam mereri potuerunt. Et quidẽ quamvis Concilia, cum docent, gratiam Dei, vt ad iuſtificationem diſponamur, neceſſariam eſſe, de hominibus tãtùm loquãtur; quia tamen eadem eſt ratio de Angelis, qui affirmaret, illos ex proprijs viribus ad iuſtificationem fuiſſe diſpoſitos, ſe doctrinæ Conciliorum opponeret; ſed eadem, imò vrgentior ratio militat, vt Incarnatio invocatione humana non obtineatur, atque vt gratia auxilians, aut iuſtificans nobis humana invocatione non detur: ergo quamuis Concilia non de gratia Incarnationis, ſed de gratia nobis intrinſeca loquantur, cum docent, non dari intuitu operum ex viribus liberi arbitrij, contradicet Concilijs, qui dixerit per opera purè naturalia, & ex gratia non procedentia, de congruo Incarnationem obtineri.

33. *Secundò*

Deindè reijcitur: nam iuxta Concilia, & Patres ex viribus liberi arbitrij nihil poſſumus ad iuſtificationem cõducens, nec proximè, nec remotè, vt omnes Theologi cõſtantèr fatentur;

ſed

ſed meritum congruum Incarnationis ad iuſtificationem noſtram, ſaltim remotè, cōducit, cum moralitèr cauſet Incarnationem, quæ eſt omnis noſtræ iuſtificationis principium: ergo meritum cōgruum Incarnationis nō poteſt haberi ex viribus liberi arbitrij ſine Dei gratiæ adiutorio. Præterea; nam ſi gratia iuſtificans caderet ſub merito congruo operum merè naturalium, ſupernaturalis nō eſſet, eo quòd non excederet moralem exigentiam naturæ; de ratione autem doni ſupernaturalis eſt, quòd ſuperet, & excedat, non ſolum phyſicam, ſed etiam moralem naturæ exigentiam: at hæc ratio potiori iure, & maiori efficacia militat de Incarnatione, quæ vel eſt ſuperioris ordinis ad ordinem gratiæ, vel intra ordinem gratiæ omnia dona nobis intrinſeca excedit: ergo nullum opus ortum ex ſolis viribus liberi arbitrij ſine diuinæ gratiæ adiutorio tale opus initiante potuit eſſe congruum meritum Incarnationis.

Tertiò.

Denique, nam ſequitur ex hac ſolutione, potuiſſe antiquos Patres gratiam iuſtificantem, & auxiliantē mereri; ſed hoc cum principijs contrarij Auctoris ſubſiſtere nequit: ergo nec ſolutio tradita. Sequela eſt manifeſta, nam iuxta ſolutionis doctrinam ideò antiqui Patres Incarnationem de congruo meruerunt, quia nō fuit illis principium merendi, ſed nec gratia iuſtificans, aut auxilians fuit principium huius meriti, ſed tantùm conditio, vt in eadem ſolutione docetur: ergo illam mereri potuerunt. Minor autem probatur: vnio namq; humanitatis ad Verbum non fuit Chriſto merendi principium, ſed conditio tantùm; & tamen ſub Chriſti meritis non potuit cadere, vt prædictus Auctor fatetur: ergo, quòd gratia nobis intrinſeca poſsit ſub noſtro merito cadere, quamvis ſolum ſit conditio ad merendum, non poteſt conſequentèr ad iſtius Auctoris principia defendi. Et quidem exiſtentia naturæ, & ſubſiſtentia non ſunt principia operandi, ſed conditiones ſe tententes ex parte principij; & tamen eadem eſt repugnantia in hoc, quòd aliquis per

34. *Vltimò.*

propria opera ſibi ſubſiſtentiam, vel exiſtentiam mereatur, atque vt mereatur ſibi naturam, quæ eſt principium *quo* operationum: ergo ex hoc, quòd gratia ſit conditio ad meritum congruum, & non principium illius non habetur, poſſe cadere ſub merito congruo operum ipſam ſupponentium.

Aliorum ſolutio eſt, principium meriti non poſſe cadere ſub merito condigno operis à ſe ipſo cauſati, benè tamen ſub merito congruo; Sanctorum autem opera non condignè, ſed congruè Incarnationem meruerunt; & ideo nō obſtat, quòd illis fuerit operandi principium. Sed contra iſtam ſolutionem obſtat primò, nam ſi Pater decreuiſſet carnem aſſumere intuitu meritorum Chriſti præuiſi, & anticipatè carnem aſſumeret, tunc caſus, principium meriti caderet ſub condigno merito alicuius à ſe ipſo cauſati, vel de facto antiqui Patres Incarnationem Verbi non meruerunt de congruo: ergo, vel dicendum eſt, principiū meriti poſſe cadere ſub merito condigno operis ab ipſo cauſati, vel negandum, antiquos Patres de cōgruo incarnationem Verbi meruiſſe. Probo antecedens: in illo caſu Incarnatio Patris eſſet præmium ex cōdigno meritorum Chriſti vt præuiſi, & aliàs cum tempore Pater Incarnatus Verbi Incarnationem præcederet, poſſet illam promereri; hac enim ratione probatur, potuiſſe antiquos Patres mereri Incarnationē Verbi, quia tempore illam præceſſerunt; ſed merita Patris Incarnati non forent congrua, ſed condigna Incarnationis Verbi, cum eſſent infiniti valoris, æqualiaque cum illa in morali æſtimatione: ergo vel dicendum eſt, poſſe principium meriti cadere ſub merito condigno operis à ſe cauſati, vel negandum, antiquos Patres Verbi Incarnationem ex congruo meruiſſe.

35. *Secūdus modus dicendi.*

Sed contrà primò.

36. *Secundò ab alijs reijcitur*

Secundò ab alijs contra eandem ſolutionem obijcitur, nam ratio, quare principium meriti, non poteſt ſub merito cadere operis procedentis ab ipſo, eſt; quia aliàs daretur mutua inter duo cauſalitas in eodem genere

cauſæ,

cauſæ; ſed hæc ratio vel convincit de merito congruo, vel non probat de condigno, nam cauſalitas meriti congrui eſt in genere efficientiæ moralis: ergo vel poteſt principium meriti cadere ſub merito condigno operis procedentis à ipſo, vel non poteſt cadere ſub merito cõgruo operis à ſe cauſati. *Si dicatur.* Si fortè dicatur, in eodem genere infimo cauſæ repugnare mutuam cauſalitatem, non verò in eodem genere ſubalterno diuiſibili per diuerſos modos cauſandi; meritum autem congruum, etſi conueniat cum principio, à quo procedit, in genere ſubalterno cauſæ efficientis, non tamen cum illo conuenit in genere infimo, ideoque poſſe ſupra ſuum principium reflecti, & illud efficienter cauſare. *Obſtat in cõtrarium.* In contrarium obſtat, nam etiam meritum condignum influit in præmium diuerſo modo ab illo, quo à ſuo principio cauſatur; negari enim nõ poteſt, actus noſtros gloriam condignè merentes alitèr in illam influere, atque gratia, quæ eſt principium merendi, cauſat actus condignè meritorios: ergo, ſi propter diuerſum modum cauſandi poteſt meritum congruum ſupra ſuum principium reflecti, illudque efficientèr cauſare, poterit etiam meritum condignum principium, à quo procedit, cauſare efficienter moralitèr. An hæc impugnatio ſit efficax *tract. de merito Chriſti* videbimus.

37. *Tertius dicendi modus.* Tertio alij reſpondent, opera antiquorum Patrum ſolum per modum congruæ diſpoſitionis Incarnationem Verbi cauſaſſe: vndè, non efficientèr, ſed materialitèr concurrerunt ad illam; cauſalitas enim diſpoſitiua non in genere cauſæ efficientis, ſed in genere cauſæ materialis continetur, vel ad hoc genus cauſæ reducitur; ab Incarnatione autem efficientèr moralitèr fuiſſe cauſata, quatenus Chriſtus meruit gratiam, quæ fuit illis principium merendi: vndè non datur inter illa mutua cauſalitas in eodẽ genere cauſæ, ſed in diuerſo, quod non repugnare, eſt frequentior Philoſophorum, & Theologorum ſententia. Ita colligitur ex doctrina Nazarij vbi *ſupra ad argum. contra 4. concluſ.* *Nazar.*

Cæterum hæc ſolutio non placet: tùm, quia deſerit noſtram ſententiam; meritum enim congruum quid diſtinctum eſt à pura diſpoſitione, cum omnes Theologi vnanimi conſenſu fateantur, hominem per proprios actus remotè, & proximè ſe ad iuſtificationem diſponere; & tamen plures ſatis probabilitèr ſentiunt, iuſtificationem nec condignè, nec de congruo mereri: ergo aſſerere, Sanctos Patres de congruo Incarnationem Verbi meruiſſe, hoc explicando, & accipiendo de cauſalitate purè diſpoſitiua, & materiali, eſt à ſententia noſtra diſcedere. Tùm etiam, nam vltimæ diſpoſitiones ad gratiam iuſtificantem, ideo reſpectu illius ſolum exercent diſpoſitiuam, & materialem cauſalitatẽ, quia ſtatum amicitiæ in ſubiecto non ſupponunt, qui ad meritum de congruo, prout à diſpoſitione pura diſtinguitur, eſt neceſſarius; ſed opera, quibus Sancti Patres ſe diſpoſuerunt, vt congruè Chriſtum ſuſciperẽt, ſtatum gratiæ, & amicitiæ ſupponebant: ergo nõ ſolum materialitèr, & diſpoſitiuè, ſed etiam meritoriè de congruo, merito à diſpoſitione pura diſtincto, cauſarũt ſubſtantiam Incarnationis.

38. *Reijcitur primò.*

Secũdò.

Quartò alij reſpondent, diſtinguẽdo inter principium eſſentiale meriti, & principium accidentale, ſine quo poteſt meritum exiſtere, docentque, primum non poſſe cadere ſub merito à ſe cauſato, benè verò ſecundum, & rationem diſcriminis reddunt, nam de ratione præmij eſt, liberè à præmiãte conferri, non ſolum abſolutè, ſed etiam præſuppoſito merito, & conſequentèr eſt de ratione præmij, quod cum merito eſſentialitèr non connectatur, nam, ſi cum merito eſſentialitèr connectitur, non poteſt, merito præſuppoſito, à premiante non conferri. & quia negatio connexionis eſſentialis non poteſt merito conuenire reſpectu principij, à quo eſſentialitèr dependet, benè autem reſpectu principij accidentalis, nam meritum non poteſt exiſtere ſine eo, quòd exiſtat principium à quo pendet eſſentialitèr, cõſequens fit, quòd principium eſſentiale meriti nõ poſsit ſub merito

39. *Quartus modus dicendi.*

cadere

cadere actus, cuius est principiū; principium autem accidentale meriti possit per opus à se causatum meritoriè causari: & quia Incarnatio non fuit Patribus principium essentiale merendi, potuerunt enim illorum opera sine Incarnatione existere, fit consequens, vt potuerit sub illorum merito comprehendi.

40. *Reijcitur primo.*

Cæterum contra hanc solutionē obstat primò doctrina in via D. Thomæ communis; omnes enim Thomistæ fatentur, peccatū mortale essentialitèr repugnare cum gratia, & ex alia parte docent, illam efficientèr moralitèr expellere à subiecto. Qua doctrina præsuppositā, sic tradita solutio reijcitur: non est magis de ratione præmij liberè à præmiante conferri, supposito merito, quam de ratione pœnæ liberè à Iudice infligi, demerito præsupposito; sed, hoc non obstante, potest pœna essentialitèr cum demerito esse connexa, vt constat in carētia gratiæ, quæ est pœna peccati, cū gratia per peccatum demeritoriè à subiecto excludatur, & consequentèr non esse gratiæ sit pœna illius, & aliàs essentialitèr cum peccato connectitur, cum peccatum, vt supponitur, habeat essentialē repugnantiam cum gratia, & consequentèr habeat essentialem connexionē cum carentia gratiæ: ergo, etiam non obstante libertate in præmiante requisita ad præmiandum, supposito merito, poterit præmium essentialitèr connecti cum merito, & consequentèr ex eo, quòd meritum ab aliquo principio essentialitèr dependeat, & cum illo connectatur essentiali connexione, non benè colligitur, non posse tale principium sub prædicto merito cadere.

41. *Secūdò.*

Obstat contra eandem solutionē secundò; potest enim Deus reuelare homini iusto, se illi augmentum gratiæ collaturum in præmium actus fidei, quo prædictæ reuelationi assentiret, cum in hoc nulla repugnantia inueniatur; sed in tali casu præmium esset essentialitèr connexum cum merito: ergo negatio istius connexionis de ratione præmij non est, & consequentèr ex eo, quòd actus aliquis cum suo principio essentialitèr connectatur, perperam infertur, nō posse tale principium de congruo, vel de condigno mereri. Minor, in qua sola esse potest difficultas, probatur: vt enim communis sententia docet, actui fidei diuinæ repugnat essentialitèr falsitas; sed si augmentum gratiæ non esset essentialitèr cōnexum cum actu fidei, quo homo iustus diuinæ reuelationi innitendo, crederet, sibi augmentum gratiæ conferendum, posset falsitas prædicto assensui conuenire, cum posset talis assensus existere, augmento gratiæ non existente: ergo tale augmentum essentialitèr cum prædicto assensu connectitur.

42. *Quintus modus dicendi.*

Magister S. Thoma *vbi supra* aliter argumento facto satisfacit; asserit enim, quòd licet gratia antiquis Patribus data à meritis Christi in sui existentia dependentiam habuerit, vtpotè, de facto intuitu meritorum Christi collata; hac tamen existentia præsupposita, se ipsa valorauit opera Sanctorum Patrum, quin Incarnatio Verbi valorem in prædicta opera influxerit, cum, etiam si talis gratia intuitu meritorum Christi non conferretur à Deo, sed omninò independentèr ab illis, eodē modo valoraret opera Sanctorum Patrum: vndè, tametsi Christi Incarnationem meruerint, nunquam est verum, principium meriti sub eodem merito cadere, cum Sanctorum Patrum opera non à Verbi Incarnatione, sed à gratia, etsi intuitu meritorū Christi collata, suum valorem meritorium acceperint.

43. *Reijcitur prædicti modus.*

Cæterum hæc solutio, nisi amplius explicetur, vim argumenti non eluat; nam esto Incarnatio Verbi non fuerit principium valorans se ipsa opera Sanctorum Patrum, quibus Incarnationem meruerunt; fuit tamen prædictorum operum principium morale efficiens: tùm, quia influxit moralitèr efficientèr in gratiam talia opera valorantem, & consequentèr etiam moralitèr efficientèr influxit in ipsa opera, quatenus valorata per gratiā. Deindè, quia non solum gratia iustificans, & gratiæ auxiliantes, sed etiam ipsa opera à nobis elicita sunt dona

Dei,

Dei, & conſequenter intuitu meritorum Chriſti conceſſa, cum omnis gratia hominibus facta a Deo meritis Chriſti innitatur: ergo, ſi hæc opera de congruo Incarnationem Verbi meruerunt, meritorie cauſarunt ſuum principium effectivum; ac proinde principium effectivum meriti ſub eodem merito cadit. Quòd ſi principium purè efficiens *moraliter* cadere poteſt ſub merito actus, cuius eſt principium; ſecus autem principium valorans meritum, oportet huius diſcrimen ſtatuere, & rationem reddere nō repugnātiæ mutuæ cauſalitatis in eodem genere cauſæ, nempe, in genere cauſæ efficientis.

§. IV.

Examinatur aliorum ſolutio.

44. *Sextus modus dicendi.*

QVIDAM, quos ſine nomine referunt Vazquez, & Lorca vbi *ſupra*, occurrunt argumento facto, aſſerendo, principium effectivum meriti non poſſe ſub merito cadere, quia inter duo mutua cauſalitas in eodem genere cauſæ repugnat. Quòd autē principium meriti, quod illud cauſat in genere cauſæ finalis, ſub eodem merito cadat, & ab illo cauſetur in genere cauſæ efficientis moralis, nulla ratione repugnat: tùm; quia iam non intercedit mutua cauſalitas in eodem genere cauſæ, ſed in diuerſo. Tùm etiam, quia licet mutua cauſalitas in alijs cauſarum generibus negetur à pluribus, in genere cauſæ efficientis, & finalis poſſe mutuam inter duo cauſalitatem intercedere nullus, quem viderim, negat. Tùm denique, nam gloria, quæ eſt noſtrorum meritorum finis, ab eiſdem meritorie cauſatur, Incarnatio autem, inquiunt præfatæ ſolutionis Auctores, non in genere cauſæ efficientis moralis, ſed in genere cauſæ finalis fuit principiū meriti, & gratiæ antiquorū Patrum; ideoque potuit ab eiſdem cauſari in genere cauſæ moralis efficiētis, & ſub illorum merito cadere. Hanc ſolutionem, præter innominatos illos Auctores, etiā dedit Illuſtriſsimus Araujo vbi *ſupra*.

Et quidem, quòd Incarnatio Verbi non in genere cauſæ efficientis, ſed ſolū in genere cauſæ finalis gratiā, & merita antiquorum Patrum cauſauerit, oſtenditur ſatis efficaciter primò ex D. Thoma *infra q. 62. art 6. in corpore*, vbi docet, Sacramenta veteris legis non habuiſſe virtutem cauſatiuam gratiæ ex paſsione Chriſti, benè tamē Sacramenta nouæ legis, eo quòd illa præſupponunt paſsionē Chriſti exercitam, & in ſe ipſa exiſtentem, illa tamen reſpiciebant paſsionem Chriſti vt futuram, & exiſtentem ſolum in apprehenſione animæ, qui eſt modus exiſtendi ſufficiens, & petitus à cauſa finali: ergo ſentit D. Thomas, merita Chriſti vt exiſtentia ſolum in apprehenſione animæ, non efficientem, ſed finalem tantum exercuiſſe cauſalitatem, aliàs in virtute illorum, vt ſic exiſtentium, poſſent Sacramenta veteris legis inſtrumētaliter gratiam cauſare. Patet hæc conſequentia; non enim requiritur alia exiſtentia in cauſa ad ſubordinandum ſibi inſtrumentum, vt agat, ab illa, quæ requiritur, vt efficienter influat in effectum: ergo, ſi exiſtentia meritorum Chriſti in cognitione Dei fuiſſet ſufficiens, vt Chriſtus efficienter cauſaret gratiam antiquorum Patrum, ſufficeret etiam ad ſubordinandum ſibi antiqua Sacramenta, vt inſtrumenta gratiæ, & conſequenter virtutem cauſatiuam gratiæ ex paſsione Chriſti habuiſſent.

45. *Modus iſte dicendi ſuadetur primò ex D. Tho.*

Secundò, & vrgentius ſuadetur ex eodem D. Thoma *q. 29. de Veritate*, quæ eſt de gratia Chriſti *art. 4.* vbi inquirit, an gratia capitis cōueniat Chriſto ſecundum humanam naturam, & contra concluſionem affirmatiuam probandam *in corpore* ſic proponit argumentum: *Caput non eſt poſterius membris; ſed multa membra Eccleſiæ præceſſerunt Chriſtum: ergo Chriſtus nō eſt Caput Eccleſiæ*, ſecundum humanam naturā, intellige. Cui argumēto

46. *Secundò ſuadetur ex eodē D. Thom.*

sic respondet. *Ad nonũ dicendum, quod Christus secundum quòd homo mediator est intèr Deum, & homines, vt dicitur 1. ad Timot. 2. Vndè sicut Deus duplicitèr nos iustificare dicitur, principalitèr, scilicet, per actionem suam, in quantum est causa efficiens nostræ salutis, & etiam per actionem nostram, in quantum est finis à nobis cognitus, & amatus: ita etiam Christus secundum quòd homo duplicitèr nos iustificare dicitur: vno modo secundum suam actionem, in quãtum nobis meruit, & pro nobis satisfecit; & quantum ad hoc non poterat dici Caput Ecclesiæ ante Incarnationem: alio modò secundum actionem nostram in ipsum, secundum quòd dicimur per fidem illius iustificari, & per hunc modum etiam poterat esse Caput Ecclesiæ ante Incarnationem secundum humanitatem; vtroq; autem modo est Caput Ecclesiæ secũdum diuinitatem, & ante, & post*: ergo iuxtà D. Thom, Christus non causauit efficientèr meritoriè antiquorum Patrũ gratiam, sed solum in illam influxit in genere causæ finalis.

47. *Tertio probaturratione.*

Deindè suadetur ratione ex præallegatis verbis desumpta; causare namque secundum existentiam in apprehensione est proprium causæ finalis; sed causa meritoria, non finalis est, sed efficiens: ergo ad causandum meritoriè non sufficit existẽtia meriti in apprehensione, sed requiritur existentia exequuta; cumque Incarnatio tempore antiquorũ Patrum solum existeret in diuina præuisione, & in fide, & apprehensione illorum, consequens fit, quòd gratiam illis collatam non causauerit efficientèr moralitèr, neque in illam influxerit meritoriè, sed solũ in genere causæ finalis.

48. *Quartò.*

Præterea suadetur: vt enim præmium ex merito condigno tribuatur, requiritur pactum, quo Deus se obliget ad præmij retributionem sub conditione operis oneros, & condigni in sententia satis probabili, de qua 1. 2 q. 114. sed in ordine ad gratiã antiquis Patribus datã pactũ inter Deũ, & Christũ intercedere nõpotuit: ergo nec potuit Christ⁹ illã cõdignè mereri. Probatur minor: nam pactum hoc modo fit: dabo tibi præmium, si feceris hoc, vel illud, & conditione ex parte merẽtis impleta, inducitur obligatio ex iustitia in præmiante ad implẽdam promissionẽ, & ad præmium conferẽdũ; sed pactum isto modo de conferenda antiquis Patribus gratia inter Deũ, & Christum intervenire non potuit, cũ prædictæ gratiæ exhibitio opera Christi antecesserit, ac per cõsequẽs Deus, vt illam conferret, non expectauerit, quòd Christus cõditionẽ adimpleret: ergo eo modo, quo pactũ requiritur, vt aliquid conferatur à Deo propter meritũ condignũ, inter Deũ, & Christũ non intercesit, & consequentèr Christus non meruit antiquis Patribus gratiam.

49. *Vltimò.*

Denique suadetur: nã præmiũ ex iustitia conferri indigno pro tẽpore, quo præmiũ confertur est omninò repugnans; sed si gratia antiquorum Patrũ fuisset illis data intuitu meritorũ Christi causantiũ efficientèr moralitèr per anticipatã solutionẽ, daretur præmiũ indigno, pro tunc collationis præmij: ergo repugnat modus iste præmiandi; & consequentèr gratia antiquis Patribus data, non fuit præmium meritorum Christi meritoriè ab illis causatũ. Maior videtur certa: vt enim præmiũ conferatur ex iustitia, requiritur, quòd præmians illud cõferat obligatus obligatione existente pro tẽpore, quo præmiũ cõfertur; sed præmiãtẽ obligatione præsenti teneri nõ existente pro tali tẽpore iure in præmiando, & consequentèr cõdignitate præmij est inintelligibile, cũ obligatio vnius ex iure alteri⁹ nascatur: ergo omninò repugnat, præmiũ ex iustitia cõferri subiecto indigno, seu non digno pro tempore, quo præmiũ confertur. Minor etiam videtur manifesta, nam pro tempore, quo præmiũ anticipatè confertur, non existunt merita in subiecto præmiando, aliàs præmiũ nõ anticiparetur, cũ nõ daretur anticipatè ad merita; sed condignitas præmij in subiecto præmiando nascitur ex meritis: ergo pro tali tempore nõ existit cõdignitas, & cõsequentèr confertur præmium indigno, vel nõ digno pro tũc tẽporis, quo præmiũ cõfertur.

50.

Et quidẽ iuxta istam doctrinam

facilè

facilè occurritur argumento principali; vt enim dicebamus *ſupra*, nulla eſt repugnãtia in eo, quòd finis efficiẽtèr cauſetur ab eo, quod cauſat in genere cauſæ finalis: ac proindè, ſi Incarnatio ſolũ finalitèr gratiam antiquorum Patrum cauſauit, potuit optimè ſub illorum merito cadere. Cæterũ contra illam obſtat primò D. Thom. *in hac q. art. 11. in corpore*, vbi, vt probet, Incarnationem ſub condigno merito operum antiquorum Patrum nõ cadere, ſic arguit ſecundò: *Gratia non poteſt cadere ſub merito, quia eſt merendi principium: vndè multo minus Incarnatio cadit ſub merito, quæ eſt principiũ gratiæ ſecundum illud Ioann. gratia, & veritas per Ieſum Chriſtũ facta eſt.* Hæc D. Thomas: ex quibus contra prædictum modum dicendi tale argumentum conficio: quòd principium finale cadat ſub merito cõdigno operis procedẽtis ex gratia, quam finalizat, cãuſatque in genere cauſæ finalis, inconueniens non eſt, vt conſtat in gloria, quæ eſt finis gratiæ, & meritorum procedentium ex illa, & tamẽ ab illis meritoriè de condigno cauſatur, iuſti enim bonis operibus in Deo factis gloriam condignè merentur; ſed D. Tho. ex eo, quòd Incarnatio eſt principiũ omnis gratiæ antiquis Patribus datæ, infert, non potuiſſe cadere ſub merito illorum cõdigno: ergo manifeſtè ſentit, Incarnationem fuiſſe principium, non ſolum finale, ſed etiam effectivũ morale meritorum, & gratiæ Sanctis Patribus collatæ, aliàs argumentum, quo probat, non potuiſſe Incarnationem ſub merito condigno antiquorũ Patrũ cadere, omninò inefficax eſſet.

Reiicitur primo. S. Tho.

51. *Secũdò.*

Facit contra eandem doctrinam ſecundò, nam Chriſtus cum proprietate antiquos Patres à culpa redemit, aliàs non fuiſſet vniuerſalis omnium Redemptor: ergo propriè ſatisfecit pro illis, propriéque illis gratiam peccatorum remiſſiuam promeruit. Patet hæc conſequentia, nam redemit, mediante ſatisfactione, & merito: ergo, ſi propriè redemit antiquos Patres à culpa, propriè ſatisfecit pro illis, & propriè gratiam remiſſiuam illis promeruit; ſed ratione ſolius cauſalitatis finalis, non poteſt ſaluari cum proprietate, quòd Chriſtus pro antiquis Patribus ſatisfecerit, & illis gratiam remiſſiuam peccati meruerit; mereri enim, & ſatisfacere, ſi propriè accipiantur, vt debent, genus efficiẽtiæ moralis important: ergo, non ſolum finalitèr, ſed etiam efficiẽtèr moralitèr in gratiam antiquorum Patrũ Chriſtus influxit. Quod amplius vrgetur: ſi namq; Deus non eſſet cauſa efficiens, ſed tantùm finalis noſtræ ſalutis, licet poſſet cum proprietate dici finis noſtræ ſaluationis; non tamen poſſet dici cũ proprietate Saluator: ergo, ſi Chriſtus ſolũ finalitèr gratiam remiſſiuã peccati antiquorum Patrũ cauſauit, licet poſſit dici finis redemptionis illorum, nõ tamen poterit cum proprietate dici antiquorum Patrum Redemptor.

Cõfirmatur.

Quo argumẽto conuictus Lorca, modum iſtum dicendi erroneum exiſtimat, alij illũ omninò improbabilẽ cenſent; verùm omnes excedũt, audacter loquuntur, & rigidos cenſores ſe oſtendunt, cum abſque dubio probabilis ſit, vt potè, non leuiter in doctrina D. Thomæ fundatus, & efficacib⁹ rationibus nitens. Illuſtriſsim⁹ Araujo *vbi ſupra num. 47.* vt ex vna parte ſaluet, principium effectivum meriti non poſſe ſub merito cadere, & ex alia Chriſtum antiquis Patribus gratiam meruiſſe, illoſque cũ proprietate redemiſſe, docet, Chriſtum conſiderari poſſe pro ſigno intentionis, & pro ſigno, aut tempore executionis: & quòd licet pro ſigno intentionis nõ meruerit antiquis Patribus gratiam, ſed ſolũ illam cauſauerit in genere cauſæ finalis; pro tẽpore tamen executionis gratiã antiquis Patribus meruit, exhibẽdo pretium pro præmio iam dato, & anticipata ſolutione ſoluto; quia de ratione meriti in cõmuni nõ eſt, quòd ſit via ad præmium, ſed quòd ſit pretium pro præmio, ſiuè conferendo in futurum, ſiuè iam anticipata ſolutione collatum.

52. *Nõ approbatur cenſura.*

Reſpõd. Araujo.

Sed, vt verum fatear, Magiſtrum iſtum ſapientiſsimum, non ſatis percipio: tùm, quia ideo negat, Chriſtum pro ſigno intẽtionis meruiſſe antiquorum Patrũ gratiam, vt ſaluet, princi-

53. *Reiicitur hæc ſolutio primò.*

pium

pium effectivum meriti nō cadere ſub merito operis ab ipſo cauſati; ſed hoc rectè componitur, ſi Chriſtus pro ſigno præuiſionis ſui in vi decreti intentiui efficienter influat in gratiam antiquis Patribus datam; ſecus autem, ſi meritoriam cauſalitatem exercuerit pro tempore executionis: ergo ſolutio tradita non poteſt cū intento Auctoris componi. Probo minorē: merita antiquorum Patrum non cauſarunt meritoriè Incarnationem, prout præviſam in vi decreti intentiui; cauſarunt tamen illam prout in tempore exequutam, & prout obiectam decreto executiuo Dei: ergo, ſi ſolum influxit meritoriè Chriſtus in gratiam antiquorum Patrum, prout præuiſus in vi decreti intentiui, principium effectivum meriti non cadit ſub merito operis à ſe cauſati; cadit tamen ſub tali merito, ſi Chriſtus vt in executione gratiam Patribus promeruit, quandoquidem prout in executione efficienter moraliter gratiam antiquorū Patrum cauſauit, & prout ſic ſub illorum merito fuit comprehenſus.

54. *Secūdò.* Tùm etiam, nam cauſare meritoriè eſt moraliter mouere præmiantis voluntatem; ſed Chriſtus nō potuit in tempore de nouo diuinam voluntatem mouere: ergo, vel nunquam mouit voluntatem diuinam ad gratiam antiquis Patribus dandam, vel illam ab æterno mouit, & conſequēter vel nunquam cauſalitatē meritoriam exercuit reſpectu gratiæ antiquis Patribus datæ, vel exercuit illam ab æterno, prout exiſtens in præviſione Dei.

Tertiò. Tùm denique, nam actu cauſare non ſtat abſque actuali effectus poſitione; ſed pro tempore executionis meritorum Chriſti Domini non ponitur actu effectus, nempè, antiquorum Patrum gratia, ſed poſita, & data multò ante ſupponitur: ergo pro tunc non exercetur actualis meritoria cauſalitas, ſed ſupponitur exercita: aſſerendum ergo eſt, Chriſtum vt præuiſum in vi decreti intētiui meruiſſe antiquis Patribus gratiam, pro illis ſatisfeciſſē, illoſque à peccato redemiſſe.

§. V.

Fundamentis in contrarium occurritur.

NEc motiua in oppoſitum vrgent: ad primum ſumptum ex auctoritate D. Thomæ dicatur, paſsionē Chriſti operatam fuiſſe noſtram ſalutem multiplicitèr, ſcilicet, per modum meriti, & ſatisfactionis, ſacrificij, & redemptionis, & per modum efficientiæ, vt expreſsè docet D. Thom. *in hac 3 p. infra q. 49. art. 1. 2. 3. 4. & 6.* vbi, cum diſtinguat cauſalitatem paſsionis Chriſti in ordine ad noſtram ſalutem per modum efficientiæ à cauſalitate meritoria, redemptiua, & ſatisfactiua, quæ ſunt in genere cauſæ efficientis moralis, manifeſtè ſentit, paſsionem Chriſti, ſalutem noſtram phyſicè efficienter cauſaſſe, ad quem modum cauſandi exiſtentia extra cauſas requiritur, nec ſufficit exiſtere ſolum in apprehenſione. Hanc ergo cauſalitatem negat Angelicus Doctor paſsioni Chriſti reſpectu gratiæ antiquis Patribus datæ; non autem cauſalitatem meritoriam redemptiuam, & ſatisfactiuam, aliàs D. Thom. ſentiret, antiquos Patres non fuiſſe à Chriſto redemptos, Chriſtumque nō ſatisfeciſſe pro illis, quod aſſerendum non eſt: & quia Sacramenta ſunt inſtrumenta ſeparata, cauſantq; inſtrumentalitèr gratiam in virtute inſtrumenti coniuncti, nempè, humanitatis, & paſsionis Chriſti, hinc eſt, quòd cum ante Incarnationem paſsio Chriſti nō cauſauerit gratiam per modum efficientiæ, nec illam antiqua Sacramenta inſtrumentalitèr fuerint operata; benè tamen Sacramēta nouæ legis, quæ ſupponunt paſsionem Chriſti iam factam, & executam, & hoc eſt diſcrimen, quod inter Sacramēta nouæ legis, & antiqua Sacramenta Angelicus Doctor intendit.

55. *Reſpōd. ad primum.* S. Tho.

Sed

56. *Replica bis primò.*

Sed oppones primò; licet Sacramenta nouæ legis, prout sunt causæ physicæ instrumentales gratiæ, subordinentur passioni Christi vt causanti instrumentalitèr physicè, vt, tamen causent instrumentalitèr moralitèr, talem subordinationem, non petunt, sed sufficit, subordinari passioni Christi vt causanti moralitèr, vt per se manifestum videtur: ergo, si ante Incarnationem passio Christi operata est salutem nostrã efficientèr moralitèr, potuerunt antiqua Sacramẽta ex subordinatione ad illam, vt causantẽ moralitèr, gratiam efficientèr causare, vt instrumenta moralia, etsi nõ vt instrumenta physica gratiæ. Patet cõsequentia, nam in causa, ex cuius subordinatione instrumentum aliquod causat, sufficit illud genus causandi, quod ab instrumento exercetur: ergo, si tempore antiquorum Patrum passio Christi vt præuisa moralem exercuit causalitatem, potuerunt Sacramẽta antiqua, vt illi subordinata, moralitèr gratiam causare.

57. *Secũdò.*

Secundò, nam Sacramenta nouæ legis continent, & causant instrumentalitèr physicè gratiam in communi Thomistarum sententia; & tamẽ non subordinãtur passioni Christi, vt causanti physicè, sed solum vt causanti moralitèr: ergo, si antiqua Sacramenta fuerunt passioni Christi hoc modo subordinata, causarunt ex subordinatione ad illam, non solum moralitèr, sed etiam physicè instrumentalitèr gratiam. Consequentia cum maiori tenet; minor autem probatur: nam causa physica instrumẽtalis petit physicam exiſtentiam, vt causet, nec sufficit, aliquãdo extitisse; sed passio Christi Domini non exiſtit modo physicè: ergo, licet physicè extiterit, non causat modò physicè, sed solum moralitèr gratiam, & consequentèr Sacramenta nostra non subordinantur illi, vt causanti physicè, sed solum vt causanti moralitèr; non enim potest instrumentum subordinari alicui causæ vt causanti eo modo, & genere causandi, quo causa, cui subordinatur, non causat.

58.

Respondeo ad primam replicam, concedendo antecedens, & cõsequentiam: si causalitas instrumentalis moralis sit in Sacramentis possibilis, de quo plures Theologi dubitant, percipere non valentes, in quo causalitas ista moralis instrumentalis consistat: si autem hæc causalitas in Sacramentis possibilis admittatur, dicemus, discrimen inter Sacramenta antiquæ, & nouæ legis cõsistere in eo, quòd Sacramẽta nouæ legis causant gratiã instrumẽtalitèr vtroq; modo; Sacramenta verò antiqua instrumẽtalitèr solũ moralitèr, imò cõmune Discipulorum D. Thomæ argumentum, vt probent, Sacramenta nouæ legis instrumentalitèr physicè gratiam causare, exindè desumitur, quia aliàs inter antiquæ, & nouæ legis Sacramenta in causando gratiam nullum esset discrimen, quod argumentum viribus prorsus careret, si antiquæ legis Sacramenta non causarunt gratiam vt instrumenta moralia, dato, quòd hæc causalitas possibilis sit, cum ista causalitate nostris Sacramentis concessa, & antiquis Sacramentis negata, sufficiẽs inter vtraque discrimen subsisteret.

Resp. ad primã replicam.

Ad secundam replicam, concessa maiori, nego minorem, ad illius probationem dicatur, quòd, vt passio Christi influat modò instrumentalitèr physicè in gratiam, sufficit, quòd extiterit, & effectum aliquem in Christi humanitate reliquerit, in quo nunc exiſtat virtualitèr: vt enim causa, nedũ instrumentalis, verum etiam principalis physicè efficientèr causet, exiſtentia virtualis in aliquo sui effectu est sufficiens, vt constat in motu, quo graue, sublato impedimento, descendit in centrum, qui efficientèr à generante dante grauitatẽ causatur, etiam si in se nõ exiſtat, quia virtualitèr exiſtit in grauitate. Cõstat etiam in decidente semen, cui, etiam si in se non exiſtat, generatio tribuitur propter exiſtentiam virtualem in semine à se deciso. Et in Sacramento Pœnitentiæ, quod, recedente fictione, influit instrumentalitèr physicè in gratiam, quia licet formalitèr non exiſtat, exiſtit virtualitèr in aliquo modo supernaturali relicto. Constat denique in

59. *Ad secũdam.*

inten-

intentione finis, quæ, licet transierit, physicè causat electionem præsentē; quia voluntatē ad eligendum per modū aliquē ab ipsa causatū reliquit determinatā. Idem de passione Christi asserimus, nempè, influere modò instrumētalitèr physicè in gratiā; quià licet non existat formalitèr in se ipsa, existit virtualitèr in aliquo modo ab ipsa in humanitate Christi causato.

60. *Replica bis.*

Sed instabis: modus iste in humanitate ex passione Christi relict⁹, nec est naturalis, nec supernaturalis: ergo nihil ex illa relinquitur, in quo existat virtualitèr, vt effectiuè physicè influat in gratiam. Antecedens pro prima parte certum videtur, nam, cum modus adstruatur ad causandum effectum supernaturalē, naturalis esse nō potest. Pro secūda parte probatur, nā vel est facilè trāsiens, vel habitualitèr permanens: non primum, aliàs non existeret modò: nec secundum; quia namque habitus virtutum infusarum sunt supernaturales habitualitèr, non possunt nostris actibus efficienter causari: ergo, si modus ille est habitualis, non poterit esse effectus à passione Christi causatus.

61. *Respondetur.*

Respondeo, negando antecedens pro secunda parte, ad illius probationem dicatur, quòd licet modus ille sit supernaturalis, & habitualis, poterit nihilominus à passione Christi causari: non quidē principalitèr, sed instrumentalitèr. Nec obstat probatio in contrarium, nam licet nostris actibus habitus per se infusi non possint principalitèr causari; non tamē repugnat, quòd per nostros actus causentur instrumentalitèr, imò de facto actus pœnitentis in Sacramento Pœnitentiæ eleuantur ad causandū physicè instrumentalitèr gratiam iustificantem, & virtutes illi annexas. Vel dato, quòd modus ille principalitèr à passione Christi causaretur, ad probationem in contra dicatur, habitus infusos ideò nostris actibus efficientèr principalitèr causari non posse, quià sunt supernaturales supernaturalitate habituali complerà; modus autèm ille est supernaturalis supernaturalitate modali, quæ tametsi habitualis sit, potest per nostros actus principalitèr efficientèr causari, vt conitat in sententia asserēte, actum detestativum efficaciter alicuius peccati venialis effectiuè causare modum habitualem, per quem formalitèr excluditur macula relicta ex peccato veniali actuali.

62. *Replica bis. Theologi.*

Sed instabis: quamuis intensio habituum sit modalis; quià tamen habitualis, & supernaturalis est, nō potest per nostros actus principalitèr efficiētèr causari, vt cōmunitèr docetur à Theologis. 1. 2. q. 63. art. 2. 3. & 4. & 2. 2. q. 24. art. 4. ergo nō solū habitui supernaturali, sed etiā modo supernaturali habituali repugnat per nostros act⁹ efficiētèr physicè principalitèr causari. Respondeo, quòd licet intēsio habituum sit formalitèr modus; est tamen virtualitèr supernaturalis habitus, quià habitus solum potest intendi ab illa causa, quæ, si substantiam habitus productam non inveniret, produceret illam de facto: vndè in naturalibus ab eadem potentia, à qua habitus intenditur, gignitur quoad substantiā, si quoad illam productus non supponatur: & quià nostris actibus supernaturales habitus principalitèr produci non possunt, fit consequens, quòd nec modus intēsivus habituum possit per illos principalitèr effici. Quæ ratio in modo habituali ex passione Christi in illius humanitate relicto non militat. Sed de his plura *infra tract. de potentia animæ Christi*, vbi modum istum dicē di examinabimus.

Respondetur.

63. *Ad secūdum fundamētū.*

Ad secundum argumentum pro isto modo dicendi respondeo, quòd, quando D. Thom. asserit, Christū Dominum non meruisse per proprios actus antiquis Patribus gratiam, sed per modum finis illā causasse, intelligēdus est de merito secundum existentiā causæ meritoriæ cōnaturalitèr debitam, quæ est existentia in re exercita, & ad præmium præsuppositā, & de fine in modo existendi, quià, nempè, causauit per meritum assimilatum causæ finali in modo existendi, scilicet, in apprehensione, seu præuisione; non autem negauit D. Thomas, Christū per suos actus meruisse antiquis Patribus gratiam, & pro illis satisfeciſſe quoad

ſubſtãtiam meriti, & ſatisfactionis, ſed ſolum negauit meritum quoad modũ exiſtendi debitum cauſæ meritoriæ cõ naturaliter.

64. *Oppones.* Sed dices: ex eo, quòd Chriſtus Dominus cauſauit gratiam antiquorum Patrum, vt finis, & noſtram meritoriè intulit D. Thomas *ſolution. ad 10. argumentum* vberiorem gratiam fuiſſe hominibus poſt mortem Chriſti collatã, quàm illis, qui præceſſerũt Chriſtum; ſed ſi gratiam antiquorum Patrum meritoriè, cauſaſſet, hæc illatio non teneret, cum in eodem genere cauſæ in illorum gratiam influxiſſet: ergo ſentit D. Thomas, Chriſtum non meruiſſe antiquis Patribus gratiam, nec illã moraliter efficienter cauſaſſe, ſed ſolum in genere cauſæ finalis.

Reſpondetur. Reſpondeo, negando minorem, nam licet in eodem genere cauſæ Antiquorum Patrum gratiam, & noſtram Chriſtus cauſauerit quoad genus cauſæ moralis; nõ tamen in eodem genere phyſico cauſæ: noſtrã enim gratiam cauſat phyſicè inſtrumẽtaliter, gratiam tamen antiquorũ ſolum meritoriè cauſauit: & inſuper in hoc modo cauſandi eſt diſcrimen, quòd noſtram gratiam cauſat cum modo omninò cõnaturali debito cauſæ meritoriæ, nempè, cum exiſtentia iam habita, & antecedẽte ad præmiũ; illorum tamen gratiam cauſauit ſine modo connaturaliter debito: cauſa autem gaudens connaturali, & debito eſſendi modo aptior eſt ad vberiores effectus cauſandos, quàm ſub modo eſſendi non connaturali.

65. *Colligitur ex D. Tho.* Quæ doctrina ſatis clare à D. Thoma inſinuatur *in ſolutione allegata* illis verbis: *Ad decimũ dicẽdum, quòd quia non erat meritum Chriſti in actu, nec ſatisfactio ante Incarnationem, ideò non erat tanta gratiæ plenitudo, ſicut poſt.* Quibus verbis non aſſignat pro cauſa vberioris gratiæ hominib⁹ poſt Chriſtum conceſſæ, quòd illam efficienter cauſauerit, & antiquorum gratiam finaliter, ſed quia ante Incarnationem non erat in actu ſatisfactio, & meritũ Chriſti, qualiter poſt illam extitit, quod idem eſt, ac ſi diceret, quia meritum Chriſti ad gratiam ſuccedentibus ipſum conceſſam ſupponitur, exiſtentiam habuiſſe; ſecus autem ad gratiam illorum, qui præceſſerunt Chriſtum, ideò vberior gratia Chriſtum ſuccedentibus eſt conceſſa. Aduertendum tamen eſt, hoc ſolum eſſe congruentiam, vt Deus hominibus ſuccedentibus Chriſtum vberiorem gratiam contulerit, quàm antecedentibus contulit, nam ratio à priori eſt voluntas Dei, & etiam voluntas Chriſti ſua merita applicantis pro vberiori gratia ſuccedẽtibus illius exiſtentiam largienda.

66. *Ad tertium reſpondetur.* Ad tertium dicatur, cauſam finalem à cauſa meritoria differre primò in eo, quòd exiſtentia in ſola apprehenſione eſt, quam petit cauſa finalis, vt cauſet; cauſa autem meritoria talem exiſtentiam non petit, ſed permittit. Secundo in eo, quòd cauſa finalis cauſat apprehenſa vt poſsibilis: vnde non cauſat, quià eſt de præſenti, nec de futuro, ſed mouet operantem, vt ſit, & vt illi exiſtentiam communicet; cauſa autem meritoria cauſat apprehenſa, non vt poſsibilis, ſed vel vt præſens, vel vt præterita, vel vt futura, nec cauſat mouendo, vt ſit, ſed cauſat mouendo, quià eſt vel quià fuit, vel quia futura eſt. Iuxta quam doctrinam ad tertium fundamentum reſpondeo, diſtinguendo maiorem: cauſare ſecundum exiſtentiam in apprehenſione, modo ſic exiſtendi exacto ad cauſandum, eſt proprium cauſæ finalis, concedo maiorem: exiſtentia in apprehẽſione non exacta, ſed permiſſa, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam.

67. *Secũdò.* Vel ſecundò, diſtinguo maiorem: cauſare ſecundũ exiſtẽtiam in apprehenſione terminata ad rem, vt poſsibilẽ, eſt proprium cauſæ finalis, cõcedo maiorẽ: ſecundum exiſtentiam in apprehenſione terminata ad rem vt præſentem, præteritam, vel futuram, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam. Et quidem cũ cauſa meritoria non influat immediatè in effectum, ſed mediatè mouẽdo, vel alliciendo voluntatẽ præmiantis ad præmij retributionem, illamque

non

non possit, nisi vt à præmiante cognita mouere, negari nō potest, vt in apprehensione existentem causare; ac proindè ex eo, quòd merita Christi gratiam antiquorum Patrum causauerint, vt existentia in diuina prævisione, non potest cum fundamento inferri illam non efficienter moraliter, sed finaliter causasse.

68. *Ad quartū respondetur primò.*

Ad quartum respondeo primò, esse multorum sententiam, posse præmium ex iustitia conferri absque eo, quòd præmium conferens ad illud cōferendū sit ex iustitia obligatus, oriſtē te in subiecto præmiādo iure ex illius meritis orto ad rem conferendam in præmium; non tamen aduersus dominū rei, & hoc modo Deum ex iustitia remunerari merita iustorum, iuxta illud Augustini: *Deus reddit omnibus debita, nulli debens.* Et ad istum modū præmiandi merita condigna ex iustitia pactum necessarium non est, sed solum vt Deus intuitu meritorū det præmium, & merita præmium exposcāt. Iuxta quam sententiam facile argumento quarto occurritur, distinguendo maiorē: vt cōferatur præmiū cum obligatione cōferentis, requiritur pactum, concedo maiorē; sine tali obligatione, nego maiorē, & præterm. minori, distinguatur consequens distinctione maioris, solum enim sequitur, Deum nō fuisse obligatum ex iustitia ex meritis Christi Dñi ad largiēdā antiquis Patribus gratiā, non autē, quòd illam ex iustitia non contulerit.

S. Aug.

69. *Secūdò.*

Secundò respondeo, pactum aliter explicandum esse in præmio anticipato, & in præmio conferendo post meritum, nam in hoc secundo modo remunerandi conditio ingrediens pactum ex parte merentis anteire debet, & mādari executioni ante præmium; in præmio autē anticipatè soluto nō sic, sed oppositō modo, ita vt pactum sit, dabo tibi præmium sub conditione, quòd gratias reddas, vel pretium soluas, vel aliquod aliud opus exerceas, solutione in re subsecuta, & præmio, vel pretio antecedenter exhibito. Deus ergo pactū iniit cum Christo contentum in illis verbis: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, videbit, & saturabitur.* Quod pactum respectu antecedentium Christum explicādum est per modum solutionis pretij, & cōsequenter antecedente præmio, & subsequuto merito per modum solutionis; respectu verò illorum, qui post Christum extitere, nō sic explicandū est, scilicet, per modū solutionis præmij iam præsciti, sed per modum meriti tendentis ad præmium, & consequenter præcedente cōditione, videlicet, merito, & subsequuto præmio. Quòd autem hoc ita sit asserendum, colligitur ex vniuersali Christi redēptione hominum à peccato, quæ aliter saluari congruè non potest, vt constat ex dictis inter probandam nostram sententiam, & præviso ab æterno, Christum pactum acceptaturum, & soluturum in præmium meritorum Christi, non vt existentium in re, sed in Dei prævisione, data fuit ex iustitia antiquis Patribus gratia; si enim meritū prævisum obligare potest, poterit etiam obligationē inducere acceptatio pacti prævisa. Hæc dixerim, vt in omni sententia quarto argumēto occurratur, in mea nāq; faciliorē habet solutionē: vt enim *tract. de merito Christi* videbimus, licet, vt Deus ab homine puro obligetur ex iustitia ad præmij retributionem, pactū necessariū sit, vt à Christo ex iustitia obligetur pactum necessarium non est.

Isai. c. 53 v. 10. & 11.

70. *Ad quintum argumētū.*

Ad quintum argumentum respōdeo, distinguendo maiorē: præmium nō potest ex iustitia cōferri indigno in dignitate oppositā existentiæ physicæ dignitatis in subiecto præmiando pro tempore retributionis præmij, nego maiorē; in dignitate oppositā existentiæ dignitatis in mente, & in prævisione præmiantis, cōcedo maiorē, & distinguo minorē: daretur indigno pro tunc, negatione excludente existentiā physicam dignitatis in subiecto præmiando, concedo minorē: negatione excludente existentiam dignitatis in prævisione præmiantis, nego minorē, & consequentiam; ad probationē minoris, quatenus distinctioni traditæ obstare potest, dicatur, ius aduersus præmiantē, & consequenter dignita-

tē merentis fundari in meritis, vel exiſtentibus phyſicè pro tēpore, quo præmium confertur, vel phyſicè pro tali tēpore præteritis, vel phyſicè futuris, & vt ſic exiſtentibus in mente, & præviſione præmiantis; licet autē merita tunc nō exiſtant phyſicè in ſe; exiſtūt tamen tunc tēporis in cognitione præmiantis terminata ad illa vt futura, & merita ſic exiſtentia fundant ius adverſus præmiantem illum obligans ex iuſtitia.

71. *Replicabis primo.* Sed replicabis contra iſtam ſolutionē primò: vt merita pro tunc temporis fundent ius adverſus præmiantē illum ex iuſtitia obligans, debent pro illo tunc exercere meritoriam cauſalitatē; ſed futura merita non poſſunt pro tunc iſtam cauſalitatē exercere: ergo nec poſſunt ius adverſus præmiātem fundare. Minor, cui ineſt difficultas, probatur, nam exercitium cauſalitatis meritoriæ ſupponit exercitium phyſicum libertatis, & conſequenter exitum phyſicum meriti à merente; ſed pro tunc tēporis, pro quo merita ſupponuntur futura, non datur exitus phyſicus operis meritorij à merente, nec exercitium phyſicum libertatis: ergo pro illo tunc nequit meritum exercere meritoriam cauſalitatem, & conſequenter, nec ius, præmiantem obligans ex iuſtitia fundare.

72. *Replicabis ſecundò.* Replicabis ſecundò, nam ſequitur ex ſolutione tradita, poſſe Deum iuſtè aliquem punire propter demerita nō exiſtentia, nec præterita phyſicè, ſed phyſicè extitura; exiſtentia tamen in diuina præviſione: conſequens videtur abſurdum: ergo tradita ſolutio eſt falſa. Probatur ſequela; nam cauſalitas demeriti in pœnam non eſt phyſica, ſed moralis: ergo, ſi cauſalitas meriti in præmium, quia moralis eſt, & non phyſica, fundari poteſt in merito non exiſtente, nec præterito phyſicè, ſed phyſicè futuro, & vt tali præviſo, etiam cauſalitas demeriti in pœnam exerceri poterit à demerito nō exiſtēte, nec præterito phyſicè, ſed præviſo, vt futuro, & conſequenter poterit Deus iuſtè punire aliquem punitione anticipata propter futura demerita ab illius mente præuiſa.

73. *Reſpondetur ad primam replicā.* Reſpondeo ad primam replicam; conceſſa maiori, negando minorē, ad illius probationē, diſtinguo maiorē: exercitiū meritorium ſupponit exercitium phyſicum libertatis vt phyſicè exiſtens de præſenti, nego maiorē: vt exiſtens phyſicè, vel vt phyſicè futurum futuritione præviſa, cōcedo maiorē, & ſub eadē diſtinctione minoris, nego cōſequentiā: nam ſicut exercitiū actuale cauſæ finalis poteſt cōpetere entitati poſsibili actu apprehēſæ: ita exercitium actuale morale meritoriū convenire poteſt entitati phyſicè non exiſtēti, ſed futuræ phyſicè, & vt tali apprehenſæ, & à præmiante præuiſæ. Et quidē meritum, quod phyſicè non exiſtit, ſed extitit, etſi non poſſit phyſicam exercere efficiētiam, poteſt tamen exercere efficiētiam meritoriam moralem: paritèr ergo opus non exiſtens phyſicè, ſed phyſicè futurum, & vt tale apprehēſum, & præviſum, etſi phyſicā efficientiam exercere non poſsit, poteſt tamen exercere efficientiam moralē, & meritoriā.

74. *Ad ſecūdam reſpōdetur primò.* Ad ſecundam replicā reſpondeo primò, negando ſequelā; ad illius probationē, conceſſo antecedenti, nego conſequētiā; ſolū enim meritum infinitum, quale eſt meritum Chriſti, extēdi poteſt ad præmiū anticipate cōferēdū, eo quòd lex cōmunis præmiādi eſt, quòd præmium ſubſequatur ad meritum: vndè præmiū anticipatè ad meritū dari, eſt inverſio ordinis in præmiando; ſolum autē meritū infinitū, quale Chriſti meritum eſt, poteſt cōdignè mereri, vt ordo gratiæ invertatur: ideoque ſolum meritum Chriſti, poteſt præuiſum vt futurum præmiū anticipatè ſolvēdum moralitèr cauſare; peccatum autem vel infinitum non eſt in ratione demeriti, vt plures probabilitèr cenſent, vel etiam ſi infinitum in ratione demeriti ſit, vt Nos verius exiſtimauimus; quia tamen illius grauitas non adæquat infinitam meritorum Chriſti dignitatem, nihil mirum, vt quamvis Chriſti meritum ad præmium anticipatè conferendum ſe extendat, ſimilem extenſionem negemus peccato in ordine ad pœnam anticipatè infligendam.

Vel dato, quòd meritum limitatū, & finitum possit, vt futurum causare, & ad præmium anticipatè retribuendum extendi, dicatur, id non posse cōtingere, nisi ex parte præmiātis aliqua dispensatio intercedat in lege præmiā di communi. Et quia in puniēdo dispensatio esse non potest in anticipando pœnam, imò potius rigor esset, fit consequēs, quòd peccatum non possit iustè pœna anticipata puniri, & consequentèr nec præviſum, vt futurum potest demeritoriè causare.

75. *Secūdò.* Secundò responderi potest, concedendo sequelam, & negando minorē; si namq; peccatū, quia in ratione demeriti est infinitum simplicitèr, quantum est de se ad omnē pœnam possibilem promerendam extenditur, etiam extēditur vis illius demeritoria ad omnē modum possibilē puniendi. Vndè, si punire anticipatè est modus puniendi possibilis, ad illum se extēdit vis demeritoria peccati inspecta secūdū se; quòd si Deus pœnas anticipatè pro peccatis non infligit, ex illius misericordia procedit, ex qua citra condignum punit: & sicut alijs pœnis peccato secūdū se inspecto debitis ob suam misericordiam peccatorē non punit, ob eandē non infligit anticipatè pœnas. Nec obstat, quòd anticipatè punire non sit dispensatio, sed rigor; tanta enim est grauitas peccati mortalis, vt quantū est de se, totū istum rigorē condignè mereatur. Nec iterū obstat, quòd anticipare præmium, vel pœnā sit inversio cōmunis modi præmiādi, aut puniēdi, vt possit cadere sub vi demeritoria peccati, nam etiam annihilatio subiecti esset cōtra cōmunē legē Dei vt prouisoris naturalis, qua statuit nullū ens creatū redigere in nihilū; & tamen, vt *disp. præced. n.* 174. vidimus ex D. Tho. peccatū, quātum est de se, annihilationē peccātis meretur: ergo absq; absurdo potest peccato mortali concedi vis demeritoria pœnæ anticipatè infligēdæ. Et quidē concedere Deū propter peccata sub conditione futura posse aliquē punire absurdum maximū est; quod autē peccata absolutè futura possint pœna anticipata puniri, illorum grauitate inspecta secundum se, nullam continet absurditatem.

§. Vltimus.

Tertio argumento principali vera solutione occurritur.

76. *Tertij argumēti vera solutio.* PRÆTERMISSIS igitur his modis dicendi, ad tertiū argumētū respondeo, distinguendo maiorem: principium meriti non potest sub merito cadere operis à se causati, sub ea ratione, & statu, in quo est principiū merendi, concedo maiorē: sub alia ratione, & statu, in quo principiū merendi non est, nego maiorē, & distinguo minorē: Incarnatio est principiū meriti antiquorū Patrū, vt præviſa in vi decreti intētiui, cōcedo minorē; vt existēs in executione, & prout subest decreto Dei executiuo, nego minorē, & distinguo consequēns: non potest sub merito antiquorū Patrū cadere, prout subest decreto intētiuo, cōcedo cōsequētiam; prout in re executa, & prout subest decreto Dei executiuo, nego consequentiā. Iuxta quā solutionē sicut gloriā consideramus, prout subest decreto intētiuo, qua ratione sub meritis iustorū non cadit, & prout terminat decretū executivum, qualitèr sub iustorū meritis comprehēditur, & est corona iustitiæ: ita Incarnatio Verbi quātenus primò intenta est principiū meriti antiquorū Patrū, & prout sic sub illorum merito nō cadit; prout autē subest ordini executionis, seu decreto executiuo Dei, principiū meriti antiquorum Patrum nō est, & sic sumpta sub illorū merito fuit cōprehensa.

77. *Oppones primò.* Sed contra hanc solutionem arguitur primo: vt merita Christi causent meritoriè gratiam antiquorū Patrū, requiritur, quòd decretum executivū Incarnationis præcedat decretū executivum gratiæ antiquis Patribus datæ, sed cum hoc stare nō potest, quòd Incarnatio sub illorum merito cadat: ergo non promeruerunt substantiam Incarnationis. Consequentia tenet, minor etiam cōstat; non enim mereri

poſſunt Incarnationem quatenus executam, niſi merendo decretum executivum Incarnationis, Deumque ad illud mouendo; hoc autẽ promereri non poſſunt, ſi ad illorum gratiam, & opera ſupponatur: ſicut ideo intentivum Incarnationis decretũ non promerentur, quia tale decretum ſupponunt, & exillo procedunt: ergo, ſi gratia, & merita antiquorũ Patrũ ſupponunt decretũ executivũ Incarnationis, nequeunt mereri ſubſtantiam Incarnationis quatenus executam. Maior autem probatur; etenim merita Chriſti non poſſunt meritoriè cauſare, nec Deum ad præmiandũ mouere, niſi vt viſa notitia intuitiua, & vt ſic præcedentia præmiũ illorum intuitu conferendũ; meritum enim non cauſat meritoriè, prout præciſsè exiſtit in intẽtione, ſed quatenus videtur in re; ſed nõ poſſunt prævideri merita Chriſti vt exiſtentia, niſi prævideatur decretum illorũ executivum, cũ medio tali decreto, exiſtentiam accipiant: ergo non poſſunt gratiam antiquorum Patrum meritoriè cauſare, niſi decretũ executivum Incarnationis, & meritorum Chriſti præcedat gratiam antiquis Patribus datam, & decretum executivum illius.

78. *Reſpondetur.* Reſpondeo, negando maiorẽ, ad illius probationem, conceſſa maiori, & minori, nego conſequentiam; aliud enim eſt, prævisionẽ Incarnationis, & meritorum Chriſti præcedere decretum executivum gratiæ Patrum antiquorum, & aliud, quòd exiſtentia ipſa Incarnationis, & meritorum Chriſti prævideatur vt præcedens exiſtẽtiam gratiæ antiquis Patribus datæ: hoc ſecundum non requiritur, vt ſit præmiũ meritorum Chriſti; primum autẽ neceſſarium eſt: vt verò prævisio Incarnationis, & meritorum Chriſti, nõ vt præexiſtentium, ſed vt poſt exiſtentiũ præcedat decretum executivum gratiæ antiquis Patribus datæ, ſufficit, quòd præcedat prævisio decreti executiui Incarnationis vt exiſtẽtis poſt decretũ executivũ gratiæ Patrũ antiquorum; ac proindè, vt hæc gratia cadat ſub meritis Chriſti, neceſſariũ non eſt, quòd decretũ executivũ illorum decretum executivũ gratiæ antiquorum Patrum præcedat.

Sed dices: præcedit viſio intuitiua decreti executiui Incarnationis decretum executivũ gratiæ antiquis Patribus datæ; ſed obiectum notitiæ intuitiuæ eſt res vt exiſtens pro eodẽ inſtanti notitiæ: ergo decretũ ipſum executivum Incarnationis præcedit decretũ executivũ gratiæ Patrũ antiquorum. 79. *Oppones.* Reſpondeo, cõceſſa maiori, diſtinguẽdo minorẽ: obiectum notitiæ intuitiuæ eſt res vt exiſtens pro inſtãti, in quo notitiæ, concedo minorem: pro eodẽ inſtanti, à quo, nego minorem, & conſequentiam; quia, vt viſio decreti exequentis intuitiua ſit illius, neceſſariũ nõ eſt, quòd decretũ ipſum exiſtat pro priori à quo notitiæ, ſed ſufficit, quòd exiſtat in eodẽ inſtanti reali pro alio ſigno poſterioti naturæ, vel originis. *Reſpondetur.* Quod patet in notitia, ex qua diuinũ Verbũ procedit; eſt enim intuitiua Spiritus Sancti, & cõſequentèr notitia Spiritus Sancti intuitiua prior eſt Verbo producto prioritate à quo originis; & tamen nec Spiritus Sanctus, nec productio illius exiſtunt pro priori notitiæ, ſed ſolum in eodem inſtanti reali pro alio poſteriori originis, aliàs Verbũ procederet à Spiritu Sancto, quod hæreticum eſt: ergo ex eo, quòd viſio intuitiua decreti executiui Incarnationis præcedat decretum executivũ gratiæ antiquis Patribus datæ, non ſequitur, ipſum decretũ executivũ Incarnationis decretũ executivũ gratiæ præcedere: & ratio eſt; quia præcedentia illa nõ eſt in quo, ſed à quo: in quo genere præcedẽtiæ ſtat benè, intuitiuã notitiã alicuius obiecti præcedere, quin obiectum talis notitiæ præcedat.

Sed vrgebis adhuc: decretum nõn eſt cognoſcibile pro priori ad ſui exiſtentiam, aliàs incidemus in ſententiã Patris Suarez, & Auctorum ſcientiæ mediæ aſſerentiũ, pro priori ad decretum ſubiectiuè exiſtẽs in Deo dari certam futurorum notitiam, quod à Nobis admittendum non eſt: ergo, ſi notitia decreti executiui ſubſtantiæ Incarnationis præcedit decretum executivum gratiæ antiquis Patribus datæ, debet ipſum decretum pro priori notitiæ 80. *Replicabis.*

titiæ exiſtere, & conſequenter alterũ decretum præcedere.

81. *Reſpondetur.* Reſpondeo, diſtinguendo antecedens: ſi primũ decretum ſit nõ ſupponens aliud decretum, cũ quo infallibiliter cõnectatur, concedo antecedẽs: ſi ſit ſecundum decretum ſupponens aliud pro priori notitiæ, cum quo habeat infallibilẽ connexionẽ, vt exiſtẽs in eodem inſtanti pro alio poſteriori naturæ, nego antecedens, & cõſequentiam, nec per hoc incidimus in illorũ Doctorum ſententiam, ipſi namq; ponunt notitiam pro priori ad decretũ abſque eo, quòd pro priori notitiæ ſit aliud decretum, cũ quo infallibiliter connectatur decretum cognitum, & quod futurum eſt in vi illius; Nos autẽ non ita, ſed dicimus, quòd pro priori notitiæ terminatæ ad decretũ executivum Incarnationis exiſtit decretũ efficax intentivum illius habens infallibiliter annexum decretum executivum in eodẽ inſtanti reali pro alio poſteriori naturæ, & in decreto intentiuo vt in medio, cognoſcit Deus intuitiuè Incarnationẽ, & decretũ eius executivum, vt exiſtens non pro eodẽ priori, ſed pro alio ſigno poſteriori naturæ, & inter vnũ, & alterũ ſignũ ſe ſe obijciunt menti diuinæ merita antiquorũ Patrum ſupponẽtia decretum intentivum Incarnationis, & mouẽtia voluntatẽ diuinã ad decretum executivum illius. Nec ex hoc infertur, dare Nos decretis diuinis rationẽ futuritionis: hæc namq; petit exiſtentiam poſt non exiſtentiã in realis durationis mẽſura, quæ in decretis diuinis nõ reperitur, ſed ſolũ præciſsio quædã pro vno ſigno cum non præciſsione pro alio, quod ad realẽ futuritionẽ nõ ſufficit.

Non ſequitur futuritio in decretis diuinis.

82. Nec iterum ſequitur, ſcientiam decreti executiui Incarnationis non intuitiuam, ſed abſtractiuã eſſe, eo quod nõ terminetur ad illud vt exiſtens pro priori notitiæ; ad rationẽ autẽ intuitionis non ſufficit, terminari ad rem exiſtentem, niſi per illam formaliter vt exiſtens attingatur, vt conſtat in ſcientia diuina poſsibilium, aliàs exiſtentium, quæ nõ intuitiua, ſed abſtractiua eſt; quia quamvis in re exiſtant, non tamen vt exiſtẽtia formaliter per prædictam notitiam attingũ tur. Nõ, inquam, ſequitur, nam ad rationem notitiæ intuitiuæ ſufficit, terminari ad rem vt exiſtentem in eadem durationis menſura, nec eſt neceſſarium, terminari ad illam vt exiſtentem pro priori à quo notitiæ; ſcientia autem ſimplicis intelligentiæ Dei, qua res exiſtentes vt poſsibiles cognoſcit, nõ ideo intuitiua non eſt; quia non terminatur ad illas vt exiſtentes pro priori notitiæ, ſed quia illas, etſi exiſtant realiter, ex vi tamen ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ ſecũdum terminationem propriam, per quam à ſcientia viſionis diſtinguitur, non attingit prout exiſtentes, nec prout ſibi coexiſtentes in reali menſura durationis, ſed ſolum terminatur ad illas ſecundum quidditates ſuas; notitia autem à Nobis poſita reſpectu decreti executiui Incarnationis obiectiuè attingit illius exiſtentiam formaliter, non quidem vt exercitam pro priori notitiæ; benè tamen vt exercitam pro alio poſteriori naturæ in eodem reali inſtanti. Et quòd doctrina iſta debeat ab omnibus Thomiſtis admitti, eſt euidens meo iudicio, cum conſtanter omnes aſſerant, ſcientiam viſionis Dei eſſe cauſam omnium rerum, ex quo fateri tenentur præcedere decretum executivum rerum, quas Deus ad extra producit, quia ſupponit intentivum, cui vt medio innititur, quodque cum executiuo cõnectitur, & inter vtrumque mediat, vnum ſupponens, videlicet, intẽtivum, & alterum regulans, ſcilicet, executivum; eodẽ modo Nos in præſenti diſcurrimus.

Nec iterũ ſequitur, notitiam decreti intuitiui non eſſe.

83. *Redarguitur P. Suarez.* Vbi adverto obiter contra Patrẽ Suarez, poſſe in ſententia illius etiam decretum intentivum Incarnationis ſub merito antiquorum Patrum cadere, cuius oppoſitum docet. Quod patet, nam, vt Incarnatio ſit principium gratiæ antiquis Patribus datæ, ſufficit, quòd viſio Incarnationis vt exiſtentis illorum gratiam præcedat; ſed poteſt ſic prævideri Incarnatio, quin decretum eius intentivum præcedat decretum executivum gratiæ Patribus collatæ: ergo poteſt decretum intentivũ Incarnationis ſub illo-

rum merito cadere. Conſequētia eſt bona; nam ideo decretū executivum Incarnationis cadit ſub illorum merito, quia illorū gratiam non præcedit: ergo ſi nec decretum intentivum Incarnationis præcedit, poterit etiam ſub illorum merito cadere. Minorē autem probo, nam in iſthus Auctoris ſententia poteſt decretum diuinum videri pro priori ad eius exiſtentiam: ergo prævideri poteſt decretum intentivum Incarnationis, & conſequentèr Incarnatio Verbi in illo, & ex illo videri, quin decretum intentivum exiſtat pro priori notitiæ, & conſequenter poterit viſio decreti intentiui Incarnationis gratiam antiquorum Patrum præcedere abſque eiuſdem decreti præcedentia.

84. Plura adverſus diſtinctionem decreti executiui, & intētiui opponunt hic Recentiores, ſed omittēda *in præſenti*, quia illius examen ſpectat *ad* 1. *p. q.* 23. Nobiſque ſufficit, tali diſtinctione ſuppoſita, noſtram ſententiam defendere. Plura etiam obijciunt contendentes probare, quòd ſi decretum efficax intentivum non cadit ſub merito, nec decretum executivum infallibilitèr cū illo connexum poteſt meritum terminare, quæ lato calamo oppoſuimus, & diluimus *tract. de prædeſtinatione loco vbi proximè allegato*, defendētes cum cōmuni Thomiſtarum ſententia, decretum efficax intentivū gloriæ ſub meritis iuſtorū non cadere; benè tamen decretum eius executivum, tametſi infallibilitèr cum intentiuo connexum. Et quidem Nobis *in præſenti* ſufficit, ſi cū tanta probabilitate tueamur, ſubſtantiam Incarnationis ſub merito antiquorū Patrum cadere, quantam habet ſententia, quæ docet, gloriam ante præviſa merita intēdi, & nihilominus eſſe præmium, & coronam illorum.

85. *Secunda obiectio.* Secundò adverſus noſtram reſolutionem arguitur, nam D. Thom. *in præſenti* indè probat, Incarnationē nō cadere ſub merito Patrum condigno, quia eſt principium omnis gratiæ antiquis Patribus datæ; principium autē meriti ſub merito, cuius eſt principiū non cadit: at hæc ratio pari efficacia procedit de merito cōgruo, ac de merito condigno: ergo nec condignè, nec congruè Incarnationem quoad ſubſtantiam meruerunt. Reſpondeo primò, Incarnationem prout prævi-

Reſpōdetur primò.

ſam in vi decreti intētiui, qualitèr eſt principium omnis gratiæ antiquis Patribus datæ, nec ſub merito cōdigno, nec congruo illorum merito cadere; quòd autem prout in executione non cadat ſub merito condigno, benè autem ſub merito congruo operum Sāctorum Patrum aliis rationibus adductis ab Angelico Doctore *in art.* 11. oſtenditur. Vel ſecundò reſpondetur, negando minorem; gratia enim habitualis in ſententia inter Diſcipulos D. Thomæ probabili cadit ſub merito congruo actuum vltimò diſponentium ad illam, & non ſub condigno merito, vt fatentur omnes Theologi, & tamen gratia eſt prædictorum actuum principium in ſententia frequentiori apud Thomiſtas: non ergo eadem ratio militat de merito congruo, & condigno. Ratio autem differentiæ ex *proximè* dicendis ad vltimam obiectionem conſtabit.

Secūdò.

86. *Vltima obiectio.* Denique advertūs eandē reſolutionem arguitur; ſequitur namque ex illa, poſſe gratiam auxiliantem cadere ſub merito operum procedentium ab ipſa, Incarnationem ſub merito operationum Chriſti Domini, & eſſe hominis ſubſtatiale ſub merito operum eſſentialitèr ab ipſo dependentium: conſequens eſt quoad omnes ſuas partes contra communem ſententiam aſſerentem, principium eſſentiale meriti non poſſe ſub merito cadere operis, cuius eſt principium: ergo reſolutio noſtra communi ſententiæ advertatur, ac per cōſequens ſuſtinendā nō eſt. Probatur ſequela: ſi namque non poſſent, ideo eſſet, quia cum hæc omnia ſint principia eſſentialia effectiua prædictorum actuum, decretum executivum illorum eſſentialitèr petit præcedere decretum executivum operationum dependentium ab ipſis: at hæc ratio eſt nulla, ſi vera eſt doctrina traditæ reſolutionis: ergo ex illa prædicta inconvenientia ſequuntur. Probatur minor, nam iuxta doctrinam

tra-

traditã, vt opus aliquod meritoriam exerceat causalitatem, necessarium non est, quòd decretum eius executivum præcedat decretũ executivum præmij, sed sufficit, quòd præuisio operis meritorij præcedat decretum executivum præmij: ergo, licet decretum executivum primæ gratiæ, Incarnationis, & primi esse substantialis hominis decretum executivum operum ab ipsis procedentiũ essentialitèr præcedat, poterunt prædicta opera influxum meritorium in ipsa exercere per hoc, quòd illorum prævisio sit prior decreto executiuo primæ gratiæ, Incarnationis, & primi esse substantialis hominis.

87. *Refertur triplex solutio.*

Huic argumento responderi solet triplicitèr: primò, concedendo sequelam quoad omnes partes illius. Secundò, concedendo illam de operibus Christi respectu Incarnationis Verbi; negando autẽ de operibus procedẽtibus à gratia respectu primæ gratiæ, & de operibus naturalibus procedentibus ab homine respectu esse substantialis illius: & ratio discriminis redditur ab his Auctoribus, nam, vt principium meriti cadat sub merito, est necessarium, quòd præmium anticipatè detur; cum autem generalis, & connaturalis modus præmiandi oppositum petat, necessum est, quòd dispensatiò miraculosa intercedat, & quòd ordo gratiæ invertatur; hoc autem sub cõdignitate meriti puræ creaturæ comprehendi non potest, cum omne meritum finitum, & limitatum sufficienter compensetur collatione præmij modo connaturali facta; benè verò comprehendi valet sub vi meritorum Christi infinita, nam cum ratione suæ infinitæ dignitatis mereantur quoad sufficientiam omne id, quod potest esse beneficium diuinum, & anticipata præmij solutio, & ordinis gratiæ miraculosa inversio possit ex Dei beneficientia procedere, consequens fit, quòd possit sub condignitate meritorum Christi cadere.

Tertiò alij respondent, negando sequelam quantum ad omnem partẽ, eo quòd cum principium essentiale opus à se dependens debeat in omni statu præcedere, consequens sit, quòd nequeat in aliquo statu ad principium essẽtiale suum prævideri; ac proindè principiũ essẽtiale alicuius operis, vel actus nõ possit subsillius merito cadere. Quam doctrinã, & modos dicendi *tract. de merito Christi* fusè examinabimus.

88. *Vera solutio.*

Modò quod verius, & consequentius ad doctrinã à Nobis tradita iudico, est, prima gratiã auxiliante, & esse substantiale hominis posse cadere sub merito cõgruo, non autẽ sub cõdigno operũ procedentiũ ab ipsis de potẽtia absoluta; Incarnationẽ verò nec sub cõgruo, nec sub cõdigno merito operationũ Christi etiam de potẽtia absoluta cadere posse. Ratio primi quoad secundã partẽ est, nã meritũ condignum non datur, nisi in ordine ad terminũ inclinationis intrinsecæ gratiæ; gratia autẽ, quæ est principiũ merẽdi, non potest cõnaturalitèr, & ab intrinseco inclinare ad seipsã promerendã, neq; ad promerendũ principiũ actus meritorij, aliàs anticipata præmij solutio supra exigentiã, & inclinationẽ gratiæ nõ esset, vt proindè neque extraordinaria, nec miraculosa: ideoq; nec esse substantiale hominis, nec prima gratia possunt cadere sub cõdignitate meritoria operum procedẽtium ab ipsis.

Ratio primi quoad secundam partẽ traditur.

89. *Ratio eiusdem quoad primam partẽ assignatur*

Ratio eiusdẽ quãtũ ad primã partẽ habẽtur ex dictis; nõ enim obstat, quòd sint principiũ meriti, vt sub eodẽ merito de cõgruo cadere possint, vt cõstat in Incarnatione, quæ fuit principium gratiæ antiquis Patribus datæ, & operũ procedentiũ ab ipsis, & tamen antiqui Patres Incarnationẽ de congruo meruerunt. Nec difficultas evaditur, nec sufficiẽs discrimẽ assignatur per hoc, quòd prima gratia, & esse hominis substantiale sint essentialia principia: nã sicut hoc non obstat, vt possint ab actibus, quorũ sunt principia effectiua, dependere in genere causæ finalis: ita nec obstare potest, vt ab illis dependeant in genere causæ moralis meritoriæ, supposito, quòd ad hoc genus causalitatis existẽtia meriti in re necessaria nõ sit, sed existentia in apprehẽsione sufficiat. Nec tandem obstat, quòd

re-

reflexio meritoria ſupra ſuum principiũ ſit ſupra exigentiam, & inclinationẽ intrinſecã gratiæ, nam licet quòd terminus meriti ſit iuxta inclinationẽ intrinſecam gratiæ, & intrinſecã exigẽtiam illius, requiratur ad meritum condignũ; ad meritũ tamen congruũ neceſſariũ non eſt: vndè, licet plures negent, poſſe vnum hominẽ iuſtum alteri primã gratiam de condigno promereri, eo quòd gratia iuſtificans, vtpotè, ſemen gloriæ ab intrinſeco ſolũ inclinat ad merendum proprio ſubiecto, non ideo negant, poſſe vnum hominẽ iuſtum alteri primã gratiam mereri de congruo; ſed omnes id fatentur poſsibile: non ergo eſt neceſſariũ ad meritum cõgruum, quòd terminꝰ meriti ſit conformis intrinſecæ exigẽtiæ, & inclinationi gratiæ; ac proindè ex nullo capite repugnat, primam gratiam, & eſſe hominis ſubſtantiale cadere ſub merito congruo operum procedentium ab ipſis.

90. *Ratio eiuſdem quoad tertiam partẽ explicatur.*

Ratio verò, cur Incarnatio non poſsit cadere ſub merito cõgruo operũ Chriſti Dñi, eſt; quia opera Chriſti, vtpotè infiniti valoris, vel non merẽtur, vel merentur de cõdigno; hoc autẽ modo Incarnationẽ Verbi mereri non poſſunt: tùm, quia aliàs mererẽtur ſeipſa; quatenus meritoria, cũ per Incarnationẽ, ideſt, per diuinitatẽ hypoſtaticè vnitã valorẽtur opera Chriſti, & meritoria conſtituantur. Tùm etiam, quia diuinitas hypoſtaticè vnita eſt forma valorans operationes Chriſti; nihil autẽ repugnãtius, quam quòd ipſum præmium valoret meritũ; hoc enim idẽ eſt, ac quòd aliquid ſit præmium ſui ipſius: non ergo poſſunt opera Chriſti Dñi de cõgruo, aut de condigno Incarnationis ſubſtantiã mereri, de quo plura *infra tract. de merito Chriſti.* Et ex his ad argumentum reſpondeo, negando abſolutè ſequelã quoad ſecundã partẽ, & diſtinguendo conſequens quoad primã, & tertiam, concedendoq; conſequentiam de merito congruo; negando autẽ de condigno ob rationem aſſignatam.

91. *Obiectio.*

Si obiicias, D. Thom. 1. 2. q. 114. art. 5. probare, primam gratiam non poſſe ſub merito cadere operũ precedentium ab ipſa, quia prima gratia eſt principiũ illorũ, & ad illa præſupponitur; principium autẽ meriti non poteſt eſſe terminus meriti: at D. Thom. ibi loquitur de merito ex congruo, vt conſtat ex contextu articuli, aliàs ad auctoritatẽ Auguſtini aſſerentis, fidẽ promereri iuſtificationis gratiam, nõ reſponderet, ipſum explicando, cum Auguſtinus loquatur de merito congruo, & non de merito condigno, ſed illius dictũ admitteret abſolutè: ergo ſentit D. Thom. primã gratiam, quia eſt principium meriti, non poſſe eſſe terminum illius, nec de congruo, nec de condigno de potentia abſoluta.

92. *Reſpondetur.*

Reſpõdeo, D. Thom. loqui de merito cõgruo, & condigno primæ gratiæ; cum hoc tamen diſcrimine, quòd de merito condigno loquitur de potẽtia abſoluta; de merito autẽ congruo, non de potentia abſoluta, ſed ſolũ de lege ordinaria. Quod patet, nam idcirco negat, poſſe primam gratiam cadere ſub merito operum procedentium ab ipſa, quia ad illa exiſtens ſupponitur; hæc autem ratio non convincit de potentia abſoluta, cum iuxta illam poſsit præmium anticipatè dari, meritum præuenire, & ad illud exiſtens ſupponi, ſed ſolum probat de lege ordinaria, iuxta quam præmium nõ antevertit meritũ, ſed ad illud ſubſequitur: & ideo pro ea parte, qua D. Thom. loquitur de merito congruo, eſt de lege ordinaria accipiendus; non de potentia abſoluta: & quia Auguſtinus loquebatur de facto, docens, fidem iuſtificationis gratiam mereri, idcirco reſpondet D. Thomas, Auguſtinum explicando, & non illius dictum, vt iacet, accipiendo. Et hæc de iſta diſputatione applicanda litteræ Magiſtri *in 3. diſt. 4. §. penult.* vbi à D. Thoma excitatur. Hæc etiam de ſecundo tractatu dicta ſufficiant. *M. Set.*

***

TRACTATVS TERTIVS.

De extremo assumente.

DE QVO *D. Thom.* in 3. Sent. dist. 5. q. 2. *ad Annibaldum* in ead. dist. q. vnic. art. 1. 4. Contra gentes cap. 42. *& in* præsenti q. 3. vbi explicato quæstione præced. modo vnionis pertinentis ad Incarnationis essentiam, de extremo assumente, ex quo, & natura assumpta Incarnatio essentialitèr constat, sermonem instituit, quæstionemque in octo Articulos diuidit. *Docens in primo, propriſsime conuenire diuinæ personæ assumere naturam creatam, & ita illi proprium esse, vt personæ creatæ non possit competere.* Articulus primus,

In secundò, conuenire etiam naturæ diuinæ assumere naturam creatam; non tamen ita proprie, ac personæ. In tertio, naturam diuinam, abstractis per intellectum proprietatibus personalibus, potuisse humanitatem assumere. In quarto, vnam personam sine alia posse assumere naturam creatam. In quinto Articulo docet, quælibet ex diuinis personis seorsim ab alijs illam assumere potuisse. In sexto, plures personas potuisse simul assumere vnam, & eandem naturam creatam. In septimo, posse vnam personam assumere plures naturas. Ac tandem in vltimo Articulo docet, conuenientius fuisse, quod Verbum carnem assumeret, quam alia ex personis diuinis. Articulus 2. Articulus 3. Articulus 4. Articulus 5. Articulus 6. Articulus 7. Articulus 8.

Pro quorum explicatione sequentes disputationes subijcimus.

DISPVTATIO DECIMAQVARTA.

An Verbum per Incarnationem fuerit mutatum intrinſecè?

§. I.

Ratio dubitandi proponitur, & reiicitur prima ſolutio.

Nu. 1. *Quid importetur ſub nomine Incarnationis.*

INCARNATIONIS nomine ſignificatur vnio humanitatis, & diuinitatis in vna Chriſti perſona, nõ conuerſione diuinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis ad Deum, vt inquit Athanaſius in Symbolo. Licet autem humanitas ex carne componatur, & ſpiritu, exprimitur nomine carnis, accepta parte pro toto, quod inconſuetum in Scriptura non eſt, vt conſtat Lucæ 3. vbi dicitur: *Et videbit omnis caro ſalutare Dei*; & alibi: *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam*; & Ioann. 1. vbi hoc myſterium carnis nomine reuelatur, ibi: *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis*. Ratio autem, cur nomine carnis, non autem nomine ſpiritus, exprimatur vnio humanitatis cum Verbo, redditur à D. Thom. Ioann. 1. *lect.* 7. tùm, ad oſtendendam veritatem Incarnationis contra Manichæos negantes, veram carnẽ aſſumpſiſſe: tùm etiam, ad demõſtrandum magnitudinẽ charitatis Dei erga homines, qui adeò ſe exinaniuit, vt tàm vilẽ, & abiectam, ab illiuſque ſumma ſimplicitate diſtantem carnis naturam propter illos redimendos aſſumpſerit, iuxta illud Paul. 1. *ad Timoth. 3. Et manifeſtè magnum eſt pietatis Sacramẽtum, quod manifeſtatum eſt in carne.* Quod Theophylatus in Catena D. Thomæ elegantèr expendit, his verbis: *Euangeliſta volens oſtendere inenarrabilem Dei condeſcenſum, carnem commemorat, vt illius admiremur miſericordiam, quoniã propter noſtram ſalutem, quod omninò remotum, & diſtans eſt ab eius natura aſſumpſit, ſcilicet, carnem; animã namque habet aliquam propinquitatem ad Deum.* Nomine ergo Incarnationis rectè ſignificatur vnio humanitatis ad Verbum, & illius à Verbo aſſumptio.

Luc. 3.

Ioan. 1.

Paul. 1. ad Tim. 3.

S. Tho.

Quod autem in hac diſputatione in examen veniemus, eſt, an Verbum per carnis, vel humanitatis aſſumptionem fuerit mutatum intrinſecè? Ratio dubitandi, eaque ſatis ingens, & difficilis eſt, nam mutatio intrinſeca eſt tranſitus de non eſſe intrinſeco ad eſſe intrinſecum; ſed Verbum per Incarnationem tranſiuit in tempore de non eſſe intrinſeco ad eſſe intrinſecum: ergo fuit mutatum intrinſecè per Incarnationem. Conſequentia eſt

2. *Ratio dubitandi exponitur.*

bona,

bona, maior continet diffinitionem murationis intrinsecæ; minor autem probatur: transiuit de non esse hominem ad esse hominem in tempore; sed Verbū esse hominē est aliquid intrinsecū ipsi, humanitas namq; est intrinseca Verbo: ergo transiuit per Incarnationē de non esse intrinseco ad esse intrinsecum. Vel alitèr potest ratio dubitandi proponi; nam aliquid mutari intrinsecè, est alitèr intrinsecè se habere; sed Verbum per Incarnationem alitèr se habuit intrinsecè, nam fuit factum intrinsecè homo, quod ante Incarnationem non erat: ergo per Incarnationē fuit intrinsecè mutatum.

3. *Confirmatur primò.*

Confirmatur primò: nam intrinseca alietas nunc, ac prius, est intrinseca mutatio; sed in Verbo post Incarnationem fuit intrinseca alietas à se ipso ante Incarnationem: ergo intrinseca mutatio. Maior cum consequētia tenet; minor autē probatur: Verbum vt homo est aliud alietate intrinseca à se ipso nudè sumpto: sicut corpus vt album est aliud intrinseca alietate à se ipso sine albedine; sed ex vi Incarnationis factum est homo: ergo ex vi Incarnationis inducta est in Verbo intrinseca alietas à se ipso ante Incarnationem inspecto.

Secūdò.

Confirmatur, & vrgetur secundò: nam Verbum per Incarnationem est mutatum aliquo modo; sed non mutatione extrinseca: ergo est mutatum mutatione intrinseca. Consequentia tenet, nam mutatio adæquatè in extrinsecam, & intrinsecam mutationē diuiditur: ergo, si Verbum per Incarnationē fuit aliquo modo mutatum, & non mutatione extrinseca, benè infertur, fuisse intrinsecè immutatum. Maior videtur certa, abstrahendo à mutatione extrinseca, vel intrinseca; cum enim nouam formam induerit, non potuit non immutari mutatione sic abstrahente; minor autem probatur: etenim mutatio extrinseca est, quæ prouenit à forma extrinseca subiecto immutato; sed humanitas nó est forma extrinseca Verbo: ergo ab illa non potuit extrinseca mutatione mutari.

Hæc ratio dubitandi, ob sui ingentem difficultatem hæreticos in varios errores induxit. Quidam diuinitatē Christi negarunt, alij illius humanitatem, non valentes, aut nolentes percipere duas naturas, humanam, nēpe, & diuinam in vna persona cōiunctas, nec Verbum factum hominem absq; illius intrinseca mutatione. Quos lato, & erudito calamo, vt solet, refert Castro *lib. 4. aduersus hæreses* verbo *Christus*, *hæres. 1. & 2.* Alij denique negarunt diuinam immutabilitatem asserentes, Deitatem mortuam, passam, & crucifixam esse pro nobis. Ita Euryches, & Azephali, aliique antiquiores hæretici, quos refert idem Castro vbi *nuper hæres. 4.*

4. *Referuntur varij errores.*

Castro.

Asserendum tamen est, & catholicè tenendum, Verbum per Incarnationem intrinsecè mutatum non esse. Quod patet, nam Verbum assumpsisse carnem, & hominem factum esse est veritas fide catholica certa, vt cōstat ex Ioann. 1. *cap.* ibi: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, & cōtra Iudæos ex veteri Testamento pluribus testimonijs confirmant Medina *in hac 3. p. q. 3. proem.* Suarez *disput. 1. & 2.* aliique ab ipsis relati; sed Deum esse immutabilem omninò, etiam est veritas fidei, vt constat ex Malachiæ 3. *cap.* ibi: *Ego Deus, & non mutor*; & Iacob. 1. *Apud quem non est transmutatio.* Quod ratione naturali demonstrat D. Thomas 1 *p. q. 9. art. 1.* sumpta ex illius purissima actualitate; quia, nempè, actus purus est, & consequentèr non potest esse in potentia ad aliquid in se recipiendum, quod necessarium erat, vt posset mutari intrinsecè, summa namq; & suprema actualitas omnem potentialitatem excludit: ergo de fide etiam est, Verbum carnem assumendo non fuisse mutatum intrinsecè.

5. *Catholica cōclusio statuitur, & probatur.*

Ioan. 1.

Medin. Suar.

Malac. cap. 3. Iacob. 1.

S. Tho.

Rationi autem dubitandi variè à Theologis occurritur. Prima solutio est Valentiæ *disput. 1. de Incarnatione q. 1. punct. 2. ad 2. argum.* vbi docet, ideò Verbum per Incarnationem intrinsecè mutatum non esse; quia ad intrinsecam mutationem requiritur noua acquisitio formæ intrinsecæ nō

6. *Prima rationis dubitandi solutio Valent.*

præ-

præcontentæ in ſubiecto, nec formaliter, nec eminentèr; humanitas autẽ per Incarnationem nouitèr à Verbo acquiſita, & nouitèr illi adueniẽs præcontinebatur ante Incarnationẽ eminentèr in Verbo, quia illam poterat efficientèr cauſare, & etiam omnes effectus purè efficientèr ab humanitate dependentes, ideoque Verbum per Incarnationem intrinſecè mutatum non fuit, quia licet tranſierit de non eſſe intrinſeco ad eſſe intrinſecũ, non præcontentum ante Incarnationem in ipſo formaliter; illud tamen eſſe intrinſecum præcontinebatur in Verbo eminentèr, & vt Verbum mutaretur per hoc, quòd fieret homo in tempore, neceſſum erat, vt eſſe ab humanitate præſtitum, & nouitèr à Verbo acquiſitum, nullo ex prædictis modis ante Incarnationem præcontineretur in illo.

7. *Si in cõtrarium opponatur.*

Si opponas, ſequi ex iſta ſolutione, potentiam vitalem non mutari intrinſecè, cum de nouo elicit actum, & illum intrinſecè recipit: cõſequens eſt falſum: ergo & ſolutionis doctrina. Patet ſequela; nam potentia vitalis eminentèr continet actum vitalem: ergo, cum de nouo operatur, non acquirit formam non præcontentam in ipſa eminentèr; ac proindè intrinſecè non mutatur, ſi vera eſt doctrina ſolutionis, nempè, ad mutationem intrinſecam peti tranſitum de non eſſe intrinſeco ad eſſe intrinſecum, nõ præhabitum in ſubiecto eminentèr. *Reſpondet Valentia.* Reſpondet Valentia, & benè, negando ſequelam, & ad probationem, negando antecedens, nam licet potentia vitalis ſumpta prout in actu primo antecedentèr ad actum ſecundum, illum cõtineat virtualitèr efficientèr, non tamen illum continet continentia eminentiali: non enim poteſt per ſe ipſam ſine concurſu actionis vitalis efficere habitus operatiuos, quos actus vitalis cauſat; vt autẽ potentia vitalis ſumpta prout in actu primo eminentèr cõtineret operationem vitalem, deberet, ſe ipſa efficere poſſe, quidquid per operationem vitalem efficitur.

8.

Si obijcias, Verbum non poſſe ſe ipſo abſque humanitatis concurſu efficere operationes humanas intelligendi, & ſenticndi, quæ ab humanitate efficiuntur; & tamen continet eminentèr humanitatem iuxta ſolutionis doctrinam talem continentia, vt per illam non mutetur, etſi in tempore adueniat de nouo: ergo potentia vitalis, quamvis per ſe ipſam non poſſit efficere habitus operatiuos, quos efficiunt operationes vitales, illas tamen eminentèr continebit cõtinentia ſufficienti, vt non mutetur intrinſecè, cum de nouo vitalitèr operatur. *Si obijcias.*

Reſpondebit, negando conſequẽtiam, & ratio diſcriminis eſt, nam habitus dependent purè efficientèr ab actibus, a quibus cauſantur; operationes autem vitales humanitatis, nõ ſolum efficientèr, ſed etiam formaliter ſpecificatiuè dependent ab illa; eſt autem de ratione continentiæ eminentialis, quòd continens præſtare poſsit ſe ipſo, quidquid à contento efficientèr tantùm dependet: nõ verò, quod ab illo cauſatur in genere cauſæ formalis intrinſecæ, vel extrinſecæ, & ideò Verbum eminentèr continet humanitatem, quamvis ſe ſola non poſſit operationes vitales efficere; potẽtia autem vitalis non valens ſe ſola efficere habitus cauſabiles medio concurſu operationũ vitalium illas eminentèr non cõtinet. Ratio autẽ doctrinæ traditæ eſt, nã id ſolum eminẽtèr continet aliud, quod poteſt per ſe ipſum efficere omne, quòd à re cõtenta præſtatur non includens imperfectionem: & quia in efficientia illius, quod à re contenta purè efficientèr depẽdet, nulla clauditur imperfectio, benè tamen in efficientia illius, quod à re contenta dependet in genere cauſæ formalis, conſequens fit, quòd ad continentiam eminentialem petatur, quòd continens poſsit per ſe ipſum efficere, quidquid à cõtento purè efficientèr depẽdet; non verò quod dependet ab illo in genere cauſæ formalis. Eſt inſuper aſsignabilis vlterior ratio diſcriminis, nam Verbum continet humanitatem, & omnia principia, à quibus depẽdet humanitas; potentia autem vitalis, non cõtinet virtualitèr omnes cauſas, & principia

9. *Reſponderi poteſt.*

vitalis

vitalis operationis, ideoque Verbum eminentèr continet humanitatem; potentia verò vitalis non continet eminentèr vitales operationes.

10. *Reijcitur prædicta solutio primo.*

Hæc tamen solutio, & doctrina displicet communitèr Theologis, nedum exteris, verum etiam domesticis, & reijcitur primò: nam si Deus de nouo in tempore inciperet intelligere, & velle intellectione, aut volitione realitèr ab ipso distinctis, absque dubio mutaretur intrinsecè, & tamen contineret eminētèr intellectionem, & volitionem, quibus intelligens, & volens constitueretur, cum illas efficientèr causaret, & omnem effectum purè efficientèr dependentem ab eis posset per se ipsum efficere, in quo eminentialis continentia, iuxta explicationem prædicti Auctoris consistit: ergo mutatio intrinseca saluatur in transitu de non esse intrinseco ad esse intrinsecum, non præhabitum formalitèr quamvis eminentèr præcontentum in subiecto.

Secūdò.

Deindè, nam si Deus de nouo intelligeret per intellectionem creatam intrinsecè in ipso receptam, aut accidens aliquod creatum de nouo immediatè reciperet, intrinsecè mutaretur, in quo nullus dissentit, quē viderim; & tamen intellectio creata, & quodlibet aliud accidens eminentèr continetur in Deo, quod nemo potest negare: ergo mutationi intrinsecæ nō obstat continentia eminentialis formæ de nouo acquisitæ, & nouitèr subiecto advenientis quātum ad esse formale, & consequētèr saluatur in trāsitu de non esse intrinseco ad esse intrinsecum præcontentum eminentèr in subiecto: ex quo vlterius fit, vt per continentiam eminentialem humanitatis in Verbo non defendatur immune ab intrinseca mutatione.

11. *Vltimò.*

Denique tradita solutio reijcitur, nam transitus de non esse ad esse formæ intrinsecè in subiecto receptæ nō præhabitæ in ipso formalitèr sufficiēs est ad mutationem intrinsecam: ergo, si humanitas intrinsecè informat Verbum, & intrinsecè in illo recipitur, quamvis humanitatem præcontineat eminentèr, cum de nouo humanitatē recepit, fuit intrinsecè mutatum. Consequentia probatione non indiget; antecedens autem ostenditur primò, nam quidquid aliud superadditur volūtariè omninò ad intrinsecam mutationem exigitur. Secūdò, nam ille transitus est actus entis existentis in potentia secundum quod in potētia; sed in hoc mutatio consistit, vt cōstat ex illius diffinitione: ergo transitus de non esse ad esse formæ intrinsecè in subiecto receptæ, formaliter non præhabitæ, quamvis eminentèr contentæ est intrinseca mutatio.

12. *Respondet Valentia.*

Respondet prædictus Auctor, ad intrinsecam mutationē requiri, quòd sit actus entis existentis simplicitèr in potentia, ideſt, omninò in potentia existentis in ordine ad formam motu, aut mutatione acquisitam, & subiectum formaliter immutantem, eo autem ipso, quòd subiectum ratione sui formam aliquam actu eminētèr præcontineat, non existit ad illam simpliciter in potentia, cum eam in actu aliquo modo cōtineat, nempè, in actu eminentiali: ideoque acquisitio noua formæ eminenter præcōtentæ in subiecto, quamvis intrinsecè recipiatur in illo, ad intrinsecam mutationem non sufficit.

13. *Sed cō-tra primò.*

Sed contra primò, nam ad mutationē intrinsecam nō requiritur subiectum existens in potentia simplicitèr, ideſt, omnibus modis ad illam, sed sufficit esse in potētia ad formam simpliciter, ideſt, absolutè; sed respectu formæ eminenter præcōtentæ subiectum potens illam recipere in seipso formaliter est in potētia simplicitèr, ideſt, absolutè, quamvis non sit in potentia simplicitèr, ideſt, omnibus modis: ergo transitus de non esse ad esse formæ intrinsecè receptæ formalitèr non præhabitæ, quamvis eminentèr contentæ, sufficit ad mutationem intrinsecam. Maior constat, nam potentia vitalis non est in potentia simplicitèr, ideſt, omnibus modis in ordine ad actum vitalem, cum illum ratione sui actu præcontineat continētia virtuali; & tamen mutatur intrinsecè per actum vitalem intrinsecè in se receptum: ergo ad mutationem in-

trin-

trinſecam non requiritur ſubiectum exiſtens in potentia ſimpliciter, ideſt, omnibus modis ad formã, per quam mutatur, ſed ſufficit eſſe in potẽtia ad formam ſimpliciter, ideſt, abſolutè. Minor autem probatur, nam ſubiectũ eſſe in potentia ad aliquam formam eſt actu carere forma, & illam poſſe recipere; ſed ſubiectum eminẽter præcontinens formam, illamque non habens formaliter abſolutè dicitur carere forma, & abſolute dicitur potens illam recipere: ergo eſt in potentia ad talem formam ſimpliciter, ideſt, abſolutè, quamuis non dicatur exiſtens in potentia ſimpliciter, ideſt, omnibus modis.

14. *Cõtra ſecundò.* Contra ſecundò, nam ex ſolutione tradita ſequitur, Verbum per Incarnationem fuiſſe mutatum intrinſecè, ſaltim aliquomodo mutationis, quæ vera mutatio ſit: conſequens nõ poteſt admitti: ergo ſolutio tradita ſuſtinenda non eſt. Probatur ſequela: tranſiens de non eſſe formæ ad eſſe formæ intrinſecæ, ad quam eſt omninò in potentia, mutatur intrinſecè mutatione tali ſimpliciter: ergo trãſiens de nõ eſſe formæ ad eſſe formæ intrinſecæ, ad quam eſt aliquomodo in potentia receptiua, mutatur intrinſecè, licet non mutatione tali ſimpliciter, benè tamẽ mutatione intrinſeca, quæ ſit aliquomodo mutatio; ſed Verbum per Incarnationem tranſiuit de non eſſe formæ ad eſſe formæ intrinſecæ, ad quam erat aliquo modo in potentia, nempè, in potentia receptiua formali, quandoquidem recepit in ſe intrinſecè humanitatem, qua antecedẽter quoad eſſe formale carebat: ergo fuit mutatum intrinſecè aliquo modo intrinſecæ mutationis, quæ vera mutatio ſit.

15. *Reſpondet Valentia.* Reſpondet Valentia, nunquam eſſe concedendum, Verbum per Incarnationem fuiſſe intrinſece mutatum mutatione imperfectionem dicente; qualis eſt illa mutatio, quæ ſupponit in ſubiecto negationem præcõtinentiæ formalis, & eminentialis formæ, quam de nouo acquirit, eique de nouo advenit, cum nulla forma poſſit de nouo advenire Verbo, quæ in illo non ſupponatur actu eminenter præhabita. Cæterum ſiquis contendat, ad mutationem ſufficere nouam formæ acquiſitionem non præhabitæ formaliter, etſi eminenter in ſubiecto præcontentæ, quæſtionem eſſe de nomine, & abſolute eſt negandum, Verbum per Incarnationem fuiſſe mutatum intrinſece, eo quòd in Scriptura Deus dicitur abſolute immutabilis.

Sed contra hanc ſolutionem obſtat primò: cum enim diſputatur à Philoſophis, & Theologis, quid ad veram mutationem ſufficiat, an ſcilicet, requiratur acquiſitio formæ, ad quam ſubiectum ſit in potentia formali cum excluſione continẽtiæ eminentialis, an verò ſufficiat acquiſitio nouæ formæ, ad quam ſubiectum ſit in potẽtia formaliter receptiua ſine præ dicta excluſione, non agitur quæſtio de nomine, ſed verè diſputatur de re: at hoc eſt, quod diſputamus: ergo nõ litigamus de nomine, ſed quæſtionem verſamur de re. Secundò, nam eſt de fide, Deum eſſe immutabilem omninò: ſicut de fide eſt, omninò ſimplicem eſſe; ſed non poteſt catholicè admitti modus aliquis compoſitionis realis in Deo, & qui hoc aſſereret, Dei ſimplicitati ſe opponeret: ergo nec catholicè poteſt defendi modus aliquis realis mutationis in Deo, & qui illum admiſerit, Dei immutabilitati contradicet.

16. *Reijcitur prædicta ſolutio primò.*

Secũdò.

Si opponas: vt Verbum per Incarnationẽ mutaretur, deberet eſſe realiter in potentia paſsiua in ordine ad humanitatem; ſed eo ipſo, quòd contineat eminenter continentia eminẽtiali actualiſsima, qualis eſt continentia diuina, humanitatem, cui vnitur, non poteſt eſſe ad illam realiter in potentia paſsiua: ergo eo ipſo non poteſt per vnionẽ cum humanitate mutari. Reſpondeo, conceſsis maiori, & minori, diſtinguendo conſequens: ex ſola ratione continentiæ eminentialis, nego conſequentiam: ex illa, & quia ob illam non poteſt Verbum humanitatem vt ſubiectum recipere, ſed ſolum terminatiue ſe habere reſpectu illius, concedo conſequentiam. Itaque verum eſt, Verbũ continens humani-

17. *Si cõtrà Nos opponatur*

Reſpondetur.

manitatem continentia eminentiali actualissima, nō posse realiter per humanitatem mutari, sed hoc ideo est, quia cum tali cōtinentia non stat, cōparari ad humanitatē in potentia passiua, & receptiua, nec esse subiectū receptivum illius, sed solū terminus illam complens, terminans, & sustentans: cæterum si cum prædicta continentia eminentiali actualissima simul adstruatur in Verbo potentia receptiua humanitatis, vt Valentia fatetur, non potest immutabilitas Verbi cum Incarnatione componi, nec cū receptione intrinseca humanitatis defendi.

§. II.

Examinantur alij modi dicendi.

18. *Secūda solutio refertur*

SECVNDA solutio rationis dubitandi est, istud Verbum per Incarnationem non esse mutatum intrinsecè, quia per se nō ordinatur ad vnionē cum humanitate, nec naturaliter expetit illam: vnde carentia humanitatis in Verbo, non priuatio, sed negatio erat, nec imperfectionē aliquam inducebat in ipso: ex quo fit, vt vnio Verbi ad humanitatem non tollat à Verbo aliquam imperfectionem, nec perfectionem aliquam conferat ipsi; ac proinde per talem vnionem intrinsecè nō mutatur. Ita Albertinus *tom. 2. corollar. 1. circa prædicamentū substantiæ q. 1. n. 5.* iuxta cuius doctrinā est rationi dubitandi occurrendum, distinguendo maiorē: mutatio intrinseca est transitus de nō esse intrinseco ad esse intrinsecum perfectivū subiecti, & ab illo excludēs aliquam imperfectionē priuatiuā, cōcedo maiorem: ad esse intrinsecū non perfectivū subiecti, nec ab illo auferens aliquam imperfectionē, nego maiorē, & sub eadē distinctione minoris, neganda est consequentia. Et eodē modo respondendū est rationi dubitandi aliter explicatæ, & illius confirmationibus.

Albert.

19. Hæc tamen solutio insufficiēs est, & reijcitur primò: stat enim, subiectū mutari intrinsecè per formā non perficientē, nec auterētē ab illo imperfectionē intrinsecā, aqua namq; per calorem in se recepta mutatur, à quo tamen non perficitur, nec per illū aliqua imperfectio excluditur: ergo ex eo, quòd vnio Verbi ad humanitatē imperfectionē à Verbo non auferat, nec intrinsecā perfectionē Verbo cōferat, non rectè deducitur, non inducere in ipso intrinsecā mutationē. Deindè, nā si homini in puris naturalibus condito, & in prima sui institutione ad gratiam non ordinato, Deus habitualem gratiam infunderet, vel gratiā intrinsecè auxiliantē conferret, mutaretur homo intrinsecè, & tamen nō esset ab intrinseco ordinatus ad gratiā, nec in illam per innatū appetitū propenderet, nec supponeretur gratia priuatus, cū illi nō deberetur; priuatio autē est carētia formæ debitæ subiecto capaci: ergo, quòd Verbū de se nō ordinetur ad vnionē cū humanitate, nec naturaliter expetat illā, nec carētia humanitatis in Verbo priuatio sit, sed negatio, non probat, Verbū nō mutari intrinsecè per vnionem cū humanitate.

Reijcitur prædicta solutio prima.

Secūdò.

20. Denique, nā si Verbū intrinsecè in se reciperet modū vnionis, quo humanitas illi vnitur, intrinsecè mutaretur, quāuis nec ordinaretur intrinsecè ad talē vnionē, nec naturaliter illā expeteret, nec in Verbo ante vnionē priuatio vnionis ad humanitatem præcederet, sed tātū negatio illius: ergo, quòd nō mutetur per vnionē cum humanitate, tolū est, quia non est subiectū receptivum vnionis, sed terminus; non autem quia non ordinetur ad dictam vnionem, nec quia illam non appetat, nec illa non supponatur priuatum, & consequenter, quòd Verbum per humanitatem nō mutetur intrinsecè ex eodem principio est probandum; non autem ex eo, quòd imperfectionem à Verbo non auferat, nec illi conferat perfectionem. Consequentia patet; antecedens autem docet expressè Albertinus, & manifestè constat à paritate accidentis, per quod Verbum mutaretur intrinsecè, si in illo reciperetur, quamvis illud non expeteret, nec illo priuatum supponeretur.

Vltimo.

21. *Tertia solutio proponitur.*

Tertia solutio præcedenti proximè affinis est quorumdam Recentiorum asserentium, ideò Verbum non mutari, quamvis fiat homo intrinsecè, & humanitati intrinsecè vniatur, quia per humanitatem non perficitur in suo esse, nec in suis operationibus, nam æquè benè sine humanitate existeret, & suas exerceret operationes ab humanitate separatum, ac illi intrinsecè vnitum: vt autem intrinsecè mutaretur per humanitatem, necessum erat, quòd per illam in suo esse, aut in suis operationibus perficeretur intrinsecè: ideo namque materia, & forma substantialis per vnionem mutatur intrinsecè, quia ex tali vnione in suo esse intrinsecè perficiuntur, vnitæ namque existunt cõnaturaliter; secus autem separatæ. Accidẽs etiam mutatur ex vnione ad subiectũ, quia subiecto vnitum cõnaturaliter existit: & substantia, ideo receptione accidẽtiũ mutatur, quia medijs accidẽtibus perficitur in ordine ad suas operationes. Cum ergo nihil horum Verbo ab humanitate præstetur, fit consequens, vt quamvis intrinsecè humanitate afficiatur; per illam tamen intrinsecè nõ mutetur. Ex qua doctrina ad rationem dubitandi respondent, distinguẽdo maiorem: mutatio est transitus de non esse ad esse intrinsecè perficiens quoad esse subiecto intrinsecum, vel quoad operari propriũ subiecto, concedunt maiorem: ad esse non perficiẽs aliquo ex prædictis modis, negant maiorem, & sub eadem distinctione minoris, negant consequentiã. Ita Fr. Franciscus Amicus *disput. 1. de Incarnatione sect. 1.* Quam solutionẽ post ipsum dedit Magister Prudentius *tract. 1. de Incarnat. disput. 1. dub. vnic. sect. 1. n. 24.* illam cum communi solutione Thomistarum confundens.

Franciſc. Amicꝰ. M. Prudentius.

22. *Falsò cũdoctrina Thomistarũ confunditur.*

Sed non placet hæc solutio: & in primis falsò cum illa, quæ Thomistis est communis, *infra* à Nobis explicãda confunditur, nam solutio Thomistarum indè excludit mutationem à Verbo ex vnione cũ humanitate, quia respectu humanitatis non est in potẽtia receptiua, nec illi vt subiectũ vnitur, sed tantum vt intrinsecus terminus; solutio autem Recentiorum non ex hoc principio, sed ex alio mutationem excludit à Verbo, illudq; immutatũ per Incarnationẽ defendit, quia, scilicet, per humanitatem receptam non perficitur intrinsecè, quoad esse, aut quoad operari: ergo sine fundamẽto vna cum alia cõfunditur. Et reijcitur primò: vt enim *proximè* dicebamus secundum modum dicendi impugnantes, latius patet intrinsecè mutari, quam intrinsecè perfici: ergo ex eo, quòd Verbum per humanitatem receptam non perficiatur intrinsece quoad esse, aut quoad operari, malè probatur, quòd non mutetur intrinsecè, semel concessa intrinseca receptione humanitatis in Verbo.

Reijcitur primò.

Deindè, nam si Verbum de nouo intellectioni creatæ vniretur vt subiectum, & per illam intelligeret, intrinsece mutaretur, quod nullus, quem viderim, negat; & tamen per intellectionem creatam, non perficeretur intrinsece in sensu traditæ solutionis: ergo ex eo, quòd in eo sensu per humanitatem non perficiatur, perperam infertur intrinsecè non mutari per illam. Probatur minor: Verbum per humanitatem non perfici intrinsece quoad esse, aut quoad operari iuxta sensum traditæ solutionis cõsistit in eo, quòd Verbum æquè benè existeret sine humanitate, ac cum illa, & proprias operationes, videlicet, inbreatas, quæ tantũ sunt illi propriæ, æquè benè haberet, vel exerceret separatũ ab humanitate, atq; cũ illa cõiunctum; sed totum hoc verũ esset loquẽdo de intellectione creata, licet Verbũ illi vniretur, & subijceretur intrinsece: non enim ratione illius melius existeret Verbũ in suo esse increato, nec melius intelligeret, aut vellet intellectione, aut volitione increatis: ergo per illã nõ perficeretur intrinsece in sensu traditæ solutionis.

23. *Secũdò.*

Præterea reijcitur: nã dato, quòd Verbum intrinsecè in se ipso recipiat humanitatem, vt verum illius subiectum, saluatur in transitu Verbi de non esse hominis ad esse hominis integra diffinitio mutationis intrinsecæ: ergo, hoc admisso, mutaretur intrinse

24. *Tertiò.*

cè Verbum, esto non perficeretur intrinsecè in suo esse increato, aut in suis proprijs operationibus. Consequentia tenet; antecedens autem probatur, tùm tranitus ille esset transitus entis existentis in potentia secundum quod in potentia passiua, & receptiua formæ; sed hæc est mutationis diffinitio: ergo in prædicto transitu saluatur integra, & adæquata diffinitio mutationis, admisso, quòd Verbum, vt verum subiectum in se humanitatem recipiat, quamvis non perficiatur per illam, nec in suo esse increato, nec in suis operationibus.

25. *Vltimò.* Denique reijcitur: non enim stat, Verbum esse humanitatis subiectum, illam in se ipso recipiens, & per humanitatem non perfici intrinsecè: ergo, esto necessariũ sit ad intrinsecam mutationem, quòd subiectum intrinsecè perficiatur, admisso, quòd Verbum in se humanitatem recipiat, non pòtest defendi, quòd per illam intrinsecè non mutetur. Probatur antecedens primò, nam potentia perficitur per actũ, nisi actus sit dissonus, & disconueniens subiecto, sed Verbum supponitur in potentia passiua, & receptiua respectu humanitatis, & aliàs humanitas dissona Verbo nõ est, nec disconueniens Verbo esse potest, cum iuxta communem Theologorũ doctrinam cum D. Thoma *præcedent. q. art.* 1. Incarnatio fuerit Verbo conueniens, quod verum esse, non posset, si esset illi disconueniens humanitas: ergo non stat, quòd Verbum sit humanitatis subiectum illam in se ipso recipiens, & quòd per humanitatem non perficiatur. Secundò probatur antecedens; non enim concipi potest, subiectum in se ipso intrinsecè recipere perfectionem, & intrinsecè nõ perfici: sicut nec potest concipi, subiectũ aliquod recipere humanitatem, & per illam hominem non constitui; sed humanitas perfectio est: ergo implicat Verbum humanitatem recipere, & non perfici per illam: sicut implicat, recipere humanitatẽ, & per illam non fieri hominẽ; nõ enim minus est de ratione humanitatis sub ratione perfectionis constituere subiectũ perfectũ, quàm de ratione eiusdem sub ratione humanitatis subiectum illam recipiẽs hominem constituere.

S. Tho.

Ex his reijcienda venit aliorum Recentiorũ solutio, qui admittentes in Verbo ex vi Incarnationis innouationẽ intrinsecã, Verbumq; per vnionem ad humanitatẽ esse intrinsecè innouatũ, negant fuisse mutatũ intrinsecè, eo quòd ad intrinsecã mutationẽ non sufficit, quæuis intrinseca alietas, aut quæcũq; nouæ formæ acquisitio, sed requiritur acquisitio intrinseca formæ, quæ cõmodũ, vel incõmodũ afferat subiecto, & rationi cuius, vel incrementũ recipiat in suo intrinseco esse, vel detrimentũ, aut diminutionẽ patiatur: & quia ex vnione ad humanitatẽ nullum cõmodũ, aut incremẽtũ in suo esse intrinseco Verbum suscepit, nullumq; incõmodum, aut detrimentum sustinuit, fit consequens, vt quamvis per talem vnionem aliter intrinsecè se habuerit in se ipso, ideoque innouatum intrinsecè fuerit; non tamen fuerit mutatum intrinsecè. Ita Martinon *disput. 1. de Incarnatione, sectione 4. à num. 35.*

26. *Quarta solutio refertur.*

Martinon.

Quæ doctrina ex dictis relinquitur impugnata, & in primis id, quod asserit, Verbum per Incarnationem fuisse intrinsecè innouatum, neutiquã est sustinendum: tùm, quia catholicis auribus æquè malè sonat Verbum innouatum, ac Verbum mutatum: cum ergo Verbum esse intrinsecè mutatũ asserendum non sit, nec catholicè asseri possit, consequenter asserendum non est, Verbũ fuisse intrinsecè innouatũ. Tùm etiam, nã quod supra alietatẽ, & transitum de non esse ad esse superadditur à Theologis, vt in alietate, & transitu ratio mutationis consistat, ex cuius nõ conuenientia intrinseca mutatio excludatur à Verbo, superaddi etiam potest, vt in transitu de non esse ad esse, & in alietate saluetur ratio innouationis intrinsecæ; ac proindè ex illius non cõuenientia innouatio intrinseca à Verbo excludatur: ergo absque necessitate admittitur intrinseca Verbi innouatio.

27. *Verbum non fuit innouatum intrinsecè.*

Tùm denique, nam subiectum intrinsecè innouari per formam est no-

nam formam dantem novum esse intrinsecum in seipsò recipere; sed hoc ipsum est mutari: ergo vel negandum est, Verbum fuisse innouatum intrinsecè; & hæc nouitas vitanda, vel asserendum fuisse intrinsecè mutatum, & intrinseca mutatio admittenda.

28. *Reiicitur primo.* Deindè doctrina solutionis reijcitur primò, nã transitus subiectivus de non esse ad esse formæ afficiẽtis intrinsecè est actus entis existentis in potentia secũdum quod in potẽtia, subiectum namque intrinsecè formam recipiens ad illam in potentia receptiua supponitur, aliàs formam nõ posset recipere: ergo quamvis forma intrinsecè in subiecto recepta, illudque subiectiuè intrinsecè afficiens, nec cõmodum, nec incõmodum afferat, nec augmentum, nec diminutionem inducat, transitus de non esse ad esse illius est intrinseca mutatio, quandoquidẽ in tali transitu integra diffinitio intrinsecæ mutationis saluatur, & cõsequẽtèr, si Verbum per Incarnationẽ intrinsecè in seipso humanitatem recepit, vel vnionem cum humanitate, quamvis ex tali receptione nullũ cõmodum, vel incõmodum senserit, nec augmentum, aut diminutionẽ, fuit intrinsecè per Incarnationem mutatum.

29. *Secundò ex dictis reijcitur* Secundò ex dictis contra eandem solutionẽ arguitur: si namq; Verbum immediatè intrinsecè vniretur cũ intellectione creata, illamque in seipso reciperet, vt verum illius subiectum, absq; dubio mutaretur intrinsecè; & tamen intellectio creata nullum commodum, vel incõmodum, augmentũ, vel diminutionem in Verbo induceret quoad esse illius intrinsecum, nec quoad increatas operationes: ergo, si humanitatẽ subiectiuè reciperet, vel vnionem cum humanitate, quamvis ab illa nec commodum, nec incõmodum sentiret, nec augmentum susciperet, nec diminutionem aliquam intrinsecam pateretur, intrinsecè fuisset per Incarnationem mutatum.

30. *Arguit* Nec quæ pro se Recentiores adducunt ad fundandam innouationem intrinsecam in Verbo per Incarnationem inductam alicuius ponderis sunt. *primò Recẽtiores.* Arguunt primò ex illo Hierem. 31. *cap.* *Novum creauit Dominus super terram, fœmina circumdabit virum*; quod ferè omnes Ecclesiæ PP. referunt ad Incarnationis mysterium; sed hæc nouitas ad vtramque pertinet naturam, humanam, nempè, & diuinam: sicut enim novum fuit homini, fieri Deum: ita novum fuit Deo, hominem fieri. & sicut natura humana nouo, & antea inusitato modo, se habuit, quando fuit vnita Verbo: ita Verbum nouo, & antea inusitato modo, se habuit, quando vnitum fuit intrinsecè humanitati: ergo admittenda est innouatio intrinseca in Verbo. *Hierem. cap. 31.*

31. *Secũdò.* Secundò ex eo, quòd canit Ecclesia in Octaua Natiuitatis: *Mirabile mysterium declaratur hodiè innouantur natura, Deus homo factus est, id, quod fuit, permansit, & quod non erat, assumpsit, non commixtionem passus est, neque diuisionem*: vtraque ergo natura, humana, nempè, & diuina fuit per Incarnationem innouata. Ac denique, nam omnes Theologi admittunt, Verbum per Incarnationem aliter, & nouo modo se habuisse, tametsi mutatum non fuerit: ergo omnes tenentur nouationem admittere in Verbo absque intrinseca mutatione; nouatio enim vidensest, atque alietas, & nouitas in modo se habendi, & consequentèr, alietate, & nouitate in modo se habendi admissis, non potest innouatio negari.

Tertiò.

32. *Primũ argumẽtum non obstat.* Hæc tamen leuia sunt ad modum illum loquendi introducendũ, & probandum, Verbum per Incarnationem fuisse innouatum intrinsecè. Primum nullatenus vrget; nã ex eo, quòd Deus novum, & nouissimum in terra creauerit, & hoc de mysterio Incarnationis Patres acceperint: vndè infertur in vtroque nouitas intrinseca? Fatemur, novum fuisse nouitate intrinseca humanitati, non autem nouitate intrinseca Verbo: sicut ex eo, quòd novum illud fuerit creatum, non sequitur, Verbum creatum fuisse, nec est eadem ratio de Verbo, ac de humanitate; hæc namque mutata fuit per

assump-

assumptionem à Verbo; Verbum autem non est mutatum intrinsecè per vnionem cum humanitate: ergo id ipsum est de innouatione dicendum fuisse quidē humanitati intrinsecam, non autem fuisse intrinsecam Verbo.

33. *Nec secūdum.*

Nec magis vrget secundum; ex eo namque, quod canat Ecclesia, innouatas esse naturas, & hoc de humana, & diuina natura accipiatur, non sequitur, vtramque esse eodem modo innouatam, vt Recentiores ipsi tenentur fateri, cum ex parte humanitatis nouitatem illam intrinsecè immutantem constituant, nō autem ex parte Verbi, in quo, etsi nouitatem agnoscant, mutationem non admittūt: ergo pariter, quamvis humanitas sit intrinsecè innouata, ex parte diuinitatis innouatio intrinseca admittenda non est.

Nec tertium.

Nec denique tertium vrget: alietas namque, quam ex parte Verbi omnes Theologi fatentur, non subiectiua, sed purè terminatiua est: & similiter nouitas in modo se habendi, quam Theologi recognoscunt in Verbo, non est subiectiua, sed purè terminatiua; quæ sicut ad intrinsecam mutationem non sufficit, ita nec ad innouationem intrinsecam sufficiens debet censeri.

§. III.

Examinantur alij modi dicendi.

34. *Sententia Cardinalis de Lugo refertur.*

CARDINALIS DE LVGO *disput. 11. de Incarnatione sect. 7. num. 75.* postquam varios modos dicendi circa præsentem difficultatem recensuerat, & reiecerat, vt proprium explicet, notat primò, vnionem veram, & propriam esse id, ratione cuius aliqua extrema alligantur, vt ex illis resultet aliquod per se vnum. Notat secundò, non esse idem vniri intrinsecè vnum extremum cum alio, ac recipere, seu affici: vniri namque ex suo conceptu solum dicit, alligari ad aliud extremum, vt ex illis resultet aliquod vnum per se; recipere autem, & affici, vltra hoc addit, completi, & integrari per aduentum alicuius complemēti superadditi: vndè quod recipit in se aliquid, supponitur incompletum, & aliquomodò vacuum vacuitate, quā repleat, & incompletione, quam auferat id, quod de nouo recipitur.

35.

Quibus suppositis asserit, Verbū verè, & realitèr fuisse humanitati vnitum: cū ex Verbo, & humanitate vnū per se resultauerit; non tamen esse subiectum vnionis cum humanitate, sed tantum illius terminus, eo quòd Verbum ad vnionē cum humanitate nullatenus vacuum, sed vndequaque cōpletum supponitur: nam incōpletio, & vacuitas imperfectionē importāt, & consequentèr Verbo repugnant: vndè non fuit aliquo modo completum ex vnione cū humanitate, ideoq; illius subiectum non fuit; humanitas autem, quia ad vnionem cum Verbo incompleta supponebatur, per vnionem fuit completa, & illam in se recepit, ideoque humanitas per Incarnationem fuit intrinsecè mutata; Verbū autem intrinsecè mutatum non fuit: ad mutationem enim requiritur esse mutationis subiectum, & termini per illam causati formalitèr immutantis.

36. *An Verbū dicatur extrinsecè, vel intrinsecè humanitati vnitum.*

An autem Verbum dicatur intrinsecè, an verò extrinsecè humanitati vnitum, ait, quæstionem esse de nomine, & solum de modo loquendi, dummodò constet contra Nestorium de re, nempè, fuisse vnitum humanitati physicè, & substantialitèr, non autem accidentalitèr, aut per affectū, refertque duos modos dicendi: primum asserentem, Verbum extrinsecè denominari ab vnione, pro quo citat Lorcam *disput. 15. de Incarnatione num. 4.* Bonaventuram, & alios: secundum asserentem, esse intrinsecam Verbo denominationē vniti ad humanitatem, pro quo refert Suarez *disputatione 8. de Incarnatione sect. 4.* & quia modum istum loquendi communitèr Recentiores sequuntur, ait, loquendum esse cum illis.

37. *Verbum nō poteſt dici vnitum extrinſecè humanitati.*

Sequeretur Verbum nō eſſe eiuſdē rationis nobiſcum.

In iſtius Auctoris doctrina diſplicet primò id, quod ait, poſſe Verbum dici ſolum extrinſecè humanitati vnitum, nam ex hoc ſequeretur, Verbum extrinſeca tantum denominatione eſſe hominem: conſequens eſt falſum: ergo falſum etiam eſt, quòd ſit extrinſecè vnitum humanitati. Sequela patet; nam à forma extrinſecè tantum alicui ſubiecto vnita non poteſt in illo conſurgere, denominatio intrinſeca: ergo, ſi Verbum ſolum extrinſecè eſt vnitum humanitati, non intrinſecè, ſed extrinſecè eſt homo; falſitas autem conſequentis probatur: nam ſi Verbum nō eſſet intrinſecè homo, ſequeretur, non eſſe hominem eiuſdē rationis cum alijs hominibus: conſequēs abſurdum eſt: ergo Verbum nō extrinſecè, ſed intrinſecè eſt homo. Minor cum cōſequentia tenet; ſequela autē probatur: vt enim aliqua ſint eiuſdem rationis in concreto præſtito à forma, non ſufficit convenientia in forma, ſed inſuper eſt neceſſaria conuenientia in modo habendi formam penès extrinſecè, vel intrinſecè illam habere, vt conſtat in ſano, quod nō eſt eiuſdem rationis in vrina, medicina, & animali, eo quòd licet eadem ſit forma omnia illa denominans, ſolum tamen in animali reperitur intrinſecè; in vrina autem, & in medicina per denominationem extrinſecam; quia, nēpè, medicina cauſat ſanitatē, & vrina illam ſignificat; ſed ali; homines non extrinſecè, ſed intrinſecè habēt humanitatē, homoq; de illis denominatiuè intrinſecè dicitur: ergo, ſi extrinſecè prædicatur de Verbo, eſſe hominem, quamvis forma Verbum, & alios homines denominans ſit eadem, Verbū non erit homo eiuſdem rationis cum alijs hominibus.

38. *Subiectū recipere non cōſiſtit in cōpleri.*

Diſplicet ſecundò id, quod aſſerit, recipere conſtitui per hoc, quòd eſt integrari, & cōpleri per formam: cuius falſitas probatur; non enim ſolum materia per formam cōpletur, ſed etiam forma completur per materiam, cum ſine illa, ſaltim cōnaturaliter, nequeat exiſtere; & tamen forma non recipit materiam: ergo ſubiectū recipere formam, non cōſiſtit in hoc, quòd eſt integrari, & compleri. Humanitas etiā per ſubſiſtentiam Verbi completur; & tamen non recipit illam: repugnat enim ſubſiſtentiæ Verbi non minus in aliquo recipi, quā phyſicè aliquid informare: ergo idem quod prius. Nec ſufficit reſpondere, formam, etſi non recipiat materiam; recipere tamen vnionē, qua vnitur materiæ, & per talē vnionem compleri, idemque in humanitate contingere, quòd, nempè, etſi ſubſiſtentiam Verbi non recipiat; recipit tamen vnionē, qua Verbi ſubſiſtentiæ vnitur, & per hanc vnionem completur. Non, inquam, ſufficit, nam forma, nō ſolum completur per vnionem cum materia, ſed etiam per materiam cōpletur tanquam per cōpartē, ex qua ſimul cum forma reſultat compoſitum, & humanitas, nō ſolum completur per vnionem cū Verbo, ſed etiam, & potiſsimè, per ipſam Verbi ſubſiſtentiam integratur, & cōpletur; & tamen quamvis forma in ſe vnionem cum materia recipiat; materiam tamē non recipit, & quamvis humanitas recipiat vnionē cum Verbo, non tamē recipit ſubſiſtētiam Verbi: ergo recipere nō cōſiſtit in hoc, quòd eſt integrari, & compleri.

Si reſpō deatur.

Contra.

Denique diſplicet in eo, quod aſſerit, ideò Verbum non eſſe ſubiectum vnionis cum humanitate, quia incōpletum ad illam non præſupponitur, primò; quia falſum eſt, quod ſupponit, nempè, Verbum ſubiectum vnionis cum humanitate nōn eſſe, cuius falſitas *ex dictis diſput.* 11. cōſtat. Deinde, nam etſi Verbum in ſuo eſſe ſuppo natur completum ad vnionem cum humanitate; non tamen ad illam ſupponitur completum in eſſe hominis, cum nec homo ſupponatur, ſed vt eſſet ſubiectum humanitatis hoc incomplementum, vel huius complementi negatio ſufficeret, ſi ex alio capite non repugnaret: ergo ex defectu incōpletionis ſuppoſitæ perperam infertur ſubiectum vnionis cum humanitate non eſſe.

39. *Nō ideò Verbum humanitatē non recipit, quia in cōpletū non ſupponitur.*

Probatur minor: etſi ſubſtantia ſupponatur per exiſtentiam, & ſubſiſtentiam completa in linea ſubſtātiæ; quia tamen in linea accidentis non ſuppo-

nitur

nitur c ōpleta, potest esse, & est de facto subiectum accidentia recipiens: ergo Verbum non supponi cōpletum in esse hominis, quamvis in proprio esse supponatur omninò cōpletum, sufficeret, si ex alio capite non repugnaret, vt subiectum esset vnionis cum humanitate.

40. *Vltima solutio refertur*

Tandem alij Recentiores, quos sine nomine refert Cardinalis de Lugo vbi *supra sect. 6. num. 71.* indè excludunt intrinsecam mutationē à Verbo in ipso per Incarnationē inductā, quia licet sit subiectum adhæsionis vnionis humanitatis ad ipsum; non tamen est subiectum sustentationis illius, quod ad mutationē requiritur, nēpè, habere in se, ideſt, sustentare aliquid à se distinctū, quod antea non sustentabat. Humanitas ergo per assumptionē mutatur; quia vnionē in se sustentat; Verbum autem non mutatur per Incarnationem, quia licet sit subiectum vnionis; non tamen sustentat illam. Hunc etiam modum dicendi cum communi Thomistarum sententia, quam §. *seq.* explicabimus, confundit Magister Prudentius vbi *supra num. 31. & seqq.*

41. *Reiicitur primò à Lugo.*

Quem reijcit Lugo, & benè, hac efficaci ratione: etenim materia prima, non solum mutatur per formas materiales, quas sustentat, causatque in genere causæ materialis, sed etiam mutatur per animam rationalē; & tamen animam rationalē non sustentat vt subiectum, nec illam materialitèr causat, cū per se subsistens sit, & à materia independens, ideoque ab intrinseco incorruptibilis: ergo, vt subiectū mutetur per aliquam formam, nō petitur, quòd sit subiectum sustentationis illius, & consequentèr si Verbum est humanitatis subiectum, & vnionis humanitatis cum ipso, quamvis nec vnionem, nec humanitatem sustentet, verè, & realitèr ex vnione cum humanitate mutatur.

42. *Si respōdeatur.*

Nec sufficit respondere, materiam ideo mutari per animam rationalem, quia licet illam quoad substantiam nō sustentet; sustentat tamen vnionē animæ rationalis cum ipsa; Verbum autem nec humanitatem, nec vnionem humanitatis cū ipso sustentat, & ideo per Incarnationē non mutatur intrinsecè. Non, inquam, sufficit; nō enim solum per vnionem animæ rationalis mutatur materia, sed etiam, & potissimè, per ipsam animā rationalē mutatur; & tamen, licet sustentet vnionē, non tamen sustentat animam rationalē: ergo de conceptu formæ realitèr immutantis non est sustentari à subiecto, quod per illam immutatur, nec de conceptu subiecti vt mutabilis per formam est illius sustentatio. Cōsequētia euidēs est, & antecedens probatur: nam ab eo mutatur materia, à quo realitèr informatur, & à quo perficitur realitèr; sed principalius per entitatem animæ rationalis informatur, & perficitur realitèr, quam per vnionem; hæc namque solum vt conditio ad perficiendum, & informandū concurrit; entitas autem animæ, vt ratio formalis informandi, & perficiendi materiam se habet: ergo principalius per entitatem animæ rationalis, quam per vnionē, mutatur materia.

In cōtrarium arguitur.

43.

Deindè reijcitur: nam subiectum de nouo recipiens formā realitèr mutatur per illam, quamvis formam non sustentet: ergo, si Verbum est humanitatis subiectum, esto non sustentet illam, fuit intrinsecè per Incarnationem mutatum. Consequentia tenet ad hominē cōtra solutionis Auctores; antecedens autem ostenditur primò, nam transitus subiectivus de non esse ad esse formæ intrinsecè in subiecto receptæ habet quidquid ad veram, & realem mutationem requiritur; sed subiectum formam recipiens de nouo, etsi illam non sustentet, transit transitu subiectiuo de non esse ad esse formæ intrinsecè in se receptæ: ergo realitèr mutatur per formam in se receptam, etsi non sustentet illam. Secundò probatur: subiectum namque ideo per formam mutatur, quia perficitur per formā, & actuatur per illam; sed subiectum recipiens, & non sustentans perficitur per formam in se receptam, etsi à se non sustentatam: ergo mutatur per formam, quam in se intrinsecè recipit, etsi non sustentet illam.

44. Tertiò idem antecedens probatur: nam ſubiectum recipiens, & ſuſtentans formam, non mutatur, quia ſuſtentat, ſed quia in ſe recipit formã: ergo ſeclusa ſuſtentatione, & ratione ſubiecti manente, realiter ſubiectum mutatur. Conſequentia eſt euidens, nam manente cauſa, etiam perſeuerat effectus: ergo, ſi cauſa mutationis in ſubiecto non eſt ſuſtentatio formæ, ſed ſola formæ receptio, hac manente, & illa ablata perſeuerabit mutatio. Antecedẽs autem oſtenditur primò; nam cauſa, cur ſubiectum mutatur per formam; non eſt id, quod perfectionis eſt in ſubiecto, ſed id, quod eſt imperfectionis in illo, cum mutatio ſit imperfectio, ſed in ſubiecto recipiẽte, & ſuſtentante formam, ſuſtentare eſt perfectionis, recipere autem imperfectionis eſt: ergo, quòd ſubiectum per formam mutetur, non eſt, quia ſuſtentet formam, ſed quia illam in ſe recipiat. Secundò, nam ſubiectum eatenus mutatur per formam, quatenus ab illa recipit intrinſecum eſſe de nouo, quod ex ipſis terminis conſtat; ſed ſubiectum prout ſuſtentans, non recipit, ſed dat eſſe, nam ſuſtẽtare eſt cauſare; cauſare autem, in quantum tale formaliter, non conſiſtit in accipere, ſed exprimit dare eſſe: ergo ſubiectũ ſuſtentans, & recipiens formam, non mutatur, quia ſuſtentat, ſed quia recipit intrinſecè formam, & eſſe, quod à forma præſtatur, & conſequenter, ſi Verbum eſt ſubiectum in ſe humanitatem recipiens, quamvis illam non ſuſtentet, fuit intrinſecè mutatum, quando per Incarnationem de nõ eſſe hominis tranſiuit ad eſſe hominis.

45. *Reſpondebis.* Si fortè dicatur, Verbum nec eſſe ſubiectum ſuſtentans humanitatem, nec illam in ſe recipiens, ſed ſolum eſſe ſubiectum purè adhæſionis, vt autem fuiſſet per humanitatem mutatũ deberet eſſe ſubiectum humanitatem recipiens, vel ſaltim vnionem humanitatis cum ipſo. *In cõtrarium obſtat primò.* In contrarium obſtat primò, quòd, negata à Verbo ſuſtẽtatione humanitatis, & etiam receptione illius, vel ſaltim vnionis humanitatis, non manet in Verbo aliqua ratio ſubiecti, ſed ſolum termini intrinſecè complentis humanitatem: ergo non defenditur, eſſe verè, & realiter ſubiectum humanitatis, vel vnionis eius ad Verbum, quod modus dicẽdi, quẽ impugnamus, tuetur. Probatur antecedens, nam adæquata ratio ſubiecti, prout à termino diſtinguitur, vel in ſuſtentatione, vel in receptione formæ, vel in vtraque conſiſtit: ergo, vtraque à Verbo excluſa, non manet in illo aliqua vera ratio ſubiecti. *Secũdò.* Secũdò, nam ratio ſubiecti reſpectu alicuius formæ, ſine illius receptione neutiquam poteſt ſubſiſtere: ergo, ſi Verbum verè fuit humanitatis ſubiectũ, verè illam in ſe ipſo recepit. Probatur antecedens; Deus namque in Euchariſtia accidẽtia ſuſtentat; & tamẽ, quia illa non recipit, rationem ſubiecti reſpectu accidentium non habet: ergo ſine receptione non poteſt ratio ſubiecti ſaluari. *Tertiò.* Tertiò, ad hoc enim Verbum ſubiectum humanitatis adſtruitur à prædictis Auctoribus, vt ab illa eſſe hominem recipiat; ſed recipere ab humanitate eſſe hominem, vt humanitatis ſubiectum nõ ſtat ſine illius receptione: ergo faciũt Verbum ſubiectum humanitatem recipiens.

46. *Deniq; principalis ſolutio reijcitur.* Denique principalis ſolutio reijcitur: Verbũ namq; humanitatẽ ſuſtẽtat: ergo, ſi eſt illi ſubiectũ, nõ poteſt negari, quòd reſpectu humanitatis ſit ſubiectum ſuſtentationis. Conſequẽtia tenet; antecedens autem conſtat primò, nam Verbum humanitatem complet ſuppliendo vices ſubſiſtentiæ creatæ propriam complentis naturã, & etiam terminat dependentiam illius: ergo humanitatem ſuſtentat. Secundò, nam humanitas ſubſiſtit in Verbo; ſed quæcumque natura creata ſuſtentatur à ſuppoſito, in quo ſubſiſtit: ergo humanitas ſuſtentatur à Verbo. Denique, nam in hoc, quod eſt purè ſuſtentare humanitatẽ ſine eductione humanitatis à Verbo, & ſine eo, quòd Verbum humanitatem recipiat, nulla imperfectio importatur: ergo aſſerendum eſt, Verbum ſuſtentare humanitatem, & cum ex alia parte ſupponatur à prædictis Auctoribus, Verbum eſſe humanitatis ſubiectum,

ctum, negare consequenter non possunt rationem subiecti sustentationis respectu humanitatis sortiri.

47. *Respondetur posse aliter rationi dubitandi. Durand.*

Ex hac vltima impugnatione videbitur forsan alicui, posse rationi dubitandi aliter occurri, videlicet asserendo, Verbum respectu humanitatis esse subiectū sustentationis; quia tamen illam non recipit, ideo per Incarnationem, & humanitatē assumptam non mutatur, quod insinuasse videtur Durandus *in 3. dist. 1. q. 1. num. 10.* vbi ex eo probat, non repugnare Deo vniri naturæ creatæ, quia quidquid perfectionis est in creaturis, est Deo, seclusa omni imperfectione attribuendū; posse autem sustentare, seu substantificare naturā distinctā perfectionis est in substātia creata, quæ accidētia substātificat: quòd verò substātia per accidentia actuetur, & ab illis perficiatur, est in substātia creata imperfectionis, & cōsequenter Deo cōcedendum, posse alienam sustentare, vel substantificare naturam, non autē perfici, vel informari, vel actuari per illam. Quibus verbis videtur Durandus concedere Verbo respectu humanitatis rationem subiecti sustentationis absque imperfectione receptionis illius, vel actuationis ab illa. Et quidem, si Verbo esset aliqua ratio subiecti respectu humanitatis tribuenda, melius diceretur subiectum sustentationis, quam subiectum receptionis, aut solius adhæsionis.

48. *Impugnatur hæc solutio.*

Cæterum nec subiectum sustentationis respectu humanitatis, Verbum asserendum est, nec respectu vnionis humanitatis cum ipso: etenim ad rationem subiecti non sufficit sola sustētatio formæ, sine receptione illius; Deus namq; vt proximè dicebamus, accidentia in Eucharistia sustentat; & tamen, quia accidentia non recipit, non potest dici esse subiectum illorū: forma etiam materiam sustentat, cū materia sine forma, saltim connatura liter, nequeat existere, & consequenter ab illa in existendo dependeat, in quo ratio sustentationis consistit; & tamen forma subiectum materiæ non dicitur, quia illam in se nō recipit; sed Verbum non recepit in se humanitatem, aliàs fuisset intrinsecè mutatum per illam, vt probatum relinquitur: ergo, quamvis humanitatem sustentet, aut substantificet; dicendum tamen non est subiectum sustētativum humanitatis, nec illius vnionis cum ipso.

§. IV.

Traditur, & defenditur vera rationis dubitandi solutio.

49. *Vera sententia.*

His igitur modis dicendi reiectis vera solutio rationis dubitandi est, ideo Verbum per Incarnationem intrinsecè mutatum non esse; quia non est humanitatis subiectum, nec vnionis realiter ab illo distinctæ, sed purè intrinsecus termin⁹, nec fuit factum homo ratione potentiæ passiuæ recipiendo in se humanitatem, aut aliquid à se ipso distinctum, sed solum ratione terminationis, terminando, scilicet, & personando humanitatem assumptam: vt autem Verbum per Incarnationē intrinsecè mutaretur, necessum erat, quòd fieret humanitatis subiectum, illam intrinsecè in se recipiendo ratione potentiæ passiuæ, aut receptiuæ, eo quòd mutatio est actus entis existentis in potentia secundum quod in potentia, ac proindè, vt aliquid mutetur intrinsecè, requiritur, quòd intrinsecè recipiat terminum per mutationem productum. Quæ solutio sumitur ex D. Thoma *in 3. dist. 1. q. 1. art. 1. ad 1. & 2. argum.* & in *hac 3. part. infra q. 16. art. 1. ad 4. & art. 6. ad 2.* illis verbis: *Esse autem hominem conuenit Deo ratione vnionis, quæ est relatio quædam; & ideo esse hominē prædicatur de nouo de Deo absque eius mutatione per mutationem humanæ naturæ, quæ assumitur in diuinam personam, & ideò, cum dicitur, Deus factus est homo, non intelligitur aliqua mutatio ex parte Dei, sed solum ex parte humanæ naturæ.* Hæc D. Thomas, cuius verba S. Tho.

in

in ſenſu traditæ ſolutionis accepit, & explicuit Caietanus *art. 6. citat. circa ſoluit. ad 2. & art. 1. circa ſolutionē ad 4.* Quibus in locis noſtram ſolutionē dedit. Illum ſequitur Medina *q. 2. proœmial. ad 2. & 3. argum.* & communiter Recentiores Thomiſtæ, Aluarez *diſput. 2.* Nazarius *ſupra q. 1. art. 1. controuerſ. 4. notabil. 5.* Illuſtriſsimus Araujo *dub. 1.* Zippullus *dub. 2. §. 4.* & Prudentius *dubio vnic. ſect. 1.* ſolutionem iſtam cū alijs à Nobis impugnatis confundens. Eundem modum dicendi ſequuntur ex Diſcipulis Scoti Radda *de Incarnatione controv. 1. art. 2.* Caſtillo *diſput. 1. q. 2.* & Delgadillo *cap. 1. difficult. 1.* Tenent etiam ex Patribus Societatis Suarez *tom. 1. in 3. p. diſput. 8. ſectione 4.* Becanus *de Incarnatione cap. 1. q. 1. num. 6.* Granadus *controverſ. 1. de Incarnatione diſput. 2. num. 7.* Hurtado Complutenſis *diſp. 1. difficult. 1. num. 4.* & nouiſsimè Arriaga *de Incarnatione diſput. 21. ſect. 4. ſub ſectione 3.*

Caiet. Medin. Aluar. Nazar. Araujo. Zippul. Prudēt. Radda. Caſtillo. Delgad. Suarez. Becan⁹. Grana. Hurt. Compl. Arriag.

50. Et iuxta doctrinam traditam ad rationem dubitandi reſpondeo in forma, diſtinguendo, vel explicando maiorem: mutatio eſt tranſitus ſubiectivus de non eſſe ad eſſe intrinſecum intrinſecè in ſubiecto receptum ratione potentiæ paſsiuæ, concedo maiorem: tranſitus terminativus de non eſſe ad eſſe intrinſecum non intrinſecè receptum, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego cōſequentiam; Verbum enim non fuit factum homo ratione potentiæ paſsiuæ recipiendo in ſe humanitatem, vel aliquid realiter à ſe ipſo diſtinctum, ſed ſolum ratione terminationis terminando, & perſonando humanitatem, & ideò tranſitus Verbi de nō eſſe ad eſſe in tempore hominem intrinſeca mutatio non fuit. Et ex his ad eandem rationem dubitandi, prout ſecundo modo proponitur, conceſſa maiori, nego minorem: licet enim Verbum factum fuerit intrinſecè homo, quod ante Incarnationem non erat; quia tamen non fuit factum homo ratione potentiæ paſsiuæ recipiendo in ſe humanitatem, ſed illam terminando, & perſonando abſque vlla potentialitate, ideò non ſe habuit aliter intrinſecè in ſe: vt enim aliter in ſe ſe haberet, deberet formam alietatem dantem in ſe ipſo recipere; ac proindè, cum humanitatem in ſe non receperit, non ſe habuit in ſe aliter intrinſecè poſt Incarnationem, ac antea.

Reſpondetur in forma.

51. Ex quibus ad primam confirmationem, conceſſa maiori, nego minorem; licet namque Verbum homo, ſit aliud à Verbo ſecundum ſe; quia tamen hæc alietas non fuit in Verbo recepta, ſicut nec humanitas, quæ iſtā alietatē præſtat, in Verbo recepta fuit, fit conſequens, vt in Verbo poſt Incarnationem non ſit intrinſeca alietas à ſe ipſo, prout Incarnationem præceſſit. Ad ſecundam confirmationem, prætermiſſa maiori de mutatione abſtrahente ab intrinſeca, & extrinſeca, nego minorem; ad illius probationē, diſtinguo maiorem: mutatio extrinſeca prouenit à forma extrinſeca ſubiectiuè, ideſt, ſubiectiuè non intrinſeca, concedo maiorem: à forma extrinſeca, etiam terminatiuè, nego maiorē, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam; nam licet humanitas ſit Verbo terminatiuè intrinſeca, hoc eſt, coniuncta cum illo tanquam cum intrinſeco termino; non tamen inhæret Verbo, nec illud phyſicè informat, nec eſt in illo tanquam in ſubiecto inhæſionis, vel informationis intrinſecæ, ac proindè eſt ſubiectiuè extrinſeca Verbo, nam formam eſſe alicui extrinſecam ſubiectiuè, eſt, non eſſe in illo vt in ſubiecto inhæſionis, vel informationis intrinſecæ, nec in illo intrinſecè recipi; ideoque humanitas non induxit in Verbo intrinſecam mutationē, ſed tantum extrinſecam: vndè D. Thomas verbis *num. 49.* relatis rectè docuit, Verbum factum fuiſſe hominem, non per ſui mutationem, ſed per mutationem humanitatis, quod idem eſt, ac docere, mutationem, quæ in Incarnatione interceſsit, extrinſecam fuiſſe Verbo.

Ad primam cōfirmationem.

Ad ſecūdam.

S. Tho.

52. Contra hanc reſolutionem plura obſtant, & quidem non leuia argumēta. Primò arguitur: nam ſi Angelus poſſet naturæ creatæ perſonaliter vniri, eiq; vniretur de facto, intrinſecè

Contra hāc reſolutionē arguitur 1.

muta-

mutaretur; & tamen non ſubiectiuè, ſed terminatiuè tantùm ad talem naturam ſe haberet: ergo, quòd Verbū ſit factum homo, non recipiendo in ſe humanitatem, ſed ſolum illam terminãdo, nõ tollit, quo minus ſit intrinſecè per Incarnationem mutatum. Secundò, nam ſi perſonalitas creata produceretur ſeparata à propria natura, & poſtea cum illa vniretur, mutaretur intrinſecè; & tamen perſonalitas creata non eſt ſubiectum propriæ naturæ, ſed tantum illius terminus: ergo nouitas formæ non intrinſecè receptæ, ſed tantum intrinſecè terminatæ ſufficit ad inducendam intrinſecam mutationem.

Secũdò.

Tertiò, nam Verbum non ſolum eſt terminus humanitatis, ſed etiã eſt verum ſubiectum illius: ergo acquirẽdo humanitatem de nouo fuit intrinſecè mutatum. Conſequentia tenet ex dictis; antecedens autem oſtenditur primò, nam humanitas dat Verbo eſſe hominem vt realis, & vera forma: ergo informat intrinſecè Verbũ, Verbumque ab illa informatur intrinſecè, & conſequenter intrinſecè in ſe ipſo recipit humanitatem. Secundò probatur: nam habens in ſe formam aliquam eſt talis formæ ſubiectum; ſed Verbum habet in ſe humanitatẽ; eſt enim verè, realiter, & intrinſecè homo, eſſe autem hominem idem eſt, quòd humanitatem habere: ergo Verbum verè, & realiter eſt humanitatis ſubiectum. Tertiò, quia namque perſonalitas creata non eſt ſubiectum naturæ propriæ, ſed tantum illius terminus, falsò de illa prædicatur propria natura in concreto, v.c. hæc eſt falſa propoſitio: *perſonalitas hominis eſt homo*; ſed eſſe hominem verè prædicatur de Verbo; hæc enim propoſitio: *Verbum eſt homo*, eſt catholica: ergo non ſolum eſt terminus humanitatis, ſed etiam illius ſubiectum. Quartò idem antecedens probatur; nam Verbum eſt ſubiectum realis denominationis humanitatis; ſed realis denominatio eſt entitas realis, & realis denominatio humanitatis eſt realis entitas humanitatis: ergo eſt ſubiectum realitatis humanitatis. Denique probatur; non enim aſsignari poteſt per quid terminus intrinſecus conſtituatur, & diſtinguatur à termino extrinſeco, niſi per rationẽ ſubiecti; ſed Verbum eſt terminus intrinſecus humanitatis: ergo eſt ſubiectum receptivum illius.

53. *Tertiò.*

Tandem arguitur: Verbum ex vi Incarnationis tranſiuit de non vnito intrinſecè humanitati in intrinſecè illi vnitum, cum ante Incarnationem non eſſet intrinſecè vnitum humanitati, poſt Incarnationem autem ſit illi intrinſecè vnitum; ſed tranſitus iſte ſufficit ad mutationem intrinſecam: ergo Verbum per Incarnationem fuit intrinſecè mutatum. Maior cum cõſequentia tenet; minor autem probatur, nam anima rationalis non ſolum mutatur per creationem, per quam fit, ſed etiam mutatur per generationẽ hominis, per quã vnitur materiæ; ſed ex vi generationis anima rationalis non accipit ſuum eſſe, cum generatio illam creatam ſupponat, ſed ſolũ tranſit de non eſſe vnitam materiæ in eſſe vnitam intrinſecè: ergo tranſitus de nõ eſſe vnito ad eſſe vnitum intrinſecè humanitati ſufficit in Verbo ad mutationem intrinſecam: cumque tranſitus iſte negari in Verbo non poſſit, videtur conſequenter dicendum, fuiſſe per Incarnationem mutatum.

54. *Vltimò.*

Hæc tamen argumenta, etſi difficilia ſint, veritatem traditam labefactare non poſſunt; ad primum Magiſter Medina vbi *ſupra*, conceſſo antecedenti, negat conſequentiam, & diſparitatem aſsignat, nam ſi Angelus humanitati vniretur, perficeretur per illam, eoquòd ratione ſui non præhabet in ſe ipſo perfectionem humanitatis, ideoque ex vnione ad humanitatem, & terminatione illius mutaretur intrinſecè; Verbum autem ratione ſui præcontinet omnem perfectionẽ humanitatis, ſecluſis imperfectionibus; vndè per aſsumptionem humanitatis, & vnione ad illam non perficitur, ac per conſequens, non mutatur. Hæc tamen ſolutio non placet; Verbum namque non ſupponitur præcõtinens ratione ſui perfectionẽ humanitatis formaliter, ſed tantùm eminẽter,

55. *Ad primũ reſpondet Medina*

Impugnatur hæc ſolutio.

tèr; per Incarnationem autem fit homo formalitèr; sed hoc sufficit ad realem, & intrinsecam mutationem, nisi aliundè repugnantia sumatur, vt §. 1. contra Valentiam monstrauimus: ergo ex assignata ratione discriminis nō defenditur benè, mutandum esse intrinsecè Angelū, si humanitati vniretur; Verbum autem per Incarnationem non mutari.

56. *Secundo respōdet Nazarius.*

Secundò respondet Nazarius, negando maiorem, nam si Angelus humanitati vniretur, fieret homo non ratione potentiæ passiuæ, & receptiuæ, sed ratione solius terminationis, nec esset humanitatis subiectum, sed tantum terminus; quod autem purè terminatiuè vnitur, & nullatenus subiectiuè, non perficitur per formam, quam terminat, ac proindè non mutatur per illam intrinsecè. Hæc solutio consequentior est ad principia à Nobis tradita, atque adeò præferenda, nisi vniretur humanitati de nouo per vnionem realitèr ab illo distinctam, & in ipso intrinsecè receptam; tunc enim mutaretur realitèr, non per humanitatem, quam in se non reciperet, sed per modum substantialem vnionis intrinsecè in ipso receptum, cum qua limitatione acceptamus traditam solutionem. Et iuxta hanc doctrinam ad primum argumentum respondeo, distinguendo maiorem: si Angelus vniretur humanitati vnione à se distincta, realitèrque in illo recepta, cōcedo maiorem: si talis vnio excludatur, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam: & ratio discriminis est, nam Verbum fuit factum homo sine vnione ex parte sui realitèr ab illo distincta, & recepta intrinsecè in ipso, cumque aliàs respectu humanitatis solum comparetur, vt terminus, nihil in se intrinsecè per Incarnationem recepit, & ideò intrinsecè mutatum non fuit; Angelus autem in tradita distinctione supponitur recipiens intrinsecè vnionem: vndè, quamvis ad humanitatem terminatiuè tantùm se haberet, respectu tamen vnionis sortiretur rationē subiecti, ac per consequens mutaretur intrinsecè, non quidem per humanitatem terminatam, sed per vnionem receptam. Ratio autem, cur ex parte Angeli, vt vniretur humanitate, adstrui posit realis vnio realitèr ab illo distincta, & intrinsecè in illo recepta, non autem ex parte Verbi, vt vniatur humanitati, constat ex dictis *disputat.* 11.

Limitatur solutio Nazarij, & informa respondetur.

57. *Ad secundā obiectionem triplex solutio refertur.*

Ad secundam obiectionem respōderi solet tripliciter. Primò, concessis maiori, & minori, distinguendo consequens: nouitas formæ, non receptæ, sed terminatæ, complentis tamen, & perficientis terminum, per quem terminatur, concedunt consequentiam: nouitas formæ terminatæ non complentis, nec perficientis terminum, per quem terminatur, negant consequentiam. Itaque personalitas creata intrinsecè mutaretur ex vnione cum natura creata, quia quamvis in se nō reciperet naturam, quam terminaret; compleretur tamen ex vnione ad illam, eo quòd de se est entitas incompleta, & modalis, ac proindè completur ex cōsortio naturæ, quam terminat; Verbum autem non fuit per Incarnationem mutatum; quia nec recepit in se humanitatē, nec fuit ex vnione ad illam completum. Secundò alij respondent, concessis maiori, & minori, negando consequentiam, ob aliam rationem discriminis; quia, nempè, subsistentia creata taliter naturam terminat, quòd in illa intrinsecè recipitur: sicut autem subiectum per receptionem formæ mutatur: ita forma mutatur intrinsecè per hoc, quòd de nouo recipiatur in subiecto: & quia diuinum Verbum, nec recepit in se humanitatem, nec fuit receptum in illa, sed tantum vt purus terminus respectu humanitatis se habuit, ideo intrinsecè mutatum non fuit. Tertiò respondetur ab alijs, negando maiorem: cum enim personalitas creata terminatiuè solum ad naturam comparetur, non potest mutari intrinsecè ex noua vnione cum illa.

58. *Vera solutio tradit ur.*

Sed melius respondetur ex dictis, distinguendo maiorem: si personalitas creata vniretur cum propria natura per vnionem realitèr ab illa distinctam, & intrinsecè in illa receptā,

vt verius censuimus *disp.* 11. concedo maiorem: si vniretur per se ipsam, & non per modum vnionis realiter ab illa distinctum, & intrinsecè in ipsa receptum, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; quia licet personalitas creata respectu naturæ, cui vnitur, solum comparetur vt terminus; respectu tamen vnionis realiter ab illa distinctæ vt subiectum receptivum se haberet, ac per consequens mutaretur intrinsecè, non per naturam, quam de nouo terminaret, sed per vnionem, quam de nouo reciperet. Nec admitto complemẽtum, sine receptione ad intrinsecam mutationẽ sufficere, nec similiter nouam informationem sufficere, vt forma mutetur, si forma de nouo informans nihil de nouo recipiat, ob ea, quæ tradidimus §. 3. sententiam Cardinalis de Lugo impugnantes.

59. *Ad tertiũ argumentũ.* Ad tertium argumentum respondeo, negando antecedens: ad primam probationem, distinguo antecedens; humanitas dat Verbo esse hominem, vt forma totalis, concedo antecedẽs: vt forma partialis, nego antecedens, & consequentiam: nam licet forma partialis substantialis det esse informãdo materiam, forma totalis absque informatione constituit. Quod patet primo, nam ex subsistentia, & humanitate constituitur homo, tanquam ex forma totali; & tamen nullus dixit, humanitatẽ informare subsistentiam: ergo de ratione formæ totalis informatio non est. Secundò, nam humanitas constat ex materia, & forma; materia autem nihil potest informare: ergo humanitas, vt forma totalis hominis nihil informat, ac proindè ex eo, quòd det Verbo esse hominem, non sequitur, quòd Verbũ informet, nec quòd recipiatur in ipso.

60. *Ad secũdam.* Ad secundam probationem, nego maiorem, nam habere formam, abstrahit ab hoc, quòd est habere illã receptiuè, & habere personaliter: habens primo modo est subiectũ formæ habitæ: habens secundo modo, nõ est subiectũ illius, sed terminus, nã habere formam personaliter est in natura subsistere; subsistere autẽ in natura nõ est naturam recipere, sed illam terminare, & complere; Verbum autem non habet humanitatem receptiuè, sed personaliter, & terminatiuè, ad per consequens non est humanitatis subiectum. Et quidem Verbum diuinum, non solum habet humanitatem quoad animam, sed etiam quoad materiam ex qua, & anima, humanitas cõstituitur, alias non esset integrè, & completè homo, nec esset homo eiusdem rationis cum alijs; & tamen materiam non recipit, cum materia in nullo receptibilis sit: ergo habere latius patet, quàm recipere, ac proindè non convertitur habens formã cum subiecto. Ad tertiam probationem, permissa veritate maioris, nego causalem illius, sed ratio est, quia personalitas est abstractum; concretum autẽ in creatis de abstracto nõ prædicatur: vndè hæc est vera *Persona humana est homo*, quia ly *persona* est concretum, *Verbum* autem est nomen concretũ, & ideo esse hominem prædicatur de Verbo, esto non subiectum sit, sed tãtum terminus humanitatis. *Ad tertiam.*

61. *Ad quartam.* Ad quartam, concessa maiori, distinguo minorem: fundamentaliter, concedo minorem; formaliter, nego minorem, & consequentiam; nã licet realis denominatio supèr realem entitatem fundetur; non tamen exprimit realitatem, realitas namque sumitur penès ordinem ad esse, denominatio autem penès ordinem ad prædicationem: vndè subiectum denominationis est illud, de quo potest aliquid prædicari, & quia prædicatio supra conuenientiam fundatur, & potest aliquid alteri conuenire dupliciter, nempè, vt subiecto, & vt termino personanti, & terminanti, fit consequens, vt à subiecto denominationis realis ad subiectũ realis inhæsionis, vel realis informationis, consequentia non teneat, vt constat in Verbo, quod est subiectum denominationis realis operationum humanitatis, & tamen subiectum inhæsionis, vel informationis illarum non est.

62. *Ad vltimam.* Ad vltimam antecedentis probationem, nego maiorem; cũ enim detur subiectum inhæsionis, & subiectũ extrin-

extrinsecæ denominationis, detur etiã forma intrinseca, & forma extrinseca, non potest terminus intrinsecus à termino extrinseco per rationẽ subiecti distingui, sed intra propriam lineam termini datur terminus intrinsecus, & terminus extrinsecus. Ratio autem, cur Verbum non sit terminus extrinsecus, sed intrinsecus humanitatis, est, quia supplet vices subsistentiæ creatæ, quæ non extrinsecè, sed intrinsecè terminaret humanitatem; ratio autem, cur subsistentia creata est terminus intrinsecus naturæ, & non extrinsecus, est; quia non se habet ad illam per modum termini puræ habitudinis, sed per se ipsam immediatè illi coniungitur ad faciendum vnum per se contrapositiuè ad vnum per accidens, & ad vnum vnitate ordinis. Quæ ratio etiam militat in Verbo diuino, vnitur namque per se ipsum humanitati, ad vnum per se cum illa cõstituẽdum: & quia aliàs humanitatem non recipit, nec illã intrinsecè informat, fit consequens, quòd vniatur illi intrinsecè, non vnione formæ informatis, nec vnione subiecti recipientis, sed per modum termini complentis, & terminantis.

§. Vltimus.

Cæteris argumentis occurritur, & mens D. Thomæ explicatur.

63. *Ad quartum argumẽtũ.*

AD QVARTVM argumentũ contra nostram resolutionem propositum, concessa maiori, nego minorem; ad illius probationem, cõcessis maiori, & minori, nego consequentiam; ratio autẽ discriminis est, nam vnio animæ rationalis ad corpus est realiter ab illa distincta, & intrinsecè in illa recepta; per entitatem autem, etiã si modalis sit, realiter à subiecto distinctam, & receptam intrinsecè in illo, mutatio intrinseca inducitur; Verbum autem vnionẽ humanitatis ad ipsum, non recipit, sed tantum terminat; vnio verò, quæ ex parte Verbi se tenet, illudque subiectiuè vnit cum humanitate, non distinguitur realiter à Verbo, & ideo ex vi Incarnationis, etsi transierit de non vnito in vnitum intrinsecè cum humanitate, intrinsecè mutatũ non fuit, cum nec receperit in se humanitatem, nec vnionem realiter ab ipso distinctam.

Oppones primò.

Sed oppones primò: est enim probabilis sententia, quæ negat, animam vniri materiæ per vnionem realiter ab illa distinctam; & tamẽ mutari intrinsecè, non videtur posse probabiliter negari, cum sit terminus formalis actionis realiter immutatiuæ: ergo per vnionem indistinctam realiter à subiecto vnito mutatur tale subiectũ intrinsecè, & consequenter, si Verbum fuit subiectiuè vnitum humanitati, etsi per vnionem ab ipso indistinctam, fuit intrinsecè mutatum.

Secundò.

Secundo: non enim stat, Verbum vniri subiectiuè intrinsecè humanitati de nouo, absque vnione, realiter ab illo distincta; ergo, si de nouo vnitum fuit subiectiuè intrinsecè humanitati, recepit in se vnionem, realiter a se ipso distinctam. Probatur antecedens: non stat, subiectiuè vniri realiter, absque vera, & reali vnione; sed hæc non conuenit Verbo ab æterno: ergo in tempore incepit existere in illo, & consequenter realiter à Verbo distinguitur. Maior cum consequentia tenet; minor autem probatur: implicat, vnionem existere, & subiectum non vniri; sed Verbum nõ vnitur humanitati ab æterno: ergo non exstitit ob æterno vnio Verbi ad humanitatem.

64. *Tertiò.*

Denique oppones: nam ad mutationem realẽ intrinsecam sufficit nouitas intrinsecæ denominationis absque nouitate entitatis; sed Verbum de nouo in tempore subijt, per Incarnationem intrinsecam denominationem vniti ad humanitatem, & terminantis, & personantis illam: ergo fuit mutatum intrinsecè. Consequentia cum minori tenet; maior autem ostẽ-

ditur

ditur primò: etenim formam esse vnitam materiæ, non addit nouam entitatem in sententia probabili, frequentiorique apud Thomistas; & tamen, quia addit nouam denominationem intrinsecam, forma per vnionem cum materia mutatur: ergo ad mutationē intrinsecam sufficit nouitas intrinsecæ denominationis absque nouitate entitatis. Secundò probatur maior, nam corpus Christi ex vi actionis conuersiuæ substantiæ panis in ipsum mutatur intrinsece, cū D. Thomas *quæstione præcedenti art.* 1. indè probet, Deum non posse esse terminum ad *quem* conuersionis alicuius entitatis, quia est immutabilis, quod autē Deo ratione immutabilitatis repugnat, necessariò mutationem inducit; & tamen ex vi cōuersionis non recipit per se primò nouam aliquam entitatem realiter ab ipso distinctam, in frequentiori Theologorum sententia, sed tantum nouam intrinsecam denominationem, nempè, esse id, in quod desinit substantia panis: ergo ad mutationem intrinsecam sufficit nouitas intrinsecæ denominationis absque nouitate intrinseca entitatiua.

65. *Ad primam replicā respōdetur*

Respondeo, ad primam replicam, concessa maiori, negando minorem; sicut enim in sententia præsuppositā anima rationalis est formalis terminus actionis productiuæ, quin ipsa producatur per talem actionem: ita erit formalis terminus actionis mutatiuæ, quin ipsa mutetur intrinsece, sed tantum terminus adæquatus, & totalis: & sicut per generationē hominis anima rationalis *vt quo* producitur, & generatur, quin in sententia supposita sub vlla ratione producatur, & generetur vt *quod*: ita erit terminus formalis mutationis, per hoc quod mutetur vt *quo*, quin mutetur intrinsece vt *quod*.

Ad secūdam.

Ad secundam replicam, nego antecedens; ad probationem, concessa maiori, nego minorem, ad cuius probationem distinguo maiorem: implicat, vnionem existere entitatiue, & denominatiue, & subiectum non vniri, concedo maiorem: entitatiue tantū, nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens: non existit entitatiue, & denominatiue ab æterno, concedo consequentiam: non existit entitatiue, nego consequentiā, quam inſto clare; in Deo namque ab æterno existit entitas actionis, qua operatur ad extra, cum sit actio formaliter immanens in cōmuni Thomistarum sententia; & tamen denominatio agentis non existit ab æterno, cum in tēpore mundum creauerit, vt fide credimus. Ab æterno etiam existit tota entitas, qua Deus munus Verbi exercet respectu mentium beatorum; & tamen nō exercet munus Verbi ab æterno. Similiter ab æterno existit in Deo tota entitas, per quam vellet alterius mundi creationem, si illum creare decreuisset; & tamen non est ab æterno volēs illam: ergo pariter potuit Verbo conuenire ab æterno tota entitas vnionis sui cum humanitate, quin ex hoc rectè inferatur, esse ab æterno cum humanitate vnitum. Quam doctrinam *disput.* 11. fusè prosequuti sumus, nec oportet in præsenti, multum in illa immorari; est enim omni denominationi intrinsecæ connotatiuæ communis.

66. *Ad tertiam.*

Ad tertiam replicam, nego maiorem; cum enim mutatio sit transitus de non esse ad esse, requirit necessariò nouitatem entitatis, ad primam probationem, permissa maiori, nego minorem; nam eo ipso, quòd dicatur, formam se ipsa sine additione alicuius entitatis intrinsecæ vniri materiæ, cōsequenter est asserendum non mutari intrinsece per vnionem; quomodò autem cū hoc stet, quòd sit terminus formalis actionis immutatiuæ, *numero præcedenti* explicuimus. Ad secūdam probationem maioris varie à Theologis occurritur; quidam dicūt, corpus Christi per actionem conuersiuam mutari, quia illam in se ipso recipit: vnde talis actio non immutat corpus Christi effectiue, producendo terminum illud immutantem formaliter, sed per sui receptionem formaliter illud immutat; actio verò incarnatiua, non in Verbo, sed in humanitate recipitur, ideoque per illam nullatenus Verbū mutatur. Ita M. Pru-

Primus modus dicendi.

Reijcitur primo.

den-

dentius vbi *ſupra num.* 44. Sed non placet modus iſte dicēdi, & reijcitur primò; nam mutatio, quam Theologi in corpore Chriſti agnoſcunt, ex vi actionis conuerſiuæ eſt mutatio ſubſtantialis; ſed illa, quæ prouenit ab actione converſiua formaliter, nō ſubſtantialis, ſed accidentalis eſt, cum actio conuerſiua ſit de genere accidentis: ergo mutatio iſta non eſt, de qua Theologi loquuntur, cum docent, corpus Chriſti per actionem converſiuam mutari.

Secūdò. Secundò, nam converſio immediatè à Deo facta (vt potuit) eſſet actio immanens in Deo formaliter, in veriori Thomiſtarum ſententia, & cōſequenter nō recipitur in paſſo, nec illud poteſt formaliter immutare; & tamen mutaret terminum ad *quem* converſionis, ſi verum eſt, de eſſentia converſionis eſſe terminum ad *quem* immutare: ergo difficultas obiecta per doctrinam traditæ ſolutionis, non euacuatur.

67. *Secundus modus dicendi. Reijcitur primò.*

Aliorum ſolutio eſt, corpus Chriſti per actionem converſiuam mutari; quia ex vi illius recipit in ſe ipſo modum realem præſentiæ, ad ſpecies Sacramentales realiter ab illo diſtinctū. Sed nec iſta ſolutio eſt ſufficiens. Primò, nam modus ille præſentiæ ad ſpecies Sacramentales, non ſubſtantialis, ſed accidentalis eſt, & conſequenter non poteſt corpus Chriſti ſubſtantialiter immutare; ſed mutatio, de qua Theologi loquuntur, cū docent, corpus Chriſti per converſionem mutari, eſt mutatio ſubſtantialis: ergo non rectè ſaluatur per hoc, quòd ex vi cōuerſionis producatur in corpore Chriſti modus præſentiæ ad ſpecies Sacramentales.

Secūdo. Secundò, nam modus ille præſentiæ non eſt terminus primarius actionis tranſubſtantiatiuæ, ſed terminus ſecūdarius illam primariò terminatam ſupponens; ſed mutatio, ſiquæ eſt, per converſionem inducta, convenit corpori Chriſti ex vi terminationis primariæ, aliàs eſſentialis cōuerſioni non erit, & cōſequenter poterit cōuerſio ad Deum ipſum immediatè terminari: ergò mutatio, per actionem converſiuam cauſata, inſufficienter defenditur per modum illum præſentiæ ad ſpecies Sacramentales.

68. *Tertius modus dicendi. Reijcitur primò.*

Alij reſpondent, corpus Chriſti intrinſecè mutari, eo quòd terminat ratione ſui actionem tranſubſtantiatiuam, ad quam terminandam eſt in potentia paſſiua, eſto ex vi talis actionis nihil in corpore Chriſti effectiuè producatur; Verbum autem, non ratione ſui, ſed ratione humanitatis terminat actionem incarnatiuam, nec ad illam terminandam in potētia paſſiua ſupponitur; ideoque per Incarnationem non fuit aliqua ratione mutatum. Cæterum nec iſta ſolutio ſatisfacit, nam licet corpus Chriſti terminet ratione ſui actionē tranſubſtantiatiuam, per huiuſmodi tamen actionem nihil intrinſecum corpori Chriſti realiter ab illo diſtinctum, & in ipſo receptum cauſatur, vt Auctores traditæ ſolutionis ſupponunt, ſed mutatio realis intrinſeca ſuperuenies enti præexiſtenti, abſque receptione entitatis, realiter à ſubiecto diſtinctæ, non datur; in rebus ea, quæ hucuſque diximus, quod præfati Auctores admiſerunt: ergo, quamvis corpus Chriſti terminet ratione ſui actionem tranſubſtantiatiuam, ſi nihil in corpore Chriſti cauſat, non mutatur per illam intrinſecè.

Secūdo. Præterea, non enim ſtat, corpus Chriſti eſſe in potētia paſſiua in ordine ad converſionem, & quòd nihil ex vi illius intrinſecè in ſe ipſo recipiat, cum potentia paſſiua idem ſit, quòd potentia receptiua; hæc autem intelligi nequit, niſi in ordine ad entitatē aliquam recipiendam: ergo, ſi corpus Chriſti nihil in ſe ipſo ex vi converſionis recipit, non poteſt ad illam in potentia paſſiua ſupponi, ſed ſolum in potentia purè terminatiua, quod ad mutationem intrinſecam non ſufficere, conſtat ex dictis. Si propter hæc aſſeratur, corpus Chriſti ſupponi in potentia receptiua, non termini per converſionē producti, ſed ipſius converſionis, ideoque per illam mutari; coincidit hæc ſolutio cū prima, quam refutauimus, & cum illa manet impugnata.

69. *Quartus modus dicendi.*

Denique reſpondetur ab alijs, negando maiorē, quòd, nempè, corpus

Chriſti

Christi ex vi actionis conuersiuæ mutetur aliqua ratione intrinsecè, negãt etiam repugnare, quòd Deus ratione sui sit terminus ad *quem* conversionis totalis alicuius entitatis in ipsum, & doctrinam Diui Thomæ in argumento allegatam explicant de conversione formali, per quam vna forma corrũpitur, & alia de nouo introducitur in materia; non autem de conversione transsubstantiatiua, & totali, per quam vna substantia in aliam substantiam convertitur sine alicuius entitatis intrinsecæ acquisitione. Contra quem modum dicendi opponi solet, D. Thomam *loco allegato* eodem modo negare, posse Deum esse terminũ ad *quem* conversionis, ac posse esse terminum à *quo*, ideſt, quòd posit in aliquam rem converti; sed hoc secundum est verum, etiam de conversione totali, cum hæc necessariò petat desitionem termini à *quo*, Deoque omnis desitio repugnet: ergo cum negat D. Thomas, Deum esse posse terminum ad *quem* conversionis, non solum loquitur de conversione formali, sed etiam de conversione transsubstantiatiua, & totali. Licet tamen verum iudicem, D. Thomam *loco allegato* sermonem non instituere de conuersione totali, sed de conuersione formali, vt cum Caietano docuimus *disp. 9. §. 5. num. 57. & seqq.* Nihilominus præfata solutio displicet. Primò, nam terminus ad *quem* conuersionis, etiam totalis, fit de nouo secũdum aliquam rationem intrinsecam, & ab actione conuersiua dependet; sed Deo omnis intrinseca dependentia repugnat, & quod de nouo fiat secundum aliquam rationem intrinsecam: ergo repugnat ipsi esse terminum ad *quem* in conuersione totali. Deindè, nam sentẽtia negans, posse Deum immediatè esse terminum ad *quem* conuersionis totalis alicuius entitatis in ipsum, communis est apud Theologos: ergo deferenda nõ est, vt defendatur, Verbum per Incarnationẽ intrinsecè mutatum non fuisse, quod catholica doctrina fatetur.

Reiicitur primo.

Secũdò.

70. *Vera solutio.*

Quare, his modis dicendi omissis, vel dicendũ est, per actionẽ conuersiuam modum aliquem substantialem produci realitèr distinctũ ab eo, quod est terminus cõuersionis, quod docti Thomistæ sentiunt: vel asserendum, terminum ad *quem* cõuersionis transsubstantiatiuæ, & totalis, non mutari, mutatione strictè sũpta, sed mutatione largè accepta, scilicet, pronoua dependentia intrinseca; quia, nempè, terminus de nouo fit, & de nouo sub aliqua ratione dependet: & quia huiusmodi dependentia non potest cõpetere Deo, fit consequens, vt esse nõ possit terminus ad *quem* actionis conuersiuæ, etiam totalis. Et iuxta hanc doctrinam accipiendus est D. Thom. *loco in argumento allegato*, si fuit de cõuersione etiam totali loquutus, vt plures probabilitèr sentiunt; Incarnatio autem, nec strictam mutationẽ induxit in Verbo, nec mutationem acceptam pro nouo fieri secũdum aliquam rationem intrinsecam, aut noua intrinseca dependẽtia; & ideò Verbum ex vi Incarnationis non fuit aliqua ratione mutatum.

71. *Objicies*

Sed objicies: corpus Christi vt terminans conuersionem mutatur, mutatione largè accepta, quia ex vi conuersionis fit, non absolutè, sed prout est id, in quod substantia panis conuertitur; sed Verbum ex vi Incarnationis fuit factum, non absolutè, sed vt terminans humanitatẽ, & vt in illa subsistens: ergo saltim fuit mutatum illo modo mutationis sumpto, nempè, pro fieri nouo modo, & intrinsecè dependere sub aliqua noua ratione. Maior cum consequentia tenet; minor autẽ ostenditur primò: nam Verbum ex vi Incarnationis fuit factum caro, ideſt homo; sed idem est, Verbum fieri hominẽ, ac fieri, vt humanitatem terminans, & vt in illa subsistens: ergo ex vi Incarnationis fuit factum sub hac ratione. Secundò probatur minor: ideò enim corpus Christi ex vi actionis cõuersiuæ fit, prout est id, in quod desinit panis, quia ante cõuersionem sub hac consideratione non erat; benè tamen post conuersionem; sed Verbum ante Incarnationem non terminabat humanitatem, nec in illa subsistebat; post Incarnationem autem humanitatem

Minor probatur primò.

Secũdò.

tatem terminat, & in illa subsistit: ergo ex vi actionis incarnatiuæ fit, prout terminans humanitatem, & prout subsistens in illa. *Tertiò.* Tertiò; nam omne, quod nunc est, & antea non erat, id habet ex vi alicuius actionis; sed Verbum ante Incarnationem non erat, vt humanitatem terminans, & in illa subsistens; benè tamen post Incarnationem: ergo id habuit ex vi actionis incarnatiuæ, & consequentèr per illam sub hac ratione fuit factum, etsi absolutè factum non fuerit.

72. *Respondetur ad primam probationem.* Respondeo, concessa maiori, negando minorem; ad primam probationem, concessa maiori, nego minorem; nam Verbum fieri hominem est terminare actionē incarnatiuam, non ratione sui, sed ratione humanitatis; fieri autem vt subsistens in humanitate est terminare actionē ratione subsistentiæ: vndè, quamvis non potuerit Verbum fieri homo, nisi terminaret humanitatem, & in illa subsisteret; non tamen sunt idem, fieri hominem, & fieri vt subsistens in humanitate, & vt terminans illam, neque vnum ex alio infertur, nam variatur appellatio.

Ad secūdam. Ad secūdā probationē, nego causalem maioris, sed ideò corpus Christi ex vi actionis conuersiuæ fit sub prædicta ratione; quia non est alius terminus actionis conuersiuæ, nisi corpus Christi, prout est id, in quod desinit substātia panis, & ideo prædicta actio ad corpus Christi ratione sui termina tur; licet autem Verbum per Incarnationē terminet humanitatem, quā antea non terminabat, hoc tamen nō fit actione formalitèr terminata ad Verbum, vt humanitatē terminans, sed actione terminata ad humanitatem vnitam, vt ad terminum formalem, & ad compositum ex humanitate, & Verbo resultans, vt ad terminū totalem: vndè humanitas, vt vnita, & compositum resultans ex humanitate, & Verbo ab actione incarnatiua dependent; Verbum autem sub nulla ratione sibi intrinseca dependet ab illa.

73. *Ad tertiam.* Et ex his ad tertiam probationem, distinguo maiorem: ex vi actionis terminatæ ad ipsum, nego maiorem, hoc enim vniuersaliter verum non est: ex vi actionis terminatæ ad ipsum, vel ad aliud, cum quo habeat connexionem, concedo maiorem, & concessa minori, distinguo consequens: id habuit Verbum ex vi actionis incarnatiuæ, vt terminatæ ad subsistentiam Verbi sub aliqua formalitate illi intrinseca, nego consequentiam: vt terminatæ ad humanitatem, quatenus vnitam Verbo, concedo consequentiam; Verbum enim factū fuit homo, non per sui mutationem, sed per mutationem humanitatis, & similitèr non per sui dependentiam, secundum aliquod prædicatum intrinsecum, sed per dependentiam humanitatis, quatenus ipsi vnitæ, vt explicat D. Thomas *infra quæstione* 16. *art.* 6. *ad* 2. Et, vt Verbum prout humanitatem terminans, & prout in illa subsistēs post Incarnationem fuerit, cum tamen antea non esset, non requiritur actio Verbum sub prædicta ratione producens, sed sufficit actio productiua humanitatis, quatenus vnitæ Verbo, sine qua, vt sibi vnita, non potest Verbum rationem terminantis humanitatem, & in illa subsistentis exercere. S. Tho.

74. *Instabis.* Sed instabis: ideò humanitas, vt vnita, fit per actionem incarnatiuam, & ab illa dependet, quia per talem actionem humanitas Verbo vnitur; sed per eandem actionem Verbum vnitur humanitati, & redditur terminans, & suppositans humanitatem: ergo fit ex vi illius actionis Verbum vt vnitum humanitati, & vt terminans, & suppositans illam, & prout sic à prædicta actione dependet.

Maior cum consequentia tenet; minor autem probatur, nam Verbum humanitati vniri, illamque supposítare, & terminare, cum non fuerit ab æterno, sed incœperit in tempore, necessum est, quòd per aliquam actionem fiat; sed non per aliam, nisi per actionem incarnatiuam: ergo per illam Verbum humanitati vnitur, & humanitatem terminat.

75. *Respondetur.*

Respondeo, distinguendo maiorem: quia per talem actionem vnitur humanitas effectiuè, concedo maiorem: terminatiuè, nego maiorem, & distinguo minorē: Verbum per illam actionē vnitur humanitati effectiuè, nego minorem: terminatiuè, cōcedo minorē, & nego cōsequentiam. Nam Verbum per Incarnationem vnitur humanitati, non quia illa actio Verbi entitatem attingat, & sub aliqua ratione producat, sed solum quia per illam adiungitur Verbo humanitas, quæ est extremū, cui Verbum vnitur, tota efficientia actionis sistente in humanitate termināte vnionē Verbi, & illi subiectiuè vnita; humanitas autem ex vi Incarnationis vnitur Verbo effectiuè: vel quia producitur in humanitate vnio realitèr ab illa distincta, vt verius *disputatione* 11. censuimus: vel quia humanitas, sub ratione, & denominatione vnitæ producitur, & ideo humanitas vt vnita ab actione incarnatiua effectiuè dependet; Verbum autem vt vnitum non dependet effectiuè ab illa.

Et ratio est; quia cum vnio Verbi ad humanitatem à subsistentia, & entitate Verbi sit indistincta, entitas autem Verbi sit extra sphæram efficientiæ, causalitatis, & dependentiæ, fit cōsequens, vt Verbum, quatenus vnitū humanitati, & prout terminans, & supposităns illam, non possit fieri per actionem creatam, nec ab illa dependere; vnio autem humanitatis ad Verbum, si est realitèr ab illa distincta, petit, vt existat, per aliquam actionem produci; si autem ab entitate humanitatis non differt, cum entitas humanitatis extra sphæram dependentiæ non sit, potest per actionem fieri, & ab illa dependere.

76. *Vrgebis adhuc.* S. Tho.

Sed vrgebis adhuc ex D. Thoma *infra quæst. 16. art. 6. in corpore*, illis verbis: *Vnumquodque dicitur esse factum illud, quod de nouo incipit prædicari de ipso; esse autem hominem, verè prædicatur de Deo, sicut dictum est: ita tamen, quòd non conuenit Deo esse hominem ab æterno, sed ex tempore per assumptionem humanæ naturæ: & ideo hæc est vera, Deus factus est homo.* Hæc D. Thom. Ex quibus sic arguitur; sed de Verbo incipit prædicari de nouo, non solum quòd sit homo, sed etiam esse humanitati vnitum, humanitatem terminās, & in illa subsistens, cum nihil horum ab æterno habuerit: ergo Verbum, nō solum est factum homo, sed etiam est factum, vt vnitum humanitati, vt humanitatem terminans, & vt in illa subsistens, & consequentèr secundum aliquam rationem sibi intrinsecam fuit ab actione incarnatiua dependens.

77. *Respondetur.*

Respondeo, maiorem D. Thomæ esse vniuersalitèr verā de omni, quod incipit prædicari de nouo nouitate entitatiua; non autem de eo, quod incipit prædicari de nouo nouitate denominatiua, & purè terminatiua. Quando enim nouitas hæc prouenit à forma incausabili, & infactibili, nō est necessum, vt de nouo prædicetur, quòd terminet efficientiam, imò nec potest illam terminare. Et quia Verbum esse vnitum humanitati, esse humanitatem terminans, & in illa subsistens, non addit Verbo nouam aliquam entitatem in recto, sed tātùm nouam denominationem, nouamque terminationem prouenientem ab entitate subsistentiæ Verbi, quæ incausabilis, & improducibilis est, fit consequens, vt quamvis hæc de nouo prædicentur de Verbo, non tamen dicatur factum, vt humanitatem terminans, vt humanitati vnitum, & vt in illa subsistens, secundum id, quod in his prædicationibus importatur in recto, nempè, secundum subsistētiam Verbi, quæ omnia hæc munera exercet, sed tantùm secundum id, quod in illis importatur in obliquo, nempè, secundum humanitatem, cui Verbum vnitur, quā terminat, & in qua subsistit.

78. *Difficultas contra hucusque dicta.* S. Tho.

Sed contra hucusque dicta obstare videtur grauitèr doctrina D. Tho. vbi *proximè in solutione ad 2.* illis verbis: *Quandocumq; aliquid de nouo prædicatur de altero cum mutatione eius, de quo dicitur, tunc fieri est mutari. Et hoc contingit in omnibus, quæ absolutè dicuntur: non enim potest albedo, aut magnitudo de nouo advenire alicui, nisi per hoc, quòd de nouo mutatur ad albedinem,*

bedinem, vel magnitudinē; ea verò quæ relatiuè dicuntur, possunt de nouo prædicari de aliquo absque eius mutatione. Hæc D. Thom. Ex quibus tale argumentum contra hucusque dicta consurgit: quæ absolutè prædicantur, nō possunt de nouo de aliquo subiecto enuntiari, absque illius mutatione; sed humanitas de nouo in tempore prædicata de Verbo, non est prædicatum relativum, sed absolutum: ergo non potuit de nouo prædicari de Verbo, sine Verbi mutatione.

79. *Respondetur.* Respondeo, explicādo T. Dhom. & distinguendo maiorem: quæ absolutè prædicantur, quantum ad substātiam, & modum, concedo maiorem: quantum ad substantiam tantum, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego cōsequentiam, nam licet humanitas dicta de Verbo sit prædicatum quantum ad substantiam absolutum; prout tamen de Verbo enuntiatur, induit modum prædicati relatiui; quia de illo dicitur absque vlla entitate Verbo superaddita, illi subiectiuè inhærente, præter relationem rationis, nā humanitas non ineſt Verbo, nec illud informat: vnio humanitatis ad Verbum illi non inhæret, vnio Verbi cum humanitate nō distinguitur realitèr à subsistentia Verbi: vndè nihil realiter intrinsecè inhærens, vel realiter intrinsecè informans cōvenit Verbo ex vi Incarnationis, sed sola rationis relatio Verbo intrinseca superadditur, & ideo humanitas, prout de Verbo enuntiatur, quamvis prædicatum sit absolutū; induit tamen modū prædicati relatiui quoad hoc, quòd est de nouo prædicari de Verbo, absq; mutatione illius. Quam doctrinā clarè indicauit D. Thom. *loco proximè allegato*, vbi postquam duo illa genera prædicatorum distinxit, nempè, quæ absolutè, & quæ relatiuè dicūtur, hæc verba subiecit: *Esse autem hominē conuenit Deo ratione vnionis, quæ est relatio quædā, & ideo esse hominem prædicatur de nouo de Deo, absque eius mutatione per mutationē humanæ naturæ.* Quæ verba nō sic accipienda sunt, vt vnio, ratione cuius convenit Deo esse hominem, formalitèr in relatione rationis consistat, vt aliqui intellexerunt, parum mentem D. Thomæ scrutantes, minusque de illa curātes, sed quia talis vnio nihil addit Verbo inhærens, aut illud intrinsecè informans, præter relationem rationis, non in qua vnio consistat, sed quam connotet, & afferat. Quia ergo huiusmodi vnio, ratione cuius convenit Verbo esse hominem in tempore, nihil addit Verbo inhærens, nisi solum respectum rationis, ideo esse hominem est prædicatū, licet quoad substantiam absolutum, relativum tamen, quoad modum, & idcirco de Verbo in tempore dicitur absque illius mutatione. Eandē doctrinam tradiderat D. Thomas *q. 16. relata art. 1. ad 4.* & prius *in 3. Sent. dist. 1. q. 1. art. 1. ad 1.*

S. Tho.

Maneat ergo mēte fixum, Verbū ex vi Incarnationis non fuisse mutatum intrinsecè, nec mutatione stricta, prout est transitus de non esse ad esse intrinsecum ratione porētiæ passiuæ, & receptiuæ, nec mutatione largè sumpta, pro dependentia ab aliqua causa secundum rationem intrinsecā; ac proindè Incarnationem non fuisse impossibilem, eo quòd ex illa mutatio aliqua intrinseca sequatur in Deo. Ex quo inconvenienti principalitèr arguunt contra Incarnationis possibilitatem inimici nostræ fidei. *Quod si hoc vobis difficile, & mirabile apparet; memenrote* (inquit Caietanus, *infra q. 16. art. 6. circa solutionem 2. argumenti*) *quòd nihil est mirabilius, quam Verbum caro factum est, post Trinitatis arcanum.* Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in 3. dist. 1. §. 1.* ad illa verba: *Misit Deus Filium suum factum de muliere*; vbi à D. Thoma agitatur, vtrum, Deum incarnari, fuerit possibile; præcipua enim difficultas, quæ contra possibilitatem Incarnationis objicitur, est, quòd ex illa Dei mutatio intrinseca sequi videatur.

80. *Totius disputationis resolutio.*

Caiet.

M. Set.

***

DISPVTATIO DECIMAQVINTA

Sub qua ratione conveniat personæ diuinæ assumere naturam creatam, & an illam assumere potuerit secundum prædicata absoluta.

§. I.

Prima pars disputationis resolvitur.

Nu. 1. *Supponitur primò.*

IN præsenti supponimus primò, cōuenire diuinæ personæ assumere naturā creatā, quod docet D. Thomas *in hac quæst. art.* 1. & patet ratione illius: nam in Verbo *assumptionis* duo importantur, videlicet, principium actionis, & terminus, vel extremum, cui natura assumpta vnitur, assumere namque idem est, quòd ad se sumere; sed persona diuina est principium actionis incarnatiuæ, assumptiuæque humanitatis; agere namque suppositorum est, & omnis operatio ad extra diuinis personis convenit, iuxta commune axioma, quo asseritur: *Opera Trinitatis ad extra indiuisa esse, & tribus personis communia*: est etiam terminus, vel extremum, cui humana natura vnitur; est enim vnita Verbo, quod est secunda in Trinitate persona: ergo propriissimè convenit personæ diuinæ assumere naturam creatā.

2. Secundò supponimus, convenire etiam naturæ diuinæ hoc, quòd est assumere naturā creatā, etsi hoc minus propriè de natura, quā de persona dicatur. Quod docet D. Th. *in hac q. art.* 2. & ratione illi⁹ probatur: etenim natura diuina ratione sui est principium *quo* assūptionis; personis nāq; diuinis cōueniunt actiones ad extra, qualis est actio assūptiua, virtute, & ratione naturæ, tanquā principij *quo* illarū, ideoque sunt indiuisæ, & tribus personis conveniunt, quia natura, quæ est principiū illarū, personis cōvenit indiuisè; est etiā natura diuina terminus, vel extremū assūptionis, licet nō ratione sui immediatè; benè tamē ratione personæ terminantis naturā creatam, à qua natura Dei nō differt suppositalitèr: ergo convenit ipsi assumere naturam creatam, non quidem ad se immediatè; benè verò ad sui personam, à qua personalitèr non differt. *Supponitur secundò.*

3. Sed dices, sequi ex hac ratione cū æquali proprietate cōvenire naturæ diuinæ assumere naturā creatā, ac cōvenit diuinæ personæ: cōsequēs est falsū, & cōtra D. Th. *in præsēti art.* 2. ergo ra *Obycies*

tio nõ cõcludit. Probatur ſequela, nã aſſumere dicit duo, ſcilicet, principiũ actionis aſſumptiuæ, & terminũ, vel extremum, cui natura aſſumpta vnitur, & ad cuius eſſe aſſumitur; ſed licet eſſe terminum, & extremum aſſumptionis conueniat naturæ diuinæ ratione perſonæ, eſſe tamen aſſumptionis principium cõuenit perſonæ ratione naturæ: ergo omnibus penſatis, tam prò priè conuenit naturæ diuinæ aſſumere naturam creatam, ac conuenit diuinæ perſonæ. *Reſpondetur.* Reſpondeo, negando ſequelam; ad illius probationem, cõceſſis maiori, & minori, nego cõſequentiam; ratio autem diſcriminis eſt, nam agere, quamvis conueniat perſonæ ratione naturæ, conuenit tamen cum omni proprietate perſonæ, ſuppoſita namque cum omni proprietate operantur, vt *quod*, etſi operentur virtute, & ratione naturæ per modum principij *quo*; terminare autem naturam creatam, non conuenit naturæ diuinæ formaliter, ſed tantum identicè, & materialiter, eo quòd non diſtinguitur ſuppoſitaliter à perſona, ratione ſui formaliter terminante, ac per conſequens cum maiori proprietate conuenit perſonæ diuinæ aſſumere naturam creatam, quam cõueniat diuinæ naturæ.

4. *Supponitur tertio.* Tertiò præmittendũ eſt, eſſe principium actionis aſſumptiuæ humanitatis, conuenire perſonæ diuinæ ratione naturæ, perfectionumque abſolutarum. Quod patet, nam ſub eadẽ ratione perſona diuina eſt principium actionis aſſumptiuæ humanitatis, ſub qua eſt principium aliarum operationum ad extra, Deus namque ſub eadẽ ratione, & ratione eiuſdem formæ, vel formalitatis, eſt principiũ omniũ, quæ extra ſe operatur; ſed eſſe principium aliarum operationum ad extra, conuenit perſonis diuinis ratione naturæ, vt principij *quo* radicalis, & ratione omnipotentiæ, vt virtutis proximæ operatiuæ, non autem ratione proprietatum perſonalium: quo circa nihil poteſt ad extra vna perſona operari, quod alia non operetur; ſed omne opus ad extra indiuisè conuenit omnibus perſonis diuinis: ergo eſſe principium aſſumptionis naturæ creatæ, actioniſq; aſſumptiuæ humanitatis conuenit diuinæ perſonæ, non ratione proprietatis perſonalis, ſed ratione naturæ, perfectionumque abſolutarum.

His breuiter præſuppoſitis, quod in diſcrimen vertimus eſt, ratione cuius cõueniat perſonæ diuinæ terminare, perſonare, aut ſuppoſitare humanitatẽ, eſſeq; extremũ vnionis humanitatis cum ipſa, & hoc de facto, vel de poſsibili, an ſcilicet, de facto terminauerit vnionẽ humanitatis ratione alicuius prædicati abſoluti, an ratione ſolius formalitatis relatiuæ, & an potuerit ratione alicuius prædicati abſoluti eſſe extremũ aſſumptionis naturæ creatæ, & terminus vnionis ipſius?

5. *Aperitur difficultas.*

Circa primum variæ ſunt Theologorum ſententiæ. Prima docet, humanitatem de facto fuiſſe primo, & per ſe vnitam naturæ diuinæ ſecundũ perfectionem abſolutam ſumptam abſolutè; ſecundariò autẽ, & ex cõſequenti cũ proprietate perſonali Filij, & ob hanc ſecundam vnionem, quæ perſonalis eſt, ſola perſona Filij fuit Incarnata de facto. Hanc tenet Durandus *in 3. diſt. 1. quæſt. 2. num. 8. & diſt. 5. quæſt. 1. num. 9.*

6. *Prima ſententia*

Durãd.

Secunda ſententia docet, vnionẽ humanitatis ad Verbum factam eſſe primariò cum eſſe perſonali Verbi; ſecundariò autem cum natura ſecundum eſſe abſolutum ſumptum abſolutè. Pro hac refert Vazquez *diſput. 26. cap. 2.* Capreolum *in 3. diſt. 1. quæſt. 1. art. 1. & 3. ad argumenta Durandi*; falsò tamen, vt ex dicendis conſtabit. Refert etiam Victoriã, & Soto, quos tamen poſtea adducit pro tertia ſententia, quæ docet, Verbum terminare vnionem humanitatis ad ipſum ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, non præciſè, & abſolutè ſumptæ, ſed vt modificatæ perſonalitate, & proprietate relatiua Filij. Hanc ſententiam tribuit Medina, Marſilio *in tertio*, pro qua etiam refert Victoriam, & Sotum.

Secũda ſentẽtia

Vazq. Capreo.

Tertia ſentẽtia

Medin.

7. *Quarta ſentẽtia*

Quarta ſententia docet, Verbum terminare vnionem humanitatis, non ratione perfectionis abſolutæ, ſed ratione

tione proprietatis personalis relatiuæ. Hanc tenent Caietanus, & Medina in *præsenti art.* 2. Nazarius *controuersia* 1. Illustrissimus Araujo *dub.* 3. *concluſ.* 1. Magister Sancto Thoma *art.* 2. Aluarez *disput.* 21. Cabrera *art.* 2. *disput. vnic.* Lorca *disput.* 24. & frequentèr Recentiores Thomistæ. Tenēt etiam ex Patribus Societatis Suarez *disput.* 12. *sect.* 2. Vazquez *disp.* 26. pro illa referēs Richardum, Scotum, Gabrielem, Ochanum, Almaynum, & Paludanum; falsò tamen Paludanus pro hac sentētia refertur, vt *infra* videbimus. Eidem sententiæ adhæsere Tanerus *disp.* 1. *de Incarnatione q.* 14. *dub.* 1. Granadus *controv.* 1. *de Incarnatione tract.* 5. *disput.* 3. *num.* 7. Albertinus *corollario* 11. *Theologico ex prædicamento ſubſtantiæ quæſt.* 11. *dub.* 2. illamque ſequuntur communitèr Recentiores ex eadem familia. Tenēt etiam ex Discipulis Scoti, Radda *tom.* 3. *controv.* 1. *art.* 3. & Franciſcus del Caſtillo *disput.* 6. *quæſt.* 1.

Caiet. Medin. Nazar. Araujo. M. S. Thom. Aluar. Cabrer. Lorca. Suar. Vazq. Taner. Gran. Albert. Radda. Caſtillo.

8. Vltima ſententia. Ochan. Gabr. Palud.

Vltima ſententia docet, rationē, qua Verbum terminat humanitatem de facto, non eſſe ſolam proprietatem perſonalem, nec ſolam formalitatem abſolutam, ſed ex vtraque ratione cōflari pro hac referūtur Ochanus, & Gabriel *in* 3. *diſt.* 4. *quæſt.* 1. *art.* 1. aſſerentes, rationem terminandi eſſe totam perſonam Verbi, quæ ex natura, & proprietate perſonali cōflatur. Illam expreſsè tenet Paludanus *in* 3. *diſt.* 1. *quæſt.* 2. *art.* 3. *ſolutione ad* 6. *argum.* ab alijs contra Durandū propoſitum, vbi docet, vnionem non eſſe terminatam in eſſentia, nec in relatione, ſed in perſona, & principalius cum perſona, quam cum eſſentia, vel relatione; rationem autem terminandi vnionem, nec eſſe relationē ſolam, nec eſſentiam ſolam, ſed vtramque ſimul. Eandem ſententiam defendit Capreolus *in* 3. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 3. *in ſolutione ad argumentum Durandi*, vbi docet, perſonam Verbi terminare dependētiam naturæ aſſumptæ, quoad ſuppoſitationem per ſuam proprietatē ſubſiſtentem, quæ includit, non ſolum ſubſiſtere eſſentiale, ſed vltra hoc relationem, cui convenit tale ſubſiſtere. Cui ſententiæ ſubcripſit Hiſpalenſis *in* 3. *Sent. diſt.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 4. *ad* 2. *argum. Durandi contra tertiam concluſionem.*

Capr. Hiſpal.

Sit noſtra concluſio: *Humanitas non fuit immediatè vnita naturæ diuinæ, nec individuo deitatis, vt communi tribus perſonis, ſed perſonalitati, & perſonæ Verbi fuit immediatè vnita, & deitati mediatè.* Hæc concluſio ſtatuitur contra Durandum, cuius ſententiam, Capreolus periculoſam cenſet, Caietanus cauendam, Medina hæreticam, Cabrera temerariā, Suarez omninò improbabilem, Recentiores temerariam, & errori proximā: eſtque expreſſa D. Thomæ in *hac quæſt. art.* 2. vbi docet: *De natura verum eſſe, quòd aſſumpſerit humanitatem, quia ratione ſui fuit aſſumptionis principium, & terminus ratione perſonæ Verbi, cui eſt immediatè vnita.* Sentit ergo D. Thom. naturam non eſſe ratione ſui terminū immediatū vnionis humanitatis, ſed ſolum mediatè illam terminare ratione perſonalitatis Verbi, cui immediatè fuit vnita.

9. Concluſio. S. Tho.

Et oſtenditur primò ex Concilio Toletano 6. & 11. vbi hæc veritas videtur diffinita, illis verbis: *Incarnationem quoque huius Filij tota Trinitas operaſſe credenda eſt, quia inſeparabilia ſunt opera Trinitatis; ſolus tamen Filius formam ſerui accepit in ſingularitate perſonæ, non in vnitate diuinæ naturæ, in id, quod proprium eſt Filij, non quod Trinitati cōmune eſt.* Sed ſi humanitas fuiſſet primo vnita deitati, & huic Deo, vt cōmuni tribus perſonis, falſa eſſet propoſitio negatiua Concilij, qua docet, Filium nō ſuſcepiſſe formam ſerui, ideſt, humanitatem in id, quod cōmune eſt Trinitati: ergo, vt veritas dictæ propoſitionis ſubſiſtat, neceſſariò eſt aſſerendum, non fuiſſe humanitatem immediatè vnitam deitati, vel huic Deo, vt toti Trinitati communi.

10. Probatur primò. Conc. Tolet.

Huic argumento reſponderi poteſt primò, mentem, & intentum Cōcilij, ſolum eſſe decernere, vnionem humanitatis ad Verbum, non in natura, ſed in perſona eſſe factam, neque ex tali vnione vnam reſultaſſe naturā,

Duplex ſolutio ſumpta ex doctrina Durandi.

ſed tãtum vnam perſonam, quod veriſsimum eſt, & catholicè fatetur Durandus *diſt. 1 q. 1. num. 11. & diſtinct. 5. q. 2. num. 9.* nec oppoſitum ex illius ſententia colligitur, nam vnio immediata humanitatis ad deitatem, quam Durandus defendit, non eſt ad deitatem ſub conceptu naturæ, ſed ſub conceptu exiſtentiæ, & ſubſiſtentiæ, neque ex tali vnione vna natura reſultat, ſed tantum vnum ſubſiſtens. Secundò reſponderi poteſt, Concilium loqui de vnione ſumpta completè, prout requiritur in ſententia Durandi, vt humanitas in concreto abſolutè de perſona prædicetur: qua ratione verum eſt, non in id, quod eſt commune, ſed in id, quod propriũ eſt Verbi, eſſe humanitatem ſuſceptam, nam vnio, quam concedit Durãdus immediatè factam cum deitate quoad exiſtentiam, non completa, ſed inchoatiua eſt, & per vnionem cum perſonalitate Verbi completur, in illaque terminatur.

II. *Prima ſolutio reijcitur*

Cæterum quamvis iſtæ euaſiones ſufficiant, vt ſententia Durandi, non ſit ex preſsè à Concilio damnata; non tamen plenè argumento ſatisfaciunt. Non prima, nam Concilium duo aſſerit: primum eſt, Filium ſuſcepiſſe humanitatem, non in vnitate naturæ, ſed in ſingularitate perſonæ: ſecundũ eſt, ſuſcepiſſe humanitatem, non in id, quod eſt commune Trinitati, ſed in id, quod proprium eſt Filij; hoc autem ſecundum non eſt innanis repetitio prioris, ſed aliquid ſuperaddit; at per primum excluditur vnio humanitatis ad Verbum facta in natura: ergo per ſecundum excluditur vnio ad id, quod eſt Trinitati commune ſub quocumque conceptu abſoluto ſumpto abſolutè, ſaltim, vt facta primariò.

Secũda ſolutio reijcitur

Deindè ſecunda ſolutio reijcitur, nam licet vnio humanitatis ad Verbũ non ſiſtat in prædicato abſoluto & cõmuni, ſed tranſeat ad id, quod eſt proprium Verbi; abſolutè tamen dicitur in ſententia Durandi vnita deitati ſub conceptu communi, & abſoluto: ergo quamvis ſuſceptio humanitatis à Verbo in abſoluto, & communi prædicato non ſiſtat, ſed vlterius tranſeat in id, quod eſt proprium Verbi, abſolutè dicetur ſuſcepta à Verbo in id, quod eſt toti Trinitati commune, & cõſequenter propoſitio negatiua Cõcilij abſolutè falſa erit. Prima conſequẽtia patet à paritate rationis: ſecũda etiã cõſtat, nam id ipſum, quod ſufficit, vt propoſitio affirmatiua ſit abſolutè vera, ſufficit, vt contradictoria negatiua abſolutè ſit falſa, vt omnibus eſt conſpicuum, & ex ipſis terminis notum; ſed propoſitio negatiua Concilij, qua docet, non fuiſſe humanitatem ſuſceptam à Verbo in id, quod commune eſt, contradictoriè opponitur prædictæ propoſitioni affirmatiuæ, qua dicitur, fuiſſe à Verbo humanitatem ſuſceptam in id, quod eſt toti Trinitati commune: ergo, ſi hæc abſolutè eſt vera, propoſitio negatiua Concilij abſolutè falſa erit.

Denique contra vtramque ſolutionem facit: nam ſicut verba Scripturæ accipienda ſunt iuxta communẽ Patrum intelligentiam: ita Conciliorum verba iuxta communem Scholaſticorum explicationem accipienda ſunt, nam ſi cuivis licet Conciliorum verba ad proprium, & ſingularem ſenſum exponere, nihil firmum ex illis habebitur; ſed prædicta verba Concilij Toletani à Theologis Scholaſticis communiter explicantur: ita vt vnionem immediatam, & primariam humanitatis ad Verbum in prædicato abſoluto, & communi tribus perſonis, abſolutè ſumpto excludent, non ſolum ſub cõceptu naturæ, ſed etiam ſub quocumque alio conceptu, qui perſonalis non ſit: ergo ſic accipi debent, & conſequenter neganda eſt vnio humanitatis ad Verbum primariò terminata, ad prædicatũ aliquod abſolutum tribus perſonis commune abſolutè, & communiter ſumptũ.

12. *Vtraque ſolutio reijcitur*

Secundo probatur concluſio ex 6. Synodo generali *actione 8.* vbi verbis ſumptis ex Dionyſio *lib. de diuinis nominibus cap. 2. part. 1.* de his, quæ ad myſterium Incarnationis pertinent, ſic dicitur: *His enim nec Pater, nec Spiritus vlla ratione communicant, niſi forte quis aſſerat benignitate, clementiaque, & communicatione voluntatis,*

13. *Synod. gener. Dionyſ.*

atque

atque in omni supereminentissima, & ineffabili operatione, illos quoque accessisse consortes. Sed si humanitas vnita fuisset immediatè deitati secũdum prædicatum absolutum sumptum absolute, Pater, & Spiritus Sãctus in his, quæ ad mysterium Incarnationis pertinent, communicassent cum Filio, non solum in voluntate, & in supereminentissima, & ineffabili operatione, sed etiam in terminatione humanitatis, nam terminatio illa fuisset tribus personis communis: ergo neganda est huiusmodi terminatio, vnioque immediata, & primaria humanitatis cum deitate sub conceptu absoluto sumpto absolutè.

14. *Solutio ex Durando.*

Huic argumento respondeti potest ex doctrina Durandi, verba Synodi, & Dionisij explicando de communicatione sufficiente pro absoluta prædicatione humanitatis assumptæ; sic enim Pater, & Spiritus Sanctus, non communicant in mysterio Incarnationis, nec consortes sunt cum Filio, de quo solum absolute prædicatur, hominem esse factum, quia humanitas vnita est Filio, nedum in cõmuni subsistentia, sed etiam secũdum proprietatem personalem; alijs autem personis non fuit humanitas vnita secundum proprietates personales, sed tantum secundum subsistentiam absolutam, & communem: quæ vnio sufficiens nõ est, vt humanitas sũpta in cõcreto de illis absolute prædicetur, vt explicat Durãdus *in.* 3 *dist.* 1. *q.* 2. & 4.

Durãd.

15. *Si vrgeas.*

Si vrgeas: nam Concilium asserit, Patrem, & Spiritum Sanctum nulla ratione cum Filio cõmunicare in mysterio Incarnationis, nisi misericordi, & benignissima voluntate; sed vniuersalis illa loquutio, maximè adiuncta exceptione, omnem aliam communicationem excludit: ergo nõ potest sine iniuria Concilij, & cõsequẽter, nec sine fidei detrimento defendi, Patrem, & Spiritum Sanctum cũ Filio communicasse in terminatione humanitatis, sub ratione absoluta, & tribus personis communi.

Respõdebit Durandus.

Respõdebit Durandus, verba Cõcilij, & Dionisij, etsi vniuersalia sint, ab omnibus esse aliqualiter restringenda ita vt nõ accipiantur cũ omni vniuersalitate, quam sonant, nam secundum fidem humanitas fuit vnita deitati, saltim secundariò, & mediatè, quæ cum sit aliquid Patris, & Spiritus Sancti, necessariò est asserendum, in illa cum Filio communicasse. Item in sententia communi Thomistis, quæ damnari absque audacia, & temeritate non potest, humanitas vnita fuit secundariò cum existentia absoluta naturæ diuinæ, quãdoquidem per illam existit, & consequenter in illa Verbũ incarnatum cum alijs personis communicat. Ac denique in sententia, extra Scholam D. Thomæ communi, & pluribus Thomistis plausibili, humanitas Christi sanctificata fuit à deitate sub conceptu naturæ sanctificatione morali, vel physica, & cõsequẽter in prædicato sãctitatis, aliæ personæ cum Verbo incarnato communicant: ergo omnes tenentur verba Cõcilij, aliqualiter restringere, illaque nõ accipere cum omnimoda vniuersalitate; ac proindè licebit Durando, maiorem restrictionem addendo, illa interpretari, vt *supra*, scilicet, de cõmunicatione sufficiẽte ad absolutam humanitatis prædicationem de Patre, & Spiritu Sancto.

16. *Si insistas.*

Si insistas: vniuersalis illa Concilij loquutio, scilicet, Pater, & Spiritus Sanctus nulla ratione cum Filio communicant, saltim excludere debet omnem cõmunicationem in termino, vel extremo Incarnationis primariò; sed hoc in omnibus sententijs relatis saluatur, non autem in sententia Durandi: ergo illius sententia verbis Concilij aduersatur.

Respõdebit Durandus primò.

Respondebit Durandus, negando maiorem; nam si iuxta omnes verba Concilij aliqualiter sunt restringenda, nec cum omnimoda vniuersalitate accipienda, poterit ab ipso addi aliqua maior restrictio.

Secũdò respondebit.

Præterquamquòd vnio humanitatis cum deitate, quam defendit Durandus, etsi ordine executionis sit prima; ordine tamen intentionis non est prima, sed secũda; ordinatur enim ad vlteriorem vnionem cum Verbo secũdum proprietatem personalem: vndè poterit Durandus verba Concilij

lij explicare de communicatione aliarum personarum cum Verbo in termino, & extremo vnionis humanitatis ordine intentionis primariò: & in hoc verum est, etiam in sentētia Durandi, Patrem, & Spiritum Sanctum cum Filio non communicasse.

17. *Reiicitur hæc doctrina*

Sed contra hanc euasionem obstat primò, verba Dionisij à 6. Synodo relata ferè ab vniuersis Theologis, vno, vel altero excepto, accipi cū omnimoda vniuersalitate: ita vt excludant ab alijs personis diuinis communicationem cum Verbo in termino primariò, & immediato vnionis humanitatis ad ipsum, sed Conciliorum verba accipiēda sunt, vt diximus, iuxta intelligentiam Theologorum cōmunem: ergo excludenda est à Verbo terminatio immediata humanitatis, sub prædicato absoluto sumpto absolute, & sub conceptu, & ratione omnibus personis communi, consequenterque est negandum, fuisse vnitam humanitatē primò, & per se deitati sub conceptu absoluto, & huic Deo omnibus personis communi, vt Durandus asseuerat.

18. *Tertio probatur conclusio.*

Deindè reijcitur, & est tertium argumentum, illudque in hac parte validissimum, nam sequitur ex sententia Durandi, non solum Filium, sed etiam Patrem, & idem est de Spiritu Sācto, dicēdum, fuisse incarnatū, & hominē esse factum. Consequens est contra fidem, qua credimus solam secundam Trinitatis personam esse incarnatam, & solum Verbum esse hominem factum pro nobis: ergo sententia Durādi sustinenda non est. Minor cū consequentia tenet; sequela autem probatur; quod enim convenit ratione sui huic Deo, vt cōmuni tribus personis, de illis omnibus prædicatur; sed in sētentia Durādi hic Deus, vt tribus personis cōmunis, ratione sui immediatè terminauit vnionem humanitatis, & consequentèr ratione sui, prout sic cōmunis, est Incarnatus, & ex vi Incarnationis est factus homo: ergo ex illius sententia sequitur, non solū Filium, sed etiam Patrem, & Spiritum Sanctum carnem assumpsisse, & homines esse factos.

Huic argumento respondet Durandus dupliciter: primò respondet *quæst. 2. allegata num. 12.* negando sequelam: vt enim de personis affirmetur humanitas, & de illis esse incarnatas dicatur, præter vnionem communem, secundum in existentiam, vnio personalis requiritur, ideſt, vnio secūdum id, quod cuilibet personæ est proprium. Quia ergo humanitas fuit Verbo vnita, non solum secundum in existentiam in prædicato communi, sed etiam vnione personali ratione proprietatis relatiuæ; cum alijs autē personis, solum fuit vnita secundum in existentiam in prædicato communi, non verò secundum proprietates relatiuas, hinc fit, vt solum de Verbo sit verum incarnatū, & hominē factum, secus autem de alijs personis.

19. *Respondet Durandus dupliciter, primò.*

Secundò respondet *q. 4. num. 7.* ex vnione humanitatis cum hoc Deo, vt tribus personis communi, & ex eo, quòd hic Deus Incarnatus sit, & factus homo, non sequi, quòd Pater Incarnatus, & homo factus absolute dici possit, benè tamen cum limitatione, & cū hac reduplicatione, scilicet, in quantum Deus, nam his nominibus Pater Incarnatus est, vel Spiritus Sanctus, importatur vnio humanitatis cum proprietate personali Patris, aut Spiritus Sancti; & terminatio per illam, quæ de facto non intercessit, sed tantum vnio cum prædicato communi respectu Patris, & Spiritus Sancti; & ideo concedi potest, Pater, in quantum Deus est homo, Spiritus Sāctus, in quantum Deus est Incarnatus; non autem potest absolutè dici Pater Incarnatus est, vel Pater est homo factus, & idem de Spiritu Sancto est dicendum; & hoc est quod fide credimus.

20. *Secūdò respōdet*

Nulla tamen ex his euasionibus argumento satisfacit, & prima reijcitur primò ex Concilio Toletano 6. illis verbis: *Nam si naturam hominis, deique alteram in alteram confudisset, tota Trinitas corpus assumpsisset, quoniam constat, naturam Trinitatis esse vnam, non tamen personam.* Ex quibus tale argumentum conficitur: si vnio humanitatis ad Verbum esset in

21. *Prima solutio reijcitur primò.*

Conc. Tolet.

natura

natura facta, quia hæc est toti Trinitati communis, infert Concilium, tres personas fore Incarnatas, & de omnibus verificandum esse, quòd corpus assumpsissent: ergo, si de facto vnio humanitatis ad Verbum, primo terminata est in prædicato omnibus personis communi, & primo facta cũ indiuiduo deitatis, vt communi tribus personis, de omnibus est verum dicere, quòd carnem, & corpus assumpserint, & quòd homines sint factæ.

22. *Secũdò.* Secundò reijcitur: etenim natura diuina propriè dicitur Incarnata, vt ex Damasceno *lib. 3. fidei orthodoxæ cap. 6.* docet D. Thom. *in præsenti art. 2.* quem sequuntur omnes Theologi, & rationem reddit D. Thomas *solutione ad 1. argum.* quia, nempè, natura diuina non differt suppositalitèr à Verbo, quod immediatè assũpsit humanitatem, & ratione sui fuit Incarnatum; sed Pater, & Spiritus Sãctus, non differunt suppositalitèr ab hoc Deo, vt communi tribus personis: ergo, si hic Deus immediatè, & ratione sui fuit Incarnatus, & homo factus, Pater, & Spiritus Sanctus propriè Incarnati dicentur, & homines facti.

S. Tho.

Cõfirmatur. Confirmatur: quia namque assumere naturam creatam sumptum pro principio actus, quod idem est, ac esse Incarnationis principium, convenit diuinis personis ratione naturæ, vt cõmunis, omnes diuinæ personæ dicuntur propriè principium Incarnationis, vt docet D. Thomas *in præsenti art. 4.* cui omnes Theologi consentiunt, nec ab aliquo potest negari: ergo, si terminare immediatè naturam humanã cõvenit Verbo ratione naturæ diuinæ, prout est tribus personis cõmunis, omnes cum proprietate dicentur terminare humanitatem, & consequentèr dicentur propriè Incarnatæ, & cum proprietate homines.

S. Tho.

23. *Tertiò.* Denique reijcitur: nam id, quod convenit naturæ secundum se, & ratione sui immediatè, prædicatur de omnibus personis diuinis: ergo, si esse hominem, terminareque humanitatem, deitati ratione sui convenit immediatè, vel huic Deo, vt communi tribus personis, omnes diuinæ personæ terminant humanitatem, & ex vi Incarnationis sunt homo. Consequẽtia tenet; antecedens autem est expressum D. Thomæ *in hac q. art. 2. ad 2. & art. 4. in corpore.* Et ostenditur primò: quia namque sapientia, misericordia, & iustitia conveniunt naturæ diuinæ, vt communi tribus personis, etiam personis conveniunt, & de illis prædicantur: ergo omne prædicatum conveniens Deo immediatè ratione naturæ, vt communis, prædicatur de personis. Secundò probatur: nam hæc consequentia est bona: *Hic Deus, vt communis tribus diuinis personis, est ratione sui homo; sed Pater est hic Deus: ergo Pater est homo.* Sed, supposita vnione immediata humanitatis cum hoc Deo, vt communi Trinitati, omnes præmissæ sunt veræ: ergo tali vnione suppositа, vt à Durando statuitur, non solum Filius, sed etiam Pater est homo, idemque est de Spiritu Sancto dicendum.

24. *Secũda solutio Durãdi reijcitur primò.* Deindè secunda solutio reijcitur primò. Quia Patrem esse hominem, in quantum Deum, & prout sic esse Incarnatum, nullus ex Patribus docuit, nec aliquis Theologorũ, præter Durandum, asseruit: ergo id asseuerare, audacia, & temeritate non vacat. Secundò, nam quæ huic Deo conveniũt ratione naturæ, vt communis Trinitati, absolutè, & sine addito, prædicantur de personis: ergo, si terminatio humanitatis, & humanitas terminata in concreto prædicantur de indiuiduo deitatis ratione naturæ, vt communis, absolutè, & sine vllo addito diminuente, de personis prædicãtur. Antecedens cõstat primò in exẽplis adductis: quia namque sapientia, misericordia, & iustitia conveniunt Deo ratione naturæ, vt communis de omnibus personis diuinis, absolutè prædicantur; creatio etiam, & omnes operationes ad extra, quia huic Deo conveniunt ratione naturæ, vt communis, sine vlla determinatione prædicantur de personis: ergo omne, quod huic Deo convenit ratione naturæ, vt cõmunis, absolutè de personis prædicatur. Secũdò, nam quæhibet persona diuina conflat natura,

pro-

proprietateque perſonali, & ex illis conſtituitur: ergo ſicut quæ conveniunt perſonis ratione proprietatum perſonalium, abſolutè enuntiantur de illis: ita quæ eis conveniunt ratione naturæ, vt cõmunis, abſolutè, & ſine limitatione prædicantur de perſonis.

25. *Quid de cenſura dicendũ?*

Maneat ergo firmum, vnionem humanitatis ad Verbum non eſſe immediatè factam in aliquo prædicato abſoluto, in quo omnes Theologi cõtra Durandum conſentiunt. An autem ſententia Durandi aliqua cenſura ſit digna, non eſt facilè decernere, quod ſatis indicant varia Theologorum iudicia; quibuſdam hæreticam, alijs erroneam, alijs temerariam, alijs proximam errori, illius ſententiam, cenſentibus. Et quidem, quòd non ſit hæretica ex hucuſque dictis colligitur; non enim eſt expreſsè in aliquo Cõcilio damnata, nec aliquo teſtimonio Scripturæ eius contrarium exprimitur, nec ab aliquo Pontifice diffinitũ invenitur, decretaque Conciliorũ, quibus contra Durandũ arguitur, qualem qualem euaſionem admittunt, vt vidimus. Quòd autem erronea non ſit, etiam ex dictis habetur; non enim ex reuelatis per euidentem conſequẽtiam illius cõtrarium colligitur, nam argumenta, quæ fecimus, eſto vrgentia ſint, non tamen euidentèr concludunt: etſi quis tenaciter vellet Durando adhærere, & illius ſententiam defendere, poſſet illis apparentèr occurrere. Obquæ, & quia plures Durandi ſententiam non damnant, alij autem, vt Suarez, ſolum improbabilem iudicant, illam damnare non audeo, ſed nec illam defendere auderem: tùm: quia communi Theologorum ſentẽtiæ adverſatur, quod periculoſum eſt in re Theologica, & graui. Tùm etiã; quia argumentum, quod fecimus, & quo Theologi ducuntur inferentes ex ſententia Durandi, tres perſonas fuiſſe incarnatas difficilimè ſolutionem admittit. Tùm denique, quia duas vniones inter ſe inconnexas ſtatuit, alteram quoad exiſtentiam cum hoc Deo, vt Trinitati communi, & alteram perſonalem cum Verbo ſecundũ proprietatem relatiuam, quod ante Durandum fuit inauditum, & poſt ipſum abomnibus reprobatum: vndè meritò cum Caietano cenſeo, illius ſententiam cauendam.

26. *Secũda pars cõcluſionis probatur.*

Quòd autem vnio humanitatis ad Verbum facta ſit cum perſonalitate Verbi immediatè, vt in *ſecunda parte noſtræ concluſionis* aſſeritur, patet primò: nam hæc vnio facta eſt in aliquo prædicato Verbi immediatè; ſed non in prædicato abſoluto: ergo in perſonali, & relatiuo; cum enim in Verbo ſolum abſoluta, & notionalia prædicata inveniantur, eo ipſo, quòd vnio in prædicato abſoluto facta non ſit, ne ceſſariò eſt dicendum, in notionali, & perſonali proprietate eſſe factam. Secundò, nam vnio humanitatis ad Verbum perſonalis eſt, & Verbo propria, non autem toti Trinitati communis, vt conſtat ex dictis: ergo immediatè terminatur proprietati perſonali Verbi, illique humanitas immediatè fuit vnita, & ad eſſe perſonale immediatè ſuſcepta.

27. *Tertia pars probatur.*

Quòd deniq; humanitas mediatè fuerit diuinæ naturæ vnita, quod in *tertia parte noſtræ cõcluſionis* aſſeritur, cõſtat primò: nam eſt immediatè vnita proprietati perſonali Verbi; ſed cum hac eſt natura diuina, omninò realitèr identificata: ergo illi eſt *mediatè vnita*. Secundò, nam vnio humanitatis ad Verbũ eſt facta cũ illo, prout eſt perſona diuina: ergo eſt facta cum Verbo vt ſubſiſtente in diuina natura, & conſequentèr cum natura diuina mediatè. Præterea, vt enim ex Damaſceno *lib. 3. fidei orthodoxæ cap. 6.* docet D. Thomas *in hac q. art. 2.* cui omnes Theologi ſubſcribunt, natura diuina propriè dicitur incarnata; ſed hoc verũ eſſe non poteſt, ſi humanitas illi mediatè nõ fuit vnita: ergo aſſerẽdũ eſt, humanitatem eſſe vnitã deitati mediatè. Deniq; nã iuxta frequentiorẽ Theologorũ ſententiã, quã *tract. 4. dabimus*, humanitas ſanctificata eſt formaliter à deitate ſub conceptu naturæ; ſed abſq; vnione phyſica cũ illa, ſaltim mediata, non potuit humanitas à deitate ſanctificari formaliter: ergo fuit vnita deitati mediatè.

S. Tho.

§. II.

Diluuntur duo argumenta contrariæ sententiæ.

28. *Arguitur primò.*

CONTRA nostram conclusionem arguitur primò; nam personalitas Verbi est idē cum diuina natura: ergo non stat, vniri humanitatē personalitati Verbi immediatè, & nō immediatè, sed mediatè diuinæ naturæ vniri. Patet consequentia: nam inter omninò eadem nō potest esse mediatio: ergo, si personalitas, & natura diuina omninò idētificantur, non potest inter illa mediatio intercedere, & consequentèr, si humanitas fuit immediatè vnita personalitati Verbi, fuit etiam immediatè vnita deitati.

Respondet Durandus.

Hoc argumentum non potest Durando fauere; cum enim ipse defendat, vnitam fuisse humanitatem immediatè deitati sub conceptu absoluto, & mediatè proprietati personali Verbi, vel duplicem vnionem distinguat, vnam cum deitate quoad existētiam, & aliam personalem cum proprietate Verbi relatiua, tenetur argumentum factum soluere: illo *q. 2. allegata num. 14.* convincitur, vt distinctionem aliquomodo realem, siuè ex natura rei inter naturam, & proprietatem personalem Verbi constituat.

Reijcitur eius solutio.

Illius tamen sententia displicet communiter Theologis, illamque fusè reiecimus *tract. de diuinis relationibus 1. p. q. 28.* quia ex illa sequeretur compositio aliquomodo realis inter deitatem, & proprietates personales diuinas, quod cum summa Dei simplicitate non congruit. Quòd autem sequatur patet: nam compositiō est distinctorum vnio: ergo vnio distinctorum aliquomodo realiter est compositio aliquomodo realis, & consequentèr, si proprietas relatiua Verbi, & natura diuina distinguuntur aliquomodo realiter ex illis vnitis, compositio aliquomodo realis consurgit. Quid Durando huic argumento respondeam, *loco allegato* vidimus, & fatè impugnauimus.

29. *Recentiorum doctrina.*

Recentiores quidam Theologi, quos sine nomine refert Arriaga *tom. 6. disput. 26 sect. 1.* non recognoscunt in Deo prædicatum aliquod, siuè naturæ, siuè attributale, quod sit vnum numero, realiterque indistinctum in illis, sed solum admittunt tres res omninò adæquatè distinctas, quæ ideo dicuntur esse eiusdem naturæ, quia sunt necessitatæ ad idem volēdum, & cognoscendum: vndè, cum Concilia, Patres, & Theologi docent, vnionem humanitatis ad Verbum, non in natura, sed in persona esse factam, aiunt, nihil aliud diffinire voluisse, quam quòd nō fuerit tribus personis vnita, quæ simul sumptæ vnam constituunt naturam, in Filio autem nihil prædicti Auctores agnoscunt tē, aut ratione à proprietate personali distinctum, quòd *non fuerit immediatè vnitum humanitati.*

30. *Hoc tamen deliramentum est, non catholica doctrina.*

Hoc tamen deliramentum indignum est, vt inter catholicorum sententias à viro Theologo *recenseatur*, nec mihi possum suadere in alicuius catholici mentem *venisse*: vndè valdè suspicor, Arriagam hostem, quem fēriret, finxisse, *& tom. 1. disput. 41. sect. 2.* vbi fusiùs rem hanc tractat, nullum refert id docentem, sed solum asserit, se apud Patrem Ruiz inuenisse hanc explicationē Trinitatis quasi sub dubio propositam. Cæterum de illius veritate dubitare, est prorsus esse dubium in fide, quod de Patre Ruiz non crediderim, nam articulus qui nobis credendus proponitur, docet, in Deo tres personas in vna simplici essentia, & vnius simplicis, & omninò indiuisæ naturæ; at iuxta hanc explicationem vna essentia nō defenditur, nec vna personarum natura saluatur: ergo per illam primus nostræ fidei articulus, quo Dei vnitas nobis credenda proponitur, omninò destruitur. Probatur minor: iuxta istam explicationem, non solùm personalitas Patris, realitèr est a personalitate Filij distincta, sed etiam deitas Patris realitèr a deitate Filij distinguitur, sed quia

Reijcitur quia primum nostræ fidei articulū destruit.

per-

perſonalitates Patris, & Filij, realitèr diſtinguuntur, non ſunt vna perſona, ſed duæ: ergo, nec ſunt vna, & eadem natura, nec vnius, & eiuſdem eſſentiæ, & conſequētèr explicatione prædicta penitus euertitur primus noſtræ fidei articulus, quo credimus vnum Deum.

31. *Secūdò reijcitur*

Deindè reijcitur: nam Pater eſt Deus; ſed non deitate diſtincta à deitate Filij: ergo deitate eadem, & conſequentèr datur natura tribus perſonis communis, quæ in illis eſt vna numero, & omninò realitèr indiſtincta. Maior cum conſequentia tenet; minor autem oſtenditur primò: ſi namque eſſet Deus deitate diſtincta, Pater, & Filius vnus Deus eſſe nō poſſent, nam vnitas huius concreti Deus vnitatem formæ requirit; ſed ſecundum fidem catholicam Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, nō tres Dij, ſed vnus ſunt Deus: ergo Pater non eſt Deus deitate realitèr diſtincta à deitate Filij. Secundò probatur minor: nam ſi Pater eſſet Deus deitate realitèr diſtincta à deitate Filij, ex vtraque deitate reſultaret vna deitas vnitate aggregationis; ſed vnitas naturæ, quam fides ſtatuit in Deo eſt vnitas omnimodæ ſimplicitatis, & inter omnes vnitates perfectiſsima, ac proindè aggregationis eſſe non poteſt, quæ nec cum omnimoda ſimplicitate compatitur, nec perfecta vnitas eſt: ergo Pater eſt Deus, non deitate realitèr diſtincta à deitate Filij, ſed vna numero deitate. Tertiò probatur: nam ſecundum fidem Pater eſt perfectus Deus; ſed ſi deitas Patris eſſet realitèr à deitate Filij diſtincta, Pater Deus perfectus non eſſet: ergo deitas Patris non diſtinguitur realitèr à deitate Filij. Maior cū conſequentia tenet; minor autem probatur: deitas Patris non eſſet perfecta deitas: ergo Pater perfectus Deus nō eſſet. Probatur antecedens: cui deeſt aliquid perfectionis in aliqua linea, ſummè perfectum in illa linea nō eſt; ſed deitati Patris deeſſet deitas Filij, quæ perfectio eſt in linea deitatis: ergo deitas Patris in ratione deitatis ſummè perfecta non eſſet.

32. Confirmatur primò: quia in Petro, v.c. non continetur humanitas Pauli, nec formalitèr, nec eminentèr, Petrus in linea hominis ſummè perfectus non eſt; ſed ſi deitas Patris eſſet realitèr diſtincta à deitate Filij, hæc in illa non contineretur formalitèr, aut eminentèr: ergo deitas Patris ſummè perfecta in linea deitatis non eſſet. Confirmatur, & vrgetur ſecundò: implicat, Patrem eſſe Deum deitate adæquatè diſtincta à deitate Filij, & eſſe perfectum Deum: ergo pariter implicat, eſſe Deum deitate diſtincta, inadæquatè à deitate Filij, & quòd ſit perfectus Deus. Antecedens eſt certum: indè namque inter alia probatur, implicare Deorum pluralitatem, quia non ſtat, eſſe plures, & eſſe ſummè perfectos; de ratione autem Dei eſt ſummè perfectum eſſe; conſequētia autem probatur, nam ideo cum diſtinctione adæquata deitatis nō cōponitur ſumma perfectio, quia vna deitas adæquatè ab alia diſtincta, illā non contineret eminentèr, aut formalitèr; ſed deitas ab alia deitate inadæquatè diſtincta non contineret illam aliquo ex prædictis modis: ergo cū diſtinctione reali inadæquata deitatis Patris à deitate Filij non ſtat, Patrem eſſe ſummè perfectum, & conſequentèr nec poteſt cum tali diſtinctione componi, Patrem eſſe Deum perfectum.

Cōfirmatur primò.

Secūdò.

33. Confirmatur, & vrgetur tertiò: ſi deitas Patris eſſet realitèr diſtincta à deitate Filij, etiā voluntas Patris à voluntate Filij realitèr diſtingueretur; ſed nō ſtat, voluntatē Patris à voluntate Filij eſſe realitèr diſtinctam: ergo nec diſtinctio deitatis Patris à deitate Filij. Maior cum conſequentia tenet; minor autem probatur: ſi voluntas Patris à voluntate Filij eſſet realitèr diſtincta, non eſſent Pater, & Filius neceſſitati ad idem omninò volendum, cuius oppoſitū dicti Recentiores docent: ergo diſtinctio voluntatum non componitur cum illorum doctrina. Probatur aſſumptum: voluntas realitèr ab alia diſtincta, illique in nullo ſubordinata, non eſt, vndè poſſit ad idem volendum, quod alia neceſſitari; ſed voluntas Patris nō eſſet volun-

Cōfirmatur tertiò.

tati

tati Filij subordinata, aut è contra; deitati namque, & supremæ voluntati omnis subordinatio repugnat, vt naturæ lumine est notum: ergo, si realitèr distinguerentur voluntas Patris, & voluntas Filij, non essent Pater, & Filius ad idem volendum omninò necessitati.

34. *Reijcitur tertia solutio.*

Tertiò reijcitur: nam sequitur ex illorum doctrina, deitatem Filij esse realitèr productam à deitate Patris: consequẽs hæreticum est: ergo etiam Recentiorum doctrina. Consequentia tenet, minor constat, nam licet verum, & catholicum sit, Deum genuisse Deum; deitatem autem genuisse deidatem, hæretica assertio est; sed si deitas Filij esset realitèr à deitate Patris producta, esset realitèr ab illa genita: ergo deitatem Filij à deitate Patris esse realitèr productam, hæreticũ est. Sequela autem ostenditur primò: quia namque Filius realiter à Patre distinguitur, Filius realiter à Patre producitur, & similiter Filiatio: ergo, si deitas realiter à deitate Patris distinguitur, realiter ab illa producitur. Secundò probatur: in Deo nãque omnia sunt vnum, inter quæ nõ datur relatiua oppositio producentis, & producti: ergo nõ potest deitas Filij realiter distingui à deitate Patris, nisi ab illa producatur, & nisi inter se opponãtur oppositione producentis, & producti. Tertiò probatur ad hominem contra Recentiores suppositos: quia namque inter naturam Filij, & illius relationem, realis distinctio non datur, inferunt ipsi, non potuisse humanitatem vniri immediatè cum relatione Filij, & non vniri immediatè cum Filij natura: ergo etiam debent inferre, non posse filiationem realiter produci, quin natura Filij realiter producatur. Patet consequentia; non enim minorem distinctionẽ requirunt produci realiter, & realiter non produci, quam immediatè vniri, & non immediatè vniri: ergo, si ob indistinctionẽ deitatis Filij à proprietate personali illius, non fit, proprietatem personalem Filij vniri immediatè humanitati, quin deitas Filij etiam immediatè vniatur, ob eandem indistinctionem, non fiabit proprietatem personalem Filij realiter produci à Patre, & illius deitatem realiter non produci.

35. *Vltimò reijcitur*

Denique contra illos somniatos Recentiores arguitur: nam sequitur ex illorum doctrina, vnionem humanitatis ad Verbum esse factam in natura Verbi, prout inadæquatè realiter à deitate Patris distincta: consequens absurdum est: ergo etiam Recentiorum doctrina. *Minor* constat, nam ideò negatur à Theologis, vnionem humanitatis ad Verbum esse factam in natura, quia ex deitate, & humanitate vnitis, non resultat vna natura; sed ex deitate Verbi, prout inadæquatè realitèr à deitate Patris, iuxta illos distincta, & humanitate illi vnita, non resultat vna natura: ergo non est facta vnio in natura Verbi, vt inadæquatè realiter à natura Patris distincta, prout ab illis præsupponitur. Sequela autem ostẽditur primò: ipsi namque cum indistinctione reali naturæ à personalitate non percipiũt vt posibile vnionem in persona, & non in natura esse factam; sed natura Filij, prout inadæquatè à natura Patris distincta, non distinguitur realiter à personalitate Filij, imò nec virtualiter in illorum sententia: ergo ex illa sequitur, vnionẽ humanitatis ad Verbum factam fuisse in natura Verbi, prout à natura Patris distincta.

36.

Secundò probatur: nam indè solum negant, vnionem factam esse in natura, quia non est cũ tribus personis facta; sed hoc solũ probat, non esse factam vnionem in natura aliarum personarum, scilicet, Patris, & Spiritus Sancti: ergo in illorum principijs facta est in natura Filij, prout inadæquatè à natura aliarum personarum distincta. Confirmatur: nam sequitur ex relata sententia, humanitatem esse vnitam mediatè tribus personis: consequens absurdum est, alias tres personæ incarnatæ dicerentur: ergo. Probatur sequela, nã cõmunis Theologorum doctrina, quam ipsi saluare contendunt, docet, humanitatem esse vnitam immediatè personalitati Verbi, & mediatè naturæ diuinæ; sed relati Auctores negant, immediatã vnionem

nem humanitatis cum natura diuina, quia non est tribus personis vnita: ergo, vt saluent, esse vnitam mediatè naturæ diuinæ, tenentur fateri, esse mediatè vnitam tribus diuinis personis, quod communi Patrum, & Theologorum sententiæ aduersatur.

37. *Vera solutio.* Hac igitur doctrina, vt fidei contraria relicta, ad primum argumentum respondeo, distinguendo antecedens: personalitas Verbi est idem cum natura diuina identitate reali formali, concedo antecedens: identitate virtuali, nego antecedens, & consequentiam; sicut enim distinctio virtualis naturæ à paternitate sufficit, vt Filio communicetur natura diuina, & non communicetur paternitas; & sicut eadem distinctio inter naturam, & filiationem sufficit, vt producatur filiatio, & non producatur natura: ita etiam est sufficiens, vt filiatio immediatè terminet humanitatem, illique immediatè vniatur, & nō vniatur immediatè natura.

38. *Replicabis.* Sed dices: vnio humanitatis cum proprietate personali Verbi est cum illa, vt est in re; sed proprietas Verbi, vt in re, est idem cum natura diuina: ergo vnio humanitatis ad Verbum facta est cum natura diuina immediatè. Patet cōsequentia; quia namque visio beatifica terminatur ad deitatē, vt in re, & prout sic non differt à relationibus, non potest non terminari ad relationes, vt docet frequētior Theologorum sententia 1. *p. q.* 12. *art.* 8. ergo, si humanitas vnitur proprietati personali Verbi vt in re, & vt sic, est idem cum diuina natura, immediatè vnitur cum illa.

Respondetur. Respondeo, concessa maiori, distinguendo minorem: proprietas Verbi, vt in re, est idem cum diuina natura identitate reali formali, concedo minorem: identitate virtuali, nego minorem, & consequentiam; sicut enim, quamvis natura diuina, vt in re est, communicetur Filio, & in re sit idem realiter, & formaliter cum paternitate; quia tamen adhuc prout in re virtualiter ab illa distinguitur, communicatur Filio natura, & non communicatur paternitas: & similiter licet filiatio, vt in re est, producatur, & prout in re sit identificata naturæ idētitate reali formali; quia tamen, ab illa virtualiter distinguitur, paternitate producta, non producitur natura: ita quamvis personalitas Verbi, prout est in re, terminet humanitatem, & prout sic, sit idem realiter cum natura diuina, quia virtualiter ab illa distinguitur, non sequitur, quòd natura immediatè humanitatem terminet, nec quòd humanitas cum illa immediatè vniatur.

39. *Ad probationē consequētiæ respondent Recentiores.* Ad probationem consequentiæ quidam Recentiores respondent, negando antecedens; censent enim, eandem esse rationem de visione beatifica, ac de vnione humanitatis: vndè, sicut hæc à natura diuina præscindit, vt primariò terminante: ita de potētia absoluta potest videri essentia præcisiuè à relationibus, nec aliter existimant, posse sufficienter argumento facto occurri. *Reiicitur primò.* Hæc tamen doctrina non placet, & reiicitur primò: nam sententia docens, non posse Dei essentiam videri, etiam de potentia absoluta, relationibus non visis, frequentior est apud Theologos; doctrina autē, quam defendimus, est cōmunis Theologorum, & adeò certa apud ipsos, vt opposita sententia ad minus sit improbabilis: ergo alligandā non est oppositæ opinioni asserenti, posse videri essentiam, relationibus non visis. *Secundò.* Deindè, nam de facto videtur essentia, & videntur relationes, ex vi eiusdem actus immediatè, saltim vt *quod*; sed de facto natura diuina, non vnitur immediatè vt *quod* humanitati: ergo disparitas est constituenda inter vnionem humanitatis, & beatificam visionem, & consequenter non est eadem omninò ratio. *Tertiò.* Præterea, nam quidquid sit de visione intuitiua quidditatiua, an possit terminari ad essentiam præcisiuè à relationibus, si tamen comprehensiua sit, non potest inter illas præscindere; sed in terminādo vnionem terminatione immediata de facto datur præcisio: ergo dispar ratio est inter vnionē, & cognitionem.

40. *Quartò.* Denique, nam cognitio rei quidditatiua, non solum non præscindit

inter

inter prædicata realitèr identificata, sed nec etiam præscindere potest à prædicatis essentialitèr cõnexis, quãuis realitèr distinctis; sed in terminando vnionem datur inter prædicata realitèr distincta, quamvis essentialitèr connexa præcisio: ergo ex vno ad aliud argumentum non tenet. Consequentia videtur bona, minor certa; nam deitas connexa est cũ creaturis posibilibus, in veriori Thomistarum sententia; & tamen terminare potest vnionem humanitatis, quin illam terminent creaturæ posibiles: proprietas etiam personalis Verbi cõnexa est essentialitèr cum proprietate personali Patris; & tamen proprietas Verbi terminat humanitatẽ, proprietate Patris illam non terminante: ergo in terminando vnionem datur præcisio inter prædicata realitèr distincta, quamvis connexa essentialitèr. Minor autem eisdem exemplis probatur; non enim potest diuina essentia quidditatiuè cognosci, nõ cognitis creaturis, saltim sub ratione cõmuni posibilis, vt cum frequentiori sententia docuimus *tract. de visione Dei 1.p. quæst.12.art.7.& 8.* Similitèr etiam, non potest filiatio quidditatiuè cognosci, paternitate non cognita, cum relatiua, natura, & cognitione sint simul: ergo non datur in cognitione præcisio inter prædicata distincta essentialitèr connexa.

41. *Respondetur ad cõsequẽtiæ probationẽ.*

Vndè, hac solutione omissa, ad consequentiæ probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam; & ratio discriminis est; nam in terminando visionem omnes diuinæ formalitates conueniunt, & sub eadem ratione illam terminant, non sic in terminando humanitatem vnitam, sed personalitas ratione illius, per quod ab essẽtia virtualitèr distinguitur, terminat humanitatem; & ideò potest personalitas Verbi immediatè terminare, natura diuina non terminante immediatè. Est etiam alia differentiæ ratio; vt enim aliquid necessariò cognoscatur, cum alio cognito, sufficit cõnexio intrinseca, & formalis vtriusque; non sic autem, vt vnum necessariò terminet, altero terminante, vt *nuper* asserebamus, alias terminante per personalitate Verbi humanitatẽ, necessariò illã terminaret personalitas Patris, cum inter vtramque sit necessaria connexio; virtualis autem distinctio essentiæ diuinæ à proprietatibus relatiuis, non tollit necessariam illarũ connexionẽ: imò nec intimam inclusionẽ, vt *alibi* fusè docuimus: & ideò licet virtualitèr distinguantur, non potest videri essentia latentibus relationibus; possunt tamen proprietates relatiuæ terminare humanitatẽ, quin natura diuina illam terminet immediatè.

42. *Secũdò arguitur argumẽto Durãdi.*

Secundò arguitur argumẽto Durandi: ex vnione immediata humanitatis cum deitate, non sequitur vnio personalis cũ tribus diuinis personis: ergo ex tali vnione, non sequitur tres personas esse incarnatas de facto, nec humanitatem de illis in cõcreto prædicari, & consequentèr non est, cur vnio prædicta negetur. Prima consequentia ex antecedenti colligitur: vt enim tres personæ incarnatæ dicãtur, & humanitas prædicetur de illis, vnio personalis requiritur, hoc est, quòd humanitas vniatur cum personis, nõ solum secundũ rationẽ absolutam, & communẽ, sed etiam secundum proprietates personales. Secunda etiam consequentia tenet; nam præcipuum contra Durandum fundamentum est prædictum inconueniens: ergo, si tale inconueniens non sequitur, non est, cur illius sententia negetur. Antecedens autem probat Durandus duplicitèr. Primò; nam intimius vnitur paternitas, v.c. cum natura diuina cõmuni, quam humanitas vnitur, esto immediatè coniungatur cũ illa; nam vnio paternitatis est cum reali identitate; non sic autem vnio humanitatis, quæ licet immediata sit, manet realitèr entitatiuè à deitate distincta; sed ex vnione paternitatis cum deitate, non sequitur, quòd, si deitas personalitèr inuenitur in Filio, & de illo prædicatur, paternitas personalitèr Filio conueniat, prædicetur que de illo: ergo paritèr ex vnione immediata humanitatis cum deitate, non sequitur, quòd, si deitas personalitèr reperitur

Antecedens probat primò.

in Patre, & de illo prædicatur, humanitas vniatur perſonalitèr Patri, & prædicetur de illo.

43. *Secùdo.* Secundò probat idem antecedens: nam de facto vnitur humanitas, ſaltim mediatè, cum exiſtentia naturæ diuinæ; non enim exiſtit per exiſtentiam propriam creatam, ſed per exiſtentiam diuinam, vt docet D. Thomas *infra quæſtione* 17. quam relatiuam non eſſe, ſed abſolutam, & vnicam tantùm in Deo ex D. Thoma monſtrauimus *tractat. de Trinitate* 1. *p. quæſt.* 28. non autem poteſt per exiſtentiam diuinam abſolutam exiſtere, niſi vniatur, ſaltim mediatè cum illa; & tamen ex vnione mediata cum exiſtentia Dei abſoluta, & tribus perſonis communi, non ſequitur vnio quaſi mediata cum Patre, & Spiritu Sancto: ergo paritèr, ex vnione immediata humanitatis cum exiſtentia abſoluta naturæ diuinæ, non ſequitur vnio mediata cum Patre, aut Spiritu Sancto, ſecundum proprietates perſonales, & quæ ſufficiens ſit, vt dicantur incarnati, & vt prædicetur de illis humanitas in concreto.

S. Tho.

44. *Reſpondetur.* Reſpondeo, negando antecedēs; quamvis enim ex prædicta vnione, non ſequatur vnio humanitatis immediata cum perſonis, ſecundum proprietates perſonales; ſequitur tamen vnio mediata cum illis, & quæ ſufficiens ſit, vt humanitas in concreto de perſonis prædicetur, vt conſtat ex dictis arguendo contra Durandum. Ad primam antecedentis probationem, conceſſis maiori, & minori, nego cōſequentiam; quòd enim ex identitate paternitatis cum natura diuina, & naturæ cum filiatione, nō ſequatur idētitas filiationis, & paternitatis inter ſe, prouenit ex eo, quòd natura diuina cum nulla illarum opponitur; inter ſe autem opponuntur relatiuè, vt tradit communis Theologorum doctrina 1. *part. quæſt.* 28. cum D. Thoma *art.* 3. *ad* 1. *& 2. argumentum*, vbi docet, quòd, quia potentia, & bonitas non important in ſuis rationibus aliquam oppoſitionem, ex identitate, quam habent cum eſſentia, colligitur, inter ſe identificari; quæ tamen conſequētia in paternitate, & filiatione non tenet: quia in ſuis proprijs rationibus oppoſitionem relatiuam important. Cum ergo humanitas oppoſitionem non habeat cum aliqua ex proprietatibus relatiuis, rectè infertur ex eo, quòd huic Deo, vt communi tribus perſonis, vniatur, de illoque, vt ſic prædicetur, & hic Deus perſonis conveniat, & prædicetur de illis, humanitatem mediatè tribus perſonis vniri, & de ipſis in cōcreto prædicari.

Ad primā probationē antecedentis.

45. *Ad ſecūdā reſpō det Vaz quez.* Ad ſecundā probationē, Vazquez, pluresque Recentiores Societatis reſpondent, negando maiorē; cenſentes etiam ex vnione mediata humanitatis cum exiſtentia abſoluta naturæ diuinæ, idem inconveniens ſequi, quod ex immediata vnione cū deitate colligitur: vndè Capreolum, & alios diſcipulos D. Thomæ, huiuſmodi vnionem adſtruentes, Durando adiungendos exiſtimant, & cū illo damnandos. Immeritò tamen, & omninò irrationabilitèr probabiliſsimā Thomiſtarū doctrinam, cuius veritatem tractatu ſequenti mōſtrabimus, ſententiæ Durandi adiungunt præfati Auctores. Et quidem ipſi cum cōmuni Theologorum, & Patrū ſententia docent, fuiſſe humanitatē mediatè diuinæ naturæ vnitam; & tamen ex hoc nō ſequitur vnio cū tribus perſonis, ratione cuius humanitas prædicetur de illis: ergo nec ex eo, quod fuerit vnita mediatè cum exiſtētia diuina abſoluta, dictum inconveniens ſequitur.

Reijcitur eius ſolutio.

46. *Reſpondet.* Reſpōdēt, negādo cōſequētiā: nā vnio mediata humanitatis cū natura diuina, eſt omninò materialis, nec natura diuina aliquē actū in humanitate exercet, qui cōmunis ſit perſonis; & ideò ex tali vnione, nō ſequitur humanitatē tribus perſonis vniri, nec de illis prædicari: vnio autē quā Thomiſtæ cōcedūt humanitati cū exiſtētia abſoluta naturæ diuinæ, licet ſit mediata, eſt formalis, ita vt formalitèr exiſtat per exiſtētiā naturæ: vndè natura diuina actū iſtū exiſtēdi præbet humanitati, & etiā tribus perſonis; ex quo ſequitur perſonas cū humanitate cōmunicare in prædicto actu exiſtēdi: ac proindè colligitur humanitatē eſſe vni-

tam

tam cum personis, & de illis in concreto prædicari.

47. *Contra primò.* Sed contra primò; nam humanitas ita vnitur diuinitati mediatè, vt ratione illius vnionis diuinitas incarnata dicatur communi Scholasticorũ consensu, quia ex hoc inferatur tres personas esse incarnatas; & tamen si immediatè humanitas diuinitati vniretur, non possent non dici incarnatæ tres personæ, vt contra Durãdũ arguitur: ergo dispar ratio est inter mediatam, & immediatam vnionem. Deindè; nam si humanitas vniretur immediatè deitati, esto nullum effectum, vel quasi effectum formalem à deitate reciperet, vt aliqui censent possibile; non posset non vniri tribus diuinis personis: ergo, si modò non vnitur cum illis, non est, quia à deitate non recipit aliquem effectum formalem; sed quia vnitur illi mediatè: ac proindè ex mediata vnione humanitatis cum existẽtia absoluta, non sequitur esse vnitam mediatè tribus diuinis personis, aut de illis prædicari. *Secũdò.* Denique; nam diuinitas ita humanitati vnitur, vt illi præstet sanctitatis effectum; & tamen ex hoc, non sequitur, tres personas esse humanitati vnitas: ergo paritèr ex eo, quòd diuina natura vnatur humanitati mediatè, vnione non materiali, sed formali sub conceptu existentiæ; non sequitur tres personas esse incarnatas, & humanitati vnitas. *Tertiò.*

48. *Vera solutio.* Vndè ad consequentiæ probationem, concessis maiori, & minori, nego consequentiam; disparitas autem est; nam vnio mediata humanitatis cũ existẽtia absoluta, fit ratione vnionis immediatæ cum personalitate Verbi: vndè, non terminatur ad existentiam absolutã sumptam absolutè, & prout Trinitati communem, sed prout Verbo propriam; ideoque ex vnione hac mediata cum natura diuina, sub conceptu existentiæ, non sequitur humanitatem tribus personis vniri, & de illis prædicari; benè tamẽ ex vnione immediata cũ existentia, vel subsistentia absoluta, prout à Durando statuitur: quia est cũ prædicato absoluto ratione sui sumpto absolutè, & prout toti Trinitati communi; ea autem, quæ conueniunt perfectionibus absolutis Dei, prout communes sunt Trinitati, necessariò conueniunt personis, & de illis prædicantur.

49. *Obycies* Nec refert, si obijcias, vniri aliqua inter se consistere in eo, quòd in aliquo illis communi communicent, seu conueniant; sed eo ipso, quod humanitas existat per existentiam absolutam naturæ, conueniunt humanitas, & tres personæ diuinæ in aliquo ipsis communi, nempè, in existentia absoluta, cum per illam personæ diuinæ, & humanitas existant; de illisque prædicetur: ergo vniuntur inter se: & consequẽtèr ex tali vnione quãtũuis mediata sit, sequitur humanitatẽ esse tribus personis vnitam, & de illis in concreto prædicari.

50. *Respondetur.* Non, inquam, refert; respondetur enim, negando minorem; nam vt aliqua inter se vniantur, & in aliquo prædicato conueniant, debet illis conuenire tale prædicatum, vt cõmune omnibus est; si autem quamvis commune sit, non vt commune applicetur, sed vt alicui extremo alligatum, & appropriatum, non consurgit conuenientia, vnio, aut communicatio extremorum, vt ex dicendis infra constabit; & ita in præsenti contingit; vnitur enim cum humanitate existentia absoluta, quæ communis est tribus personis diuinis; non tamen vnitur illi, vt communis, & sumpta absolutè, sed prout est in Verbo diuino, & quatenus illi propria: ideoque solum Verbum diuinum; non autem aliæ personæ cum humanitate vnitur, sicut quia sanctitas, quæ communis est Trinitati, cum humanitate vnitur, & illi communicatur, mediante personalitate Verbi, & prout inclusa in illa, non infertur ex huiusmodi vnione, tres personas cum humanitate vniri, sed tantùm personam Verbi.

* * * \

§. III.

Vltimum argumentum diluitur, & explicatur, ſub qua ratione perſonalitas Verbi terminet immediatam vnionem.

51. *Arguit Durād. à priori.*

DENIQVE arguit Durandus: ſub ea ratione Verbum vnitur immediatè humanitati, ſub qua terminat dependentiam illius; ſed terminat dependentiam ratione prædicati abſoluti, nempè, ratione abſolutæ ſubſiſtentiæ, quæ communis eſt Trinitati: ergo vnitur immediatè ratione prædicati abſoluti tribus perſonis cōmunis. Conſequentia eſt bona, maior certa; vnitur namque gerendo vices perſonalitatis creatæ; hæc autem vnitur terminando dependentiam naturæ, & ea ratione, qua terminat dependentiam: ergo Verbum etiam ſub ea ratione vnitur immediatè humanitati, ſub qua terminat dependentiam illius. Minorem autem ſic probat. Dependentia inexiſtentis, qualis eſt dependētia humanitatis à Verbo, terminatur ab extremo per ſe exiſtente ratione illius, ratione cuius per ſe exiſtēs conſtituitur; ſed Verbum conſtituitur per ſe exiſtēs ratione prædicati abſoluti; non autem ratione proprietatis relatiuæ: ergo terminat dependentiam humanitatis ratione prædicati abſoluti, & communis; non autem ratione prædicati relatiui, & proprij. Minorē, in qua eſt difficultas, probat primò: nō enim datur in Deo triplex exiſtentia relatiua, ſed vnica, & abſoluta, ratione cuius perſonæ diuinæ exiſtunt: ergo Verbū non conſtituitur exiſtens, & conſequentèr, nec per ſe exiſtens, ratione proprietatis relatiuæ, ſed ratione prædicati communis, & abſoluti. Secundò probat minorē; nam per ſe exiſtentia eſt perfectio; ſed Verbum non eſt perfectū ratione proprietatis relatiuæ, cum hæc ſecūdum id, quod eſſentiæ ſuperaddit, perfectionē non importet, quod ſupponit Durandus, Noſq; cum frequētiori Thomiſtarum ſententia docuimus *tract. de Trinit. 1. p. q. 28.* ergo non conſtituitur Verbum per ſe exiſtens ratione proprietatis relatiuæ, ſed tantùm ratione prædicati abſoluti.

52. *Confirmatur*

Et augetur difficultas; nam Verbū ſub ea ratione terminat vnionē humanitatis, ſub qua continet eminētèr perfectionē ſubſiſtentiæ, & perſonalitatis creatæ; ſed non continet eminētèr perfectionē perſonalitatis creatæ ratione proprietatis relatiuæ, ſed ratione prædicati abſoluti: ergo nō terminat immediatè humanitatē, nec illi immediatè vnitur ratione proprietatis relatiuæ, ſed ratione prædicati abſoluti, & cōmunis. Conſequentia tenet, maior videtur certa; nam ſupplere effectū alicuius formæ, ſolum cōvenit cōtinēti eminentèr talē formam, & ratione cōtinentiæ eminentialis illius: vndè perſonalitas creata, nō poteſt alienā terminare naturā, vices ſubſiſtentiæ illi propriæ ſupplendo: quia cū infinita non ſit, non cōtinet eminētèr perſonalitatē alienam, vt inferius oſtēdemus. Minor autē probatur: id, quod ratione ſui perfectio non eſt, nō poteſt ratione ſui eminentèr continere perfectionē, nec alteri eſſe ratio illā cōtinendi eminētèr; nā eſſe eminētèr perfectū, neceſſariò præſupponit eſſe perfectum formalitèr; ſed proprietas Verbi relatiua ratione ſui perfectio non eſt: ergo ratione ſui nō continet eminentèr perfectionē ſubſiſtētiæ, & perſonalitatis creatæ, nec poteſt Verbo eſſe ratio illā cōtinēdi eminentèr; ac proindè, Verbū nō cōtinet eminētèr perſonalitatē creatā ratione perſonalitatis propriè, ſed ratione prædicati communis, & abſoluti.

53. *Aliorū ſolutio.*

Huic argumento facili negotiō occurritur in ſentētia extra Scholam D. Thomæ communi, aſſerente, præter exiſtentiam, & ſubſiſtentiam abſolutam, dari exiſtentias, ſubſiſtentiaſque relatiuas, quibus exiſtunt, & ſubſiſtunt relationes; cum enim in hac ſentētia Verbum per ſe exiſtat, & ſubſiſtat, non ſolum ratione eſſentiæ cōmunis, ſed etiam ratione proprieta-

tis

tis personalis potest ratione illius, qua tenus ab essentia distinguitur, & secũdum id, quod explicat, additque supra formalitates absolutas, terminare dependẽtiam humanitatis ipsi in existentis, illamque personare, & personam subsistentem constituere. Confirmatio etiam difficultatem in hac sententia non habet; nam iuxta illam proprietates personales addunt ad essentiam perfectiones relatiuas, quas dicunt ratione sui, ac proindè possunt optimè ratione sui, secundum id, in quo ab essentia distinguuntur, cõtinere eminentèr perfectionem subsistentiæ creatæ, & illius effectum supplere.

54. *Nõ possumus illi acquiescere.*

Huic tamen solutioni nos acquiescere non possumus; nititur enim sententiæ communi Thomistarum oppositæ, quam latè refutauimus *tract. de Trinitate 1.p. quæst. 28.* vbi ostendimus, præter existentiam absolutam essentiæ, non dari in Deo existentias relatiuas, sed vnica existentia absoluta existere diuinas personas, & illarum proprietates, sicut vnica omnipotentia tres personæ dicũtur omnipotentes, vna æternitate æternæ, & vna immensitate immensæ sunt, & dicuntur, & vnica intellectione omnes personæ constituuntur intelligentes, quin ad hoc sit necessarium prædictas formalitates in illis multiplicari. Quæ doctrina traditur à D. Thoma *1.p. quæst. 28. art. 2. quæst. 39. art. 3. quæst 40. art. 2. ad 2. in hac 3. part. quæst. 17. art. 2. ad 3. quæst. 2. de potentia art. 6. quæst. 8. art 2. ad 11. quæst. 1. de Veritat. art. 2. ad 18 argum. in 1. Sẽt. dist. 33. quæst 1. art. 1. ad 1.* & alibi passim; & in præsenti non probanda, sed supponenda est.

S. Tho.

55. *Secũdò responderi potest.*

Secundò responderi potest, humanitatem non dependere à Verbo per se primo vt existente, sed vt subsistente, & consequentèr non vniri Verbo immediatè, quatenus existenti, sed quatenus subsistenti; licet autem Verbum non existat ratione sui, sed ratione essentiæ; quia non dantur in Deo existẽtiæ relatiuæ, sed tantùm existentia absoluta; subsistit tamen non ratione essentiæ, sed ratione sui, quia in Deo non datur subsistentia absoluta, sed tantùm tres subsistentiæ relatiuæ: ac proindè ratione proprietatis personalis, per quam Verbum subsistens constituitur, terminat immediatam humanitatis vnionẽ; mediatam autem, qua illi vnitur humanitas, quantum ad existentiam terminat ratione naturæ, ratione cuius Verbo cõuenit existere. Quod autem immediata vnio humanitatis ad Verbũ, nõ sit quantũ ad existẽtiam, sed quoad rationem subsistendi, & cũ Verbo, nõ quatenus existẽte, sed quatenꝰ subsistẽte ex inferius dicendis constabit.

Sed neque huic solutioni possumus assensum præstare, quia innititur falsæ doctrinæ negãti in Deo subsistentiam absolutam, quam latè refutauimus *tract. de Trinit. 1. p. quæst. 31.* vbi ostendimus præter subsistentias personales, & relatiuas constituẽdam esse in Deo subsistentiam absolutam, quod expressè docuit D. Thom. *in 1. Sent. dist. 21. q. 2. art. 1. in 3. dist. 6. q. 2. art. 2. ad 2. & q. 9. de potent. art. 5. ad 13. arg.* illis verbis: *In diuinis autem, proprietates personales hoc solũ habent, quod suppositа diuinæ naturæ, ad inuicem distinguunt; non autem sunt principia subsistendi naturæ diuinæ; ipsa enim diuina essentia est secundum se subsistens; sed è contra, proprietates personales habent, quod substituant ab essentia:* ergo ex mẽte D. Thom. essentia, & natura diuina est ratione sui subsistens, non ratione relationũ, & consequentèr cõstituit debet in Deo absoluta subsistẽtia, quod probare ad præsens non attinet, sed debet in præsenti supponi, ne veritatẽ certam sententiæ parum probabili, & Angelico Præceptori contrariæ coarctemus.

56. *Nec isti solutioni acquiescere possumus.*

S. Tho.

57. *Communis Thomistarũ solutio. Supponit primò.*

Communis Thomistarum solutio huius argumenti supponit primò, quod licet in Deo non detur, nisi tantùm vna existentia absoluta, qua existunt omnes formalitates diuinæ absolutæ, & relatiuæ; dantur tamen, præter subsistentiam absolutam, tres subsistentiæ relatiuæ, quibus subsistũt personæ, prout ab invicem distinctæ, quod cum frequentiori, & ferè communi sententia docuimus *tractat. de Trinitate 1. part. quæst. 31.* Supponit secundo

Suppo-nit ſecũ-do.

cundò, primariam dependentiam humanitatis à Verbo eſſe, non quoad exiſtentiam, ſed quoad ſubſiſtentiam, & ſuppoſitationem: quod patet, nam Verbum ſubrogatur loco ſubſiſtentiæ, & perſonalitatis creatæ, & illius vices gerit; ac proindè dependentia humanitatis à Verbo eo ordine debet conſtitui, quo dependeret à ſubſiſtentia, & perſonalitate creata; hæc autem prius vniretur humanitati, quam exiſtentia ad ipſam cõſecuta, vt enim docet D. Thomas *infra quæſtione* 17. *art.* 2. *in corpore*, *&* *ad primum argumentum*, immediatum exiſtentiæ ſuſceptivum, non eſt natura, ſed ſuppoſitum in natura ſubſiſtens; cum autem ſuſceptivum præſupponatur ad formam ſuſcipiendam, neceſſariò debet dici in doctrina D. Thomæ, exiſtentiam ſubſtantialem præſupponere ſuppoſitum in ratione ſuppoſiti conſtitutum, & perſonalitatem, vt complentem, terminantemque naturam; ac proindè Verbum diuinum vices gerens ſubſiſtentiæ, & perſonalitatis creatæ, prius illam complet, & terminat, ſubſiſtentemque, & perſonatam conſtituit, quam eam exiſtentem reddat, & quam ei vniatur Dei eſſentia ſub conceptu exiſtentiæ.

S. Tho.

58. *His ſuppoſitis reſpondetur in forma.*

Quibus præſuppoſitis, ad argumẽtum Durandi reſpondetur, diſtinguẽdo maiorẽ: ſub ea ratione vnitur Verbum humanitati immediatè, ſub qua terminat primariam dependentiam humanitatis ab ipſo, concedo maiorem: dependentiam ſecundariam, nego maiorem; & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Ad minoris probationem, quatenus diſtinctioni traditæ obſtare poteſt, reſpondetur, negando maiorem, loquendo de primaria dependentia; cũ enim humanitas prius ſubſiſtat, perſonetur, & ſuppoſitetur, quam exiſtat exiſtentia Verbi, fit conſequens, vt primo, & per ſe, non dependeat à Verbo quatenus exiſtente, ſed quatenus ſubſiſtente; licet autem Verbum conſtituatur exiſtens ſola exiſtentia abſoluta eſſentiæ; ſubſiſtens tamen, non ab eſſentia, vel ſaltim non ab illa ſola conſtituitur, ſed à ſua proprietate perſonali, quæ licet exiſtentia non ſit; rationem tamen ſubſiſtentiæ ſortitur, ac proindè terminat primam dependentiam humanitatis, nõ ratione eſſentiæ, nec alicuius prædicati abſoluti, ſed ratione proprietatis perſonalis, ratione cuius ſubſiſtentia ſibi propria ſubſiſtit. Secundam tamẽ dependentiam, ſcilicet, quoad exiſtendum, terminat ratione naturæ, perfectioniſque abſolutæ. Ita Capreolus vbi *ſupra* ad argumentum Durandi, quẽ ſequuntur Magiſter Sancto Thoma, & alij Recentiores Thomiſtæ. Ad confirmationem aliqui illorum reſpondent, conceſſa maiori, negando minorem; & ad probationem dicunt, quòd licet proprietates relatiuæ, ſub conceptu expreſſo *ad*, non explicent perfectionem; ſub conceptu tamen *in*, vel formæ hypoſtaticæ ſub quo rationem ſubſiſtentiæ ſortiuntur perfectionem importare, licet illam non multiplicent, nec plures, ſed vnam, & eandẽ perfectionẽ importẽt.

Ad cõfirmationẽ reſpondetur.

59. *Hæc ſolutio poteſt defẽdi admiſſis perfectionib⁹ relatiuis, ſecus ſi nõ admittãtur.*

Hæc ſolutio, ſi de proprietate perſonali Verbi ratione illius, quod explicat, additque ad perfectiones abſolutas procedat, defendi facilè poteſt; ſi aſſeratur proprietates conſtituentes perſonas, ratione illius quod addunt ad eſſentiam importare perfectionem relatiuam diſtinctam à perfectionibus abſolutis; ſecus autem ſi oppoſitum cum frequentiori Thomiſtarum ſententia teneatur. *Probatur primò.* Quod probo primò; nam Verbum vnitur humanitati immediatè, non ſolum vt ſubſiſtens ſubſiſtentia ſumpta pro perfeitate incommunicabilitatis; ſed etiam vt ſubſiſtens per ſe, perfeitate independentiæ ab alio, vt à ſuſtentante; ſed ſubſiſtentia relatiua Verbi, ratione illius, quod addit ad eſſentiam, nõ dicit perfeitatem independentiæ, ſed ſolũ perfeitatem incommunicabilitatis, ſi ratione illius, quod addit ad eſſentiam perfectionẽ nõ importat: ergo in hac ſententia, quæ ralationibus diuinis negat perfectionẽ relatiuam ſuperadditam eſſentiæ, non poteſt cõſequenter defendi, Verbum fuiſſe vnitum humanitati immediatè ratione ſolius proprietatis perſonalis ſecundum id,

quod

quod explicat, & essentiæ superaddit.

Consequentia tenet, minorem latè monstrauimus *tract. de Trinit. 1. p. q. 31.* & patet; nam perfeitas independentiæ à sustentante est perfectio: ergo id, quod ratione sui perfectio non est, non potest ratione sui hac perfeitate gaudere. Maior autem probatur primò; nam Verbum, prout primò, & immediatè vnitum, sustētat humanitatem: ergo vnitur immediatè, vt subsistens, non solum subsistentia incommunicabilitatis, sed etiam independentiæ ab altero, vt sustentante. Secundò; nam Verbum vnitur immediatè humanitati, vt supplens personalitatem creatam, quantum ad effectum adæquatum ipsius, sed effectus adæquatus personalitatis creatæ est per se subsistere incommunicabiliter, & independenter: ergo Verbum prout immediatè vnitum vtramque perfeitatem communicat, & consequenter vnitur immediatè, vt subsistēs per se vtroque modo perfeitatis.

60. *Secūdò probatur assumptū*

Secundò probatur assumptum; nam Verbum prout immediatè vnitum gerit vices personalitatis creatæ, & illius effectum supplet, & cōsequēter vnitur immediatè, prout continens eminenter personalitatem creatam sumptam adæquatè. Sed si personalitas Verbi ratione illius, quod addit supra essentiam, nō dicit perfectionem, nequit ratione illius esse ratio continendi eminenter personalitatē creatam adæquatè acceptam: ergo, nec potest esse ratio adæquata sub qua, vel ratione cuius Verbum vnitur immediatè humanitati. Consequentia tenet, maior videtur certa; nam Verbum, prout immediatè humanitati vnitum pro priori ad mediatam vnionem cum illa, constituit adæquatè personam humanam: ergo, prout sic vnitum continet eminenter personalitatem humanam, secundum illius adæquatam rationem. Minor autem nō minus aperta videtur; nam id, quod ratione sui perfectio non est, nequit esse ratio continendi eminenter perfectionē; sed personalitas creata sumpta adæquatè est perfectio: ergo, si personalitas Verbi ratione illius, quod addit ad essentiam, perfectionesque absolutas, perfectio non est: nequit ratione sui esse Verbo ratio continendi eminentialiter personalitatem creatam sumptam adæquatè.

Igitur pro vera solutione argumenti adverto primò ex iam dictis, subsistentiam sumi dupliciter: primò pro per se existentia perfeitate independentiæ ab altero, vt sustentante; secundò pro perfeitate incommunicabilitatis alteri tanquam suppositi: & in priori acceptione esse aliquid absolutum in Deo, nec personis conuenire ratione proprietatis relatiuæ, sed tantùm ratione essentiæ; in secunda autem acceptione dici tantùm relatiuè, non verò absolutè in Deo, quæ latè ostendimus *tractatu de Trinitate 1. parte quæstione 31.* & in præsenti supponimus; non enim ad præsens attinet in illorum indagatione immorari. Adverto secundò, personalitatem creatam ratione sui, prout à natura distinguitur, vtramque istam perfeitatem præstare; cum enim suppositum creatum independens sit ab altero, vt sustentante, & incommunicabile alteri tanquam suppositi, & natura creata ratione sui nulla ex his perfeitatibus gaudeat, vtramque præstat personalitas creata, prout à natura distincta.

61. *Pro vera solutione aduerto primò.*

Aduerto secūdo.

Tertiò animadvertendum est, personalitatem Verbi meditari posse dupliciter: primò secundū id, quod explicat, & addit supra essentiam diuinam, perfectionesque absolutas; secundo adæquatè, secundum id, quod etiam implicitè importat, & licet non addat perfectionem ad lineam absolutam Dei; quia tamen includit in suo conceptu essentiam diuinam, & omnes perfectiones absolutas, fit, vt quamvis perfectionem non explicet, illam tamen imbibat, & implicitè importet.

Aduerto tertio.

62. *Ad argumētum respondetur.*

Quibus positis, ad argumentū respōdeo, Verbum vniri immediatè humanitati, non in aliquo absoluto, sed in prædicato relatiuo, scilicet, in proprietate ipsius personali, quia id, cui,

vt *quod* humanitas eſt immediatè vnita, non eſt hic Deus, vt communis tribus perſonis, vt Durandus aſſerebat, ſed eſt proprietas relatiua Verbi; ratio autem, qua perſonalitas Verbi, & Verbū ratione illius immediatè humanitatem terminat, non eſt ſolum id, quod perſonalitas explicat, ſed id quod explicat, & implicat, ſumpta perfectione implicata, nō vt communi tribus perſonis, ſed prout incluſa in explicito proprietatis perſonalis Verbi, & ratio habetur ex dictis: cum enim Chriſtus, vt perſona humana ſit per ſe ſubſiſtens perfeitate independentiæ, & perfeitate incommunicabilitatis, primamque perfeitatem præſtet perſonalitas Verbi ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, quam implicat; ſecundam verò ratione ſubſiſtentiæ relatiuæ, quā explicat, cōſequens ſit, vt ratio adæquata, qua perſonalitas Verbi vnitur immediatè humanitati, ex implicito, & explicito coaleſcat, & ex relatiuo, & abſoluto, non ſumpto abſolutè, ſed vt incluſo in relatiuo. Et hæc eſt ſententia Paludani, à qua meo iudicio, non diſcedunt Capreolus, Caietanus, & Hiſpalenſis, cum docēt, Verbum vnitum eſſe humanitati immediatè per ſuam proprietatem perſonalem; cum enim expreſsè, non aſſerant rationem, qua perſonalitas Verbi terminat dependentiam humanitatis, illiq; immediatè vnitur, eſſe adæquatè id, quod explicat perſonalitas Verbi, & addit ſupra lineam abſolutam, & cum aliàs proprietatibus perſonalibus relatiuas perfectiones eſſentiæ ſuperadditas non concedant, manifeſtum videtur ſentire, perſonalitatem Verbi terminare dependentiam humanitatis, illique immediatè vniri ratione vtriuſque conceptus, nempè, expliciti, & impliciti. Eidemque ſententiæ ſubſcribere tenentur omnes Recentiores Thomiſtæ, qui diuinis relationibus non attribuunt perfectiones relatiuas ſuperadditas eſſentiæ, nec ſub cōceptu explicito *ad*, nec ſub conceptu, & munere formæ hypoſtaticæ. Et ex his ad argumentum Durandi, & ad confirmationem conſtat ſolutio; nam licet perſonalitas Verbi, ratione ſuperadditi ad eſſentiam perfectionem non dicat; perfectionem tamen includit: vndè ſumpta adæquatè, ſecundum id, quod implicat, & explicat, poteſt perfectionē ſubſiſtentiæ creatæ eminenter continere, vices eius gerere, illius effectum ſupplere, & primariam dependentiam humanitatis terminare.

63. *Obiicies primo.*

Plura tamen obſtant contra iſtam reſolutionem. Primò; nam ex illa ſequitur, quòd licet perſonalitas Verbi ſit id, quod immediatè terminat humanitatem; ratio tamen *qua* adæquata terminandi ſit ſubſiſtentia abſoluta implicite in illa incluſa: conſequens doctrinæ à nobis traditæ adverſatur, qua aſſerimus, rationem terminandi ex implicito, & explicito coaleſcere: ergo reſolutio tradita non ſubſiſtit. Probatur ſequela: ratione illius perſonalitas Verbi terminat immediatè humanitatem, ratione cuius eminenter cōtinet perſonalitatem creatam; ſed adæquata ratio cōtinendi eminenter perſonalitatem creatā eſt ſubſiſtētia abſoluta incluſa in proprietate perſonali Verbi: ergo hæc eſt adæquata ratio terminandi immediatè humanitatem. Conſequētia tenet, maior cōſtat ex dictis; minor autem probatur. Ratio continendi eminenter perſonalitatem creatam eſt infinita perfectio perſonalitatis increatæ; ſed adæquata ratio perfectionis convenit perſonalitati Verbi à formalitatibus in ipſa implicatis, nam ratione illius, quod explicat, perfectionem non importat: ergo adæquata ratio continendi perſonalitatem creatam eſt ſubſiſtentia abſoluta in perſonalitate Verbi implicata.

64. *Secùdò.*

Secundò, nam ſequitur ex reſolutione tradita, Patrem in myſterio Incarnationis communicare cum Filio in aliquo, præterquam in benigniſsima voluntate: conſequens adverſatur verbis *ſupra* ex Dioniſio relatis, & approbatis *in 6. Synodo generali actione* 8. ex quibus §. 1. contra Durandum intulimus, non fuiſſe factam vnionē humanitatis immediatè cū hoc Deo, vt Trinitati communi: ergo reſolutio tradita eſt falſa. Probatur ſequela;

Dioniſ. Synod. gener.

nam

nam Pater communicat cum Filio in subsistentia absoluta: ergo, si hæc est ratio, qua personalitas Verbi vnitur humanitati, Pater cum Verbo communicat in vnione ad humanitatem, & consequenter in mysterio Incarnationis Pater cum Filio communicat in aliquo, præterquam in benignissima, & misericordi voluntate.

65. *Tertiò.* Tertiò, nam sequitur ex eadem solutione, vnionẽ humanitatis ad Verbum factam esse immediatè in aliquo prædicato absoluto, & communi tribus personis: consequens est falsum, vt contra Durandum cum communi sententia docuimus: ergo & tradita solutio. Probatur sequela: vnio humanitatis ad Verbum facta est immediatè in eo, quod est ratio terminandi dependentiam humanitatis: ergo, si ratio terminandi hanc dependentiam est subsistentia absoluta inclusa in proprietate personali, facta est vnio humanitatis ad Verbum immediatè in prædicato absoluto, & communi.

Confirmatur Quod amplius vrgetur; nam personalitas creata prius intelligitur præstare independentiam à sustentante, quam incõmunicabilitatem; sed personalitas Verbi vnitur humanitati vice personalitatis creatæ: ergo prius intelligitur vniri, vt præstans independentiam, quam vt præstans incommunicabilitatem; sed iuxta solutionis doctrinam independentiam à sustentante præstat subsistentia absoluta, inclusa in proprietate personali; incõmunicabilitatem verò præstat personalitas Verbi, sub expresso personalitatis conceptu: ergo prius intelligitur vnita humanitati subsistentia absoluta, quam proprietas Verbi relatiua, quæ est sententia Durandi.

66. *Quartò.* Denique facit contra eandem resolutionem; nam personalitas Verbi sub eadem ratione immediatè vnitur humanitati, sub qua terminat naturã diuinam, & illam personatam constituit; sed terminat adæquatè naturam diuinam, & personatã constituit ratione illius, quod explicat in ratione formæ hypostaticæ, & superaddit essentiæ, & per quod ab illa distinguitur; nam id, quod implicitè importat, non præstat personalitas essentiæ, sed potius personalitati ab essentia præstatur, eique convenit ratione essentiæ diuinæ: ergo vnitur immediatè humanitati, illamque adæquatè terminat ratione illius, quod explicat; non autem ratione illius, quod implicitè importat, nempè, ratione subsistentiæ absolutæ in illa transcendentaliter inclusæ.

67. *Ad primam replicã respõdetur* Respondeo ad primam replicam, negando sequelam, ad illius probationem, cõcessa maiori, nego minorem, ad probationem, distinguo maiorem: ratio continendi eminenter personalitatem creatam quoad id, quod in illa est perfectionis, est perfectio infinita, concedo maiorem: ratio continẽdi eminenter personalitatem creatam quoad id, quod in illa perfectionẽ nõ dicit, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; nam personalitas creata, vt præstat indepẽdentiam à sustentante, perfectionem dicit, vt verò præstat incommunicabilitatem alteri, tanquam supposito, perfectionem non explicat; licet autem ratio continendi eminenter perfectionem debeat esse perfectio ratione sui; ratio tamen continendi eminẽter id, quod perfectio non est, potest esse formalitas, quæ ratione sui perfectionem non dicat; ac proindè ratio continẽdi eminẽter personalitatem creatam sub conceptu independentis à sustentante est subsistentia absoluta, quæ ratione sui perfectionem importat: ratio autem continendi eminenter personalitatem creatam sub cõceptu incõmunicabilis suppositalitèr est personalitas Verbi sub conceptu formæ hypostaticæ, quamvis sub hoc conceptu perfectionem infinitam nõ explicet ratione efficaciæ infinitæ in terminando: & sicut terminat ad intra infinitam Dei naturam, quin ratione sui explicet infinitam perfectionem: ita habere potest vim infinitam in terminando ad extra, absque eo, quòd ratione expliciti infinitam dicat perfectionem.

68. *Ad secũdam.* Ad secundam, nego sequelam, ad probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam; nam subsistẽtia

abso-

abſoluta non vnitur immediatè humanitati vt *quod*, ſed tantùm vt *quo*; & inſuper non vt communis, ſed vt incluſa in perſonalitate Verbi; ac denique non eſt ratio vnionis humanitatis huic Deo vt communi Trinitati, ſed proprietati perſonali Verbi, ac proindè, quamvis in illa Pater cum Filio in ſubſiſtendo conueniat, non conuenit Pater cum Filio in illa, quoad vnionem cum humanitate, nec quoad terminandam depẽdentiam illius.

S. Tho. Quæ doctrina eſt expreſſa D. Thomæ *in 3. Sent. diſt. 6. q. 2. art. 2. ad 2.* quod ita procedebat: *Vnũ eſt eſſe Filij Dei, & Patris: ſi ergo vnum eſt eſſe huius hominis, & Filij Dei, vnum erit eſſe huius hominis, & Dei Patris; ſed nulla eſt maior vnio, quam ea, quæ eſt aliquorum ſecundum eſſe vnum: ergo humanitas eſt vnita Deo Patri.* Cui argumẽto his verbis reſpondet: *Ad ſecũdum dicendum, quod aliud eſt de Deo, & de omnibus alijs rebus; quia in Deo ipſa eſſentia ſubſiſtens eſt: vndè ſibi ſecundum ſe debetur eſſe, imò ipſa eſt ſuum eſſe ſubſiſtens. Et ideò eſſe eſſentiæ eſt etiam perſonæ: & tamen perſona, & eſſentia ratione differunt. Quamvis ergo vnum ſit eſſe, poteſt tamen eſſe conſiderari, vel prout eſt eſſentiæ, & ſic non vnitur humanitas in eſſe diuino, vndè non vnitur Patri: vel poteſt cõſiderari prout eſt perſonæ, & ſic vnitur in eſſe diuino.* En vbi D. Th. licet humanitas vniatur Verbo in eſſe, & hoc eſſe ſit eſſentiæ, & trium perſonarum, quia tamẽ fuit vnita in hoc eſſe, non prout eſt ratio eſſendi eſſentiæ diuinæ; ſed prout eſt ratio eſſendi perſonæ Filij, negat, vnionem humanitatis fuiſſe factam cum Patre, & conſequenter negat, Patrem conuenire cum Filio in vnione cum humanitate.

69. *Ad tertiam.* Et ex his ad tertiam obiectionem reſpondeo, negando ſequelam; nam vnio non dicitur facta niſi in eo, quod immediatè vt *quod* vnitur; licet autẽ ſubſiſtentia abſoluta fuerit perſonalitati Verbi ratio inadæquata terminãdi humanitatem; non tamen fuit vnita immediatè humanitati vt *quod*, ſed ſola perſonalitas Verbi: ac proindè non ſequitur, vnionem eſſe factam in aliquo abſoluto, & cõmuni, & inſuper ſubſiſtentia abſoluta non eſt ratio, qua immediatè terminet humanitatem, hic Deus vt tribus perſonis communis, illique immediatè vniatur, ſed qua vnitur perſonalitas Verbi immediatè, & natura diuina mediatè, cuius oppoſitum aſſerebat Durandus: vndè longiſsimè ab illius ſententia diſtamus. Et inſuper non eſt ratio, qua vnitur perſonalitas Verbi humanitati, & illius terminat dependentiam ſubſiſtentia abſoluta ſumpta abſolutè, quod Durandus aſſerebat, ſed vt incluſa in perſonalitate Verbi, & quatenus illi propria.

70. *Ad confirmationem.* Ad confirmationem, diſtinguo maiorem: prius ſubſiſtẽdi conſequentia, vel intelligentiæ præciſiuæ adæquatæ, nego maiorem; prioritate rationis inadæquatæ, omitto maiorem, & conceſſa minori, diſtinguo conſequens diſtinctione maioris: itaque in perſonalitate creata, non diſtinguuntur adæquatè, adhuc per rationem perfectas independentiæ, & perfectas incommunicabilitatis, ſed tantùm vt duo inadæquati conceptus, vel vt duo munia inadæquata, quæ ab eadẽ forma præſtantur cum mutua inter vtrumque connexione: vndè, nõ poteſt vna aliam præcedere prioritate ſubſiſtendi conſequentia, nec prioritate intelligentiæ rationis adæquatæ, ſed tantùm inadæquatæ cum mutua inter vtramque connexione. Ex quo tantùm ſequitur, quòd perſonalitas Verbi prius intelligatur, vt præſtans independentiam prioritate rationis inadæquatæ, quam vt præſtans incõmunicabilitatem, quod inconueniens non eſt; nam cum præſtet independẽtiam exigendo incommunicabilitatem, non præſtat illam ſub conceptu abſoluto ſumpto abſolutè, ſed ſub conceptu abſoluto, vt incluſo in proprietate Verbi relatiua, & vt exigente conceptum relatiuum, ratione cuius perſonalitas præſtat incommunicabilitatem.

71. *Ad quartam.* Ad vltimam obiectionem, diſtinguo maiorem: ſub ea ratione tantùm, nego maiorẽ: ſub ea ſimul, & ſub alia, concedo maiorem, & cõceſſa minori,

nego

nego consequentiam; ratio autē discriminis est, quòd natura diuina non accipit à personis perfeitatem independentiæ, sed eam habet ratione sui, & personis convenit ratione essentiæ, vt docuit D. Th. *loco vbi proximè, ex 3. Sent. & q. 9. de potēt. art. 5. ad 13. arg.* verbis *superius* relatis: vndè ab illis solum accipit distinctionem suppositorum, & illorum incommunicabilitatem: ac proindè personalitas Verbi solum tribuit naturæ diuinæ id, quod explicat in propria linea, & solum ratione illius, illam terminat, & personat; humanitas autem, nec habet ratione sui perfeitatem independentiæ, nec perfeitatem incommunicabilitatis, sed vtramque recipit à personalitate creata, quatenus ab illa distincta: & cum Verbum vniatur humanitati vice personalitatis creatæ, necessum est, vt Verbi personalitas præbeat, etiam humanitati vnitæ vtrāq; istam perfeitatem. Cumque vtramque non habeat ratione illius, quod explicat, sed tantùm vnam, scilicet, perfeitatē incommunicabilitatis; alia autem illi competat ratione perfectionis inclusæ, fit consequens, vt non vniatur immediatè, adæquatè ratione illius, quod explicat, sed ratione conceptus expliciti, & insuper ratione subsistentiæ absolutæ, quā implicitè includit.

§. IV.

Resolvitur secunda pars dubij.

72. *Omnes Theologi in vno conveniunt.*

CIRCA secūdum, quod in hac disputatione vocauimus in examen, nempè, an Deus assumere potuerit naturam creatam, illique immediatè vniri, secundum prædicata absoluta, omnes Theologi conueniūt in vno, & in alio discriminantur. Omnes cōueniunt in eo, quòd si Deus Trinus in personis non esset, sed vnus, vnaque tantùm subsistentia, & persona litate absoluta gauderet, posset alienam naturam assumere, & illi immediatè vniri. Quod patet manifesta ratione; nam tunc casus potētia actiua, & assumptiua esset eadem, & eadem vis terminatiua: ergo posset non minus, quam modò alienā naturam assumere, illam terminare, eique immediatè vniri. Consequentia est euidens, antecedens pro prima parte constat; nam esset in illo casu eadem omnipotentia, quæ cum Deo conueniat pro priori ad relationes, eadem perseuera ret in hypothesi confieta, quòd in Deo tres personæ relationibus distinctæ non essent, sed vis actiua, & assumptiua ratione omnipotentiæ cōuenit diuinis personis: ergo esset in illo casu eadem potentia actiua, assumptiuaque naturæ.

Pro secunda parte probatur; nam quòd Verbum humanitatem terminet, vel quòd illam terminare possit, eique immediatè vniri, prouenit ex eo, quòd illius personalitas est in terminando infinita, ideoque potens, nedum propriam, sed etiam alienam terminare naturam supplendo effectum personalitatis creatæ, & illius vices gerendo; sed in prædicta hypothesi subsistentia, & personalitas absoluta, qua Deus cōstitueretur in ratione personæ, esset nō minus infinita in terminā do, quā sit modo proprietas relatiua: ergo vis terminatiua in prædicto casu esset eadem, & consequentèr, posset Deus ratione personalitatis absolutæ, qua in ea hypothesi gauderet, alienam terminare naturam, illique immediatè vniri in vnitatem personæ. In quo, vt dixi, omnes Theologi conueniunt, nullo dissentiente, quem viderim.

73. *Prima sententia*

An autem, supposito, vt fides docet, in Deo esse tres personas constitutas, proprietatibus relatiuis, possit natura diuina, vel hic Deus, vt tribus personis communis, ratione alicuius prædicati absoluti assumere alienam naturam, illique vniri immediatè, nō est vna Theologorum sententia, sed in plures diuiduntur. Prima absolutè negat, id esse posibile, pro qua referūtur Henricus *quodlibeto 3. quæst. 8. &* *Henric.*

Ri-

Richar. Capreol. Ricardus *in 3. diſt. 5. art. 1. q. 2.* illamque inſinuat Capreolus *in 3. diſt. 1. q. vnic. art. 1 concl. 3. & 4. & art. 3. ad 1. argum. contra 4. concluſ.* & expreſsè tenent *Lorca.* Lorca in præſenti *diſput. 24. num. 16. & 21.* vbi docet, etiam ſi concedatur in Deo ſubſiſtentia abſoluta, & tribus perſonis communis, non poſſe hunc Deum ratione talis ſubſiſtentiæ immediatè naturæ creatæ vniri, & *Vazq. Alex. Bonau. Becan.* Vazquez *diſp. 27. cap. 2.* pro illa referens Alexandrum *3. p. q. 7. membro 1. art. 2. & 3.* & Bonau *in 3. diſt. 1. art. 1. q. 3.* Cui ſententiæ adhæſit Becanus *cap. 4. q. 2.*

74. *Secũda.* Secunda per extremum docet, etiam ſi natura diuina ſubſiſtentia abſoluta non gaudeat, nec per illam ſubſiſtat, nihilominus poſſe hunc Deum ratione ſui, & alicuius prædicati abſoluti, naturam creatam aſſumere, & illi immediatè vniri. Hanc tenent *Ocham. Gabr. Valent. Amicus Bernal.* Ochamus *in 3. diſt. 1. q. 1.* & Gabriel *q. 1. art. 3. dub. vltim.* quos ſequuntur Valentia in præſenti *diſput. 1. q. 3. punct. 5.* Franciſcus Amicus *diſput. 14. ſect. 5.* & Bernal *diſput. 24 ſect. 1. §. 3.*

75. *Tertia.* Tertia ſententia defendit, prædictam vnionem immediatam eſſe poſſibilem, ſi ſubſiſtentia abſoluta diſtinguatur obiectiuè, & virtualitèr ab eſſentia, & natura diuina; ſecus autem, ſi quamvis talis ſubſiſtentia admittatur ſit à natura Dei indiſtincta virtualitèr. Hanc tenet *Albert.* Albertinus *quæſt. 11.* circa vndecimum corollarium ex prædicamẽto ſubſtantiæ *dubit. 2.* cui nonnulli Recentiores adhærent.

76. *Quarta, & vera ſententia.* Quarta, & vera ſententia docet, poſſe de potentia abſoluta naturam creatam immediatè vniri huic Deo, vt communi tribus perſonis ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, qua de facto natura diuina ſubſiſtit, ſiuè ſubſiſtentia abſoluta diſtinguatur virtualitèr à natura diuina, ſiuè ab illa ſit indiſtincta virtualitèr: ſi verò ſubſiſtentia abſoluta in Deo non admittatur, implicare prædictam vnionẽ. Ita Caietanus *in præſenti art. 3.* Medina *dubio vnic.* Aluarez *in expoſitione articuli*, Cabrera *diſp. vnic. §. 2.* Nazarius *controu. vnica concluſ. 1. 2. & 3.* Zippullus *dubio vnico §. 2.* & frequentèr alij Recẽtiores Thomiſtæ. Eandẽ ſententiam ſequuntur Durandus *in 3. diſt. 1. q. 2. & 4.* Scotus *q. 2. §. ad quæſtionem igitur*, Radda *controu. 2. de Incarnatione art. 3.* Franciſcus del Caſtillo *diſput. 6. q. 1. num. 25.* pro illa referens omnes Scotiſtas. Tenent etiam ex Patribus Societatis Suarez *in præſenti diſput. 13. ſect. 1.* Granadus *tract. 5. de Incarnatione diſput. 1. num. 4.* & frequentius alij Recentiores ex eadem familia, ſuppoſito, quod talis ſubſiſtentia admittatur in Deo.

Durand. Scotus. Radda. Caſtillo. Suar. Gran.

Et hæc ſententia à nobis pro concluſione ſtatuitur ſigillatim per ſingulas partes probãda. Prima pars, quod, nempè, hic Deus, vt communis tribus perſonis poſsit de potentia abſoluta ſibi aſſumere naturam creatam. Probatur primo ex D. Thoma *in præſenti q. 3. art. 3. in corpore*, vbi ita concludit: *Et ſecundum hoc abſtracta perſonalitate per intellectum poſſumus intelligere naturam aſſumentem.* Ex quibus verbis tale argumentum conficitur. Quod poteſt concipi, & intelligi à noſtro intellectu, vt poſsibile, nõ implicat contradictionem, vt omnibus eſt in confeſſo; ſed iuxta D. Thomam, poteſt à nobis concipi natura aſſumens in Deo, perſonalitatibus nõ intellectis: ergo naturam diuinam ratione alicuius prædicati abſoluti, immediatè aſſumere naturam creatam, cõtradictionem non implicat, & cõſequentèr eſt poſsibile de potentia abſoluta. Maior cum conſequentia tenet; minor autem probatur; quod enim præſtat natura abſtracta à perſonalitatibus, præſtat illis nõ intellectis: idem enim eſt naturam à perſonalitatibus abſtrahere, ab naturam intelligi perſonalitatibus non intellectis; ſed iuxta D. Thomam natura diuina abſtracta à perſonalitate, vel perſonalitate abſtracta, quod idem eſt, poteſt intelligi aſſumens: ergo poteſt intelligi aſſumens perſonalitate non intellecta, ſeu non intellectis proprietatibus relatiuis.

77. *Prima pars concluſionis probatur ex D. Tho.*

Cõfirmatur. Quod amplius vrgetur; nam quod intelligitur conuenire naturæ diuinæ, abſtractis, ſeu non intellectis proprietatibus perſonalibus, conuenit illi ratione

tione

tione prædicati absoluti; sed, vt docet D. Thom. abstractis personalitatibus, seu non intellectis, potest intelligi natura diuina assumens naturam creatam: ergo assumere naturam creatã, non est prædicatum conueniens naturæ diuinæ solum ratione proprietatũ personalium, sed potest illi conuenire ratione formalitatis absolutæ, & consequenter potest hic Deus vt tribus personis communis assumere, & terminare immediatè naturam creatã.

78. *Respondebis.* Respondebis, abstractionem esse duplicem; vnam præcisiuam, qua, nempè, formalitas, aut prædicatũ aliquod intelligitur, altero non intellecto; aliã negatiuam, qua, scilicet, vnum de alio negatur, vel absolutè, vel conditionaliter, & D. Thom. non de priori abstractione, sed de secunda accipiendũ: ita vt sensus sit conditionalis, quòd, nempè, si per impossibile Deus nõ subsisteret tribus subsistentijs relatiuis, posset sibi assumere naturam creatã, illique immediatè vniri: ex quo non sequitur, hunc Deum, qui de facto terminatur tribus subsistentijs relatiuis, posse ratione sui immediatè humanitatem, vel aliam naturam assumere: & quod ita sit accipiendus D. Thom. videtur colligi ex solutione ad primũ, & secundum argumentum; nam solutione ad primum docet: *Quidquid est in Deo consideratum secundum se alijs circunscriptis, esse subsistens, & consequenter personam.* S. THO. Et solutione ad secũdum, docet, quod *circunscriptis per intellectum personalitatibus trium personarum remanet in intellectu vna personalitas Dei, ad quam poterit terminari assumptio, sicut nunc dicimus, eam terminari ad personam Verbi.* Sed abstractis personalitatibus abstractione purè præcisiua, quod in Deo remanet, non est persona, nec personalitas, aliàs daretur in Deo vna persona tribus personis cõmunis, quod implicatorium est, cum persona per incommunicabilitatem cõstituatur: ergo loquitur D. Thomas de abstractione negatiua in sensu conditionali.

79. *Contra arguitur.* Sed contra; nam quidquid sit, an D. Thomas in sensu cõditionali quæstionem istam resolverit, quod tamen illum solum non intenderit, sed etiam in sensu absoluto, rebus, prout nunc sunt, difficultatem versando, docet Caietanus, Medina, Aluarez, & Suarez, & benè. Probantque primò ex solutione ad secundum argumentum, illis verbis: *Et per hunc modũ potest intelligi, quod assumat naturam humanã rationc suæ subsistentiæ, vel personalitatis.* S. THO. Quibus disiunctiuè loquens clarè insinuat, inquit Caietanus, se loqui, non solũ in sensu conditionali, in quo Deus personalitatẽ absolutam haberet, si, nempè, tribus subsistentijs relatiuis terminatus nõ esset, sed etiam in sensu absoluto, in quo natura diuina, non intellectis subsistẽtijs relatiuis, intelligitur subsistens subsistentia absoluta communi tribus personis.

80. Deinde: nam si D. Thom. solum in sensu conditionali quæstionem istam tractaret, melius titulus articuli fuisset conditionaliter propositus, inquirendo, an si in Deo proprietates relatiuæ non essent, posset sibi assumere naturam alienam? quam in sensu absoluto; sed non in sensu conditionali, sed in absoluto proponitur: ergo non intendit D. Tho. difficultatem istam in sensu conditionali tantùm tractare, sed etiam in sensu absoluto. Tertio, nã quòd, si Deus esset vna tantùm persona constituta per aliquid absolutũ, posset sibi assumere naturam alienã, illiquè immediatè vniri, ferè nullam habet difficultatem, supposito, quod persona relatione constituta illã assumere possit: an autẽ natura diuina ratione alicuius prædicati absoluti possit immediatè assumere naturam creatam, vel non? pro vtraque parte est difficile, & tale Theologis visũ: ergo dicendum non est D. Thom. solum in priori sensu nullam, aut ferè nullam difficultatem habente quæstionem istam tractasse, & secundum sensum penitus omisisse.

81. *Confirmatur.* Et augetur difficultas: nam Diuus Thom. ita exactè omnia cõsiderauit, quæ ad Mysterium Incarnationis pertinent, vt non solum, quæ de facto acciderunt in hoc Mysterio, tractauerit; sed etiam, quæ potuerũt accidere. Resoluens in primo articulo, conuenire

diui-

diuinæ personæ assumere naturã creatam; in secundõ, id etiam, quamvis minus propriè conuenire naturæ; in quarto, posse vnam personã sine alia; in quinto, potuisse quamlibet ex diuinis personis seorsim ab alia naturam creatam assumere; in sexto, posse plures personas simul eidem naturæ vniri; & in septimo, posse vnã personam diuinam plures naturas sibi hypostaticè coniungere: ergo credendum non est difficultatem istam, prout in sensu absoluto procedit, quæ Theologis visa est disputatione dignissima, Diuũ Thomam omisisse.

82. *Denique probatur assumptũ*

Denique id ipsum probatur; nam abstractio, de qua D. Thomas loquitur in corpore articuli, est, quæ nascitur ex imperfecto nostro modo concipiendi; sed hæc est abstractio præcisiua, non negatiua, negatione, scilicet, vnius formalitatis diuinæ de alia pro conditione importata; hanc enim abstractionem, etiam efficere potest intellectus perfectè videntis Deum, cum etiam intellectus beati formet hanc propositionem: *Si Deus non relationibus, sed prædicato absoluto constitueretur in ratione personæ, posset sibi assumere naturam creatam*: ergo abstractio, de qua D. Thomas loquitur in corpore articuli, est abstractio præcisiua, qua vnum à nobis sine alio intellecto concipitur illi cõueniente in re, propter nostram imperfectionem; sed de natura diuina, hoc genere abstractionis relationibus abstractis, docet posse assumere, sibique immediatè naturam creatam vnire, vt constat ex verbis *supra* relatis, quibus corpus articuli terminat: ergo sentit in natura, vt sic præcisa, & præcisiuè à relationibus intellecta, esse sufficiens principium assumptionis naturæ creatæ, & terminationis illius: & consequentèr hunc Deum, vt cõmunem tribus personis, posse de potentia absoluta sibi assumere naturam creatam, illique immediatè vniri.

83. *Secundò probatur prima pars conclusionis*

Secundò principalitèr suadetur prima pars conclusionis, supponendo, præter subsistentias relatiuas, quibus constituuntur personæ, dari in Deo subsistẽtiã absolutam, per quam natura diuina pro priori ad relationes intelligitur subsistens, & existens perfectissimè, vt cum veriori, frequentiorique sententia docuimus *tract. de Trinit. 1. p. q. 31.* Quo supposito, prima pars nostræ conclusionis suadetur; id enim ratione cuius Deus subsistit in natura diuina, potest illi esse ratio subsistendi in natura creata; sed aliquid absolutum est Deo ratio subsistendi in natura diuina, nempè, subsistentia absoluta, quam huic Deo conuenire supponimus: ergo ratione illius absoluti, potest subsistere in natura creata, potest sibi illam assumere, illique immediatè vniri. Hæc secunda consequentia, ex prima euidentèr colligitur; quod enim est ratio subsistendi in natura creata, est ratio illam assumendi, non per modum principij, sed per modum termini, & extremi assumptionis. Prima ex præmissis infertur, minor supponitur; non enim ad præsens attinet in illius probatione immorari. *Maior* autem ostenditur primò; non enim alia ratione subsistentia relatiua Verbi, est illi ratio subsistẽdi in natura creata, nisi quia ratione illius Verbum per se primo subsistit in natura diuina: ergo omne id, quod est Deo ratio subsistendi per se primo in natura diuina, potest esse ratio secundariò subsistendi in natura creata, illamque terminandi.

ma pars cõclusionis.

Maior probatur primò.

Secundò, nam id, quod continet eminentèr subsistẽtiam propriam naturæ creatæ, potest supplere effectum illius, & consequentèr, esse ratio subsistendi in tali natura; sed quod est ratio, per se primo subsistendi in natura diuina, eminentèr continet subsistentiam naturæ creatæ: ergo potest esse ratio subsistendi in illa. Tertiò; nam subsistentia Verbi, non est ratio subsistendi in natura creata, quia relatiua est, sed quia in propria linea infinita; sed quod est Deo ratio subsistendi per se primo in natura diuina, quamvis absolutum sit, infinitum est in linea subsistendi: ergo potest Deo esse ratio subsistendi in natura creata.

Secundò.

Tertiò.

84. *Refertur duplex solutio.*

Respondebis primò; subsistẽtiam Verbi, ideò esse rationem subsistendi in natura creata, quia cum ipsa incõmu-

municabilis sit, eminentèr continet creatam personalitatem, & idcirco potest illius effectum supplere; subsistentia verò absoluta communicabilis est, atque adeò, non potest eminentèr continere ratione sui personalitatem creatam, de cuius conceptu est incommunicabilitas, ideoque nō potest supplere effectum illius. Vel secundo respōdebis, subsistentiam Verbi, ideò posse vniri naturæ creatæ, quia ad illam cōparatur vt terminus, in cuius conceptu, & munere nulla imperfectio importatur; subsistentia verò absoluta, non est terminus naturæ, cum ipsa sit terminabilis per subsistentias relatiuas personarum, & cōsequentèr, nō potest per modum termini vniri, neq; ad naturā creatam vt terminus comparari, sed per modum formæ, & actus: repugnat autem perfectionibus diuinis naturam creatam informare, & actuare.

85. *Neutra satisfacit, & prima reijcitur primò.*

Sed neutra solutio satisfacit, & prima reijcitur primò: nam personalitas creata duo præstat propriæ naturæ, nēpè, subsistere in se per indepēdentiam à sustentante, & incommunicabilitatem suppositò alterius naturæ; sed quamvis subsistentia absoluta, non cōtineat illam eminentèr, quoad perfeitatem incommunicabilitatis, continet tamen eminentèr illam, quoad perfeitatem independentiæ à sustentante: ergo potest quantum ad hoc illius effectum supplere; & consequentèr esse Deo ratio subsistendi in natura creata, quoad hoc munus subsistendi. Secundò, vt enim dicebamus §. 3. subsistentia relatiua ratione illius, quod exprimit, & addit supra perfectiones absolutas, non continet eminentèr personalitatē creatā adæquatè sumptam, sed solum inadæquatè, nēpè, sub conceptu incommunicabilitatis, & ratione huius cōtinentiæ immediatè vnitur humanitati, & est Verbo ratio subsistendi in illa; sed etiam subsistentia absoluta, continet eminētèr personalitatē creatam sumptam inadæquatè, nempè, sub ratione independentiæ à sustentante: ergo potest illam inadæquatè sumptam supplere, & consequentèr esse huic Deo ratio

Secūdò reijcitur

subsistendi in aliena natura, & vnionis immediatæ cum illa. Tertiò; nam licet subsistentia absoluta non sit incōmunicabilis personalitèr, constituit naturam diuinam subsistentem, & est huic Deo ratio subsistendi in illa, vt supponimus: ergo paritèr, non obstāte, quod communicabilis sit personaliter, potest naturam creatam subsistētem constituere, & esse huic Deo ratio immediata subsistendi in illa.

Tertiò.

86. *Secūda solutio reijcitur*

Deindè secunda solutio reijcitur; nam ideò subsistentia relatiua nō vnitur vt forma, sed vt terminus cum natura creata, quia non dat illi primum esse specificum, & essentiale, sed tantùm complet, & sustentat illam; sed etiam subsistentia absoluta complere, & sustentare potest, imò subsistentia relatiua, non ratione illius, quod explicat, sed ratione subsistentiæ absolutæ, quam implicitè importat, sustētat naturam creatam, vt superius vidimus: ergo vniri potest, vt terminus absque imperfectione inhæsionis, vel informationis, non minus quam subsistentia relatiua Verbi.

Cōfirmatur.

Quod amplius vrgetur; nam perfeitas incommunicabilitatis alteri tāquam suppositò præstatur à subsistentia Verbi vnita per modum termini, absque physica inhæsione, vel informatione: ergo paritèr perfeitas independentiæ à sustentante, potest absque informatione, vel inhæsione physica præstari. Sed iste est effectus quem subsistentia absoluta præstaret naturæ creatæ, cui immediatè vniretur: ergo, vt sic vniatur, necessaria non est physica informatio, aut inhæsio; & consequentèr ex isto capite, neganda non est possibilitas immediatæ vnionis Dei cum natura creata ratione subsistentiæ absolutæ.

§. V.

§. V.

Aliæ partes conclusionis probantur.

87. *Secunda pars conclusionis probatur primo.*

QVod autem hæc vnio possibilis sit, quamvis subsistentia absoluta, non distinguatur virtualitèr adæquatè à Dei essentia, & natura, vt in secunda parte nostræ conclusionis asserimus, ostenditur primò: nam conceptus formæ hypostaticè subsistentis, & cõceptus referentis, non distinguuntur virtualitèr adæquatè in personalitate Verbi; & tamen potest vniri, & de facto vnitur humanitati, sub conceptu formæ hypostaticæ, illam terminando, & personando, quin humanitati vniatur sub conceptu referentis, illam referendo ad Patrem, vt fatentur omnes Theologi: ergo quamvis conceptus subsistentiæ, & conceptus naturæ, & essentiæ virtualitèr adæquatè, non distinguantur in Deo, poterit hic Deus, & illius subsistentia absoluta vniri naturæ creatæ, sub ratione subsistentis, illamque subsistẽtem constituere, quin illi vniatur sub conceptu essentiæ, & naturæ.

88. *Respondebis.*

Respondebis, quod licet personalitas Verbi, non vniatur humanitati formalitèr sub conceptu referentis, illam constituendo relatam, materialitèr tamen vnitur: ac per cõsequens, non dantur duo conceptus virtualitèr adæquatè indistincti, quorum vnus possit naturæ creatæ vniri, alio in vnito manente. *Sed contra*; nam vnio materialis diuinæ naturæ cum natura creata non implicat; sed ex vnione subsistentiæ absolutæ indistinctæ virtualitèr à natura Dei sub conceptu naturæ, solum sequitur naturam diuinam sub cõceptu naturæ materialitèr naturæ creatæ vniri: ergo ex tali vnione nullũ sequitur impossibile, & consequentèr, non debet impossibilis cẽseri. Consequentia tenet, minor constat; nam ex vnione personalitatis Verbi sub conceptu formæ hypostaticæ indistincto virtualitèr à conceptu referentis, solum sequitur personalitatem Verbi, sub conceptu, & munere referentis, materialitèr vniri, vt fatentur istius solutionis Auctores: ergo paritèr ex eo, quod conceptus subsistentis indistinctus virtualitèr à conceptu naturæ vniatur cum natura creata, solum sequitur naturam diuinam sub cõceptu naturæ materialitèr vniri. Maior autem probatur: vnio namque naturæ Dei cum natura creata, ideò implicatoria censetur: quia natura creata non potest effectum, vel quasi effectum formalẽ naturæ diuinæ recipere, scilicet, vel actu intelligere intellectione diuina, vel esse radicẽ illius, in quorum altero conceptus naturæ diuinæ cõsistit; sed cũ incapacitate ad effectum, vel quasi effectum formalem naturæ diuinæ, sub conceptu naturæ, stat capacitas ad vnionem materialem cum illa: ergo licet vnio formalis naturæ diuinæ cum natura creata sit impossibilis, vnio materialis impossibilis non est.

Maior cum consequentia tenet, minor autem probatur; vt enim fatentur dictæ solutionis Auctores, de facto vnitur humanitas vnione materiali cum personalitate Verbi, vt relatio, quin effectum, vel quasi effectum formalẽ illius, vt est relatio recipiat: ergo stat capacitas ad vnionem materialem cum forma, sub aliquo illius conceptu cum incapacitate ad illius effectum, vel quasi effectum formalẽ: & cõsequentèr stabit capacitas in natura creata ad vnionem materialem cum natura, & essentia Dei sub conceptu essentiæ, & naturæ, quamvis incapax sit recipiendi illius effectum formalem.

89. *Secundò probatur.*

Secundò suadetur, nam si in Deo esset vna tantùm persona constituta personalitèr per aliquid absolutum, posset sibi assumere naturam creatã, illique immediatè vniri, vt ex cõmuni Theologorum consensu in disputationis limine supposuimus; sed in eo casu personalitas non esset virtualitèr adæquatè distincta à natura Dei, si

modo

modo subsistẽtia absoluta non distinguitur virtualiter ab illa: ergo quamuis subsistentia absoluta, quæ de facto in Deo supponitur, non distinguatur virtualiter adæquatè, potest hic Deus ratione illius assumere naturam creatam, & immediatè illi vniri. Maior cum consequentia tenet, minor autẽ probatur; nam in illo casu subsistẽtia, quæ in Deo reperiretur, nõ distingueretur virtualiter à natura diuina, si subsistentia, quæ nunc datur Deũ propriori ad relationes subsistentẽ constituens, est ab illa virtualitèr indistincta, cũ eadem ratio, quæ nunc militat ad negandam virtualẽ distinctionem subsistentiæ absolutæ à natura, in eo casu militaret, nẽpè, infinita naturæ diuinæ actualitas; sed in tali casu subsistentia, & personalitas eadẽ formalitas esset absque distinctione virtuali: ergo personalitas Deo in illa hypothesi conueniens, esset virtualiter indistincta à diuina natura, si modo subsistentia absoluta ab illa virtualiter non distinguitur. Minor, in qua sola esse potest difficultas, ostenditur primo; quia tunc nulla foret ratio ad distinguendum virtualiter subsistentiam, & personalitatem: ergo essent eadẽ formalitas virtuali identitate. Secundo; nam tunc casus personalitas, & subsistentia se haberent in Deo, sicut modo in creaturis se habent; sed in creaturis personalitas, & subsistentia non differunt virtualiter: ergo in illa hypothesi, non differrent virtualiter in Deo. Denique; nam ratio distinguẽdi modo inter subsistentias, & personalitates diuinas, est, quia subsistentia naturæ in aliquo absoluto consistit; personalitates autem sunt relatiuæ; sed in eo casu vtraque ratio consisteret in formalitate absoluta: ergo ratio personalitatis dantis incommunicabilitatem, & ratio subsistentiæ dantis independentiam, non distingueretur virtualiter adæquatè.

90. *Respondebis primò.*

Respondebis primò; rationẽ proximam à priori distinctionis personalitatũ ab essentia diuina, nõ esse, quod relationes sint; sed quia secundũ suas rationes formales sunt extra cõceptũ constitutivum naturæ, atque adeò licet in data hypothesi, personalitas relatiua nõ esset, & relatiua oppositione careret, quia adhuc esset extra conceptum essentialem naturæ diuinæ, ideò esset ab illa virtualitèr distincta. Vel secundò respondebis, quod si in tali hypothesi iudicetur probabiliter, subsistentiam in Deo, nõ esse à personalitate distinctam, & subsistentiam fore de conceptu essentiali naturæ diuinæ; negandũ cõsequentèr esse, posse hunc Deum sibi assumere naturam creatam, illiq; immediatè vniri, quia cũ in illa hypothesi supponatur personalitatem esse de conceptu essentiali, & constitutiuo naturæ, & vnio in natura impossibilis sit, debet etiam impossibilis vnio in persona cum Deo in prædicto casu censeri. *Respondebis secundò.*

Sed neutra solutio est sufficiens: & prima reijcitur primo: nam idẽ est personalitates diuinas à natura Dei virtualitèr distingui, & esse extra cõceptum essentialẽ, & constitutivum illius: ergo probare virtualiter distingui à natura; quia secũdum suas rationes formales sunt extra conceptum illius constitutivum, est nugatio, & manifesta petitio principij. Deindè, nõ enim est assignabilis ratio cur subsistentia sit de conceptu essentiali naturæ diuinæ, & personalitas sit extra essentiam illius, si vtraque in formalitate absoluta consistat; sed in data hypothesi vtraq; absoluta supponitur: ergo vel vtraque, vel neutra esset extra conceptum essentialem naturæ. Præterea; nam ratio, qua communiter Recentiores mouentur, vt subsistentiam absolutam à personalitatibus diuinis, virtualiter distinguãt, est, quia subsistentia est omnibus personis communis, quæuis autem personalitas est propria alicuius personæ; sed hæc ratio in eo eventu cessaret, vt constat: ergo & ratio distinctionis inter illa. 91. *Contra primã solutionẽ obstat primo.* *Secundo.* *Tertiò.*

Denique reijcitur; nam eo in casu subsistentia essentialis naturæ constitueret subsistens incommunicabile ad intra; sed subsistentia incommunicabilis formaliter est personalitas, si sit in rationali natura: ergo in tali casu subsistentia absoluta Dei esset 92. *Denique*

personalitas formaliter, & consequẽter personalitas esset de conceptu essentiali naturæ diuinæ. Minor cum consequentia tenet; maior autem probatur: nam ideò subsistentia absoluta, quæ de facto datur in Deo, non cõstituit hunc Deum subsistentem incommunicabiliter, quia natura diuina, de cuius essentiali conceptu supponitur, cum sit infinitè fœcũda, petit infinitam communicationem, essequetribus personis communis, vni, scilicet, improductæ, & duabus productis; sed in eo casu natura diuina fœcunda ad intra non esset, cum non peteret communicari personis per processionem: ergo subsistentia absoluta constitueret hunc Deum ratione sui subsistentem incommunicabiliter, & consequentèr esset ratione sui formaliter personalitas.

93. *Cõtra secundã solutionẽ obstat primo.*

Deindè, secunda solutio reijcitur primò; quia omnes Theologi, vt indubitatum supponunt, Deum in hypothesi impossibili, quod esset non tres, sed vna tantùm persona, fore vt posset sibi assumere naturã creatam, illique immediatè vniri, non minus quam modo potest; & tamen non omnes supponunt in eo casu distinguendam esse virtualiter personalitatem ab essentia diuina, imò nec supponere possunt, dato quod subsistentia absoluta, quã de facto Deo attribuunt, non sit ab illa virtualiter distincta, vt manifestè monstrauimus: ergo cum indistinctione virtuali subsistentiæ ab essentia, stat posse Deum vniri cum natura creata sub conceptu subsistentiæ, & non sub conceptu essentiæ, vel sub cõceptu naturæ, & naturam creatam cum Deo in subsistentia vniri, quin vniatur cum illo in essentia, aut natura.

94. *Secũdo.*

Secundò contra eandem solutionem reddit argumentum supra factũ; nam conceptus personalitatis, & cõceptus relationis in proprietate personali Verbi, non sunt virtualiter adæquatè distincti, & tamen humanitas vnitur de facto formaliter, cum proprietate Verbi sub conceptu personalitatis, & non sub cõceptu relationis. Item, conceptus sanctitatis, & conceptus naturæ non distinguuntur in Deo virtualiter adæquatè, & tamen vnitur humanitati deitas, sub conceptu sanctitatis formalitèr, non vnita formalitèr sub cõceptu naturæ. Item, cõceptus speciei, & conceptus intellectionis in Deo, sunt indistincti virtualiter adæquatè, in sententia tam intra, quam extra Scholam D. Thomæ satis communi, & tamen vnitur mentibus beatorum, vt species, non autem, vt intellectio, qua ratione implicare, quod vniatur cum intellectu creato, est communis Theologorum sententia. Personalitas etiam, & subsistentia relatiua in Verbo, non sunt formalitates virtualiter adæquatè distinctæ, & tamen vniri potest naturæ irrationali sub conceptu subsistentiæ formaliter, quin illi vniatur, vt personalitas. Ac denique, conceptus sanctitatis, & conceptus subsistentiæ in personalitate Verbi, non distinguuntur virtualiter adæquatè, in sententia probabili; & tamen in eadem sententia, quam Recentiores, solutione data vtentes non negant, potest vniri de potentia absoluta naturæ irrationali sub cõceptu subsistentiæ, quin illi possit vniri sub conceptu sanctitatis: ergo quamvis personalitas, & natura diuina in hypothesi conficta, non manerent virtualiter adæquatè distinctæ; sed personalitas esset de conceptu essentiali naturæ, posset natura creata huic Deo vniri formaliter sub ratione personæ, & non sub ratione naturæ, & consequentèr esset ab hoc Deo in prædicto casu assumptibilis in vnitatem personæ, & non in vnitatem naturæ: ex quo vlterius sequitur rebus, vt nunc existentibus, qualitèr fide docemur, quamvis subsistentia absoluta sit de essentia naturæ diuinæ, ab illaque virtualiter indistincta, posse hunc Deum sibi, vt subsistenti vnire naturam creatam, quin ipsi vniatur formalitèr sub conceptu essentiæ, & naturæ, quod in secunda parte nostræ conclusionis asserimus.

Quod denique, si conceptus subsistentiæ absolutæ in Deo non cõstituatur, non possit hic Deus vt communis

95. *Tertia pars cõ-*

tri-

cluſionis prob.. ex D.T.

S. Thom.

tribus perſonis immediatè aſſumere naturam creatam, quod in tertia parte noſtræ concluſionis aſſerimus: probatur primo ex D. Thoma *in 3. Sent. diſt. 5. q. 2. art. 3. in corp.* vbi docet: *Quod circunſcripta à Deo omni ratione perſonæ, non conuenit ei aſſumere*; ſed nō cōſtituta in Deo ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, omnis ratio perſonæ circunſcribitur ab ipſo, cū excludantur incōmunicabilitas, & per ſe exiſtentia, quæ duo perſonalitas importat: ergo negata Deo ſubſiſtentia abſoluta, nō poteſt hic Deus, vt cōmunis tribus perſonis aſſumere naturam creatā. Confirmatur ex eodem D. Thom. *in hac q. art. 3 ad 1.* vbi docet: *Quod quia in diuinis idem eſt* quo eſt, *& quod eſt, quid quid eorum, quæ attribuuntur Deo in abſtracto, ſecundum ſe conſideretur aliis circunſcriptis, erit aliquid ſubſiſtens*; & ex hoc infert circunſcriptis perſonalitatibus relatiuis, poſſe naturam diuinam aſſumere naturam creatam: ergo ſi Deo vt communi, ſubſiſtentia abſoluta non concedatur, non poteſt hic Deus, vt ſic communis ſibi naturam creatam aſſumere.

Confirmatur.

S. Thom.

96. *Secūdò probatur ratione.*

Secundò probatur; nam Deum ſibi aſſumere naturā creatam, eſt illam taliter ſibi vnire, vt de ipſo in cōcreto prædicetur; ſed negata ratione formali ſubſiſtentiæ huic Deo, vt tribus perſonis communi, nō intelligitur remanens formalitas aliqua in ipſo, ratione cuius poſsit ſibi vnire naturā creatā, talitèr vt de illo in concreto prædicetur: ergo ſubſiſtētia abſoluta Deo, nō conceſſa, non poteſt Deus ſibi aſſumere naturam creatam. Conſequentia cum maiori tenet; minor autem probatur: vt natura creata, v.g. humanitas de Deo in cōcreto prædicetur, neceſſaria eſt vnio, ratione cuius Deus dicatur habens in ſe humanitatē; hæc enim prædicatio: *Chriſtus, vel Deus eſt homo*, idem valet, *quod habens humanitatem*; & idem eſt de quacumque alia natura dicendū; nam concretum cuiuſvis formæ idē eſt, quod habēs formā; ſed ſecluſa ſubſiſtentia à Deo, non manet formalitas aliqua ratione cui⁹ Deus poſsit dici in ſe habens naturam creatam: ergo tali ſubſiſtentia negata, non manet Deus vnibilis naturæ creatæ, vnione fundante prædicationē talis naturæ ſumptæ in cōcreto de Deo. Minor, in qua ſola eſt poſita difficultas, probatur; nā habere in ſe aliquam formā dupliciter ſolū cōtingit, nēpè, ſubiectiuè, & terminatiuè; ſed Deus eſt incapax habēdi in ſe per modū ſubiecti formā, alioquin mutaretur, vt cōſtat ex his, quæ *diſp. præced.* docuimus, & communiter docetur à Theologis; habere autem formam terminatiuè, quod idē eſt, ac illam terminare ſubſiſtendo in illa, eſt effectus ſubſiſtentiæ, & conſequenter, non poteſt negata ſubſiſtētia ſaluari; nam effectus formalis alicuius formæ ſine illa, neque eſſe, nec intelligi poteſt: ergo negata in Deo ſubſiſtentia abſoluta, non remanet in ipſo perfectio, aut formalitas aliqua, ratione cuius poſsit hic Deus dici habens in ſe humanitatem, vel aliā naturam creatam. Qua ratione bene perpenſa conuincitur, nec ratione conceptus naturæ, nec ratione conceptus ſanctitatis, nec conceptus exiſtentiæ, poſſe vnionem in prædicto ſenſu Deo, vt communi tribus perſonis cum natura creata cōpetere, quod enim Deo non eſt ratio ſubſiſtendi ad intra, nec ratio ſubſiſtendi ad extra eſſe poteſt; ſed nihil horum eſt Deo ratio ſubſiſtendi in natura diuina: ergo nec eſſe poteſt ratio ſubſiſtendi in natura creata; ac per conſequens, nec ratio illam in ſe habendi. Quæ doctrina magis ex argumentorum ſolutione conſtabit.

§. VI.

Duobus argumētis contra primam partem concluſionis occurritur, & explicatur mens D. Thomæ.

CONTRA primam partem cōcluſionis arguit Vazquez primò: 97.

Contra primam partē cōcluſionis arguit Vaſq. primo.

nam Sancti Patres non cognouerunt poſsibilem alium modum vnionis naturæ creatæ cum Deo, niſi vel in natura, vel in perſona; ſed vnio cū hoc Deo, vt ſubſiſtente ſubſiſtentia abſoluta, non eſt vnio in natura, nec in perſona: ergo impoſsibilis cenſetur à Patribus. Minor cū conſequentia tenet; maiorem autem probat Vazquez primò; quia nullius alterius vnionis vnquam mentionem fecerunt: ergo nullam aliam vnionem cognouerūt poſsibilem.

Maior probatur primò.

Secūdò.

Secundò: nam Concilium Toletanum ſextum, & vndecimum in confeſsione fidei, ex eo quod vnio humanitatis cum Verbo non ſit facta in natura, intulit factam eſſe in perſona; ſed ſi alium modum vnionis, præter iſtas, cognoſceret vt poſsibilem, non ſic Concilium argueret, nec argumētum concluderet: ergo Concilium nō cognouit, nec admiſsit, vt poſsibilem, aliam vnionem cum Deo, niſi vel in natura, vel in perſona.

98. *Tertiò*

S. Anſel.

Tertiò, quia Anſelmus *lib. de Incarnatione Verbi cap. 4 poſt mediū*, contra quendam hæreticū aſſerentē, incarnato Filio Dei, neceſsū fuiſſe incarnari Patrē, & Spiritū Sanctum, ſic ait: *Qui rectè ſuſcipit eius incarnationē, credit eum non aſſumpſiſſe hominem in vnitatem naturæ, ſed in vnitatem perſonæ; hic autem, nempè, ille contra quē diſputabat, ſomniat hominem à Filio Dei magis eſſe aſſumptum in naturæ vnitatem, quam in vnitatem perſonæ. Si enim hoc non opinaretur, non diceret magis neceſſariō eſſe Patrem cū Filio incarnatū, quam eſſe poſsibile illum ſimul non eſſe incarnatū; quia ſunt plures perſonæ.* Vbi Anſelmus ex eo, quod ille hæreticus aſſerebat, incarnato Filio, neceſſariò Patrem eſſe incarnatū; infert ipſum cenſuiſſe vnionem factam eſſe in natura; ſed ſi præter vnionē cum Verbo in perſona, & vnionem in natura eſſet poſsibilis alius modus vnionis, nempè, cum Deo, vt ſubſiſtente ſubſiſtentia abſoluta, non rectè intuliſſet Anſelmus; nam per hoc, quod vnio fuiſſet facta cum Deo in ſubſiſtentia communi, ſaluaretur rectè neceſsitas incarnationis Patris Filio incarnato, quam hæreticus adſtruebat, vt contra Durandum ſupra arguebamus. ergo ex mente Anſelmi, præter vnionem in perſona, & vnionem in natura, non eſt poſsibilis alius modus vnionis cum Deo.

99. *Quartò.* S. Tho.

Denique id ipſum probatur ex D. Thoma *quæſtione præcedenti art. 2. in corpore*, illis verbis: *Omne igitur, quod ineſt alicui perſonæ, ſiuè pertineat ad naturam eius, ſiuè nō, vnitur ei in perſona: ſi ergo humana natura Verbo Dei nō vnitur in perſona, nullo modo ei vnitur, & ſic totaliter tollitur incarnationis fides.* Sed ſi eſſet poſsibilis vnio cum hoc Deo, vt communi tribus perſonis ratione ſubſiſtētiæ abſolutæ, ex eo quod humanitas non fuiſſet Verbo vnita in natura, vt D. Thomas *art. 1. præcedentis quæſtionis* monſtrauerat, & ex eo, quod Verbo vnita in perſona nō fuiſſet, malè D. Thomas inferret nullo modo eſſe illi vnitam, quandoquidem reſtaret iſte modus vnionis poſsibilis: ergo iuxta D. Thom. non eſt poſsibilis vnio humanitatis cum Deo, præter vnionem in natura, & vnionē in perſona.

100 *Reſpondetur ad argumētum.*

Ad primā probationē.

Ad hoc argumentum reſpondeo, negando maiorem; ad primam probationem prætermiſſo antecedenti, nego conſequentiam: quod enim Patres mentionem alterius vnionis non fecerint, nō ideò eſt, quia illam impoſsibilem iudicauerint, ſed quia hæretici, cōtra quos concertatio Patrū tunc erat, ſolum de duplici modo vnionis diſceptabant, nempè, in natura, & in perſona, quibuſdam aſſerētibus vnionem factam eſſe in natura, & ex hoc, non ſolum duas perſonas, ſed etiam duas naturas in Chriſto negantibus, alijs è contra, ſicut duas naturas, ita & duas perſonas conſtituentibus in Chriſto; contra quos Patres arguendo, vnionem in natura excluſerunt oſtendentes ſolum in perſona eſſe factam; & quia in hoc hæreticorum diſceptatio erat poſita, ideò alterius vnionis, nempè, cum Deo in ſubſiſtentia abſoluta, quam nos fatemur poſsibilem, non fecerunt mentionem; ex hoc tamen non colligitur talis vnionis poſsibilitatem negaſſe.

101. *Ad secũdam respõdetur primò.* *Conc. Tolet.*

Ad secundam probationem respondeo primo, negando maiorem; nã verba Concilij Toletani, hæc sunt: *Solus tamen Filius formam serui accepit in singularitate personæ, non in vnitate diuinæ naturæ, in id quod proprium est Filio, non quod commune est Trinitati.* Quibus verbis, vt clarè constat, docet quidem Concilium vnionem factam esse in persona, non in natura; non tamen vnum infert ex alio: falsò ergo Vezquez supponit Concilium Toletanum 6. & 11. ex negata vnione humanitatis cum Verbo in natura, inferre factam esse in persona.

Respõdetur secũdò.

Respondeo secundò, prætermissa maiori, distinguendo minorem: non esset bona ex terminis consequentia facta à Concilio, concedo minorem; ad hominem, nego minorem, & consequentiam: nam diffinitio Concilij contra hæreticos procedebat, & quia, vel ipsi censebant non esse aliam vnionem possibilem, vel nullius alterius vnquam meminerunt, nisi tantùm vnionis in natura, & vnionis in persona; contra illos arguens Concilium, rectè inferebat ex eo, quod vnio in natura facta non esset, esse factam in persona: quia licet argumentum non teneret ex vi terminorum, vrgebat tamen, & efficaciter inferebat ad hominem contra illos arguendo. Vel tertiò respondeo, Concilium nomine vnionis in natura, intelligere vnionẽ in prædicato tribus personis cõmuni, vt constat ex illis verbis: *In id quod proprium est Filio, non quod commune est Trinitati*; sic autem accipiendo, ex negata vnione in natura, scilicet, in prædicato communi, rectè infertur vnio in proprietate Filij personali; ex hoc tamen non colligitur Concilium censuisse, non esse alium vnionis modum possibilem, præter vnionem in natura, & vnionem in persona.

Respõdetur tertiò. *Conc. Tolet.*

102. *Ad tertiam probationẽ respondetur 1.*

Et ex his ad tertiam probationem maioris responderi potest primò: nomine naturæ accepisse Anselmum, quæ sunt tribus personis communia; sic autem rectè infert Anselmus hæreticum, qui incarnato Filio, necessarium censebat, Patrem etiam incarnari, existimasse vnionem factam esse in natura, idest, in aliquo prædicato communi, non in aliquo Filij proprio immediatè. Vel secũdò respondetur, Anselmum rectè intulisse, non ex terminis, sed ad hominem; vt enim nuper asserebamus, inter hæreticos nullius alterius vnionis mentio fiebat, nisi vel in natura, vel in persona; & sic arguendo contra illos, rectè infertur, hæreticum, qui existimabat incarnato Filio, necessarium esse incarnari simul cum illo Patrem, & Spiritum Sanctum, tenere vnionem, non in persona, sed in natura esse factam: non quia in re non detur medium, sed quia apud ipsos non datur.

Secũdò.

103. *Ad vltimã probationẽ maioris respõdet M. Medina.*

Ad vltimam probationem maioris Magister Medina *quæst. præcedenti art. 2. in solutione secundæ obiectionis*, impugnata prius doctrina Caietani, respondet argumentum D. Thomæ procedere supposita fide mysterij Incarnationis, qua credimus vnionem humanitatis cum solo Filio esse factam, & solum Verbum incarnatum esse, quod probat ex titulo articuli inquirente: *An vnio Verbi incarnati facta sit in persona?* Quibus verbis videtur supponi, solum Verbum esse incarnatum, & humanitati vnitum, modusque vnionis inquiritur; sic autem consequentiam Diui Thomæ esse bonam, si ad hanc formam reducatur: vnio humanitatis est cum solo Verbo facta; sed non est facta in natura: ergo facta est in persona; cui solutioni subscripsit Magister Cabrera ad articulum citatum.

104. *Displicet hæc solutio primò.*

Nobis tamen displicet primò; quia falsum est D. Th. in sua ratione supponere vnionem humanitatis cum solo Verbo esse factam. Tùm, quia D. Th. hoc probat *in hac q. præcipuè art. 4. & 8.* Tùm etiam, nam *q. præcedenti art. 1.* titulus ita proponitur: *Vtrùm vnio Verbi incarnati sit facta in natura?* Et tamen, non ideò supponitur humanitatẽ fuisse vnitam soli Verbo: ergo ex eo, quod titulus secundi articuli proponatur de vnione Verbi incarnati, malè infertur, quod D. Thom. supponat soli Verbo fuisse humanitatẽ vnitam.

tam. Probatur minor: non ſtat humanitatẽ eſſe vnitam ſoli Verbo, & illi in natura viri; cũ enim vna, & eadẽ natura cõueniat tribus perſonis, eo ipſo, quod vnio in natura fuiſſet facta, non poſſet ſoli Verbo alligari, vt fatentur omnes Theologi: ergo cũ D Th. inquirit, an vnio Verbi incarnati facta fuerit in natura? Non ſupponit cũ ſolo Verbo eſſe factam, aliàs in ipſo titulo articuli, locũ quæſtioni præcluderet. Quod amplius vrgetur: nam ſi humanitas fuiſſet per ſe primo vnita huic Deo, vt tribus perſonis cõmuni, Verbum incarnatũ eſſet, vt cõtra Durandũ omnes Theologi fatentur ex illius ſententia inferentes tres perſonas eſſe incarnatas: ergo Verbũ in eo caſu fuiſſet humanitati vnitũ, ſimul cum alijs perſonis, & conſequentèr ex eo, quod titulus ſecundi articuli ſit de vnione Verbi incarnati, non ſequitur in illo ſupponi, ſoli Verbo eſſe humanitatem vnitam.

Cõfirmatur.

105. *Diſplicet ſecundo.*

Diſplicet ſecundò, in eo quod ſupponit Medina D. Thom. ita arguere: *Vnio humanitatis ad Verbum non eſt in natura facta: ergo facta eſt in perſona*; quod falſum eſſe probo primo ad hominẽ contra Medinã. Ipſe namq; fatetur, quod etiam ſi vnio facta fuiſſet in natura, vnita fuiſſet humanitas Verbo diuino in perſona; & quod ita ſit dicendũ cõſtat ex D. Thom. illis verbis: S. Tho. *Omne quod alicui perſonæ ineſt, ſiue ad naturã pertineat, ſiue nõ pertineat ad naturã, vnitur illi in perſona*: ergo nõ colligit D. Th. vnionẽ eſſe factam cũ Verbo in perſona; quia nõ eſt facta in natura. Secundò, nam D. Th. ſic arguit. S. Tho. *Omne quod ineſt alicui perſonæ, ſiue pertineat ad eius naturã, ſiue non pertineat, vnitur illi in perſona: ergo vel humanitas non fuit vnita Verbo, quod eſt catholicã fidem ſubuertere, vel vnita eſt in perſona.* Sed hæc cõſequẽtia longè diuerſa eſt ab iſta: *Humanitas non fuit vnita Verbo in natura: ergo fuit vnita in perſona*; vt eſt ipſis terminis cõſtat: ergo D. Thom. nõ colligit humanitatẽ fuiſſe vnitã Verbo in perſona, quia nõ fuit illi vnita in natura, ſed ex eo, quòd aliàs Verbo nullatenus eſſet vnita, per quod tollitur Incarnationis fides.

Caietanus *art. 2.* relato in cõmẽto, verſũ, *occurrit hoc in loco*, tribus modis dicendi relatis, & refutatis reſpõdet, ſupponendo primò: perſonã dupliciter accipi: primo pro perſona cõpleta, ideſt pro ſubſiſtente incõmunicabiliter in natura rationali, iuxta diffinitionẽ Boetij cõmuniter acceptatam à Theologis. Secũdò pro perſona incompleta, ideſt, pro ſubſiſtente in natura rationali cõmunicabilitèr, quod ſic ſubſiſtens, perſona dicitur contrapoſitiuè ad naturam; quia ſub cõceptu naturæ nullus ex his modis ſubſiſtendi importatur, & dicitur perſona incõpleta, vel incompletè: quia nõ dicit incõmunicabilitatem, quæ eſt de conceptu perſonæ completè, & adæquatè ſumptæ. Supponit ſecundò: quod licet inter creaturas non detur ſubſiſtens in natura rationali, quod nõ ſit incommunicabile, & conſequentèr, quod nõ ſit adæquatè, & completè perſona; in Deo tamen datur aliquid ſubſiſtens in natura diuina tribus perſonis commune, nempè, hic Deus, qui pro priori ad relationes, nõ ſolum exiſtens, ſed etiã ſubſiſtens cõcipitur; cum pro illo priori intelligatur perfectiſsimè exiſtens vt *quod*, & operans operationibus eſſentialibus intelligẽdi, & volendi; in quo modo exiſtendi ratio ſubſiſtentiæ conſiſtit, & conſequentèr in hoc Deo ſic communi intelligitur ratio incompleta perſonæ, non autem ratio completa.

106 *Caietanus reſpondet.*

Quibus præſuppoſitis, cũ D. Th. docet, *omne quod alicui perſonæ ineſt, vniri illi in perſona*, aſſerit intelligendũ de vnione in perſona, vt abſtrahit à cõpleta, & incõpleta: & ſic intellecta Angelici Præceptoris doctrina, rectè infertur, quod ſi humanitas nõ eſt vnita Verbo in natura, nec eſt illi vnita in perſona, nullatenus illi vnitur, quod eſt catholicã fidẽ ſubuertere. Iuxta quam explicationẽ admiſſa doctrina D. Th. nego argumenti minorẽ; ad cuius probationẽ dicatur; modũ illũ vnionis, qui reſtat, nempè, cum hoc Deo, vt cõmuni tribus perſonis ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, etiã eſſe modum vnionis in perſona, non cõpleta, ſed incõpleta, & ex negatione vnionis

107 S. Tho.

in

in persona sub vtraque ista acceptione: rectè intulit D. Th. humanitatem nullatenus diuino Verbo esse vnitam.

108 *Contra arguit Medina primo.*

Cæterum contra hanc doctrinam insurgit Medina, primò: nam modus iste loquendi admittens personā incōpletam, quæ communis sit in Deo, novus est, nec ante Caietanū auditus: ergo non est sustinendus. Secundò; nam persona incompleta, vel propriè, vel tantùm impropriè est persona; si secundū asseratur, doctrina D. Thomæ in sensu improprio explicatur, quod incōveniens censetur; si asseratur primū, sequitur esse in Deo quatuor personas, quod est contra fidē: ergo persona incōpleta admittenda in Deo nō est. Tertiò; nam D. Thom. præmittit diffinitionē personæ traditam à Boetio, & à Theologis admissam, nempè, quod *sit rationalis naturæ indiuidua*; ideſt, incommunicabilis subsistentia, & illa præsuppositā, docet, vnionē humanitatis ad Verbū in persona factā esse: *Quia quidquid inest alicui personæ vnitur illi in persona*; sed diffinitio Boetij est de persona completa: ergo D. Thomas loquitur de vnione in persona sic sumpta, nēpè, adæquatè, & cōpletè. Deniq; nam D. Thom. loquitur de eadē vnione, de qua loquuntur Concilia, cum docent, vnionē humanitatis ad Verbū, non in natura, sed in persona esse factam; sed Concilia loquūtur de vnione in persona cōpleta: ergo etiam D. Tho. loquitur de vnione humanitatis ad Verbū in persona, non incōpletè, sed completè, & adæquatè sumpta.

Secūdò.

Tertiò.

109 *Defenditur Caietanus.*

Hæc tamen nō expugnant, nec falsitatis conuincūt Caietani solutionē. Ad primū respondeo, quod licet modus loquendi ante Caietanū fuerit inauditus, quod examinare non potui: res tamen illis terminis, & modo loquendi explicata, nempè, subsistentia absoluta, per quam subsistit hic Deus, vt tribus personis communis, à pluribus Caietano antiquioribus tradita inuenitur; licuit autē Caietano, vt potè subtilissimo Theologo, & in terminis inuenēdis ad res Theologicas explicādas peritissimo, nouos terminos, quibus res antiqua explicetur ministrare sine aliquo inconvenienti, maximè, cum Caietanū postea alij sint imitati.

Ad primū respōdetur

110. *Ad secūdum.*

Ad secundam dicatur; personam incompletè sumptā esse cum proprietate personam, non quoad omnia, & adæquatè, sed inadæquatè, & quoad aliquid, quod à persona importatur, nēpè, quoad perfectatē independentiæ in natura rationali. Nec sequitur esse quatuor personas in Deo; nam ad hoc necessum erat, quod persona incōpleta realitèr distingueretur à tribus diuinis personis: non autē sic ab illis distinguitur, sed solum distinctione virtuali, & ideò in numero non ponit cum illis, nec potest verificari esse in Deo plures personas quam tres, sicut quia res, quæ est essentia, solū virtualitèr distinguitur à personis, nō dicitur esse in Deo quatuor res. Nec obstat dici, quatuor relationes, quāvis relatio spiratoris ab alijs relationibus realitèr non distinguatur, sed tantum modo virtualitèr: quia enim relatio exprimit respectū ad terminū, & dantur quatuor termini; ideo dicitur dari quatuor relationes, quæ ratio in persona non militat: quia licet relatione constituatur, non tamen ordinem ad terminum exprimit, vndè ly *persona* nomen relativū non est, sed absolutū, de quo videantur Theologi 1. *p. q.* 28.

Theologi.

111. *Ad tertium.*

Ad tertium, concesso antecedēti, nego consequentiam; cùm enim persona incōpleta, per cōpletam cognoscatur, rectè D. Thom. diffinitionē personæ sumptæ cōpletè præmisit, quāuis conclusio eliciēda nō esset de vnione in persona cōpleta, sed à cōpleta, & incōpleta abstrahēte. Ita Nazarius *q.* 2. *art.* 2. *in commentario articuli*, cui præomnibus placuit Caietani solutio.

Ad quartum.

Ad quartū dicatur, loqui D. Thm. de eadē vnione, de qua Cōcilia loquuntur, sed nō sub eadē ratione: nam Cōcilia loquūtur de vnione in persona Filij, quatenus ab alijs distincta; & D. Th. de hac vnione sub ratione magis cōmuni, scilicet, prout facta in persona, abstrahēdo à cōpleta, & incōpleta, tractaturus in sequētibus, scilicet, in hac quæstione, de vnione humanitatis ad Verbum, prout in persona Filij determinatè fuit facta.

112. *Replica bis.*

Sed adhuc contra Caietani doctrinam obijcies; nam ſubſiſtentia communis, & abſoluta eſt de eſſentiali cõceptu naturæ diuinæ, non minus quã exiſtentia: ergo vnio cum Deo in ſubſiſtentia communi, potius dicenda eſt vnio in natura, quam vnio in perſona; ac per conſequens D. Thomas illam ſub vnione facta in perſona comprehendere non debuit. *Reſpõdetur primò.* Reſpondeo primò: antecedens eſſe dubium in doctrina D. Thomæ: vndè, qui Caietanum defendunt, non tenentur illud concedere, ſed poſſunt oppoſitæ ſententiæ adhærere aſſerenti, tam exiſtentiã, quam ſubſiſtentiam eſſe extra conceptum conſtitutivum eſſentiæ, & naturæ diuinæ, quam Nos veriorem cenſuimus *tractatu de eſſentia Dei.*

Reſpondetur ſecundo. Vel ſecũdò reſpõdetur, quod licet ſubſiſtentia abſoluta ſit de conceptu eſſentiali naturæ diuinæ; diſtinguitur tamen ab illa diſtinctione eminentiali, & ex modo ſignificandi, quod ſufficit, vt natura vniri poſsit, ſub conceptu ſubſiſtentiæ, & non ſub munere, & conceptu naturæ, vt ex *ſupra* dictis conſtat; & quia ſignificatur, non per modum naturæ, ſed vt in illa ſubſiſtens, qui eſt modus ſignificandi perſonæ; ideò vnio in illa, vel cum hoc Deo ratione illius, dicitur vnio in perſona, & non vnio in natura. Hæc dicta ſint in fauorem Caietani.

113. *Pro veriori ſolutione notatur primò.* S. Tho. *Secũdò.*

Poteſt tamen melius, & facilius ad vltimam probationem maioris ex D. Thoma occurri. Notando primo D. Thomam non dixiſſe: *Omne, quod ineſt alicui, vnitur illi in perſona*; ſed *omne, quod alicui perſonæ ineſt, vnitur illi in perſona*: primum enim falſum eſt, vt cõſtat in bruto, cui plura intrinſecè inſunt, & tamen non vniuntur illi in perſona, cum brutum perſona non ſit. Notando ſecundò, vnionẽ eſſe in perſona dupliciter accipi poſſe: primò terminatiuè; quia, nempè, ex vnione aliquorum vna reſultat perſona: ſecundò ſubiectiuè; quia, nempè, quod perſonæ ineſt ſuppoſitaliter ab illa non differt, & illa vniuerſalis propoſitio D. Thomæ, hoc ſecundò modò, nõ autem primò intelligitur. Quod patet; nam accidentia inſunt intrinſecè Petro, & tamen non vniuntur illi in perſona, vnione perſonali terminatiuè; non enim ex Petro, & ſuis accidentibus vna perſona reſultat cum accidentia, non trahantur ad eſſe ſubiecti, nec vnione ſubſtantiali illi vniãtur, quod neceſſarium erat, vt ex vnione illorum cum Petro vna reſultaret perſona: vniuntur tamen Petro in perſona in ſecunda acceptione, quia, ſcilicet, à Petro non diſtinguuntur ſuppoſito.

114. *Tertiò.*

Notando tertiò; naturã creatam non poſſe huic Deo vniri, quin ex cõſequenti vniatur perſonæ Verbi, vt contra Durandum *in prima parte diſputationis* monſtrauimus, & fatentur omnes Theologi: ex quo manifeſtè conſequitur, vnionem naturæ creatæ cum hoc Deo, vt ſubſiſtente ſubſiſtẽtia abſoluta, etſi ex primatiò conceptu perſonalis nõ eſſet, nec vnio in perſona, quia hic Deus, ad quem primo terminaretur formaliter, perſona nõ eſt; ex conſequenti tamen neceſſariò foret perſonalis, & vnio in perſona, non ſolum ſubiectiuè, ſed etiam terminatiuè. Quòd patet; nam talis vnio neceſſariò terminaretur ad Verbum ſecuncariò, & ex conſequenti, & ex humanitate vt Verbo ſecundariò vnita, & ex Verbo vt in illa ſubſiſtente, reſultaret vna perſona: ergo talis vnio neceſſariò foret perſonalis, non ſolum ſubiectiuè, ſed etiam terminatiuè, non immediatè, & primariò, ſed ex conſequenti, & ſecundariò. Quibus animadverſis conſtat D. Thomã rectè intuliſſe, ex eo quod humanitas, non fuiſſet vnita Verbo in perſona: nullatenus illi vniri, & conſequenter deſtrui veritatem fidei, qua docemur Verbum incarnatum eſſe. Neq; obſtat illius illationis bonitati, poſsibilitas vnionis cum hoc Deo ratione ſubſiſtẽtiæ abſolutæ; nam cũ hæc neceſſariò deberet eſſe vnio cũ Verbo in perſona, negata vnione humanitatis in perſona Verbi, etiã huiuſcemodi vnio cum hoc Deo, vt ſubſiſtente, negatur.

His poſitis reſpõdetur.

115. *2. principaliter arguitur.*

Secundò principaliter contra primam partem concluſionis arguitur ex D. Thom. *in 3. Sent. diſt. 5. q. 2. art. 3. in corp.* illis verbis: *Dicendum, quod*

cir-

S. Tho. *circunscriptio personæ à naturâ diuina, potest dupliciter intelligi: vnò modò, quod circunscribatur omnis ratio personalitatis, & sic ipsa natura, nec erit subsistens in se, nec erit in aliquo subsistente, & sic non habebit esse in re, sed in intellectu, & sic non conuenit ei, neque assumere, neque aliquid agere. Alio modò potest intelligi, quod circunscribantur personæ distinctæ, quas fides ponit; eis autem circunscriptis, adhuc remaneret natura diuina subsistens, sicut Deum intelligunt, qui non habent fidem Trinitatis, sine hoc, quod intelligãt ibi Patrem, vel Filium, vel Spiritum Sanctum; vndè adhuc remanebit ibi personalitas aliqua: & hoc modo dicendum, quod circunscriptis personis, adhuc diuinæ naturæ conuenit assumere.* Quã doctrinã tradit etiam D. Thomas *in præsenti q. 3. art. 3. ad 1. & 2. argum.* & ex illa sic arguitur. Non remanente aliqua personalitate in natura diuina, nõ potest sibi assumere naturam creatam, vt expressè à D. Thom. docetur; sed abstractis per intellectum proprietatibus relatiuis, nõ intelligitur remanens personalitas aliqua in Deo, esto in ipso subsistentia absoluta admittatur, hæc namque personalitas non est, cum sit tribus personis communis: ergo quãuis subsistentia absoluta admittatur, non potest hic Deus ratione illius immediatè assumere naturam creatam.

116. *Respondetur.* Respondeo, personalitatem creatã duo propriæ naturæ præstare; primum est illam complere, & reddere subsistentem perfectate independentiæ ab altero, vt sustentante; secũdum est illam constituere incommunicabilem tupposito alterius naturæ, ex quibus primum habet natura diuina ratione sui, vt personis præintelligitur, cum prout sic præintellecta sit perfectissimè existens, & cõsequenter subsistens; secundum verò habet à proprietatibus relatiuis, vndè pro priori ad relationes intelligitur hic Deus subsistens in natura diuina, & cõsequenter intelligitur habens conditionem aliquam conuenientem naturæ creatæ, non ratione sui, sed ratione personalitatis. Cum ergo docet D. Thom. circunscripta personalitate à natura diuina, non posse assumere naturam creatam, intelligendus est de circunscriptione personalitatis quantum ad omnem effectum, & cõditionem personalitatis, non verò quantum ad aliquem tantùm. Et cum docet, naturã diuinam intellectam sine proprietatibus relatiuis, retinere aliquam personalitatem, & idcirco posse assumere, intelligẽdus est de personalitate quoad aliquid, non de personalitate quoad omnia: quia, nempè, illis circunscriptis intelligitur subsistens per independentiam à sustentante; in quo aliquid personalitatis concipitur.

Et quod hæc sit mens D. Thom. patet clarè: nam de natura intellecta sine personalitate docet, nec posse assumere, nec aliquid agere: ergo eodẽ modo exigit D. Thomas personalitatem in natura diuina ad assumendam naturam creatam; & ad hoc, quod agat, vel operetur; sed vt operetur ratione sui immediatè, non est necessaria personalitas sumpta, quoad omnia, sed solum quoad aliquam conditionem, nempè, subsistendi; ideſt per se existendi perfectate independentiæ, cum in omnium Theologorum sententia hic Deus pro priori ad relationes concipiatur volens, & intelligens: ergo, vt immediatè assumat naturam creatam, non est necessaria personalitas sumpta completè, & quoad omnem suum effectum, sed solum quantum ad aliquem, nempè, quoad rationem existendi per se perfectate independentiæ. Quod etiam satis insinuat D. Thom. illis verbis: *Vno modò, quod circunscribatur omnis ratio personalitatis*; ideſt, omnis personalitatis effect⁹, vel omnis personalitatis conditio.

S. Tho.

117. *Opponitur primò.* Sed oppones contra istam explicationem primo, verba illa D. Thom. *Alio modo potest intelligi, quod circunscribantur personæ distinctæ, quas fides ponit, eis autem circunscriptis, adhuc remanet natura diuina subsistens, sicut eam intelligunt, qui non habent fidem Trinitatis, & sic adhuc remanet personalitas aliqua, & hoc modo conuenit naturæ diuinæ assumere*: ergo sentit D. Thom. quod vt conueniat naturæ diuinæ assumere naturã creatam, requiritur

S. Tho.

ritur, quod natura diuina ſit, & intelligatur ſubſiſtens, eo modo quo illam ſubſiſtentem intelligunt, qui non habent fidem Trinitatis; ſed iſti intelligunt naturam diuinam ſubſiſtentem ſubſiſtentia perſonali, & incommunicabili: ergo ex eius mente, vt naturæ diuinæ conueniat aſſumere naturam creatam, ſubſiſtentia perſonalis, quoad omnem ſuum effectum, & conditionem requiritur.

118. *Secundò.* Secundò: ideò enim docet D. Th. naturæ diuinæ non conuenire, quod aſſumat naturam creatam, circũſcripta omni ratione perſonalitatis, quia illa circunſcripta non habebit eſſe in re, ſed tantùm in intellectu; at natura diuina, vt ſubſiſtens ſubſiſtentia abſoluta, quæ perſonalitas non ſit, non habet eſſe in re, ſed tantùm in intellectu: ergo vt ſic ſubſiſtens, nõ poteſt naturam creatam aſſumere. Probatur minor: ideò circunſcripta omni ratione perſonalitatis, non habet eſſe in re, ſed in intellectu tantũ, quia implicat exiſtere realitèr ſine omni perſonalitatis ratione; ſed etiã implicat naturam diuinam ſubſiſtere ſubſiſtentia abſoluta, ſine ſubſiſtentijs relatiuis: ergo natura diuina, vt ſubſiſtens ſubſiſtentia abſoluta circunſcriptis relatiuis, non habet eſſe in re, ſed tantùm in intellectu.

119. *Tertiò.* Tertiò; nam iuxta D. Thom. circunſcripta à natura diuina omni ratione perſonalitatis, non poteſt aſſumere naturam creatã, ſed intellecta præcisè, vt ſubſiſtente ſubſiſtentia abſoluta tribus perſonis communi, circunſcribitur ab illa omnis ratio perſonalitatis diuinæ; nam quod manere intelligitur, non cõuenit Deo ratione perſonalitatis, ſed ratione ſui, proprietates namque relatiuæ, in quibus ſolum ratio perſonalitatis diuinæ ſaluatur, non præſtant naturæ diuinæ ſubſiſtere, ſumptum pro per ſe exiſtere, ſed ſolum illi præſtant incommunicabilitatem: ergo vt ſubſiſtens ſubſiſtentia abſoluta, non poteſt naturam creatam aſſumere.

120. *Ad primam re-* Reſpõdeo ad primã replicã, admiſſa doctrina D. Tho. diſtinguendo cõſequens; eo modo quantùm ad omnia, nego conſequentiam; eo modo quantum ad aliquid, concedo conſequentiã; & conceſſa minori ſubſumpta, nego conſequentiam ſubillatam: non enim eſt neceſſarium, vt Deus intelligatur, potens immediatè aſſumere naturam creatam concipi ſubſiſtẽtem incõmunicabilitèr, qualitèr hic Deus concipitur à paganis, ſed ſufficit concipi ſubſiſtentem, ideſt per ſe exiſtentem perfeitate independentiæ à ſuſtentante; nam eo ipſo, concipitur potens ſuſtentare naturam creatam, & conſequentèr potens in illa ſubſiſtere; vndè oportet concipi ſubſiſtentẽ; eo modo quo illum intelligunt non habentes fidem Trinitatis quantum ad aliquid, nẽpè, quoad rationẽ perfeitaratis independentiæ, non tamen quantum ad omnia; ac proindè neceſſarium non eſt, quod vt incommunicabilis concipiatur. Quod autem ſic intelligendus ſit D. Thomas, conſtat ex dictis *num.* 116.

plicãres põdetur

121. *Ad ſecũdam.* Ad ſecundam, diſtinguo, & explico maiorem; per impoſsibilitatem à priori habendi eſſe in re, concedo maiorem; per impoſsibilitatem tantùm à poſteriori, nego maiorem; & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Contra quam diſtinctionem, non obſtat minoris probatio: quod enim hic Deus, vt ſubſiſtẽs ſubſiſtentia abſoluta, qualitèr à nobis cõcipitur pro priori ad relationes, non poſsit exiſtere in re, non oritur ex impoſsibilitate à priori, cum à proprietatibus relatiuis, non depẽdeat in exiſtendo, nec ab illis exiſtentiã accipiat; ſed pro priori ad eas concipiatur perfectiſsimè exiſtens, ſed tantùm eſt impoſsibilitas à poſteriori; quia, nempè, hic Deus, vt ſic, ſubſiſtens ratione fœcũditatis, eſt cum perſonis diuinis eſſentialitèr connexus, & cum proprietatibus relatiuis, vt virtualitèr à natura reſultantibus: quæ connexio non obſtat, vt pro priori ad relationes ſit, & intelligatur perfectiſsimè exiſtens per ſe perfeitate independentiæ à ſuſtentante: ac proindè obſtare nequit, vt pro illo priori intelligatur potens ſuſtentare naturã alienã, & in illa ſubſiſtere: ſicut nec obſtat, vt pro eodem

priori

priori intelligatur operans operationes essẽtiales: impossibilitas verò existendi in re sine personalitate sumpta quoad rationẽ subsistendi, est impossibilitas à priori; media enim subsistẽtia natura diuina capax constituitur existendi; ac proindè, non potest intelligi habens esse in re subsistentia præcisa. Ex quo vlterius fit, vt omni ratione personalitatis abstracta, nequeat concipi natura diuina capax assumendi naturam creatam.

122. *Ad vltimũ obiectionem.* Ad vltimam obiectionem, concessis maiori, & minori, nego consequentiam; quæ non tenet eo quod medium in minori restringitur; aliud enim est circunscribi omnem rationẽ personalitatis, & aliud circunscribi omnem rationem personalitatis diuinæ: nam primum denotat circunscriptionem perfeitatis existendi, quæ alicuius personalitatis est effectus, nempè, creatæ; hæc namq; cum naturam non supponat completam, illam ratione sui complet ad existendum, & consequentèr ratione sui constituit suppositum per se existens, perfeitate independentiæ, & perfeitate incommunicabilitatis. Secùdum autem nõ excludit perfeitatem independentiæ: quia non præstat illam personalitas diuina ratione illius, quod addit supra naturam, sed naturam per se, & perfectissimè existentem supponit. Vndè verũ est, quod circunscripta omni ratione personalitatis, non potest natura diuina assumere naturã creatam: & simul est verum, circunscripta omni ratione personalitatis diuinæ, posse assumere naturam alienam, illique immediatè vniri.

§. VII.

Alijs obiectionibus contra eãdem partem cõclusionis fit satis.

123. TERTIÒ principalitèr contra eandem partem conclusionis arguitur. Implicat subsistens in natura intellectuali, quod persona non sit; sed si posset hic Deus, ratione subsistentiæ absolutæ, assumere naturam intellectualem creatam, & in illa subsistere, hoc non implicaret: ergo hic Deus, ratione subsistentiæ absolutæ, non potest assumere naturam creatam, nec in illa subsistere. Consequentia tenet; minor constat: nam hic Deus, vt subsistens in natura diuina, ratione subsistentiæ absolutæ, persona non est: ergo paritèr vt subsistens in natura intellectuali creata, persona non esset. Patet consequentia, primo à paritate rationis. Secundò; nam ab eadem forma cõstituitur in vtraque natura subsistens: ergo si, vt subsistit in natura diuina, persona non est; nec vt subsistens in natura creata, persona esse potest. Maior autem ostenditur primò ex D. Thoma *in præsenti q. 3. art. 3. ad primũ*, illis verbis. *Dicendum, quod quia in diuinis idem est* quo est, *&* quod est, *quidquid eorum, quæ attribuuntur Deo in abstracto, secundum se cõsideretur alijs circunscriptis, erit aliquid subsistens, & per consequens persona, cum sit in natura intellectuali*: ergo sentit D. Thom. esse bonam consequentiam: *Est subsistens in natura intellectuali: ergo est persona.* At si non implicaret subsistẽs in natura intellectuali, quod persona non sit, bona consequentia non esset: ergo implicat subsistens in natura intellectuali, quod non sit persona.

Alia argumenta solvuntur.

Prob. 1. S. Tho.

124. *Secùdò. S. Tho.* Secundò probatur maior ex eodem D. Thoma *q. 9. de potentia art. 1.* illis verbis: *Ad quantum dicendũ, quod quamvis nihil subsistat, nisi individua substantia, quæ hypostasis dicitur, tamen non eadem ratione dicitur subsistere, & substare*: ergò sentit omne subsistens esse hypostasim, & consequentèr omne subsistens in natura rationali esse personam: quia, vt docet D. Thomas *in eodem art.* ad finem corporis: *Persona non est aliud, quam hypostasis rationalis naturæ.* Ex quo vlterius fit implicare subsistens in natura rationali, quod persona non sit, aliàs ex vno ad aliud consequentia non teneret.

Tertiò. Tertiò probatur; nam iuxta Boetium, cuius diffinitio communitèr accep-

Boet.

acceptatur à Theologis; *perſona eſt rationalis naturæ individua ſubſtantia*; ſed implicat ſubſiſtens in natura rationali, quod non ſit individua ſubſtantia rationalis naturæ: ergo implicat ſubſiſtens in natura rationali, quod perſona non ſit.

125. *Refertur prima ſolutio.*

Huic argumento reſponderi ſolet primò, conceſſâ maiori, negando minorem; nam caſu in quo hic Deus immediatè aſſumeret naturam rationalem creatam, prout in illa ſubſiſtens immediatè, eſſet perſona; cum enim naturam creatam compleret, ratione ſubſiſtentiæ abſolutè, relinqueret illam vlterius interminabilem, & incõmunicabilem alteri ſuppoſito, quia vt alteri ſuppoſito vniatur, debet ex illa, & ſuppoſito terminante reſultare vnum per ſe: eo autem ipſo, quod per ſubſiſtentiam abſolutam natura creata completa præſupponatur, non poteſt cum alio vnita vnum per ſe conſtituere, quia ad hoc neceſſum erat, quod illorum aliquod, incompletum ſupponeretur, & conſequentèr natura creata, per ſubſiſtẽtiam abſolutam completa, non poſſet alteri, vt ſuppoſito vniri; ex quo vlterius fit, vt hic Deus, quatenus in illa ſubſiſtens, diceretur, & eſſet perſona. Nec eſt eadem ratio, inquiunt iſtius ſolutionis Auctores, de natura diuina: nam hæc, etſi ante proprietates perſonales ſubſiſtẽs præſupponatur, quia tamen eſt infinitè fœcunda, petit perſonis communicari, & ideò vt ſic præconcepta, perſonata non intelligitur, nec hic Deus, quatenus in illa ſubſiſtens, dicitur, aut eſt perſona.

126. *Reijcitur primò.*

Hæc tamen ſolutio non placet, & reijcitur primò ex iam dictis: nam hic Deus immediatè aſſumens naturam creatam, per eandem formam conſtitueretur ſubſiſtens in illa, per quam ſubſiſtit in natura diuina; ſed vt ſubſiſtens in natura diuina perſona non eſt: ergo vt ſubſiſtens in natura rationali creata, eſſe perſona non poſſet, ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ. *Secundò*, nam implicat conſtitui perſonam per formam, quæ ratione ſui perſonalitas non ſit, vt ex terminis eſt manifeſtum; ſed ſubſiſtentia abſoluta ratione ſui perſonalitas non eſt, aliàs ratione ſui naturam diuinam redderet perſonam, & hunc Deum perſonam conſtitueret: ergo per illam non poteſt hic Deus, vt ſubſiſtens in natura rationali creata, conſtitui in ratione perſonæ.

127. *Reſpondebis primò.*

Si dicas primò; ſubſiſtentiam abſolutam diuinam, eſto ratione ſui, non ſit perſonalitas formalitèr, eſſe tamen perſonalitatem eminẽtèr, & hoc ſufficere, vt vnita naturæ rationali creatæ, illam perſonatam reddat, & hunc Deum, quatenus ſubſiſtentem in illa, perſonam conſtituat. In contrarium obſtat; nam vt conſtituat perſonam, nõ ſufficit, quod ſit perſonalitas eminentèr effectiuè, ſed requiritur, quod ſit perſonalitas eminẽtèr formalitèr; ſed eſto admittamus, eſſe perſonalitatem eminentèr, eminentia effectiua, non tamen eſt perſonalitas eminẽtèr, eminentia formali: ergo vnita rationali naturæ, non poteſt conſtituere perſonam. Conſequentia tenet, maior conſtat: tùm, quia Sol eſt eminẽtèr effectiuè calidus, & tamen ex hoc non poteſt ſe ipſo per modum formæ calidum conſtituere, quia eminentèr formalitèr calidus nõ eſt. Tùm etiã, nam deitas eſt eminentèr omnia eminentia effectiua, & tamen, quia nõ eſt eminentèr omnia eminentia formali, nõ poteſt immediatè, per ſe ipſam, omnium effectus præſtare. Tùm denique, ex communi omnium conſenſu aſſerentium, vt forma præſtet ſe ipſa aliquem effectum, vel quaſi effectũ formalem, debere illum cõtinere per modum cauſæ formalis, aut formalitèr, aut eminentèr. Hinc naſcitur, quod anima rationalis, quia eſt vegetatiua eminentèr, formalitèr præbeat gradum vegetãdi, ſe ipſa per modum formæ, quia verò eſt intelligens eminentèr ſolum effectiuè, nõ poteſt per ſe ipſam formalitèr conſtituere hominem intelligentem: ergo vera eſt maior aſſumpta, quod, nempè, vt ſubſiſtentia conſtituat perſonam, non ſufficit, quod ſit perſonalitas eminentèr effectiuè, ſed requiritur, quod ſit perſonalitas eminentèr eminẽtia formali. Minor autem probatur: ſi namque ſubſiſtentia abſoluta eſſet ratione

Sed contra.

ſui

sui personalitas eminentèr formaliter, vt vnita per identitatem cum natura diuina, constitueret personam, sed vt sic vnita personâ nõ constituit: ergo ratione sui non est personalitas eminentèr eminentia formali, & cõsequentèr, non potest ratione sui naturam creatam personatam reddere, nec hunc Deum, vt subsistentem in illa, constituere personam.

128. *Respondebis secundò.* Si respondeas secundò, subsistentiam absolutam, esto vt comparata cum diuina natura, personalitas non sit, quia non constituit subsistens incommunicabile ad intra: cõparatam verò ad extra cum natura rationali creata, esse personalitatem formaliter, quia illam vltimo terminat, & concretum ex illa resultans personaliter incommunicabile constituit. In contrarium obstat primò: nam diuinæ formalitates non præstant formaliter ad extra communicatæ, quod nõ præbent Deo ad intra, cui per identitatem conueniunt: quia namque sapientia ratione sui nõ cõstituit Deum volentem, non potest communicata ad extra effectum, vel quasi effectum volẽtis præstare, esto admittatur possibile volitionem diuinam sub cõceptu volitionis vniri cũ voluntate creata, illamque volentem constituere; & quia voluntas diuina sub expresso voluntatis conceptu, non constituit Deum formaliter subsistentem, non potest communicata ad extra seipsa, & ratione sui subsistentem constituere, nec rationem subsistentiæ sortiri; sed subsistentia absoluta, non cõstituit hunc Deum formaliter in ratione personæ, nec per ordinem ad intra rationem personalitatis sortitur: ergo ad extra communicata, & naturæ rationali vnita, non potest constituere personam, nec rationem personalitatis formaliter obtinere.

Contra primò.

129. *Secundò.* Secundò, nam subsistentia absoluta, ideò non constituit hunc Deum formaliter in ratione personæ, quia hic Deus, vt per illam subsistens, est per prædicationem communis tribus personis diuinis; sed etiam hic homo, vt subsistens per subsistentiam absolutam immediatè, & per se primo humanitati vnitam, esset per prædicationem communis tribus diuinis personis, vt cum communi Theologorum *in* 1. *part. disputationis* monstrauimus, & deinceps amplius ostendemus: ergo humanitati vnita illam personatam nõ redderet, nec hũc Deum, prout in illa subsistentem, ratione sui formaliter constitueret personam.

130. *Tertiò.* Denique; nam subsistentia absoluta humanitati vnita, non redderet illam incommunicabilem tribus diuinis personis, nec concretum resultans ex illa, nempè, hoc subsistens in humanitate, esset illis incommunicabile: ergo hic homo, vt constitutus in humanitate subsistens subsistentia absoluta, non esset persona formaliter. Consequentia est euidens; antecedens pro prima parte constat: vt enim *disputatione sequenti* monstrabimus, personalitas Verbi humanitati vnita, nõ reddit illam incommunicabilem Patri, vel Spiritui Sancto: ergo subsistentia absoluta, immediatè humanitati vnita, non redderet illam incommunicabilem tribus diuinis personis. Pro secunda parte probatur primò; nam forma de se alicui communicabilis, non potest constituere concretum incommunicabile, nisi fortè subiectum, cui vnitur tali communicationi repugnet; sed subsistẽtia absoluta est de se communicabilis tribus diuinis personis, & humanitas cui vniretur, huic communicationi non repugnat: ergo hoc subsistens in humanitate ex illa, & subsistentia absoluta ipsi vnita consurgens, non posset esse incommunicabile tribus diuinis personis. Secundò probatur: non enim alia ratione subsistentia absoluta, non constituit hunc Deum incommunicabilem tribus personis, nisi quia ipsa de se est tribus personis communis: ergo ob eandem rationem, si humanitati vniretur, non posset cõstituere hunc hominem ex illa, & humanitate resultantem, incommunicabilem tribus diuinis personis.

131. *Refertur 2. solutio Durandi.* Secunda solutio est Durandi *in* 3. *dist.* 1. *q.* 2. *& dist.* 2. *q.* 5. vbi docet, vnionem humanitatis cum hoc Deo, vt communi tribus personis, nõ transire

ſire neceſſariò ad perſonas; ex quo ſequitur ſubſiſtens in humanitate ex tali vnione conſurgens, ex vi vnionis cum hoc Deo, nõ fore neceſſariò perſonã, nec primariò, nec ex conſequẽti: iuxta quam doctrinam neganda eſt maior, quod, nempè, implicet ſubſiſtẽs in natura intellectuali, quod perſona non ſit; nã licet hæc doctrina ſit vera, de ſubſiſtẽte in natura intellectuali per ſubſiſtentiam creatam; non tamẽ eſt vera, de ſubſiſtente in natura intellectuali creata, per ſubſiſtentiam diuinam; ſicut enim de facto datur ſubſiſtens in natura intellectuali increata, quod ex vi huius conceptus, formaliter perſona non eſt: ita poteſt dari, de potentia abſoluta, ſubſiſtens in natura intellectuali creata per ſubſiſtentiam diuinam, quod nullatenus perſona ſit.

132. *Reiicitur.* Hæc tamen ſolutio diſplicet communiter Theologis, & eius falſitas conſtat ex dictis §. 1. quæ namque cõueniunt huic Deo, vt cõmuni tribus perſonis: ſecundariò ſaltim, eiſdẽ perſonis conueniunt, & de illis prædicantur; ſed caſu in quo humanitas immediatè vniretur cum hoc Deo, vt ſubſiſtente ſubſiſtentia abſoluta, & communi, eſſe hominem conueniret huic Deo, vt communi tribus perſonis: ergo neceſſariò conueniret perſonis, & prædicaretur de illis, & conſequenter iſtæ propoſitiones: *Pater eſt hic homo*; *Filius eſt hic homo*, forẽt neceſſariò veræ; ſed non poteſt eſſe verum, quod Pater, & Filius ſint homo, niſi etiam verum ſit, quod ſunt humanæ perſonæ; nam ratione proprietatis relatiuæ ſecundariò humanitati vnitæ; Pater incommunicabiliter in humanitate ſubſiſteret, & idem de Filio, & Spiritu Sancto eſt dicendum: ergo data vnione humanitatis cum hoc Deo ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, hic homo, ex tali vnione reſultans, eſſet neceſſariò ex conſequenti perſona.

133. *Cõfirmatur primò.* Quod amplius vrgetur primò; licet hic Deus non ſit perſona formaliter ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, quia tamen, vt ratione illius ſubſiſtens, eſt communis tribus perſonis diuinis, neceſſariò ex conſequenti eſt perſona; ſed hic homo, vt ſubſiſtens ſubſiſtentia abſoluta, eſſet communis tribus diuinis perſonis: ergo quamvis ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, formaliter perſona non eſſet, ex conſequenti tamen, neceſſariò eſſet perſona. *Confirmatur ſecundò.* Confirmatur, & vrgetur ſecundò; poſita vnione immediata humanitatis cum hoc Deo, ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, neceſſario ex conſequenti terminaretur humanitas per proprietates perſonales diuinas; ſed ex tali terminatione neceſſariò reſultaret perſona: ergo non ſtat vnio immediata humanitatis cum hoc Deo, vt ſubſiſtente ſubſiſtentia abſoluta, quin hoc ſubſiſtens, ex tali vnione reſultans, ſit neceſſariò ex conſequenti perſona. Cõſequentia tenet; nam reſultans ex perſonalitate Patris terminante humanitatem eſſet ſubſiſtens incommunicabiliter in natura rationali: ergo reſultans ex tali terminatione eſſet perſona formaliter. Maior autem probatur: nam humanitas ſubſiſtens immediatè ſubſiſtentia abſoluta eſſet terminabilis per proprietates perſonales: tùm, quia ſi vt ſic vlterius terminabilis non eſſet, hic Deus vt in illa ſubſiſtens, verè, & realitèr eſſet perſona, quod non admittit Durandus. Tùm etiam, quia de facto in ſententia Durandi, humanitas primo vnita cũ hoc Deo vt exiſtente, ſecundariò per vnionem diſtinctam vnitur perſonalitèr Verbo, quod verum eſſe non poſſet, ſi humanitas huic Deo immediatè vnita, non eſſet vlterius terminabilis proprietatibus relatiuis; ſed ſuppoſita hac vnione, nullum eſt impedimentum, vt de facto terminetur per prædictas proprietates: ergo tali vnione ſuppoſita, neceſſariò terminaretur per illas; cauſa namque non libere, ſed naturalitèr cauſans, & maximè, cauſa formalis, applicata, & non impedita, neceſſariò in ſuum effectum, vel quaſi effectum prorumpit.

134. *Vera ſolutio.* Vndè his modis dicendi omiſſis, ad argumentum reſpondeo, diſtinguendo maiorem; per ſe primò, aut conſequentèr, concedo maiorem: neceſſariò per ſe primò, nego maiorem; & ſub eadem diſtinctione minoris, ne-

nego consequentiam; nam sicut hic Deus, vt subsistens in natura diuina, non est persona formaliter per se primo; secundariò tamen, & ex consequenti est tres personæ diuinæ: ita hic Deus, vt subsistens in humanitate, præcisè ex vi huius conceptus formaliter persona non est; secundariò tamen, & ex consequenti necessariò esset persona. *Ad primi probationē maioris.* Ad primam probationem maioris, quatenus distinctioni traditæ obstare potest, respondetur primò ex Caietano *in præsenti q. 3 art. 3*: explicando D. Thomam de circūscriptione reali, non absoluta, sed conditionata; sic autem verum est, quidquid consideratur vt subsistens in Deo, si alia realitèr circunscribantur, necessariò fore personam, negatis namque in Deo tribus personis distinctis, hic Deus, vt subsistens in natura diuina, non esset vlterius communicabilis, & consequentèr esset sub tali suppositione, vel tali conditione persona; quia tamen implicat hæc circumscriptio personarū, ideò non implicat aliquid in natura rationali subsistens, quod ex vi huius conceptus formaliter persona non sit, licet necessariò ex consequenti debeat esse persona, vt explicatum relinquimus. Vel secundò, & cōsequentius ad dicta explicatur Divus Thomas de persona quoad aliquam conditionem, non autem quoad omnem conditionem personæ.

135. *Ad secūdam.* Ad secundam probationem dicatur, subsistere sumi dupliciter: primò pro per se existere perfectate independentiæ: secundò pro per se existere perfectate incommunicabilitatis; & cum docet D. Thomas nihil esse subsistens, nisi individua substantia, quæ hypostasis dicitur, loquitur de subsistere in secunda, non autem in prima acceptione. Et quia hic Deus, vt in deitate de facto subsistens, & de possibili in humanitate immediatè, non est subsistens in secunda, sed tantùm in prima subsistentiæ acceptione formaliter; fit cōsequens, quod ex vi huius conceptus, nec persona, nec hypostasis formalitèr sit, nec prout de facto in deitate subsistens, nec prout possibiliter subsistens in humanitate.

Ad tertiam. Ad tertiam probationem maioris dicatur, individuum dupliciter accipi: primò pro omninò incommunicabili; secundò pro singulari naturæ, vel speciei. Diffinitio Boetij sumit individuum primo modo, vt explicant communiter Theologi; sic autē hic Deus, vt ratione subsistentiæ absolutæ subsistens, siuè in natura diuina, siuè in natura creata, individuum non est, siuè individua substantia; est enim vlterius communicabilis tribus diuinis personis; sed tantùm est individuū, vel individua substantia in secunda acceptione individui; & ideò ex vi huius conceptus formaliter persona non est, vt subsistens in natura diuina, nec formaliter esset persona, prout subsisteret in natura rationali creata; ex consequēti tamen, & est, & esset necessariò persona, vt explicatum relinquimus.

136. *Replica bis primò.* Sed oppones primo, non stat hunc Deum subsistere in natura creata, & relinqui talem naturam terminabilem vlterius proprietatibus relatiuis: ergo non stat in humanitate subsistere, & prout subsistentem in illa, formalitèr personam nō esse. Consequentia patet ex dictis: antecedens autem probatur; non stat hunc Deum in natura creata subsistere, & relinquere naturam terminabilem in sensu compositorum personalitate creata, aliàs humanitas propria personalitate retenta posset saltim de potentia absoluta à Verbo personalitèr assumi, cuius cōtrarium tractatu sequenti constabit: ergo non stat hunc Deum in humanitate subsistere, & quod relinquatur humanitas terminabilis per proprietates personales diuinas.

137. *Secundò.* Secundò, nam si esset possibile subsistēs in natura creata rationali, quod formaliter persona non esset, sequeretur, posse de potentia absoluta, dari aliquid subsistens per subsistentiam creatam, quod formalitèr non esset persona; consequens est falsum, cum in communi sententia implicet subsistentia creata naturæ intellectualis, quæ formalitèr personalitas non sit, & consequentèr implicet concretum ex illa resultans, quod non sit formaliter persona: ergo doctrina solutio-

nis

nis traditæ eſt falſa. Probatur ſequela, eo ipſo, quod detur ſubſiſtentia increata, quæ nõ ſit perſonalitas formaliter, non eſt cur implicet participari ab aliqua forma creata: ergo, eo ipſo, quod admittatur poſsibile ſubſiſtens ſubſiſtentia increata, quod formaliter perſona nõ ſit, debet admitti non implicans ſubſiſtens ſubſiſtentia creata, quod nõ ſit perſona formaliter; imò, & quod nullatenus perſona ſit.

138. *Ad primã reſpõdetur.* Ad primam ex his obiectionibus, quid dicendum ſit, tractatu ſequenti conſtabit, vbi diſcrimen ſtatuemus inter perſonalitates diuinas comparatas inter ſe, & cum perſonalitate creata, quoad hoc, quod eſt poſſe ſimul eãdem naturam terminare. *Ad ſecundam.* Ad ſecundam, nego ſequelam; ad illius probationem, nego antecedens: quod enim detur ſubſiſtentia increata, quæ communicabilis ſit, & ideò non obtineat perſonalitatis rationem, prouenit ex ſumma actualitate diuinæ eſſentiæ, ratione cuius ei debetur exiſtere perfectiſsimè, & conſequenter ſubſiſtere pro priori ad relationes, & ratione sũmæ, & infinitæ fœcũditatis, ex qua illi conuenit exigentia communicationis tribus perſonis diuinis; & quia tam ſumma actualitas, quam infinita fœcunditas ſunt imparticipabiles à natura creata, ideò ratio ſubſiſtentiæ, quæ ſimul non ſit perſonalitas imparticipabilis eſt, & incommunicabilis ſubſiſtentiæ creatæ; nam cum hæc ſit modus naturæ, ſequitur conditionem illius.

§. VIII.

Argumentis contra ſecundã, & tertiam partem concluſionis occurritur.

139. *Contra ſecũdã partẽ cõcluſionis arguitur.* DEINDE contra ſecundam partem noſtræ concluſionis arguitur; etenim cum duæ formalitates, non differunt inter ſe virtualiter, non poteſt vna illarum cũ aliquo extremo vniri, quin eidẽ extremo, illarum altera vniatur: ergo ſi ſubſiſtentia abſoluta non diſtinguitur virtualiter à diuina natura, non poteſt ſubſiſtentia vniri naturæ creatæ, quin illi vniatur natura Dei ſub conceptu naturæ. Sed repugnat naturæ diuinæ, ſub conceptu naturæ, vniri cum natura creata: ergo etiam repugnat ſubſiſtẽtiæ abſolutæ, ſuppoſito, quod indiſtincta ſit virtualiter à natura diuina. Prima conſequentia ex antecedẽti euidenter deducitur: ſecunda cum minori probatione non indigent; antecedens autem probant Recentiores primo: quia namq; relatio, & forma hypoſtatica in perſonalitate Verbi, virtualiter non diſtinguuntur, nõ potuit Verbi perſonalitas, vt forma hypoſtatica vniri cum humanitate, & non vniri vt relatio: ergo verum eſt antecedens. Secundò; quia namque perſonalitati Verbi, vt formæ hypoſtaticæ, repugnat cum accidenti vniri, etiam illi, vt eſt relatio, vnio cũ accidenti repugnat; ſed non ob aliam cauſam, niſi quia prædictæ rationes virtualiter non diſtinguũtur: ergo idẽ quod prius. Tertiò, nam ſine virtuali diſtinctione, non poteſt ſtare vnio ſub vno conceptu, & non ſub alio cõceptu, vbi enim eſt vnũ, & aliud aliqua diſtinctio eſt; ac per conſequens ſine aliqua diſtinctione non poteſt vnio, & non vnio, in eadem formalitate ſaluari. Denique, poteſt idem antecedens probari ex communi Recentiorum doctrina, aſſerentium, veritatem duarum contradictoriarum non ſtare ſine virtuali diſtinctione: imò in hoc diſtinctionem virtualem cõſiſtere, quod de vna, & eadem formalitate realiter cõtradictoria verificẽtur; ſed vniri, & non vniri cum natura creata, ſunt prædicata contradictoria: ergo non poſſunt verificari de ſubſiſtentia abſoluta ſub ratione ſubſiſtentiæ, & de natura diuina, vt natura, niſi virtualiter inter ſe diſtinguantur.

cluſionis arguitur.

Recentiores.

Ad hoc argumentum reſpondeo, negando antecedens, loquendo de vnione formali, materialem namque non negamus, vt enim vnio formalis

140 *Reſpondetur.*

vnius,

vnius, absq; vnione formali alterius, cum aliquo extremo subsistat, nõ erit necessaria inter illa distinctio adæquata virtualis; sed sufficit, vel distinctio eminentialis, quæ consistit in æquivalentia ad entitates, aut formalitates distinctas, vel distinctio munium, aut inadæquata conceptuum, vt sub vno munere, aut cõceptu vniatur formalitas aliqua, & sub alio conceptu, aut munere non vniatur, ob capacitatem extremi, cui vnitur ad vnum, & non aliud in se suscipiendũ: vel propterea, quòd in communicatione talis formalitatis, sub vna eminentia, & munere, nulla imperfectio importatur; benè tamen in communicatione eiusdem sub alia eminentia, vel sub alia inadequata ratione, vel sub alio munere inadequato, vt constat in exemplis *supra* adductis, & potissimè in personalitate Verbi, in qua munus referentis, & munus formę hypostaticę, non differunt distinctione virtuali adequata; & tamen vnitur humanitati formaliter, vt forma hypostatica, & non vnitur illi formaliter sub ratione, & munere referentis: quia in prima vnione nulla imperfectio relucet, & quia illius effectus, vel quasi effectus formalis humanitas capax est; in secunda autem vnione aliqua imperfectio, informationis nempè, importatur, & ad illam non est in humanitate capacitas. Quia ergo in vnione naturæ diuinę, sub conceptu naturæ, cum natura creata imperfectio maxima elucet, scilicet, informationis, vel identificationis cum illa; secus autem in vnione sub conceptu subsistentiæ, & in natura creata est capacitas ad effectũ, vel quasi effectum formalem subsistẽtię sub munere, & conceptu subsistentię; secus verò ad effectum, vel quasi effectum formalẽ naturæ diuinæ, sub munere, & conceptu naturæ, fit consequens, vt quamvis subsistentia absoluta nõ differat à natura diuina distinctione virtuali adequata, possit cum humanitate, vel quavis alia natura vniri sub conceptu, & munere subsistentię formaliter, quin illi vniatur formaliter, sub munere, & conceptu naturę.

141. *Probationes antecedẽtis non vrgent.*

Nec vrgent probationes antecedentis. Non prima, quæ potius à nobis est, quam contra Nos, vt constat ex dictis: vnita namque personalitate Verbi humanitati sub cõceptu formæ hypostaticæ formaliter, non vnitur illi formaliter sub conceptu, & munere referentis, sed solum identicè, & materialiter: ex quo tantùm sequitur, quòd vnita subsistentia absoluta cum naturæ creata sub conceptu subsistentiæ formaliter, debeat eidem naturæ vniri natura diuina materialiter, & identicè, quod à Nobis non negatur; sed solũ, quòd illi debeat vniri formaliter sub cõceptu naturæ, ei suum effectum, vel quasi effectum formalem præstando.

Nec magis secunda probatio vrget. Ratio namque, ob quam personalitati Verbi repugnat vniri, sub cõceptu hypostasis, cum natura accidẽtali, non est, quia cõceptus hypostasis non distinguitur virtualiter à ratione relationis in personalitate Verbi reperta, & huic repugnat cum accidenti vniri, sed quia in accidenti est æqualis, vel eadem incapacitas ad personalitatem Verbi, sub vtraque ratione, & sub vtroq; munere, nempè, hypostasis, & relationis. Nec tertia probatio vrget: quomodo enim stare possit vnam, & eandem formam, absque virtuali distinctione adæquata, vniri cũ aliquo extremo formaliter sub vno munere, absque vnione eiusdem formæ formali, sub alio munere, iam explicuimus, & pluribus exemplis monstrauimus. Ad vltimam probationẽ dicatur: falsam esse illorum Recentiorum doctrinam circa virtualem distinctionẽ diuinarum perfectionum, illam constituentium præcisè in eo quòd de vna, & de eadem formalitate, prædicata contradictoria possint verificari, cuius falsitas, aliis exemplis omissis, conuincitur sufficienter exẽplo personalitatis Verbi, de qua sub munere formæ hypostaticæ, & sub munere referentis, cõtradictoria verificãtur, nempè, vniri, & nõ vniri humanitati formaliter, & tamen inter personalitatẽ Verbi, vt referentẽ, & eandem sub munere formæ hypostaticæ,

non intervenit virtualis distinctio adæquata.

142. *Oppones.* S. Thomam *quæst. præcedenti art. 2. ad 1. argum.* quod ita procedebat: *Persona Dei non est aliud à natura ipsius; si ergo vnio non est facta in natura, sequitur, quòd non sit facta in persona.* Cui argumento in hunc modum respondet: *Ad primum dicendũ, quòd licet in Deo non sit aliud secundum rem, natura, & persona; differt tamen secundum modum significandi, sicut dictum est, quia persona significat per modum subsistentis.* Et paucis interpositis addit: *Ideò vnio humanæ naturæ ad Verbum Dei facta est in persona, non in natura.* Ex quibus verbis tale argumẽtum cõtra nostram solutionem conficitur. Ideo docet Divus Thomas, vnionem humanitatis ad Verbum, potuisse esse in persona, quamvis in natura non fuerit; quia persona, & natura in Deo, licet sint idem re, differunt ex modo significandi; sed distinctio ista personæ à natura, ex modo significandi est distinctio rationis ratiocinatæ, quæ in nostra sententia idem est, quòd virtualis distinctio: ergo iuxta Divum Thomam hæc distinctio est necessaria inter duas formalitates, vt possit vnio esse in vna, & non in alia; & consequentèr, supposito, quòd subsistentia, & natura diuina, virtualitèr non distinguantur, non poterit natura creata vniri cum hoc Deo in subsistentia absoluta, quin illi in natura vniatur, nec poterit subsistentia absoluta vniri cum natura creata, sub conceptu subsistentiæ formalitèr, quin formalitèr illi vniatur natura sub conceptu naturæ.

143. *Respondetur.* Respondeo: vt vnio fiat in vno prædicato, & non in alio, exigi necessariò distinctionem, saltim ex modo significandi; quòd autem hæc distinctio sit rationis obiectiuæ adæquata, quod in mea sententia idem est, quòd distinctio virtualis, sufficiet quidem, necessariũ tamen non est: vndè quamvis sit verũ, quòd inter personam, & naturam diuinam distinctio obiectiua adequata intercedat, & sufficiat, vt vnio in persona fiat, & non in natura, quod à D. Thoma docetur; non tamen est necessarium, sed distinctio ex modo significandi, & rationis inadæquata sufficeret, sicut similis distinctio in Verbo in ratione Verbi, & in ratione Filij, est sufficiens, vt dicatur Verbum creaturarum; nõ tamen creaturarum Filius. Et quia hæc inter subsistentiam absolutam, & naturam diuinam intervenit, consequens fit, quòd possit natura creata vniri cũ hoc Deo in subsistẽtia absoluta, absq; eo, quòd cum illo in natura vniatur, & quòd possit subsistentia absoluta, sub conceptu subsistentiæ formalitèr naturæ creatæ vniri, quin illi vniatur formalitèr natura Dei, sub cõceptu naturæ.

144. *Contra tertiam partẽ cõclusionis arguitur primò.* Prętera, contra tertiam partem conclusionis arguitur. Hic Deus, vt communis tribus personis, potest ratione sui sustẽtare naturam creatam, esto subsistens non sit: ergo, etiam si subsistentia absoluta non admittatur in Deo, potest naturam creatam assumere, illique immediatè vniri. Consequentia tenet: nam vnio Verbi ad humanitatẽ est per modum sustẽtantis; & quia humanitatẽ sustentat, ideò humanitatẽ assumit: ergo si hic Deꝰ, esto subsistens non sit, potest secundum prædicata absoluta sustẽtare naturam creatam, potest illam sibi assumere, eique immediatè vniri, licet subsistentia absoluta non admittatur in ipso. Antecedens autem probatur; esto subsistens non sit, potest vices subsistentiæ creatæ supplere: ergo, licet subsistens non sit, potest naturam creatam sustentare, illique per modum sustentantis vniri. Consequentia probatione non indiget. Antecedens autem probatur primo: hic Deꝰ secundum prædicata absoluta, quamuis subsistens non sit, continet eminentèr omnem perfectionem subsistentię, & personalitatis creatę; sed quia subsistentia personalis diuina cõtinet eminentèr perfectionẽ personalitatis creatę, potest eius vices gerere, & illius effectum supplere: ergo hic Deus, secundũ sua prędicata absoluta, quamvis subsistens non sit, potest supplere effectũ subsistentię creatę, & gerere vices illius. Secũdò probat antecedens Valentia: Deus namq; se-

cun-

cundū prędicata absoluta, potest supplere omnem dependentiam extrinsecam; sed dependētia naturæ à subsistētia creata, non intrinseca, sed extrinseca est, humanitas namq; non cōstituitur per propriam subsistentiam intrinsecè, sed tantùm dicit ordinem ad illam, & consequenter tantùm ab illa dependet, vt à termino habitudinis, quæ est dependentia extrinseca: ergo hic Deus, secundum prędicata absoluta, potest, quamvis subsistens non sit, supplere effectū subsistentię creatæ, & gerere vices illius.

145. *Respondetur.* Respondeo, distinguendo antecedens: sustentatione effectiua, tranſeat antecedens: terminatiua, & formali, nego antecedens, & consequentiam: nam sustentatio effectiua nō sufficit, vt hic Deus dicatur in se habere naturam creatam, nec vt de ipso in cōcreto prædicetur, nec vt naturæ creatæ per modum sustentantis vniatur, nec vt in illa dicatur subsistere, vt patet in accidentibus Eucharistiæ, quæ à Deo effectiuè sustētantur, & sine subiecto conseruantur; & tamen non vnitur illis intrinsecè, nec dicitur accidētia in se habere, nec denominatur ab illis: sustentatio autem terminatiua, & formalis non potest cōuenire huic Deo, respectu naturæ creatæ, nisi sit subsistens formaliter; non enim potest effectus, aut quasi effectus formalis esse, nec intelligi sine forma, vt *supra* argumentabamur: vndè, non potest hic Deus naturam creatam assumere, nisi illi ratio subsistentis conueniat.

146 Ad antecedentis probationem, quatenus distinctioni traditæ obstare potest, respondeo, distinguendo antecedens: potest effectum subsistentiæ creatæ supplere effectiuè, hoc est, efficienter naturam sine subsistentia creata conseruare, tranſeat antecedens: formaliter, hoc est, naturam creatam subsistentem constituere, nego antecedens, & distinguo consequens: potest quamuis subsistens non sit, sustentare naturam creatam efficienter, trāseat consequens: terminatiuè terminatione formali, & intrinseca, nego consequentiā: & iste secundus modus sustētationis necessarius erat, vt vniretur cū natura creata, vt subsistens in illa, & vt naturam creatā assumeret. Cui doctrinæ nihil obstant duæ antecedētis probationes. Nō prima, nam continentia eminentialis est duplex, videlicet, effectiua, & formalis: prima sufficit ad sustentandā naturam creatam efficienter, secūda requiritur ad sustētandam naturam creatam sustentatione terminatiua, & formali; si autem hic Deus subsistens non supponatur, continebit perfectionem subsistentiæ creatæ eminenter, eminentia solum effectiua; ac proindè illi subsistentia negata, poterit ad summum naturam creatam efficienter sustentare sine omni subsistentia, non autem sustentatione formali, prout requirebatur, vt naturæ creatæ vniretur intrinsecè, & illam diceretur assumere.

147 *Ad secūdam.* Ad secundam probationem, prætermissa maiori, nego minorem, nam licet humanitas, v.c. in ratione humanitatis, non constituatur per subsistentiam intrinsecè, tanquam per partem formalem, aut materialem, dependet tamen ab illa, tanquam à termino intrinseco, & in ratione subsistentis formaliter per subsistentiam intrinsecè cōstituitur: vndè, vt Deus humanitatē reddat subsistentem, vel debet subsistentiam creatam producere, quæ præstet illum effectum, vel se ipso, per modum termini, illam subsistentem reddere, quod præstare nequit, si formaliter subsistens non sit, sicut nec potest se ipso constituere aliquid existens, si existentia remoueatur ab illo. Si autem solum contendat Valentia, quòd quia humanitas, v.c. non dependet intrinsecè à subsistentia, tanquam à parte formali, vel materiali, possit de potentia absoluta à Deo sine omni subsistentia produci, vel conseruari, Deo illam effectiuè sustentante, omittimus; non tamen id sufficeret, vt hic Deus humanitati vniretur, vt in humanitate subsistens, nec vt humanitas in concreto prædicaretur de Deo, vt relinquimus probatum, & in hoc sensu disputatio nostra procedit.

148 Denique, contra eandem partem conclusionis arguitur: esto subsisten-

Vltimo arguitur.

tia abſoluta, non admittatur in Deo, eſt tamē pro priori ad relationes perfectiſsimè exiſtens per exiſtentiam abſolutam naturæ, quod à nullo Theologorum negatur; ſed poteſt, ratione exiſtentiæ abſolutæ, aſſumere naturam creatam: ergo, remota à Deo ſubſiſtentia abſoluta, poteſt hic Deus ratione ſui immediatè naturam creatam aſſumere. Maior cum conſequentia tenet; minor autem probatur: poteſt hic Deus, ratione exiſtētiæ abſolutæ vniri cum natura creata, illamque exiſtentem conſtituere; ſed hæc vnio ſufficit, vt naturam creatam aſſumat: ergo poteſt ratione exiſtentiæ abſolutæ ſibi aſſumere naturam creatam. Maior patet; non enim eſt ratio aſsignabilis, cur poſsit vniri cum natura creata ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, illamque ſubſiſtētem conſtituere, & non poſsit ratione exiſtētiæ immediatè naturæ creatæ vniri, illique effectum, vel quaſi effectum exiſtentis præſtare; ſed poteſt immediatè vniri vt ſubſiſtens: ergo etiam poteſt vt exiſtens, immediatè vniri. Minor etiam probatur: vnio ratione ſubſiſtentię abſolutæ ſufficit, vt hic Deus dicatur ſibi aſſumere naturam creatam: ergo etiam vnio ratione exiſtentiæ abſolutæ ſufficiet, vt dicatur hic Deus naturā creatam aſſumens.

149 *Confirmatur.*

Confirmatur, & vrgetur: conceptus ſanctitatis eſt abſolutus in Deo, ipſi competens ratione naturæ, & à cōceptu ſubſiſtentiæ diſtinctus; ſed poteſt natura diuina vniri cum natura creata ſub conceptu ſanctitatis: ergo poteſt hic Deus, ſecundum prædicata abſoluta, vniri cum natura creata, eſto ſubſiſtens non ſit, & conſequentèr, quamvis ſubſiſtentia abſoluta removeatur ab ipſo, poterit naturam creatam aſſumere. Conſequētia tenet, maiorem docet frequentior Theologorum ſententia, Noſq; illam monſtrabimus *tractatu de gratia Chriſti infra quæſt. 7. art. 1.* Minor etiam conſtat: nam de facto vnita fuit humanitati Chriſti per modum ſanctitatis, illamque ſanctificauit natura diuina, non ratione proprietatis relatiuæ, ſed ratione ſui, vt *ibidem* oſtendemus: ergo poteſt natura diuina, ſub conceptu ſanctitatis, immediatè naturæ creatæ vniri, illamque ſanctificare formaliter.

Huic argumento Nazarius vbi *ſupra* reſpondet, negando, quòd poſsit exiſtētia diuina immediatè vniri cum natura creata, illamque exiſtentem reddere, & diſparitatem inter ſubſiſtentiam, & exiſtentiam conſtituit, quòd illa obtinet rationem terminij; hæc verò rationem formæ, Deo autem, & cuivis perfectioni diuinæ informatio repugnat: ſecus autem terminatio, & ideò poteſt ſubſiſtentia diuina, ſub conceptu ſubſiſtentiæ, vniri cum natura creata, illique ſuum effectum, vel quaſi effectum præſtare, nō autem diuina exiſtentia. *Alij* per extremum docent, poſſe naturæ creatæ immediatè diuinam exiſtentiam vniri non minus, quam diuina ſubſiſtentia. An autem hæc vnio ſufficiēs ſit, vt hic Deus dicatur, ratione illius, naturam creatā aſſumere, non explicāt, nec tractāt, quorū diſcrimen propriā ſedem habet *infra q. 17.* Noſque de illo aliquid *tractatu ſequenti* attingemus.

150. *Solutio Nazarij.*

Aliorū ſolutio.

Modò tamen ab illo abſtinendo, argumento facto occurritur, conceſſa maiori, negando minorem: ad illius probationem, prætermiſſa maiori, nego minorem; ad cuius probationē, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt, nam ſubsiſtentia eſt ratio ſuſtentandi naturam, & habendi illam per modum ſuppoſiti: vndè cum eſſe hominem, v.c. ſit eſſe habens in ſe humanitatem, fit, vt vnio ratione ſubſiſtentiæ ſufficiat, *vt de extremo* ratione ſubſiſtentiæ vnito cum humanitate, verificetur, eſſe hominem, & habere in ſe humanitatem; ac proindè ſufficit, vt dicatur ſibi humanitatem aſſumere; vnio autem ratione exiſtētiæ non eſt vnio per modum habentis formam, vel naturam exiſtentem, ſed per modum actuantis naturam, illam exiſtentem conſtituendo; ac proindè non ſufficit, vt de extremo vnito verificetur natura in concreto, quod neceſſarium erat, vt illam diceretur

151. *Vera ſolutio argumenti.*

ſibi

sibi assumens, vt supra argumentabamur; nam sibi naturam assumere, est illam trahere ad prædicationem de extremo assumente, idest, illam taliter sibi vnire, vt de ipso prædicetur. Quod autem vnio ratione existentiæ ad id sufficiens non sit, patet; nam si vnio existentiæ diuinæ cum natura creata est possibilis, absque prævia vnione personalitatis, vel subsistentiæ absolutæ, poterit existētia diuina immediatè vniri, non solum cum natura creata, sed etiam cum supposito, & cum persona; & tamen tunc catus, persona creata per diuinam existentiam existens, non diceretur sustentata in Deo, cum sustentari effectus subsistentiæ sit, nec de ipso prædicaretur: ergo ad hoc, vnio cum diuina existētia non sufficit.

152. *Ad cōfirmationē respondetur.*

Et ex his ad confirmationem cōstat solutio: nam præterquamquod, vnio deitatis per modum sanctificantis, non est physica, sed moralis, quæ vnionem physicam personalem supposuit in Verbo, & vnionem ratione subsistentiæ, vel existentiæ necessariò supponit, nec aliter potest contingere, præter hoc, inquam, etiam si admittatur quòd physica sit, & quòd præviam aliam vnionem non præsupponat; non tamen sufficit vt natura cui vniretur, in cōcreto sumpta, prædicaretur de Deo: ac proindè, nec sufficit, vt hic Deus ratione talis vnionis dicatur sibi assumens naturam creatam, in quo sensu difficultas præsens procedit. Ex quibus etiam habetur, quòd licet admittatur possibilis vnio immediata naturæ diuinæ cum natura creata, sub munere, & conceptu naturæ, vel diuinæ intellectionis cum intellectu creato; adhuc veritas nostræ conclusionis subsistit; nulla enim ex his vnionibus sufficit, vt prædicetur de Deo natura vnita in concreto, ob rationem assignatam: ac proindè nulla ex illis est sufficiens, vt hic Deus dicatur ratione illarum sibi naturam creatam assumens, si in Deo non admittatur conceptus subsistentiæ absolutæ.

§. Vltimus.

Ex dictis quædam difficultas resolutoriè enodatur.

153. *Brevis difficultas.*

EX DICTIS in discursu disputationis colligitur breuis, faciliſque resolutio cuiusdam difficultatis, in qua plus iusto Recentiores ociantur. An, scilicet, quælibet diuina formalitas, siuè quodlibet prædicatum diuinum, siuè absolutum, siuè relativum sit, possit assumere naturam creatam? Affirmatiuè respondet Mag. Prudētius cum alijs, quos ipse refert, & sequitur *tract. 3. de Incarnat. disp. 2. dub. 2.* supposito, quòd omnia prædicata diuina subsistant, vel subsistentia propria distincta à subsistentia naturæ, vel eadem subsistentia, qua Dei natura subsistit. Alij distinguunt, idque concedunt posse, si subsistentia distinguatur virtualiter à prædicatis diuinis; secus autem si cum illis virtualiter identificata sit. Alij denique omnibus prædicatis diuinis vim assumptiuam immediatam naturæ creatæ attribuunt, etiam si nullatenus sint subsistentia, dummodo perfectissimè existant. Ita illi Auctores, quos *supra* retulimus asserentes, posse hunc Deum, secundum prædicata absoluta, sibi assumere naturam creatam, quam uis subsistens non sit.

Prima sententia.

Secunda sententia.

Tertia sententia.

154. *Prima assertio.*

Consequentèr tamen ad dicta in discursu disputationis, asserendum est primò: nullum prædicatum diuinum, si subsistens non sit, quamvis perfectissimè existat, posse assumere naturam creatam. Quod patet: vt enim ostendimus *supra*, & proximè dicebamus, hic Deus non potest sibi assumere naturā creatā, quāvis perfectissimè existat, si in illo nō admittatur cōceptus subsistentiæ absolutæ: ergo nullū prædicatū diuinū potest, si subsistens non sit, quāvis perfectissimè existat, assumere naturam creatam, esto possit illi vniri. Patet consequentia; tùm à pari-

tate rationis: tùm à fortiori; nã si prædicato naturæ vis assũptiua negatur, non est cur concedatur alijs prædicatis diuinis.

155. *Secũda assertio.* Secundò asserendum est: non omnibus prædicatis diuinis, quamvis subsistentia sint, concedendum esse, in sensu omninò formali; quod possint naturam creatã assumere. Quod probo; vt enim docet D. Thomas *in præsenti quæst. 3. art. 1. & 2. Assumere dicit duo, nempè, esse principium actionis assumptiuæ, & esse terminum naturæ assumptæ; & extremum cui vnitur natura, vndè quolibet ex his deficiente, deficit etiam assumere*; quo circa *art. 1.* docet, ideò convenire personæ diuinæ assumere, quia esse principium actionis assumptiuæ, personæ convenit ratione naturæ, & esse terminum convenit ratione sui. Et *art. 2.* docet, naturæ diuinæ convenire quod assumat naturam creatam; quia ratione sui est principium actionis assumptiuæ, & ratione personalitatis, à qua nõ differt suppositalitèr, terminat naturam assumptam. Et in *solutione ad 1.* negat Patri, quod assumpserit naturã creatam; quia nec ratione sui, nec ratione alicuius, à quo personalitèr nõ differat, terminauit humanitatẽ assumptam; sed quamvis prædicata diuina sint subsistentia, non tamen omnia possunt esse, nec sunt assumptionis principia in sensu omninò formali: ergo quamvis sint subsistentia, non est de omnibus concedendum, quod assumant, vel possint assumere naturã creatam in sensu formali omninò.

Minor, in qua sola est posita difficultas, probatur: nam misericordia, v.c. & iustitia nõ sunt formalitèr principium *quo* agendi ad extra, nec de illis prædicatur natura diuina, quæ est principium *quo* operãdi, in sensu omninò formali: ergo misericordia vt subsistens, nec hic Deus, vt subsistens in illa, est formalitèr principium *quod* operationum ad extra, nec assumendi naturam: ac proindè, non potest esse formalitèr assumens naturã creatam, pro ea parte, qua assumere importat principiũ actionis assũptiuæ.

156. Quia tamen hic Deus, qui est principium vt *quod* operans, non differt suppositalitèr à misericordia, vt subsistente posset dici misericordia diuina assumẽs naturam creatã, vt *quod*, mediatè, identicè, & materialitèr. Quod patet: vt enim docet D. Thom. *in hac q. art. 2. ad 1.* quia natura diuina non differt suppositalitèr à Verbo terminante humanitatem, dicitur de natura diuina, quod humanitatem terminat, non quidem ratione sui, sed ratione Verbi, à quo non differt suppositalitèr, quod est illam terminare mediatè, identicè, & materialitèr; sed misericordia diuina, & idem est de quovis alio attributo dicendum, non differt suppositalitèr ab hoc Deo, qui est principium *quod* assumptionis: ergo potest dici principium assumens, non ratione sui formaliter, sed ratione huius Dei, à quo misericordia diuina suppositalitèr nõ distinguitur.

157. *Tertia assertio.* Denique asserendum est, supposito quod omnia prædicata diuina formaliter sint subsistentia, posse immediatè vniri cum natura creata, sinè subsistentia illorum sit distincta à subsistentia naturæ, siuè ab illa sit indistincta. Prima pars, quod, nempè, diuina misericordia, v.c. vt subsistens possit immediatè naturæ creatæ vniri, si subsistat subsistentia propria, quod idem est de quolibet attributo dicendũ, probatur: quia namque natura diuina est ratione sui subsistens, potuit de potentia absoluta immediatè vniri cum natura creata: ergo si misericordia diuina est subsistens subsistentia sibi propria, poterit de potentia absoluta, vt tali subsistentia subsistens, immediatè naturæ creatæ vniri.

Prima pars probatur.

158. *Secũda pars probatur primò.* Quod autẽ id etiam possibile sit, quamvis subsistat, non per propriam subsistentiam, sed per subsistẽtiam naturæ, probatur primò: quamvis enim subsistentia, prout dicit perfectitatem independentiæ ab alio, vt à sustentante; conveniat personalitati Verbi ratione naturæ diuinæ de facto fuit vnita immediatè humanitati personalitas Verbi, vt subsistens, & vt humanitatem sustentans: ergo paritèr quamvis subsistentia, qua misericordia diui-

na subsistit sit indistincta à subsistentia naturæ: potest misericordia, vt subsistens immediatè, & non mediante natura, vniri cum natura creata.

159. *Secundò.* Præterea; nam licet Spiritus Sanctus eadem proprietate personali subsistat incōmunicabiliter in natura diuina, & in attributo naturæ terminat processionem formaliter, non prout in natura, sed prout in attributo naturæ subsistit, quo circa illius processio generatio non est, vt cum communi Thomistarū sentētia docuimus *tract. de Trinit. 1. p. q. 27.* ergo pariter quamuis hic Deus eadem subsistentia absoluta subsistat in natura diuina, & in alijs Dei prædicatis, v.c. in attributo misericordiæ, poterit de potentia absoluta immediatè, & formaliter terminare vnionem naturæ creatæ, vt subsistens in attributo naturæ, quin prius, & immediatius terminet, prout in natura subsistit.

160 *Tertiò.* Denique probatur; nam subsistētia diuina, quāvis vna sit in omnibus attributis, omnia illa subsistentia cōstituit: ergo omnibus præstat vim terminatiuā naturæ creatæ, & consequētèr sicut potuit ratione illius immediatè vniri naturæ creatæ hic Deus, vt subsistens in natura diuina, quod idem est, ac natura diuina vt subsistens: ita potuit immediatè vniri cum natura creata, hoc subsistens in misericordia, vel misericordia vt subsistens; & idem est de quovis alio attributo, & prædicato diuino dicendum. Quod autē in distinctione virtuali subsistētiæ ab attributis admissa possint, hoc non obstante, attributa vniri cū natura creata in ratione subsistentium, constat ex his, quæ *diximus §. 5. num. 87. & seqq.* Non enim obstat indistinctio virtualis subsistentiæ à natura diuina, vt possit natura diuina vniri, sub ratione subsistentis, non vnita sub conceptu naturæ: ergo nec obstare potest indistinctio virtualis subsistentiæ à misericordia diuina, v.c. vt possit misericordia, sub ratione subsistentis naturæ creatæ vniri in vnita, sub ratione misericordiæ manēte; & idē est de intellectu, v.c. & quovis alio attributo diuino dicendum.

Sed contra secundam partem huius vltimæ assertionis obijcies: nam licet liberum sit hunc Deum, vt subsistentem, vniri cū natura creata; quod tamen, semel cum natura creata vnitus, vt subsistens in illa, subsistat in natura diuina omninò necessarium est: ergo etiam est necessarium, quod vt subsistens in natura creata, primo subsistat in natura diuina; & deindè in alijs Dei prædicatis: ac proindè, nō poterit vniri cū natura creata hic Deus, vt subsistens in misericordia, vel in alio quocūque attributo, priusquam cum illa vniatur, vt subsistens in natura diuina. Ex quo vlterius fit, vt nō possit de potentia absoluta misericordia diuina, vt subsistens, vel hic Deus, prout subsistens in illa, immediatè naturæ creatæ vniri.

161. *Cōtra secundam partē vltimæ assertionis arguitur.*

Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam; nam licet sit necessitas in hoc, quod semel naturæ creatæ vnitus, vt subsistens in illa in omni diuina perfectione subsistat; nō tamen est necessarium, vt eo ordine subsistat hic Deus in suis perfectionibus, prout subsistens in natura creata, quo in illis subsistit consideratus in se, quia potest aliqua specialis vnio produci, quæ petat pro termino sui primariō, & immediato, non Dei naturam, vt subsistentem, sed misericordiam, vel aliud prædicatum diuinum, qua vnione data, non vnietur natura creata per illam immediatè cum natura diuina, sed cum misericordia, vel alio attributo Dei. Et quidem, vt *in secunda parte istius disputationis num. 77. & sequentibus* docuimus, possibilis est de potētia absoluta vnio immediata cū hoc Deo vt subsistente, quæ solum mediatè terminaretur ad personas diuinas; de facto tamen humanitas est immediatè cum persona Verbi vnita, & mediatè solum cum hoc Deo, vt subsistente in natura diuina. Pariter ergo est possibilis vnio immediata cum hoc subsistente in diuina misericordia, quatenus in illa subsistit, quæ mediatè solum terminetur ad Dei naturam, vt subsistentem, vel ad hunc Deum, quatenus subsistentem in illa.

162. *Respondetur.*

163. *Inſtabis.* Sed dices; ideò vnio humanitatis eſt immediatè cum perſona Verbi facta, & mediatè cũ natura diuina, quia Verbũ ſubſiſtit ſubſiſtentia diſtincta à ſubſiſtentia naturæ, quæ ſubſiſtẽtia primariò cõparatur cũ Verbo, & ratione illius terminat humanitatẽ; ſed, vt in ſecunda parte tertiæ aſſertionis ſuppo nimus, omnia attributa diuina per eãdẽ ſubſiſtentiã ſubſiſtunt, per quã primo ſubſiſtit natura Dei: ergo non eſt poſsibilis vnio immediata cũ aliquo attributo, quatenus ſubſiſtẽte, & mediata cũ natura; ſed omnis vnio naturæ creatæ cũ hoc Deo, quatenus ſubſiſtente, debet eſſe immediatè cum illo, vt ſubſiſtente in natura ſub conceptu naturæ.

164. *Reſpondetur.* Reſpõdeo, cauſalem in maiori cõtentam eſſe ſufficientẽ, nõ tamen neceſſariam: nam licet Verbũ ſubſiſtere per ſubſiſtentiã perſonalẽ diſtinctam, ſufficiens cauſa ſit, vt terminare poſsit immediatè ratione ſui vnionẽ naturæ creatæ, non tamẽ eſt neceſſariũ. Quod patet; nam Verbũ vnitur immediatè humanitati, nõ ſolũ quatenus, vt ſubſiſtens incõmunicabilitèr, illam perſonatam reddit, ſed etiã quatenus, vt per ſe ſubſiſtens, perfeitate indepẽdentiæ, humanitatẽ ſuſtentat, vt *in 1. p. diſputationis* vidimus: & tamen ſubſiſtẽtia, qua Verbũ ſubſiſtit per ſe, perfeitate independentiæ, non eſt diſtincta à ſubſiſtentia naturæ, vt in præſenti ſupponimus, & latè monſtrauimus *tract. de Trinitate*: ergo ſtat vnio immediata alicuius prædicati diuini diſtincti à natura Dei, ratione ſubſiſtentiæ indiſtinctæ à ſubſiſtẽtia naturæ mediatè tantùm vnitæ; ac proindè, poterit miſericordia, vt ſubſiſtens immediatè vniri cũ natura creata, quãvis ſubſiſtẽtia, per quam miſericordia ſubſiſtit, indiſtincta ſit à ſubſiſtẽtia naturæ diuinæ.

165. *Inſtabis.* Inſtabis; quia namque omnipotẽtia, qua perſonæ diuinæ operantur ad extra, illis cõvenit ratione naturæ, nõ poſsũt perſonæ aliquid ad extra operari, niſi ratione naturæ diuinæ, vt principij *quo* operatiui; ſed ſubſiſtentia abſoluta, ſuppoſito quod ſit vna tantũ reſpectu omniũ perfectionũ diuinarũ, prius convenit naturæ, & ratione illius cõvenit attributis: ergo attributa non poſſunt, ratione ſubſiſtẽtiæ abſolutæ, terminare naturã creatã, niſi mediante natura diuina, & ratione illius: & conſequentèr, non poſſunt, ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, immediatè naturæ creatæ vniri, nec terminare dependentiam illius.

166. *Reſpondetur.* Reſpondeo, cauſalẽ maioris adæquatã nõ eſſe: nõ enim ideò ſolũ, non poſſunt perſonæ diuinæ aliquid ad extra operari niſi ratione naturæ, quia omnipotentia, quæ eſt principiũ proximũ operãdi illis cõvenit ratione naturæ; ſed inſuper, quia principiũ proximum, non poteſt in operationẽ exire, niſi vt ſubordinatũ principio radicali, ſubordinatione reali, cũ realitèr ab illo diſtinguitur, vel ſubordinatione virtuali, quando inter principium proximũ, & radicale, ſolum virtualis diſtinctio intercedit: & quia natura diuina eſt principiũ radicale operandi, & omnipotentia proximũ; fit cõſequens, vt perſonæ non poſsint ad extra ratione omnipotẽtiæ aliquid operari, niſi etiã cõcurrat natura, vt principiũ radicale, & niſi ratione illi⁹, vt radicalis principij operẽtur. Subſiſtẽtia autẽ, etſi radicetur in natura diuina, nõ tamẽ ſubordinatur illi in terminãdo, ſed ratione ſui habet vim terminatiuã depẽdẽtiæ naturæ creatæ, ſicut perſonalitates diuinæ, quamvis in natura radicẽtur, non ſubordinãtur naturæ in hoc, quod eſt præſtare incõmunicabilitatẽ, ſed ratione ſui illam præſtant, tam ad intra, quam ad extra; & ideò poteſt ſubſiſtentia abſoluta vim terminatiuã communicare cuilibet perfectioni diuinæ, cui cõvenit, & quam ſubſiſtẽtẽ conſtituit, abſque eo quod perfectiones Dei attributales ſubordinẽtur naturæ diuinæ in terminando depẽdentiam naturæ creatæ: ac per conſequẽs quælibet perfectio diuina poteſt, ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, immediatè vniri cũ natura creata, quin prius illi intelligatur natura diuina vnita. Et hæc de iſta diſputatione applicanda litteræ Mag. *in 3. diſt. 1. §. vlt.* ad illa verba: *Licet igitur ſolus Filius carnem aſſumpſerit, &c. & diſtinctione 5. §. 3.* *M. Sẽt.*

DISPVTATIO DECIMASEXTA.

An omnes personæ diuinæ possint simul vnam terminare naturam, & vna persona plures?

§. I.

Quæ certa sunt præmittuntur.

Nu. 1. *Potuit quælibet persona naturã creatam assumere.*

PRIMÒ, vt omnibus exploratum, & omninò certũ supponimus, posse quãlibet ex diuinis personis creatam terminare naturã, illiq; hypostaticè vniri. Ita D. Thomas *in hac q. art* 5. cui omnes Theologi assentiuntur, & merito, cum fide præsupposita, ratione Angelici Præceptoris euidenter demonstretur: nam Verbo, quod de facto fuit humanæ naturæ vnitum, conuenit illam assumere, ratione omnipotẽtiæ, vt principij actionis assumptiuæ, & ratione proprietatis personalis, vt termini; sed cuiuis ex personis diuinis convenit omnipotentia, sicut & natura diuina, ratione cuius omnipotentia cõvenit Filio, & in qualibet diuina persona est sua propria personalitas, non minus infinita in terminando, quam personalitas Filij: ergo quælibet diuina persona potest sibi assumere naturam creatam, eique hypostaticè vniri. Quod amplius vrgetur, etenim natura creata, non est minus terminabilis per subsistentiam personalem Patris, aut Spiritus Sancti, quã per subsistẽtiam personalem Filij; sed Deus non est minus potens illam vnire personalitati Patris, aut Spiritus Sancti, quam personalitati Filij: ergo sicut fuit de facto vnita hypostaticè Filio: ita potuit de potentia absoluta Patri, aut Spiritui Sancto, hypostaticè vniri.

S. Tho.

Confirmatur.

Nec inconveniens aliquod debet censeri, Patrem, casu in quo carnem sumpsisset ex Virgine, esse eiusdem Virginis Filium: nam filiatio hæc tẽporalis conveniret Patri, vt terminãti temporalem natiuitatem, esse Patrem illi convenit, vt est principium generationis æternæ: esse autem Patrem, & Filium secundum diuersos respectus, & diuersas rationes, nullũ inconveniens est. Nec ex hoc sequitur diuinarum personarum confusio, vt notauit D. Thomas *vbi nuper solut. ad* 1. Et quidem Verbum simul est Pater Beatissimæ Virginis, ea generali ratione, qua Deus Pater dicitur creaturarum rationalium, & eiusdẽ Virginis Filius, filiatione fundata in temporali

2. *Casu in quo Pater carnẽ sumeret ex Virgine esset Filius illius.*

porali natiuitate, quin hoc aliquod in conueniens cenſeatur.

3. *Nō eſſet Filius naturalis Dei.*

Nec in tali caſu Pater eſſet Filius naturalis Dei, vt enim docet D. Th. *infra q. 32. art. 3.* & nos ex ipſo dabimus *tract. de filiat. & prædeſtinatione Chriſti infra q. 23. art. 4. & q. 24. art. 1. & 2.* Chriſtus vt homo, eſt per gratiã vnionis Filius Dei naturalis, ratione filiationis æternæ, vt in tempore communicatæ humanitati; ſed caſu, in quo Pater ſibi humanitatem vniret, vt in illa ſubſiſtens, non eſſet Filius Dei, filiatione fundata in generatione æterna temporaliter humanitati vnita, quandoquidem non filiatio, ſed paternitas, humanitati in tali caſu vniretur: ergo vt ſubſiſtens in humanitate, non eſſet Filius Dei naturalis per gratiam vnionis.

4. *Eſſet, prout in humanitate ſubſiſtens, Pater Dei naturalis.*

Poſſet tamen in eodem caſu, vt in humanitate ſubſiſtens, dici Pater naturalis per gratiam vnionis. Quod patet; nam Verbum, vt in humanitate ſubſiſtens, dicitur Filius naturalis Dei, non quia humanitas, quam terminat, per æternam generationem proceſſerit, nec filiatione fundata in vnione humanitatis ad Verbum, ſed quia filiatio, Verbo per æternam generationem conueniens, fuit temporaliter humanitati vnita; ſed caſu, in quo Pater ſibi humanitatem aſſumeret, paternitas Patri ab æterno conueniens, in tempore vniretur humanitati: ergo Pater Æternus, prout in humanitate ſubſiſtens, eſſet in tempore Pater naturalis Filij per gratiam vnionis, nō Patri, ſed humanitati factam.

5. *Confirmatur.*

Quod amplius cōfirmo: nam Verbum, vt ſubſiſtens in humanitate, eſt Filius naturalis Dei per gratiam vnionis, quamvis humanitas incapax ſit denominationis filiæ naturalis Dei, & quamvis terminatio humanitatis tēporalis ſit; quia per gratiam factã humanitati, factum eſt, vt Verbum, quatenus in illa ſubſiſtens, ſubſiſtat in natura diuina, illi cōmunicata per æternam generationem; ſed ſi Pater in tēpore vniretur humanitati, fieret per gratiam vnionis, quod Pater, quatenus in illa ſubſiſtens, ſubſiſteret in natura diuina, vt principiante vt *quo* æternam Filij generationem: ergo in eo caſu Pater, vt in humanitate ſubſiſtens, eſſet in tempore, per gratiam vnionis humanitati factam, Pater Dei naturalis, etſi humanitas in ſe incapax ſit iſtius denominationis.

6. *In tali caſu Filius Dei adoptiuus non eſſet.*

Nec ſequitur Patrem, in eo caſu, fore Filium adoptivum Dei, ratione gratiæ habitualis ſanctificantis humanitatem aſſumptam; nam licet nō excluderetur à Patre denominatio Filij adoptiui, eo quod eſſet Filius Dei naturalis, ex quo capite D. Thomas *infra q. 23. art. 4. & q. 32. art. 3.* illam excluſit à Verbo, vt in humanitate ſubſiſtēte, cum, vt diximus, Pater in prædicto caſu Filius Dei naturalis non eſſet. Ex alio tamen principio repugnaret Patri, vt terminanti humanitatē, filiatio adoptiua: quia, nempè, adoptio exigit in adoptato extraneitatem perſonæ, iuriſque ad Patris hæreditatem: licet autem Pater, vt in humanitate ſubſiſtens, Filius Dei naturalis nō eſſet; haberet tamen ratione ſui ius connaturale ad diuinam hæreditatē, & perſona extranea nō eſſet; ideoque non poſſet dici, nec eſſe Filius adoptivus Dei, prout ſubſiſtens in humanitate.

7. *Eſſet tamen Filius Trinitatis filiatione ſupra creationem fundata.*

Poſſet autem eo in caſu, Pater vt in humanitate ſubſiſtens, dici Filius Trinitatis, filiatione fundata in creatione humanæ naturæ, in qua in hypotheſi facta ſubſiſteret. Quod patet; nam D. Thomas *infra q. 32. art. 3.* ideò ait, Verbum vt hominem non poſſe dici Filium Dei, filiatione ſupra creationem fundata, quia hæc filiatio eſt talis ſecundum quid, & Verbum Filius ſimpliciter, cum ſit Filius naturalis; id autem quod de aliquo dicitur ſecundum perfectam rationem, non poteſt de eodem ſecundum imperfectam rationem prædicari, ſicut de Petro, qui eſt homo ſimpliciter, & ſecūdum perfectam hominis rationē, non poteſt homo pictus prædicari; ſed Pater, vt in humanitate ſubſiſtens, non eſſet Filius Dei ſecundum perfectam filiationis rationem, quæ eſt filiatio naturalis: ergo nihil eſſet quod obſtaret, vt quatenus in humanitate ſubſiſtens, Filius Dei diceretur hoc genere

filiationis, nempè, filiatione fundata in creatione humanitatis.

8. *Oppones.* Si opponas, D. Thomam ex eadē ratione exclusisse à Verbo, vt in humanitate subsistēte, filiationē Dei in creatione fundatam, & filiationem fundatam supra iustificationem per gratiam habitualem, quæ est filiatio adoptiua: ergo, vel neutra, vel vtraque excludi debet à Patre, vt subsistēte in humanitate, casu in quo humanitatem assumeret. *Respondetur.* Respondeo, negando consequentiam: nam ratio illa est sufficiens ad excludendam filiationem adoptiuam à Verbo terminante humanitatem, non tamen est vnica, nec adæquata, quia præter illā restat alia, videlicet extraneitas personæ, quam exigit filiatio adoptiua, & quia Pater, vt in humanitate subsistens, persona extranea non esset: fit, vt nec dici, nec esse posset Filius adoptiuus Dei, non ex illa, sed ex ista ratione. Pro excludenda autem denominatione Filij, filiatione supra creationem fundata à Verbo, vt terminante humanitatem: illa ratio est adæquata, cum alia ratio non extet, & quia hæc in Patre humanitatem terminante, non militaret, cum Filius Dei naturalis non esset: consequens fit, vt filiatio supra creationem fundata à Patre, in prædicta hypothesi, non debeat excludi.

9. *In eo casu nō diceretur missus in tempore.* Nec sequitur, Patrem, casū in quo humanitatem assumeret, dicendum fore temporalitèr missum à Deo: vt enim notauit D Thomas *in præsenti art. 5. ad 3.* docuitque *1 p. q. 43. art. 3.* temporalis missio diuinarum personarum dicit processionem æternam cōnotando terminum temporalem, & quia Pater à nullo per æternā processionem procedit, quamvis de nouo in tempore terminaret humanitatem, non posset dici tēporalitèr missus à Deo; Filius tamen, quia à Patre per æternam procedit generationem, dicitur missus in tempore, prout in humanitate subsistens; & Spiritus Sanctus diceretur temporalitèr missus, si humanitatem assumeret, sicut de facto Filius, & Spiritus Sanctus dicuntur in tempore missi, secūdum inhabitationem per gratiam iustificantem: Pater autem quamvis per eandem gratiam inhabitet in homine iusto, non dicitur missus ad illum, vt notauit D. Thomas *1. p. q. 43. art. 4. ad 2.* S. Tho. quomodo autem cum hoc stet Filiū, non solum à Patre, sed etiam ab Spiritu Sancto mitti, quamvis non procedat ab illo, vt videtur, docuisse Augustinum *lib. 2. de Trinit. cap. 5.* S. Aug. alterius est loci, & longiori indigens discussione. Videatur D. Thomas *1. p. q. citat. art. 8.* & ibi Commentatores.

10. *Potest vna persona sine alia naturā creatam assumere.* Secundò extra controuersiam est, posse vnam personam diuinam sine alia assumere naturam creatam, quod docet D. Thomas *in hac q. art. 4.* & præterquamquod ex mysterio Incarnationis colligitur; de facto enim solum Verbum assumpsit humanitatē. Probatur ratione articuli: nam personam diuinam assumere naturā creatam, dicit esse principium actionis assumptiuæ, & naturam terminare; sed licet primum non possit vna persona efficere sine alia, secundum tamen potest ab vna sine alia præstari: ergo potest vna persona assumere naturam creatam, altera non assumente. Consequentia tenet: maiorem dedit, & explicuit D. Thomas *in hac q. art. 1. & 2.* & ex ipsis terminis constat: nam assumere idem est, quod ad se sumere, in quo duo necessariò importantur, scilicet, principiare assumptionem, & esse assumptionis terminum. Minor pro prima parte supponitur ex communi Theologorum axiomate aiente: *Opera Trinitatis ad extra, esse toti Trinitati communia, & indiuisibiliter à Trinitate procedere*; eo quod ad extra efficere conuenit personis ratione naturæ, vt principij radicalis, ratione omnipotentiæ, vt facultatis proximè operatiuæ, ratione intellectus, vt dirigētis operis executionem, & ratione voluntatis, vt applicantis, & quasi mouentis ad illam; hæc autem omnia sunt toti Trinitati communia, & indiuisibiliter tribus personis conueniunt: ideoque esse assumptionis principium toti Trinitati est commune, nec potuit vni personæ sine alia conuenire. Pro secunda *Theol. axiom.*

parte

parte probatur ex oppoſito principio: nam terminare naturam creatam cõvenit perſonis diuinis ratione perſonalitatis, vt tradit communis Theologorum doctrina, docetque D. Thom. *in omnibus iſtius quæſtionis articulis*, & Nos ex ipſo *in 1. p. 2. diſputationis*, contra Durandum docuimus; ſed perſonę diſtinguuntur proprietatibus perſonalibus: ergo poteſt vna terminare altera non terminante, & naturæ creatæ vniri, alia inunita manente.

II. *Opponeſ primò.*

Sed oppones primò: terminare naturam diuinam convenit perſonis ratione proprietatum perſonalium, quibus interſe diſtinguuntur; & tamen non poteſt vna perſona terminare naturam diuinam, alia non terminante: ergo ex eo, quòd terminare naturam creatam illis competat, ratione proprietatum perſonalium, quibus interſe diſtinguuntur, malè infertur, poſſe vnam ſine alia terminare naturã creatam. *Reſpondetur.* Reſpondeò, negando conſequentiam, ob duplicem rationem diſcriminis. Prima; quia natura diuina, ob ſuam infinitatem, petit eſſentialiter exiſtere in tribus perſonis: ideoq; non poteſt per vnam terminari, alia non terminante; natura verò creata vnionem cum diuinis perſonis nõ petit, & cum aliis ratio terminandi vnionem ſit in qualibet perſona diſtincta, ſicut potuit cum nulla illarum vniri: ita potuit ab vna ſine alia terminari. Secunda ratio diſcriminis eſt: nam terminatio ad intra, conuenit neceſſariò perſonis, ratione identitatis cum natura diuina: & ideo iſta terminatio, non poteſt vni perſonæ ſeorſim ab alia conuenire; terminare autem ad extra, non neceſſariò, ſed liberè conuenit diuinis perſonis, & cũ aliis terminent, ratio nellius, in quo inter ſe diſtinguuntur, ſicut potuit nulla perſona diuina alienim terminare naturam: ita poteſt vna terminare, ſine alia terminante.

12. *Oppones ſecũdò.*

Oppones ſecundò; opera Trinitatis ad extra ſunt toti Trinitati cõmunia, vt *nuper* aſſerebamus ex communi Theologorum axiomate; ſed terminare naturam creatam eſt opus ad extra, cum ſit ad extra cauſare; natura enim terminata, à perſona terminante in exiſtendo dependet, & conſequenter aliquomodo ab illa cauſatur: ergo terminare naturam creatam, non poteſt non eſſe toti Trinitati commune, & conſequenter, non poteſt vna perſona diuina naturam creatam ſine alia terminare. Reſpondeo, explicando maiorem, illamque concedo de operibus effectiuè cauſatis; nego autem de illis, quæ cauſantur in genere cauſę, vel quaſi cauſę formalis; & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: nam terminare naturam creatam, illamque ſuppoſitare, nõ eſt à perſonis diuinis in genere cauſę efficientis, ſed in genere cauſę, vel quaſi cauſę formalis; & ideò neceſſarium non eſt vna perſona terminante, vel ſuppoſitante naturam creatam, aliam perſonam eandem naturam terminare, vel ſuppoſitare. *Reſpondetur.*

13. *Inſtabis primò.*

Sed inſtabis primò: non ſolum natura, vt terminata, vel ſuppoſitata, dependet à perſona terminante, ſed etiã ſecundum ſuam entitatem dependet ab illa, quandoquidem ſine perſona terminãte entitas naturæ creatæ, ſaltim connaturaliter non poteſt exiſtere; ſed quamvis vt terminata dependeat à perſona terminante in genere cauſæ, vel quaſi cauſæ formalis, ſecundum ſuam tamen entitatem, non dependet ab illa in hoc genere cauſæ: ergo vt ſic, dependet à perſona terminante in genere cauſæ efficientis, & conſequenter non poteſt terminari, vel ſuppoſitari ab vna perſona, quin perſonetur, vel ſuppoſitetur ab alia. Maior cum conſequentia tenet; non enim poteſt dici, quòd natura ſecundum ſuam entitatem depẽdeat à perſonalitate in genere cauſæ materialis, aut finalis: ergo ſi non eſt in genere cauſæ formalis, dependebit ab illa in genere cauſæ efficientis. Minor autẽ probatur: nam effectus cauſæ formalis eſt ipſa forma communicata ſubiecto; ſed natura ſecundum ſuam entitatem non eſt perſonalitas vt ſibi cõmunicata: ergo non eſt effectus formalis perſonalitatis, & conſequenter non eſt ab illa in genere cauſæ formalis.

Inſta-

Instabis secundò. Instabis secundò: terminare relationē, qua creatura refertur ad Deū, non est causare efficienter, sed formaliter, vel quasi formaliter; & tamen non potest vni personæ sine alia conuenire: ergo non solum sunt indiuisæ, & necessariò connexæ personæ diuinæ in ordine ad efficiendum ad extra, sed etiam in ordine ad causandum ad extra in genere causæ, vel quasi causæ formalis. *Instabis tertiò.* Tertiò instabis: personę diuinę, vt terminantes notitiam intuitiuam, non sunt causa illius in genere causæ efficientis, sed in genere causæ, vel quasi causæ formalis; & tamen non potest vna sine alia terminare notitiam intuitiuam: ergo quòd terminare naturam creatam, non sit à personis diuinis in genere causæ efficientis, sed formalis, vel quasi formalis, non probat, posse vnam sine alia naturam creatam terminare.

14. *Ad primā respōdetur.* Respondeo ad primam replicam, concessa maiori, negando minorem: ad cuius probationem dicatur, non solum effectum formalem formę dependere ab illa in genere causæ formalis, sed etiam id, quod sine tali effectu, vt sibi communicato, nequit existere, nam totum compositū, & etiam materia dependent à forma in genere causæ formalis, quia nec totum nec materia possunt existere sine effectu formæ formali, vt toti intrinseco, & vt materiæ communicato, & tamen materia, & totum distinguuntur à forma vt communicata subiecto, & consequenter ab effectu illius formali. Quia ergo natura creata, secundum suam intrinsecam entitatem, non potest, saltim connaturaliter, existere sine personalitate sibi vnita, & communicata, fit consequens, vt dependeat ab illa in genere causæ, vel quasi causæ formalis, quamvis sic sumpta non sit effectus formalis illius.

15. *Ad secūdam.* Ad secundam, concessis maiori, & minori, distinguo consequens: in ordine ad causandum ad extra in genere causę formalis, causalitate formali fundata in causatione efficienti, concedo consequentiam: causalitate formali in causatione efficienti non fundata, nego cōsequentiam; & quia causalitas formalis personalitatis, respectu naturę, quam terminat, non datur in causatione efficienti, fit consequens, vt possit vni personæ diuinæ seorsim ab alia competere. Deus autem, vt terminans relationem, qua creaturę referuntur ad ipsum, vt Dominum, & Creatorem, causat talem relationē formaliter, causalitate formali supra efficientiam fundata; ideoque in terminando relationem creaturę omnes diuinę personę sunt necessariò connexę.

16. *Ad tertiam.* Ad tertiam, concessis maiori, & minori, nego consequentiam. Ratio autem discriminis est: nam terminare visionem beatificam, aut notitiam intuitiuam, conuenit diuinis personis sub eadem ratione formali, nempè, ratione essentię cōmunis, in qua personę cōueniunt, & ideò, quamvis respectu visionis, quam termināt, solum concurrant in genere causę formalis, non potest vna sine alia visionē beatificam, aut notitiam intuitiuam terminare. Quòd autē diuinæ personæ terminent naturam creatam, conuenit illis ratione proprietatis personalis: & quia proprietates personales in personis sunt distinctę, potest vna persona non terminante alia, terminare naturam creatam.

17. *De facto solum Verbum naturā creatam assumpsit.* Denique, vt fide certum, & omninò indubitatum supponimus, de facto solum Verbum, quod est secunda Trinitatis persona, assumpsisse naturam creatā. Quòd patet: nam in Scriptura asseritur Verbum factum esse hominem *Ioan. 1.* & passim *alibi*, quod numquam affirmatur de Patre, aut Spiritu Sancto: ergo de fide est, solam secundam Trinitatis personam de facto assumpsisse humanitatem, illiq; vnitam fuisse in vnitate personæ. Patet consequentia: si namque aliæ personę assumpsissent naturam creatam, id Scriptura reuelasset, sicut reuelauit Verbum illam assumpsisse. Deinde vnam licet Scriptura non exprimat esse tātùm tres personas in Deo, quia tamen docet esse tres, & nusquam esse plures affirmat, propositio, qua asseritur esse in Deo tres personas, in cōmuni Patrum consensu, accipitur pro

ex-

exclusiua, & indè est de fide expressũ non esse plures, quam tres personas diuinas, sed in Scriptura haberur, Verbum carnẽ assumpsisse, & numquam id affirmatur de Patre, aut Spiritu Sancto: ergo propositio illa accipienda est pro exclusiua, ac proindè, vt certum de fide tenendum, solum Verbum, quod est secunda Trinitatis persona, naturam assumpsisse creatam.

18. *Obijcies.* Sed dices: si solum Verbum humanã assumpsisset naturam, sequeretur plus Verbo à nobis deberi, quam alijs personis diuinis: consequens absurdũ est: ergo non solũ Verbum, sed etiam aliæ personæ assumpserunt humanitatem. Consequentia est bona, minor omninò certa; nam cui plus debetur, potest etiam plus amari; sed amoris inæqualitas non potest adstrui inter personas diuinas, sicut nec inæqualitas bonitatis, aut perfectionis, ad quam amabilitas consequitur: ergo nec potest adstrui inter diuinas personas inæqualitas in debito, & consequentèr non potest sine temeritate defendi, plus à nobis Verbo diuino, quam alijs personis deberi. Sequela autem probatur: nam plus benefacienti plus debetur; sed si solum Verbum assumpsisset humanitatem, plus nobis beneficisset, quam aliæ personæ: ergo plus à nobis Verbo, quam alijs personis deberetur. Maior cum consequentia tenet; minor autẽ probatur: ille plus benefacit, qui plura beneficia confert; sed si solum Verbum assumpsisset humanitatem, cõtulisset nobis plura beneficia, quam aliæ personæ: ergo fuisset nobis plus benefícus. Probatur minor: assumere carnem pro nobis, passum, & sepultum esse, nosque à peccato redimere ingentia sunt beneficia; sed si solũ Verbum assumpsisset humanitatem, totum de illo esset verum, carnem assumpsisse pro nobis, mortuum, & sepultum esse, nosque à peccatis redemisse: ergo ex eo, quòd solum Verbum humanitatem assumpserit, sequitur, plura nobis contulisse beneficia, quam aliæ diuinæ personæ.

19. Respondeo, negando sequelam: ad probationem, concessa maiori, nego minorem: ad illius probationem, *Respondetur.* concessa etiam maiori, nego minorem. Ad cuius probationem, concessis præmissis, nego consequentiam: nam licet de solo Verbo verificetur carnẽ assumpsisse pro nobis, quia hęc denominatio petit esse terminum humanitatis, illamque supponitare, quod solum præstitit Verbum, & passum, mortuumque esse, nosque à peccatis redemisse solum verificentur de Verbo, eo quòd actiones, & passiones humanitatis solum prędicantur de supposito in humanitate subsistẽte; quia tamẽ Incarnatio Verbi, passio etiam, mors Christi, & illius redemptio fuerunt a tota Trinitate effectiuè, ex eo quòd carnem sumere, nos redimere, & pro nobis passum esse, sint maxima beneficia, & solũ verificentur de Verbo, non sequitur, Verbum nobis aliquod beneficium contulisse, quod à tota Trinitate non fuerit, nam licet beneficia prædicta nõ fuerint Patris, nec Spiritus Sãcti denominatiuè; fuerunt tamen ab illis simul cum Verbo effectiuè: ac proindè nullum beneficium est nobis collatũ à Verbo, quod nobis non contulerint aliæ personæ diuinę.

20. *Replicabis primò.* Sed replicabis primò: esse hominem terminatiuè beneficium nostrũ est; sed esse hominem terminatiuè, verificatur solum de Verbo: ergo aliquod beneficium est nobis à solo Verbo collatum. *Secũdò.* Secundò, actiones, quibus nobis Christus meruit, & pro nobis satisfecit, fuerunt sub dominio Christi aliquo modo speciali, quo nõ fuerunt sub dominio Dei, vt agentes de Christi satisfactione docuimus, vt saluaremus, satisfactionẽ Christi fuisse de rigore iustitiæ, Deumque ex iustitia obligasse: ergo licet fuerint à tota Trinitate effectiuè, ratione tamen illius modi specialis, quo fuerunt sub dominio Christi, quo modo non fuerunt sub dominio aliarum personarum, specialem in nobis induxerunt obligationem, ac proindè plus Verbo, quam alijs personis debemus.

21. *Ad 1. respõdetur.* Respondeo ad primam replicam, concessis præmissis, negando consequentiam: nam licet solum Verbum termi-

terminauerit humanitatem; quia tamen Incarnationem, & vnionem humanitatis ad Verbum omnes personę efficienter causauerunt, beneficium Incarnationis ab omnibus est effectiuè, quamvis non sit ab omnibus terminatiuè, sed solum à Verbo. Ex quo tantùm sequitur, aliquod beneficium nostrum, nempè, ede hominẽ, & carnem assumere, solũ prædicari de Verbo; non autem, quòd solum de Verbo verificetur, quòd tale beneficium nobis contulerit: nam ad hoc necessum erat, quòd nõ solum terminatio humanitatis, sed etiam efficientia Incarnationis soli Verbo attribueretur.

22. *Ad secũdam.* Ad secundam, concesso antecedenti, nego consequentiam, vel claritatis gratia, distinguo cõsequens: specialem obligationem quoad modum, concedo consequentiam: quoad substantiam, nego consequentiam: nam ex eo, quòd prædictæ actiones speciali aliquo modo fuerint sub dominio Christi, quo modo non fuerunt sub dominio Patris, aut Spiritus Sancti, dummodo tales actiones, & modus illas habendi fuerint sub dominio Dei, & totius Trinitatis alio modo, nempè, effectiuè, non sequitur specialis obligatio quoad substãtiam, sed solum quoad modum, seu specialis obligatio quoad titulum; ac per consequens, nõ sequitur, aliquid deberi Verbo, quod non sit debitum Patri, & Spiritui Sancto, sed tantùm quòd Verbo aliquo speciali titulo nostra debeatur redẽptio, quo titulo non debetur alijs personis diuinis, quod verum est; nam Verbo debetur titulo efficientiæ toti Trinitati communis, & insuper titulo Redemptoris, & satisfactoris, qui titulus, etsi fuerit Patris, & Spiritus Sancti effectiuè, non tamen fuit illorum denominatiuè. Ex quo vlterius fit, vt licet Filio pluribus titulis simus debitores, quam Patri, non tamen possit dici absolutè, quòd plus Filio, quam Patri debeamus.

23. *Granad.* Et oppositum sine ingenti temeritate, & absque periculo in fide, detri mẽtoque æqualitatis diuinarum personarum, non posse absolutè affirmari, rectè monet Pater Granadus *controuers. 1. de Incarnat. tract. 5. disput. 4. sect. 4. ad finem*, vbi ait, difficultatem istam à nullo excitatam inuenisse; addit tamen, dici pluribus titulis esse nos adstrictos Verbo, quam alijs diuinis personis; quod benè deducit ex D. Thom. *q. vnic. de vnione Verbi incarnati art. 1. ad 9.* vbi docet: *Quod persona Verbi incarnati non est plus diligenda, quam persona Verbi simpliciter, licet sit secundum aliam rationem diligẽda; quæ tamen ratio sub vniuersali bonitate Verbi comprehenditur, & propter hoc etiam non sequitur, si Incarnationis vnio facta est in vna persona, & non in alia, quòd propter hoc vna persona sit magis diligenda, quam alia.* Pariter ergo ex hoc, quòd Verbo diuino debeamus beneficium Incarnationis, & redemptionis aliquo speciali titulo, & sub aliqua speciali ratione; hẽpè, terminationis humanitatis, & Redemptoris denominatiuè talis; quia tamen rationes istæ, sub vniuersali ratione beneficientiæ diuinæ continentur, non plus debemus Verbo, quam Patri, & Spiritui Sancto; etsi sub aliqua ratione, simus Verbo debitores, sub qua non adstringimur alijs personis diuinis. S. Tho.

24. *Vrgebis* Sed vrgebis adhuc: nam ratione huius tituli specialis, quo Christus dicitur nos redemisse, & pro nobis satisfeciisse, verificatur de Verbo, Deum ex iustitia obligasse, quod de Patre, aut Spiritu Sancto non potest verè affirmari; non enim est verum dicere, Patrem, aut Spiritũ Sanctum in Deum obligationem ex iustitia induxisse, vt nobis offensam remitteret: ergo ex eadẽ ratione potest verificari de Verbo, aliquam obligationẽ in homines induxisse, quam non induxerit Pater, aut Spiritus Sanctus: & consequentèr verum erit absolutè, nos esse magis obligatos Verbo, quam alijs personis. Ex quo vlterius sequitur, vt plus Verbo, quam alijs personis debeamus.

25. *Respondetur.* Respondeo, negando consequentiam: nam denominatio obligantis ex iustitia reduplicat modum specialem, quo humanitas convenit Verbo, scilicet, terminatiuè, & modum, quo

actiones

actiones redemptiuæ, personæ Verbi attribuuntur, nempè, denominatiuè, & quia hoc speciali modo nō possunt affirmari de Patre, non potest de ipso dici, Deum obligasse ex iustitia. Quia tamen operationes prædictæ, supra quas obligatio ex iustitia fundatur, continentur sub efficientia, & beneficientia diuina toti Trinitati communi, fit consequens, vt in nos Verbum non induxerit aliquam obligationē, quæ à tota Trinitate non fuerit, quāuis in modo inducendi intercesserit diuersitas, nam Verbum, vt in humanitate subsistens, prædictam obligationem induxit redimendo humanū genus, & pro illo satisfaciendo; Pater autem, & Spiritus Sanctus, & Verbum, vt in diuinitate subsistens, non redēptiuè, aut satisfactiuè, sed effectiuè dictam obligationem induxerunt.

26. Nec ex eo, quòd Christus, & Verbum, vt in humanitate subsistēs, Deū ex iustitia obligauerit, & Pater, & Spiritus Sanctus, non dicantur, Deum ex iustitia obligasse, sequitur, beneficium aliquod Christo deberi, quod à nobis non debeatur alijs diuinis personis? nam hoc ipsum, quod est, Verbum vt hominem Deum ex iustitia obligasse, licet non sit aliarū personarum denominatiuè, & formaliter; fuit tamē illarum efficiātèr, & dominatiuè. Cum enim actiones, quib⁹ Verbū, vt homo satisfecit, fuerint hoc modo Patris, & Spiritus Sancti, fit consequens, vt hoc quod est Verbum, vt hominē, Deum ex iustitia obligasse, illis debeat efficiētèr attribui: ac proindè, non sequitur, Verbum, vt hominem, aliquod beneficium nobis contulisse, quod à tota Trinitate coliarum non fuerit, sed solum sequitur, quòd modo aliquo speciali fuerit Verbi, vt in humanitate subsistentis, quo modo aliarum personarum non fuit, nec Verbi, vt subsistentis in diuinitate. Rationes autē ob quas fuerit magis cōueniens, Verbum fieri hominem, quam alia ex diuinis personis, rectè explicat D. Th. *in hac q. art. 8. & 4. Contra gentes cap. 42.* de quo videndi sunt Damascenus *lib. 4. fidei cap. 4.* & Anselmus *lib. de Incarnatione cap. 4.* His igitur ita suppositis, quod in examen vertimus est. An plures diuinæ personæ possint simul vniri eidē naturæ creatæ, & vna persona diuina possit simul plures terminare naturas?

S. Tho. Damas. Anselm.

§. II.

Prima pars disputationis resolvitur.

27. POssunt tres personas diuinas, simul terminare vnam naturam creatam terminatione mediata, ratione indiuidui deitatis illā immediatè terminantis, constat *ex dictis disputatione præcedenti*, & fatētur omnes Theologi, supposito, quòd hic Deus, vt cōmunis tribus personis possit ratione subsistentiæ absolutæ, vel alterius prædicati, quod relativum non sit, immediatè naturæ creatæ vniri, nec de hoc Scotistæ dissentiunt. Tota ergo difficultas cōsistit in terminatione immediata: an, scilicet, tres personæ diuinæ possint simul immediatè vniri eidem naturæ, illam immediatè terminando secundum subsistentias personales, & relatiuas? Qua in re duæ extremę oppositæ versantur sententiæ. Prima est negatiua, pro qua refertur Magnus Albertus *in 3. dist. 1. art. 10. in responsione ad primam quæstionem.* Illam cum Scoto *in 3. dist. 1. q. 2.* tenent omnes eius discipuli, Faber *disp. 4. cap. 2.* Ouandus *disp. 2. q. 2. art. 2. dubio item 2.* Radda *3. parte contro. 1. art. 4.* & Castillo *disp. 6. q. 2.* pro illa referens Richardum, Bonaventuram, Alexandrum, & alios. Cui sententiæ adhæsit Cardinalis de Lugo *disp. 12. sect. 6.* & ex parte fauent Paludanus *in 3. dist. 1. q. 3.* & Lorca *in præsenti disp. 25.* etsi in oppositam magis inclinent.

Primæ sētētiæ. Albert. Magn. Scoto. Faber. Ouand. Radda. Castillo. Lugo. Palud. Lorca.

28. Secunda, & vera sententia affirmans est. Illam tenet D. Thom. *in 3. dist. 1. q. 2. art. 4. ad Annibaldū in eadem dist. q. vnic. art. 5. & in præsenti quæst. 3. art. 6.*

Secūda sētētia. S. Tho.

artic.6. Cui in hac parte ferè omnes Theologi extra Scholam Scoti consentiunt. Capreolus *distinct. allegata quæst.1.art.1.conclus.2.* Hispalensis *ibidem*, Paludanus *quæst.3.art.2.* Durandus *quæst.5.* Caietanus, Medina, & Aluarez *in hac quæst. ad art. 6.* Cabrera *disput.1.* Lorca *disput. 25.* Nazarius *controu. vnic. conclusione 1. & 2.* Illustrissimus Araujo *dub. vnico*, Mag. Sancto Thoma *disp.6.art.3.* Zipullus *art.6.dub.vnic.* & nouissimè Prudentius *tract. 3. disp.2. dub.3. sect. 1.* Tenent etiam ex Patribus Societatis, Valentia *quæst.3. puncto 3.* Suarez *disput. 13.sect.2.* Vazquez *disp.29.cap.2.* pro illa referens Bonaventuram, Gabrielem, Almainum, Ochamum, Marsilium, Henricum, & alios. Granadus *controu.1.de Incarnatione tract.5. disp. 2.* Albertinus *quæst.6. Theologica circa 6. corollarium ex prædicamento substantiæ dubitat.1.* Becanus *cap.4.quæst. 3.* Hurtado Complutensis *disp.3 difficultate 5.* Amicus *disput. 14. sect.6.* Arriaga *disp.27. sect.3.num.21.* & frequenter cæteri Recentiores ex eadem familia.

Capreol. Hispal. Palud. Durand. Caiet. Medin. Aluar. Cabrer. Lorca. Nazar. Araujo. M. S. Thoma. Zipul. Prudt. Valent. Suar. Vazq. Granad. Albert. Becan⁹. Hurt. Cõplut. Amic. Arriag.

29. *Cõclusio probatur.*

Quæ sententia sit nostra conclusio: & probatur ratione D. Thomæ *in præsenti art.6.* ad hanc formam redacta. Quod enim contradictionem non implicat, omnipotentiæ Dei negandum non est; sed naturã creatam immediatè terminari à tribus diuinis personis contradictionem non implicat: ergo negandum non est omnipotentiæ diuinæ. Maior cum consequẽtia tenet: minor autem, præterquamquòd ex argumentorũ solutione constabit, probatur: non enim repugnat ex parte personarum terminantium, nec ex parte naturæ terminabilis: ergo ex nullo capite repugnat, vel implicationem importat. Antecedens pro prima parte patet: nam personæ diuinæ non se excludunt à conueniẽtia in eadem natura, cum omnes simul terminent naturam diuinam: ergo ex parte personarum terminantium, non implicat, omnes simul terminare eandem naturam creatam. Pro secunda parte probatur: natura enim creata est terminabilis à personis diuinis ratione potentiæ obedientialis; sed ex hac potentia nulla implicatio, vel repugnantia desumitur, nisi ex parte termini, vel effectus aliqua repugnantia, vel implicatio intercedat: ergo ex parte naturæ creatæ, non repugnat simultanea terminatio à tribus personis diuinis.

30. *Confirmatur.*

Quod vrgetur, & explicatur amplius: nam tres personalitates diuinæ simul terminant naturam Dei: ergo possunt simul terminare eandem numerò naturã creatam. Probatur consequentia primò: nam quòd personalitas diuina possit secundariò extendi ad terminandam naturam creatam, illi conuenit, quia per se primò terminat naturam diuinam, in qua omnis natura creata eminenter continetur: ergo si omnes personalitates diuinæ, simul in natura Dei primò terminanda conueniunt, possunt etiam simul in naturã creata secundariò terminanda adunari. Secundò probatur à paritate rationis: si namque natura diuina tribus subsistentijs subsistit, in hoc quòd est vnam, & eandem naturam simul tribus subsistentijs terminari nulla involvitur implicatio, ac proindè, non implicabit, naturam creatam tribus diuinis subsistentijs subsistere, & simul terminari per illas.

31. *Respondebis primò.*

Respondebis primò, negando cõsequentiam, & disparitatem constitues: nam quòd natura diuina possit tribus subsistentijs subsistere, illi conuenit, ob suam infinitatem, & ob fecunditatem infinitam, ob quam potuit esse tribus personis cõmunis; ac proindè ad naturam creatam limitatam, & finitam extendendum non est. Vel secundò respondebis, aliud constituendo discrimen: quia, nempè, natura diuina nulla subsistentia relatiua, & personali adæquatè terminatur, sed tantùm inadæquatè; potuit enim ob summam fecũditatem esse tribus personis communis, ac proindè nulla illarum adæquatè terminari: natura verò creata non potest terminari personalitate diuina, quin per illam adæquatè terminetur: & quia implicat simul per plures terminos adæquatè terminari, fit consequens, vt semel

Respõdebis secũdo.

terminata subsistentia v. c. Filij, alia subsistentia diuina simul terminari nõ possit. Vel tertiò respondebis, assignando aliud discrimen; quia, scilicet, diuina essentia per subsistentias personales proprias, non in alio, sed in se subsistit; non autem repugnat idem in seipso subsistere pluribus modis: natura verò creata per subsistentiam alienam, non subsistit in se, sed in alio, ac per consequens sistit in illo; cum quo non stat transire ad subsistendum in alio. Ita Cardinalis de Lugo vbi *supra num.* 82.

Tertiò. respõdet Lugo.

32. *Denique responderi potest ex doctrina Scoti.*

Denique respondeti potest ex doctrina Scoti, negando consequentiam, ob aliam rationem discriminis; quia, nempè, natura diuina à proprijs subsistentijs non dependet, nec ab illis sustentatur, ideoque non est, vndè repugnet subsistere in tribus personis: natura autem creata sustentatur per alienam subsistentiam, & ab illa dependet: & quia vnus, & idem effectus, non potest dependere à pluribus causis adæquatis eiusdem generis, & ordinis, fit consequens, vt semel subsistens in Verbo, & sustentata ab illo, repugnet subsistere in Patre, aliàs à pluribus causis totalibus, & adæquatis eiusdem generis, & ordinis in existendo penderet, quod implicat. Cum qua solutione coincidit illa, qua argumento facto occurrit Castillo vbi *supra num.* 29. differentiam constituens in eo, quòd natura diuina non accipit à personis subsistere, cum ratione subsistentiæ absolutæ perfectissimè existat, & subsistat, vndè subsistentijs relatiuis solum subsistunt personæ. Casu autem quo personalitates diuinæ vnirentur naturæ creatæ, cum non præsupponat subsistens ratione sui, illam vt causæ adæquatæ redderent subsistentes, quod implicat.

33. *Prima solutio reijcitur*

Sed nulla ex his solutionibus argumento satisfacit. Et prima reijcitur: nam licet esse in pluribus personis, connaturaliter ab intrinseco ex infinitate naturæ, & illius summa fœcunditate proueniat; esse tamen in pluribus personis per potentiam obedientialem, & ab extrinseco, infinitatem non arguit; sed non primo, sed secundo modo, constituitur à Nobis natura creata, simul terminabilis à tribus diuinis personis, potensque per illas subsistere: ergo limitatio non obstat, vt possit eadem natura creata simul terminari tribus subsistentijs diuinis, illisque hypostaticè vniri. Minor cum consequentia tenet; maior autem probatur: terminabilitas connaturalis ab vna personalitate infinita non potest competere naturæ, quæ infinita non sit; & tamen posse obedientialitèr terminari per illam, infinitatem in natura non arguit, sed de facto conuenit naturæ limitatæ, & finitæ, nempè, humanitati Christi de facto terminatæ per subsistentiam Verbi, quæ infinita est: ergo pariter licet posse connaturaliter terminari tribus subsistentijs diuinis, idque ab intrinseco exigere, solum naturæ infinitæ possit competere, posse tamen obedientialitèr illis vniri, ab illisque terminari infinitatis signũ non erit, sed poterit conuenire naturæ limitatę, & finitæ.

Confirmatur.

Quod amplius explico, & confirmo in hunc modum. Si Deus non esset trinus, sed vnus, vt illum meditantur Gentiles, ita infinitus esset in ratione personæ, sicut sunt modo omnes personæ diuinæ; & tamen tunc casus posset natura limitata, & finita cum Deo hypostaticè vniri, & terminari ab illius personalitate absoluta, non quidem connaturaliter, sed ratione potentiæ obedientialis: ergo pariter, non obstante finitudine naturæ creatæ, poterit simul hypostaticè vniri tribus diuinis personis, & ab illis terminari.

34. *Secũda solutio reijcitur*

Deindè secunda solutio reijcitur: nam vel procedit de adæquatione intensiua, vel de adæquatione extensiua: nullo ex his modis potest disparitas assignata consistere: ergo deficit secunda solutio. Minor pro prima parte patet: nam adæquatio intensiua cõsistit in eoquòd nihil naturę interminatum à personalitate relinquatur; sed nihil naturæ diuinæ interminatum à personalitate Filij v. c. relinquitur: ergo Filij personalitas adæquatè in-

ten-

tensiuè terminat naturam diuinam, & consequenter hoc genere adæquatis adæquatè terminatur à pluribus. Probatur secunda pars probatur: nam licet personalitas Verbi terminet adæquatè intensiuè naturam creatam secundum potentiam, & capacitatem obedientialem; non tamen illam terminat adæquatè extensiuè: ergo quātum ad hoc nullum est discrimen. Antecedens probatur primo: nam hoc est, quod asserunt Auctores nostræ sententiæ: ergo huius oppositum non debet a contrarijs supponi, sed probari, vt disparitas illa consistat. Secundò, vt enim ex proximè dictis cōstat, in ordine ad naturam diuinam, quam personalitas Filij terminat cōnaturalitèr, stat cum adæquatione intensiua inadæquatio extensiua: ergo paritèr per respectū ad naturam creatam obedientialiter terminabilē, stare poterit extensiua inadæquatio cū adæquatione intensiua: sicut enim imperfectio non censetur in personalitate Filij inadæquatio extensiua cum natura diuina, vt connaturalitèr terminabili, cum tamen imperfectio foret inadæquatio intensiua cum illa; ita non est, cur inadæquatio extensiua cum natura creata, vt terminabili obedientialitèr, imperfectio censeatur in personalitate Verbi, quamvis imperfectio foret, non adæquari intensiuè cum illa.

35. *Tertia solutio reijcitur primò.*

Nec magis satisfacit tertia solutio, quæ solidiori doctrinæ inniti deberet, vt à communi, etiam suorum, sententia, illius Auctor recederet. Et reijcitur primò: si namque naturam in se, per vnam subsistentiam subsistere, nō dicit in se sistentiam, cum exclusione alterius subsistentiæ in se ipsa: cur subsistere in alio debet dicere sistentiam in illo positiuè, & negatiuè, per exclusionē transitus ad subsistendum in supposito distincto? Et si datur subsistere in se, non solum vno modo, sed pluribus: cur etiam nō poterit vna, eademque natura pluribus modis subsistere in alio, & pluribus suppositis in alio terminari? Certè huius differentiæ ratio non potest apparenter fundari: ergo solutio tradita vocibus ludit, & fundamento solido caret. Explicatur, & vrgetur: subsistere in se, non dicit in se sistentiam positiuè, & negatiuè, nam diuinum suppositum subsistit in se ipso, & in propria natura, & tamē nō sistit in illa negatiuè, vt constat in supposito Verbi alienam naturam terminante, & in illa subsistente: ergo paritèr naturam subsistere in alio, non dicit sistentiam in illo cum exclusione transitus ad subsistendum in supposito distincto, & terminationis ab illo.

Cōfirmatur.

36. *Secundò.*

Deindè reijcitur: etenim natura diuina, non solum subsistit in se, sed etiam subsistit in Filio; existit enim in illo, & cum non per inhærentiam, nec per physicam informationem, debet esse per subsistentiā; & tamē, hoc non obstante, potest subsistere in Patre, & de facto in illo subsistit: ergo paritèr quamvis natura creata vnita personæ Filij subsistat in illo, poterit in illo nō sistere, sed simul subsistere in Patre.

Tertiò.

Tertiò reijcitur: natura namque per propriam subsistentiam, non sistit in se ipsa, cum vniatur subsistentiæ realiter à se distinctæ, sed sistit in aliquo sui, nempè, in modo substantiali, ei ab intrinseco debito, & ab illa dimanante; & tamen sistere in propria subsistentia, non dicit exclusionem transitus ad aliam propriam, cum natura diuina, iuxta fidem, simul subsistat tribus proprijs subsistentijs, & natura creata, in sententia istius Auctoris, possit de potentia absoluta pluribus subsistētijs proprijs subsistere: ergo naturam creatam subsistere per alienam subsistentiam, & in alieno supposito, non dicit sistentiam in illo, cū exclusione essentiali subsistendi simul per alienam subsistentiam in alio.

37. *Quarta solutio reijcitur primò.*

Tandem vltima solutio, cui ego magis fiderem, si oppositam sententiam defenderem, reijcienda venit primò: nam licet natura diuina non dependeat à subsistentijs relatiuis dependentia stricta, & à priori; dependet tamen ab illis dependentia largè accepta, quæ dicitur dependentia à posteriori, quatenus sine illis, vt ad ipsam virtualiter consequutis, nequit existere: ergo etiam poterit natura

creata dependere simul à tribus subsistentijs diuinis, dependentia stricta, & à priori. Deindè, nam licet natura diuina per subsistentias relatiuas non subsistat primò, & per se, sed hoc habeat ratione subsistentiæ absolutæ; per illas tamen subsistit in diuinis personis, per illasque terminatur, & personatur; & hoc non obstante, simul tribus subsistentijs subsistit: ergo paritèr, quamvis natura creata ab illis subsistentiam accipiat, poterit simul terminari tribus subsistentijs relatiuis, & subsistere per illas, in tribus diuinis personis.

Secundo.

Tertiò.

Denique, nam licet vna numero natura creata simul terminetur tribus subsistentijs diuinis, nõ datur vnus specie, & numero effectus, vel quasi effectus simul dependens à pluribus causis adæquatis, & totalibus eiusdem generis, & ordinis, vt ex argumentorum solutione constabit; sed ob hanc rationem potest natura diuina simul esse in tribus personis, & illarum subsistentijs terminari ab intrinseco, & connaturaliter, vt constat ex doctrina traditæ solutionis: ergo ob eandem poterit natura creata simul existere in tribus personis diuinis, & tribus subsistentijs relatiuis terminari, non ab intrinseco, & connaturaliter, sed obedientialitèr, & ab extrinseco.

§. III.

Quatuor argumentis contrariæ sententiæ occurritur.

38. *Arguitur primò. S. Ansel.*

CONTRA nostram, & communem sententiam arguunt Auctores contrarij, primo ex Anselmo *libro secundo, cur Deus homo cap. 9. & libro de Incarnatione Verbi cap. 4.* ibi: *Quia propter impossibile est, Deo incarnato, secundum vnam quamlibet personarum, illum, secundum aliam quoque personam incarnari.* Sed non loquitur Anselmus de Incarnatione per vnionem alterius personæ diuinæ cũ alia natura humana; hoc enim esse posse à nullo Theologorum negatur, vt §. 1. vidimus: ergo sentit, vni, eidemque naturæ, non posse simul vniri plures diuinas personas.

39. *Respõdebis.*

Si respondeatur cum Angelico Doctore *in præsenti art. sexto in corpore*, Anselmum solum negare, quòd possint plures personæ diuinæ assumere vnam hypostasim, vel vnam personam humanam: non autem, quòd possint simul eidem naturę vniri. *Contra* In contrarium sic obijciunt: nam in eodem sensu, in quo Anselmus concedit posse, vnam diuinam personam assumere naturam creatam, negat, id posse fieri à pluribus personis simul; sed vna persona diuina non potest assumere vnam hypostasim, aut personam humanam, vt ex dicendis *tractatu sequenti* constabit, sed solum potest naturam humanam, vel aliam naturam creatam assumere: ergo cum Anselmus negat, posse plures personas diuinas assumere eundem hominem, non loquitur de vna hypostasi, vel persona humana, sed de vna numero humana natura: & consequentèr sentit, non posse plures diuinas personas simul assumere vnam naturam creatam, illique hypostaticè vniri.

40. *Respondetur.*

Respondeo ad argumentum solutione Angelici Præceptoris. Ad replicam, quę ex non penetrata doctrina solutionis procedit, concessa maiori, distinguo minorem: per modum extremi assumpti, concedo minorem: per modum termini assumptionis, nego minorem, & consequentiam: nam licet persona humana à diuina assumptibilis non sit per modum extremi assumpti, vt *tractatu sequenti* monstrabimus; potest tamen ab vna persona diuina humana natura assumi, in vnius personæ vnitatem, & in hoc consistit personam humanam assumi, vt terminum assumptio-

sumptionis; nam ex Verbo, & humanitate assumpta, vna persona humana resultauit, & sic nō potest vna numero natura à pluribus personis assumi, scilicet, ita vt ex illis vna persona resultet: nam in tali casu non esset vna, sed plures personæ humanæ, non obstante vnitate naturæ. Et, quòd hæc sit mens Anselmi, patet clarè ex ratione, qua probat, incarnato Deo, secundum vnam personam, non potuisse secundum aliam personam incarnari: *Anselm.* *Quia, nempè, hic Deus assumpsit hominem, non ita vt natura Dei, & hominis vna fit, sed vt persona Dei, & hominis sit vna, quod non nisi in vna persona Dei esse potest: nam diuersas personas, vnam, & eandem personam esse, cum vno, eodemque homine nequit intelligi.* Hæc est ratio Anselmi, quæ, vt clarè constat, solum convincit, non posse plures personas diuinas vnam naturam assumere, in vnius personæ vnitatem, idest, taliter, quòd ex illis simul cum vna natura vnitis vna resultaret persona; non autem, quòd absolutè vnam naturam simul assumere nequeant. Ne ergo dicamus, Anselmum ratione prorsus inefficaci vsum fuisse, accipiendus est in sensu, in quo illum explicat Divus Thomas: nec audiendus est Castillo, Anselmum in suam sententiam trahens, & illius rationem contemnens.

41. *Secundò obijciunt.*

Secundò obijciunt: etenim si natura creata posset existere simultè pluribus diuinis personis, & illarum subsistentijs subsistere, sequeretur esse infinitam: consequens admittendum non est: ergo debet antecedens negari. Sequela probatur primo: quia nàque natura diuina potest in pluribus suppositis esse, arguitur infinita: ergo si natura creata posset esse in pluribus suppositis simul, sequeretur esse infinitam. Secundo probatur: nam si posset vna natura creata esse in pluribus suppositis, sequeretur, posse esse in infinitis; sed ex hoc sequeretur esse infinitam: ergo etiam ex primo sequitur. Sequela constat: nam eadē ratio est plurium, & infinitorum, maximè si illa plura supponantur intensiuè infinita: ergo ex eo, quòd possit vna, & eadem natura esse simul in pluribus suppositis, sequitur etiam posse esse in infinitis. Minor autem ostenditur primò: nam forma potens informare simul infinitas materias, necessariò foret infinita: ergo pariter natura potens esse in infinitis suppositis simul, foret necessariò infinita.

Secundò: sicut enim accidens sustentatur à subiecto: ita natura sustentatur à supposito; sed accidens potens simul esse in subiectis numero infinitis, & ab illis sustentari, foret necessariò infinitum: ergo natura potens terminari ab infinitis numero suppositis, erit necessariò infinita. Tertiò possumus probare minorem: nam humanitas vnica potens infinitos homines constituere, non potest non esse infinita, cum sola infinita forma valere possit ad infinitum effectum præstandum; sed si posset in suppositis numero infinitis esse, posset homines numero infinitos constituere: ergo esset necessariò infinita, & idem est, de quavis alia natura dicendum.

42. *Respondetur.*

Respondeo, negando sequelam; ad primam probationem, distinguo antecedens: quia potest esse in pluribus suppositis connaturaliter, & illa ab intrinseco exigendo, & per identitatem cum illis, concedo antecedens; quia potest esse absolutè, aut per potentiam obedientialem, nego antecedens, & consequentiam: natura enim creata esse potest in pluribus suppositis, non connaturaliter, neque ab intrinseco illa exigendo, nec per identitatem cum illis, qualiter diuina natura existit in tribus personis diuinis, & indè infinita arguitur, sed tantùm per non repugnantiam, & per potentiam obedientialem: ex quo non potest infinitas in natura probari.

Ad secundam probationem respondeo primo, negando sequelam: etenim natura creata, non potest per alienam subsistentiam creatam subsistere, vt ex dicendis *disputatione sequenti* constabit, sed tantùm per subsistentiam diuinam; hæc autem solum

est triplex: vndè ex eo, quòd posit esse in pluribus suppositis, non sequitur, posse esse in suppositis numero infinitis, sed tantùm in tribus.

43. *Ad secundam probationē.* Respōdeo secundò ad secundam probationem, concedendo sequelam, quantum est ex parte nō repugnantię naturę, & negando minorem: si namque posse obedientialitèr terminari subsistentia per essentiam infinita, nō arguit infinitatem in natura terminabili: multo minus argui potest ex terminabilitate obedientiali per subsistētias creatas numero infinitas sub conditione, quòd non repugnarent. Ad primam probationem minoris, distinguo antecedens: forma potens informare infinitas materias connaturaliter, concedo antecedens: obedientialiter, nego antecedēs, & distinguo cōsequens distinctione antecedentis. Solum enim sequitur, naturam potentē connaturaliter esse in suppositis numero infinitis, fore infinitam; non autem, quòd infinita sit natura, quæ solum obedientialitèr potest exiitere in illis. An autem possit forma informare materiam ratione potentiæ obedientialis *disp. sequenti* videbimus. Et ex his ad secundam probationem minoris constat solutio: nam licet accidens potens ab intrinseco, & connaturalitèr inhærere subiectis numero infinitis, foret necessariò infinitū; accidēs tamē, cui cōveniret posse esse obedientialiter in subiectis numero infinitis; non ideò infinitum foret, ex quo solum sequitur, naturam, quæ cō naturalitèr, & ab intrinseco, posset esse in suppositis, numero infinitis, fore necessariò infinitam; non autem, quòd infinita sit natura, cui per non repugnantiam, & per potentiam obedientialem conveniret esse terminabilem à suppositis numero infinitis.

44. *Ad tertiam.* Ad tertiam probationem minoris, concessa maiori, nego minorem: nam casu, in quo subsistentiæ numero infinitæ coniungerentur vni numero humanitati, non essent infiniti homines numero ex parte naturæ, sed vnus numero homo; subsistentiæ autem supra quas infinitus numerus caderet, non essent effectus humanitatis, sed illi ab extrinseco advenirent; ac per consequens, humanitas subsistentijs numero infinitis vnita, non daret infinitos numero effectus. Ex quo vlterius fit, vt ex possibilitate, & non repugnantia vnionis humanitatis cum suppositis sine numero in infinitum, non sequatur, humanitatem posse infinitum effectum præstare. Et quidē hoc argumentum, quo ex Scoto vtitur Radda, euidentèr instatur vt *supra*: nam posse connaturaliter terminari per vnam subsistentiam infinitā, arguit in natura infinitatem: secus autem posse obedientialiter terminari per illam: ergo paritèr, licet posse connaturalitèr terminari pluribus, & infinitis numero subsistentijs arguat infinitatem in natura sic terminabili; infinitatem tamen non infert, posse obediētialitèr terminari pluribus, aut infinitis numero subsistentijs. Quare melius Franciscus del Castillo, vbi *supra*, imbecille, & inefficax reputans hoc argumentum, cēsuit, esse illi succurrendum alijs, quę ex Scoto adducemus.

45. *Obijciūt tertio.* Tertiò obijciunt; non enim potest natura creata subsistentialitèr personæ diuinę vniri, nisi ex vnione illorum resultet vnum per se, scilicet, vna persona; sed supposito quòd vniatur personæ Filij v. c. non potest etiam de potentia absoluta, cum persona Patris vnum per se constituere: ergo vnita vni personæ non potest alteri vniri de potentia Dei absoluta. Consequentia cum maiori tenet, minor autem probatur: vt enim ex vnione aliquorum subsistentiali resultet vnum per se, debet saltim vnum extremum subsistentialitèr incompletū supponi; sed supposita vnione naturæ creatæ cum persona Filij v. c. in vnione eiusdem naturæ cum persona Patris, nullū extremum supponitur subsistentialitèr incompletum: ergo, tali vnione suppositā, non potest ex natura creata, & persona Patris vnitis vnū per se resultare. Consequentia est bona, minor videtur certa: nam persona Patris nullatenus est incōpleta: natura etiam creata vnita personę Filij,

nullum

nullum habet substantiale incomplementum, cum constet omnibus prædicatis sibi essentialibus, & insuper subsistens sit; & existens, per quæ natura substantialis creata adequatè in linea substantiæ completur; ergo supposito, quòd natura creata vniatur personæ Filij, in vnione eiusdem naturæ cū Patre, nullum extremum supponitur incompletum substantialiter.

46. *Maior probatur primo.* Maiorem autem probant Recentiores primò: nam in omni vnione substantiali, ex qua resultat vnum per se, aliquod extremum debet substantialiter perfici, sed nisi aliquod illorū supponatur substantialiter incompletum, nullū potest substantialiter perfici; nam quod non aufert substantiale incomplementum, esto substantiale sit, non dicitur substantialiter perficere, nec vniri substantialiter: ergo vt vnio sit substātialis, & ex illa resultet vnum per se, debet aliquod extremum supponi substantialiter incompletum.

Secundò. Secundò probant maiorem: non enim alia ratione, ex duabus naturis completis in linea naturæ, resultare vna natura non potest, nisi quia in illa linea vtrumque extremum supponitur completum. Similiter ex duabus personis, non ob aliam causam nō potest vna resultare persona, nisi quia vtraque supponitur in linea personæ completa: ergo, vt in linea substantiæ ex duobus extremis vnitis resultet vnum per se, debet necessariò aliquod illorum supponi incompletum substantialiter.

47. *Tertiò.* Denique possumus maiorem assumptam probare ex axiomate nostris Thomistis communi, nempè: *Ex duobus entibus in actu, non posse resultare vnum per se*: ex quo inferunt si materia, & forma proprijs gaudeāt existētijs, non posse ex illis vnitis vnū per se resultare, & ex eodem principio *infra* q. 17. colligunt eum D. Thoma, humanitatem Christi non habere propriam existētiam creatam, sed per diuinam existere, quia aliàs non posset cum Verbo diuino vniri ad vnum per se constituendum, scilicet, vnam personam; at hæc doctrina discipulis D. Thomæ plausibilis, non potest alia ratione fulciri, nisi quia in omni vnione, ex qua resultat vnum per se, debet aliquod extremum incompletum substantialiter supponi: ergo maior prædicti discursus non potest in doctrina Thomistarum negari.

Respondeo, concessa maiori, negando minorem, ad illius probationem, distinguo maiorē: debet vnum extremum præsupponi incompletum negatiuè, nego maiorem: præcisiuè, concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam licet natura creata vnita vni ex personis diuinis, substantialiter compleatur à persona terminante, & consequenter, non sit incompleta negatiuè, hoc est, per negationem termini complentis in re, ipsa tamen secundum se, & ratione propriæ essentiæ, & entitatis, non est substantialiter completa, vndè ratione sui est incompleta præcisiuè: ex quo fit, vt quamvis, prout vnita vni personæ, non possit cum alia vniri, quia prout sic intelligitur completa; ipsa tamen, quæ est vnita, nō reduplicatiuè vt vnita, sed sumpta secundum se, & ratione suæ entitatis intrinsecæ, potest vniri cum alia persona diuina, & ex illis vt vnitis vnum per se resultare.

48. *Respondetur.*

Contra quam doctrinam nihil obstant probationes maioris. Nō primā: vt enim vnum extremum ab altero perficiatur, sufficit, præsupponi incōpletum præcisiuè, & quod cum illo, prout sic, possit extremum perficiēs vniri præscindendo à complemento, quod in casu nostro contingeret: nam Pater, v.c. non vniretur cum natura vnita Verbo, prout illi vnita formaliter, qua ratione completa consideratur, sed cum illa secundū suam intrinsecam entitatem, qualitèr completa non est, sed à complemēto præscindit.

49. *Ad primā probationē maioris respondetur.*

Nec secunda magis vrget; nam humanitas, v.c. est in linea naturæ essentialiter completa: vndè in hac linea, non potest esse incompleta præcisiuè, non enim potest præscindere ab his, quæ sibi essentialia sunt, & ideò, sub nulla ratione potest cum alia natura vnita, componere vnam naturam. Persona

Ad secūdam.

etiam eſt in linea perſonæ eſſentialitèr completa; & conſequentèr nõ poteſt à complemento præſcindere, nec ſumi, vt incompleta præciſiuè, quod requirebatur, vt poſſet cum alia perſona vnita, vnam perſonam componere: humanitas autem vnita diuino Verbo, etſi per illud ſubſtantialiter compleatur, hoc tamen complementum ipſi eſſentiale non eſt: ex quo fit, vt poſsit à complemẽto præſcindere, & ſic ſumpta cum perſona Patris vniri, & cum illo vnita vnam perſonam cõponere.

50. *Ad vltimam.* Ad vltimam probationem dicatur, rationem, qua mouentur diſcipuli D. Thomæ, vt aſſerant ex materia, & forma, ſi proprijs exiſtentijs exiſtãt, non poſſe vnum per ſe reſultare, non eſſe, quia completæ ſunt; hoc enim in omnium ſententia eſt falſum; ſed quia exiſtentiæ, ex conceptu vltimi actus, repugnat ad alium actum eiuſdem lineæ in potentia comparari, & exiſtentem conſtitui per formam à ſe diſtinctam; eo autem ipſo, quòd exiſtentia materiæ diſtincta eſſet ab exiſtẽtia formæ, ſicut entitas materiæ per entitatem formę actuatur, deberet exiſtentia materiæ actuari per exiſtẽtiam formę, & per illam reddi exiſtens, & quia hoc exiſtentiæ repugnat ex conceptu vltimi actus, de cuius ratione eſt vlterius non actuari, fit conſequens, vt repugnet ex materia, & forma reſultare vnũ per ſe, ſi diſtinctis, & ſibi proprijs exiſtentijs exiſtant. In caſu autem noſtrę diſputationis, perſona Patris vnita naturę humanę, quæ Filio ſupponeretur vnita, nõ terminaret, nec redderet ſubſiſtentem perſonam Filij, cui vnita humanitas præſupponitur, ſed ipſam humanitatem inſpectam ſecundum ſe, & ſecũdũ ſuam entitatem intrinſecam, ſub qua ratione non eſt in linea perſonæ completa, ideoque poſſet ex illis, non obſtante complemento præſtito à perſona Verbi, vnum per ſe reſultare.

51. *Et inſtatur argumẽtum.* Et quod hæc doctrina admitti debeat ab his, qui argumento facto vtuntur, probo clarè. Ipſi namque vniuerſaliter docent, materiam primam ſub vna forma ſubſtãtiali exiſtentem poſſe alteri formę vniri, & cum illa componere vnum per ſe; & tamen materia prima, per priorem formam præſupponitur completa: ergo ex ente alias completo, non reduplicatiuè, vt completo, ſed ſumpto ſecundum ſe, qua ratione eſt incompletum præciſiuè, poteſt ſimul cum alio extremo ſibi vnito vnum per ſe reſultare; ac proindè ex eo, quòd natura creata ex vnione cum vna perſona diuina completa præſupponatur, non ſequitur, quòd non poſsit cum alia perſona vniri, & cum illa vnum per ſe conſtituere.

52. *Reſpondebis ad inſtãtiã.* Reſpondebis ex doctrina Recentiorum, caſu, in quo materia prima exiſtens ſub vna forma alteri formæ ſubſtantiali vniretur, ideo ex illarum vnione vnum per ſe reſultare, quia licet materia prima ex vnione ad primam formam completa præſupponatur; forma tamen, quæ illi de nouo vnitur, incompleta præſupponitur; vt autem ex duobus extremis reſultet vnum per ſe, non eſt neceſſarium, quòd vtrumque ſupponatur incõpletum, ſed ſufficit, vnum illorum incompletum præſupponi, nam ex vnione Verbi cum humanitate vnum per ſe reſultauit, ſcilicet, vna perſona; cum tamẽ ſola humanitas incompleta ſupponatur. In noſtro autem caſu, tam natura, quam perſona completæ præſupponuntur, & ideo ex illis vnitis, non poteſt vnum per ſe reſultare.

53. *Reijcitur ſolutio.* Hęc tamen ſolutio omninò inſufficiens eſt, & ex ipſorum doctrina reijcitur: etenim ratio, qua mouentur, vt aſſerant in vnione, ex qua vnum ſubſtantiale reſultat, debere aliquod extremum incompletum præſupponi, eſt, quia aliquod illorum debet ſubſtãtialitèr perfici; non autem ſtat, perfici ſubſtantialitèr, quod non ſupponitur ſubſtantialitèr incompletum; ſed caſu in quo materia exiſtẽs ſub vna forma, alteri formæ ſubſtantiali vniretur, nõ ſolum forma adueniens perficeretur ex vnione cũ materia, ſed etiam materia ſubſtantialitèr perficeretur per formam ſupervenientem, quãdoquidem actuaretur per illam, ab eaque informaretur, & illius perfectionem intrinſecè in ſe reciperet: ergo non ſo-

lum

lum ex parte formę, sed etiam ex parte materiæ prę supponi debet substantialis incompletio. Cumq; non sit incompletio negatiua, cum in re per primam formam materia supponatur cõpleta, necessariò est asserendum, incõpletionem, solum præcisiuam, ad prædictum effectum sufficere. Hanc autẽ in nostro casu intercedere constat ex dictis.

54. *Si exemplũ contra Nos retorqueatur.*

Sed poterit quispiam exemplum aduersus nos retorquere: nam licet in Recentiorum sententia possit de potentia absoluta materia prima existẽs sub vna forma, simul per aliam formam substantialem actuari; id tamen vno ore à discipulis D. Thomę negatur, & tamen materia prima, sub vna forma substantiali existens, quamvis non præsupponatur incompleta negatiuè; supponitur tamen precisiuè incompleta, siquidem complementũ illi prę stitum à forma, ipsi essentiale non est, sicut nec forma ipsa est essentialis materię, & consequenter potest à tali complemento prę scindere: ergo quòd humanitas terminata ab vna persona diuina, illique hypostaticè vnita, supponatur præcisiuè incõpleta, non sufficit, vt possit cum alia persona vniri, & ex illis sic vnitis resultare vnum per se, loquendo consequenter in principijs Thomistarum.

55. *Respondetur.*

Respondeo, concessis maiori, & minori, distinguendo consequens: nõ sufficit adæquatè, concedo consequẽtiam: non sufficit, quantũ est ex capite incomplementi exacti ad vnum per se cum altero constituendum, nego consequentiam: nec Nos vt adæquatam causam vnibilitatis naturæ creatæ vnitæ vni ex personis diuinis cum alia diuina persona, assignauimus incompletionem præcisiuam naturæ, sed ad dictam incompletionem recurrimus, vt ex parte sufficientem, nempè, ex illa, qua vnius extremi incompletio requiritur, vt ex duobus vnitis resultet vnum per se: quia tamẽ præter incompletionem vnius, alia necessaria sunt, ad vnionem duorum extremorum, potest ex illorum defectu implicare, quòd materia existens sub vna forma alteri de nouo vniatur, & simul duplici forma actuetur. Ex quo autem capite ista implicatio proueniat, non est nostrũ in præsenti examinare, sufficit pro nunc asserere, implicationẽ istam prouenire, ex eo, quòd non potest de potentia absoluta idem specie, & numero effectus à duplici causa adæquata eiusdẽ generis, & ordinis, siuè efficienti, siuè formali causari. Materia autem in existendo dependet à forma, & ideò implicat, simul recipere duas formas substantiales, & per illas actuari, quæ ratio in præsenti non militat, vt ex dicendis ad præcipuum Scoti fundamentum constabit.

56. *Obijciunt quarto.*

Quartò obijciunt: implicat, naturam creatam sistere in vno supposito, & simul transire ad aliud; sed si terminata à Verbo posset simul terminari ab alia ex diuinis personis, sisteret in vno supposito, & simul ad aliud transiret: ergo implicat, naturam creatam vnitam vni personæ diuinæ, & in illa subsistentem, simul alteri personæ vniri, & in illa subsistere. Cõsequentia tenet, maior videtur certa: nam sistere in vno supposito, & simul transire ad aliud, est sistere, & non sistere in primo; sistere autem, & non sistere contradictoriè opponuntur: ergo sistere in vno supposito, & simul transire ad aliud contradictionem involvit. Minor autem probatur: nam subsistere in Verbo, idem est, quòd sistere in illo, quod videtur ex sola gramaticali terminorum constructione constare; sed humanitas terminata à Verbo subsistit in illo: ergo, si à Verbo terminata vniretur alteri ex diuinis personis, sisteret in vno supposito, & simul ad aliud transiret.

57. *Respõdetur primò.*

Respondeo, concessa maiori, negando minorem; ad probationem, nego antecedens: naturam namque subsistere in alieno supposito, non est idẽ, quòd sistere in illo, nec ex grãmaticali constructione id colligitur, vt *superius* monstrauimus, sicut subsistere in proprio supposito, non est idẽ, quòd in illo sistere, vt constat in natura diuina, quæ subsistens in Verbo, non sistit in illo, cum exclusione subsistendi in alijs diuinis suppositis: subsistere

ergo

ergo in supposito alieno, est ab illo sustentari, & terminari, cum qua termi-
natione stat, terminari per aliud, vt
constat in eodem exemplo: natura
namque diuina terminata à Verbo, si-
mul terminatur à Patre, & Spiritu
Sancto. Vel secundò responderi po-
test, subsistere in alieno supposito esse
in illo sistere per exclusionem transi-
tus ad aliud suppositum naturæ, qua-
tenus subsistentis in primo; non autē
per exclusionē transitus ad aliud sup-
positum naturæ, secundum se. Ex quo
tantùm sequitur, humanitatem, v. c.
quatenus subsistentem in Verbo, & ab illo terminatam, non posse vniri
alteri diuinæ personæ, quod verissi-
mum est; nō autem, quòd humanitas
in Verbo subsistens accepta secundū
suam entitatem, non possit personæ
Patris vniri. Quæ doctrina etiam cō-
stat in natura diuina, quæ terminatur
per subsistentiam personalem Verbi.
Ex quo tantùm sequitur, quòd, vt ter-
minata per subsistentiam Verbi, non
possit terminari per subsistentiam Pa-
tris, non autem, quòd, sumpta secun-
dum se, per illam nequeat terminari.
Cur autem natura creata terminata
per propriam subsistentiam, non pos-
sit per alienam terminari, *tract. sequen-
ti* videbimus. Quomodo etiam, *non*
repugnet eandem naturam numero
terminari pluribus terminis simul, ex
dicendis §. 5. constabit.

Secūdo respondetur.

§. IV.

Præcipuum Scoti fundamentum proponitur, & examinantur varij modi dicendi.

58. *Quintò obycit Scotus.*

QVINTÒ arguitur ab Scoto. Quod enim dependet ab alte-
ro, nō potest à pluribus ad-
æquatè, & totalitèr depēdere; sed na-
tura creata vnita vni ex diuinis perso-
nis, adæquatè ab illa dependet: ergo
vni personę vnita, non potest alteri vniri: & consequentèr implicat, plures diuinas personas vnam simul terminare naturam. Secunda consequentia ex prima euidentèr colligitur, prima ex præmissis infertur, minor constat: id namque ab altero adæquatè depēdet, quod existit illo posito, & quo-
uis alio secluso, sed natura creata vnita vni ex diuinis personis, existit per hāc vnionem, alio quocumque secluso: ergo adæquatè, & totalitèr depēdet ab illa, adæquatèque terminatur. Maiorē autē probat Scotus inductione; nō enim potest vnus, & idē effectus dependere à pluribus causis efficiētibus adæquatis, & totalibus, alias dependeret à quavis illarum, quandoquidem causaretur ab illa, & simul nō dependeret, quandoquidem sine illarum qualibet posset existere. Id etiam constat in genere causæ materialis, & formalis; non enim potest eadem forma substantialis simul depēdere à pluribus materijs adæquatis, & totalibus; nec idem accidens à pluribus primis subiectis, nec idem effectus formalis præstari potest à pluribus formis totalibus: ergo maior assumpta est in vniuersum vera, quòd, nempè, id quod ab altero dependet, non potest simul à pluribus, adæquatè, & totalitèr dependere.

59. *Refertur prima solutio.*

Huic argumento variè à Theologis occurritur. Prima solutio est quorumdam Theologorum asserentium, nullam esse implicationem in eo, quòd vnus, & idem effectus depēdeat simul à pluribus causis adæquatis, & totalibus, nō solum diuersi generis, nec solum subordinatis, quatenus posse simul vnum, & eundem effectum à pluribus dependere, quamvis quælibet sit in suo genere totalis, & adæquata, fatentur omnes Theologi, & Philosophi, sed etiam si sint eiusdē generis, & ordinis, & vna ex illis alteri subordinata non sit. Pro qua sententia refert Vazquez Caietanum 1. *part. q. 52. art. 3.* vbi docet, posse duo corpora luminosa, absque commixtione penetrari, & eidem diaphano applicata, idem numero lumen producere, quod produceret vnūquodq; seorsim.

Vazq.

Cæte-

Cæterum, cum Caietanus *in præsenti* supponat oppositum, docetque dependentia stricta, & causali, non posse eundem effectum dependere à pluribus causis adæquatis, & totalibus. idēque doceat *infra q. 67. art. 6.* versu *Ad penultimum*; est loco allegato, accipiē dus de pluribus causis adæquatis, quoad sufficientiam; non autem quoad efficaciam, quod satis ibidē insinuat, dicens, tunc casus, illa duo luminosa, vt partes illius luminosi se habere; in quo videtur sentire, quòd quamvis quoad sufficientiam sint adæquata, non tamen vt causæ adæquatæ operārtur de facto. Pro eadem sententia refert Vazquez Ocamū *in 3. dist. 1. q. 1. art. 3.* & Gabrielem *in eadem dist. q. 1. art. 3. dub. 3.* & est apud Recentiores extra Scholam D. Thomæ frequentior, eique nonnulli ex nostris adhærent.

Vazq.

60.

Reijcitur primò.

Cęterum huic solutioni Nos assentiri non possumus. Primò, quia sententia docens, non posse, etiam de potentia absoluta, vnum, & eundem effectum simul dependere à pluribus causis adæquatis, & totalibus eiusdem generis, & ordinis, communior est apud Theologos, & Philosophos, quā præter omnes Scotistas cum Scoto *in 3. dist. 1. q. 2.* tenent Capreolus *in 2. dist. 20. q. vnic. art. 3. ad argumenta Scoti contra 3. conclusionem*, & *in 3. dist. 1. q. 1. art. 3. ad 1. Scoti argum.* Caietanus *vbi supra*, Ferrariensis 3. *Contra gentes cap. 68.* Soncinas 5. *methaphysicæ q. 6.* Iabellus 5. *methaph. q. 7.* quos refert, & sequitur Vazquez *disp. 29. cap. 4.* illam dicens esse communem, eique communiter adhærent Recentiores Thomistæ, paucis exceptis: ergo non debet negari, vt veritas nostræ conclusionis defendatur, quæ extra Scholam Scoti est communis.

Scoto. Capreol.

Caiet. Ferrar. Soncin. Iabell. Vazq.

61.

Secundò.

Secundò: nam ex eo, quòd vnus, & idem effectus simul dependeret à pluribus causis totalibus, sequeretur dependere à qualibet illarum, & non dependere ab illis, quod implicat: ergo ex tali dependentia contradictio sequitur; ac proindè, nec de potentia absoluta est possibilis. Probatur sequela: nam in primis à qualibet dependeret, quandoquidem præsupponitur esse effectum illarum, de ratione autē effectus est dependentia à causa, nec sine illa intelligi potest. Quod autem à nulla illarum, prout ab alia distincta dependeret, probatur primò. Nihil enim dependēt ab illo, sine quo fieri, & existere potest; sed in eo casu talis effectus posset fieri, & existere sine qualibet illarum causarum, quatenus distincta ab alia: ergo à nulla illarum, prout ab alia distincta dependeret. Secundò; nam dependere ab aliquo, est indigere illo ad existere, vel fieri; sed in casu posito, nulla prædictarum causarum, quatenus ab alia distincta, indigeret effectus ad existere, vel fieri: ergo à nulla illarum in particulari dependeret. Maior ex terminis constat: consequentia est bona; & minor ostenditur primò: nam eo, sine quo aliquid fieri, & existere potest, non indiget, vt existat, vel fiat; sed sine qualibet illarū causarum, in particulari sumpta, existeret, & fieret prędictus effectus, quādoquidē quælibet illarū per se ipsam adæquatè in talem effectum influit: ergo nulla illarum in particulari indigeret. Secundò: nā semel expleta alicuius rei indigētia, nō potest alio indigere, sed ab vna illarū causarum adequatè expletur indigentia effectus, si ab illa, vt à causa totali, & adæquata dependet: ergo non potest alia causa distincta indigere, vt existat, vel vt fiat.

62.

Confirmatur.

Quod amplius vrgetur: nam effectus dependens ab vna causa totali, non potest dependere ab alia secundū naturalem potentiam, aliàs, non solū de potentia absoluta, sed etiam connaturaliter, posset idem numero effectus dependere simul à duplici causa totali; sed nec potest dependere ab alia causa, secundum potentiam obedientialem: ergo implicat, quòd effectus alicuius causæ totalis, & adæquatę simul ab alia causa dependeat. Probatur minor primò: nam dependentia effectus à causa est indigentia intrinseca illius ad existendum, sed indigentia intrinseca cōveniens alicui rei est ipsi connaturalis: ergo non potest illi convenire ratione obedientialis

potentiæ. Secundò probatur: nam Deus nō potest naturas rerum variare: vndè, quia anima rationalis, non dependet à materia, secundum propriam naturam, non potest Deus efficere, quòd à materia dependeat, nec quòd ex illius potentia educatur: ergo non potest effectus ratione potentiæ obedientialis dependere ab aliqua causa, à qua non dependet ab intrinseco, & secundum potentiam naturalem.

63. *Oppones primò.*

Sed oppones contra istam doctrinam primò: nam humanitas, non dependet à Verbo, vt sustentante, ratione potentiæ naturalis, sed ratione potentiæ obedientialis, aliàs esset naturaliter potens subsistere in Verbo, & ab illo sustentari: ergo stat, dependere effectum ab aliqua causa, secundum potentiam obedientialem, à qua non dependet ratione potentiæ naturalis.

Secundò.

Secundò: nam gratia iustificans, non dependet naturaliter à Sacramētis nouæ legis, aliàs sine illis nūquam potuisset existere, attēta gratiæ natura, quod nullus Theologorū asseruit; & tamen de facto à Sacramentis dependet, vt à causis instrumentalibus, non solum moraliter, sed etiam physicè influentibus, vt tenet communis Thomistarum sententia: ergo stat, effectum ab aliquo dependere, quo ab intrinseco non indigeat: & consequēter, licet effectus dependens ab vna causa totali, non indigeat ab intrinseco alia, vt existat, vel vt fiat, dependere poterit ab illa, & ab illa caueri.

64. *Respondetur ad primam obiectionem.*

Respondeo ad primam obiectionē, concesso antecedenti, distinguēdo consequens: si à tali causa non dependeat, ratione potentiæ naturalis, nec ab aliqua in illa eminenter contēta, & cuius vices gerit, nego consequentiam; si quamvis non dependeat naturaliter ab illa, dependeat tamen secundum potētiam naturalē ab alia, quam continet eminenter, & cuius vices gerit, concedo consequentiam. Itaque humanitas, quamvis in existendo, non dependeat secundum potentiam naturalem à Verbo diuino; dependet tamen naturaliter à subsistentia propria creata: & quia hæc eminenter continetur in Verbo, fit consequens, quòd possit dependere in existendo ab illo, eique secundum potentiam obedientialem vniri. Quando autem non supponitur dependentia connaturalis ab aliquo, cuius vices ab alio gerantur ratione cōtinentiæ eminentialis illius, non potest dari dependentia ratione solius potentiæ obediētialis.

65. *Ad secundam.*

Ad secundam, concessis maiori, & minori, distinguo consequens: in genere causæ instrumentalis voluntariè à causa principali applicatæ, concedo consequentiam: in genere causæ principalis, nego consequentiā. Ratio autem differentiæ est, nam causa instrumētalis agit in virtute causæ principalis, à qua effectus dependet per se; hæc autem, quando liberè producit effectum, potest suum concursum tēperare, & quantum de suo concursu detrahit, potest communicare instrumento, & ita effectus à tali instrumento dependere, à quo aliàs dependere non posset, si causa principalis suum concursum non temperaret: quæ ratio in causa principali non militat, cū non virtute alterius, sed propria virtute influat, nec alteri effectū quærat, sed sibi, & effectus ab illa, non ratione alterius, sed ratione sui dependeat. Sed de his plura *tractatu de potentia animæ Christi.*

66. *Secūda solutio Amici.*

Secunda solutio est, vnum, & eundem effectum, non posse dependere à duabus causis adæquatis efficaciter, & in actu secundo; benè tamē à duabus causis in actu primo, & quoad sufficiētiam adæquatis, ideſt, quarum quælibet se sola in absentia alterius sufficeret ad dandam existentiam effectui; quoad efficaciam verò partialibus, eo quòd vtraque suum temperat concursum, nec totum, quod potest influit; sed partialiter cum alia, vt constat in duobus simul portantibus lapidem, quorum quilibet sufficeret lapidem se solo portare maiorem exhibendo connatum, & influxum intensiorem, illo, quem de facto præstat, cum simul cum alio illum portat. Ex quo, inquiunt, solum sequitur, non posse plures personas diuinas simul termi-

nare

hare eandem naturam creatam, illam qualibet sustentante adæquatè: non autem, quòd non possint illi simul vniri temperando concursum sustentativum ita vt quamvis illarum quælibet per se sola illam sustentare sufficeret; minori concursu ad illam sustentandam concurrant, cum plures simul vniuntur, illo, quo cõcurrerẽt, si vna seorsim ab alijs naturæ creatæ vniretur. Ita Amicus vbi *supra n. 112.* & cum hoc temperamento communi sententiæ adhæret.

67. *Reijcitur.*

Hæc tamen solutio displicet ob discrimen, quod inter causam efficientem, & formalem versatur. Illa enim non causat se ipsam communicando subiecto, sed influendo influxu ab illa distincto, & effectum producẽdo omninò distinctum ab illa. Ex quo fit, vt ipsa entitatiuè invariata, possit temperare influxum, & minorem, vel maiorem præstare, vel propter præsentiam alterius similis causæ simul cum illa influentis, vel quia causa prima illam applicat maiori, aut minori applicatione. Causa autem formalis causat se ipsam communicando subiecto, imò effectus formalis illius est ipsa forma subiecto communicata: ex quo fit, vt quamvis in alterius sit potestate constitutum, illam applicare, vel non applicare subiecto; semel tamen applicata, dat illi totum, quod potest: vt constat in calore vt octo, qui semel communicatus subiecto, non potest non dare illi totam suam gradualem intensionem, illudque calidum vt octo, non reddere; sed diuina personalitas sustentat naturã creatam in genere causæ, vel quasi causæ formalis se ipsam communicãdo: ergo licet sit constitutum in arbitrio libero Dei personalitatem diuinam naturæ creatæ vnire, attamen semel vnita, non potest non dare naturæ adæquatum effectum, quem de se potest præstare; ac proindè, si de se sufficiens est sustẽtare adæquatè naturã creatã cui vnitur, non potest temperare cõcursum, nec propter præsentiam alterius diuinæ personalitatis, nec ratione diuinæ applicationis illã in actu secundo inadæquatè tantùm sustentando.

Et ex his impugnata manet aliorum Recẽtiorum solutio asserẽtium, argumentum Scoti conuincere, non posse vnam, & eandem numero naturam creatam, simul vniri tribus diuinis personis: ita vt simul sustentetur ab illis, quia hoc esset dependere, & non dependere à qualibet illarũ, quatenus ab alia distincta, quod implicat; non tamen conuincere, quòd non possit eadem natura creata simul vniri tribus diuinis personis, non vnione sustentatiua, sed tantùm terminatiua respectu aliquarum ex illis, ideſt, taliter, quòd in existendo ab vna sola dependeat, & ab illa sustentetur, cæteris quidem vnitis, non tamen sustentantibus naturam; quæ autẽ illarum præstitura sit concursum sustentativum, pendere à voluntate diuina, quæ potuit pro suo arbitrio concursum sustentativum cuivis illarum præstare, alijs illum denegando.

68. *Tertia solutio Recentiorum.*

69. *Reijcitur.*

Quæ solutio ex dictis præclusa manet: nam personalitas diuina sustentat naturam creatam se ipsam, communicando in genere causæ, vel quasi causæ formalis; sed quamvis sit in diuina potestate formam applicare subiecto, non tamen stat in illius potestate, forma semel applicata, & vnita subiecto, eius effectum suspendere: ergo non stat, tres personalitates diuinas simul naturæ creatæ vniri, & non omnes illam sustentare, sed tantùm vnam illarum.

70. *Respondebis primò.*

Respondebis primò, minorem argumenti facti esse veram, si subiectũ supponatur capax recipiendi omnem effectum, quem forma præstare potest; secus autem si incapax supponatur, vt constat in natura equina, quam posse vniri hypostaticè cũ persona increata, *tractatu sequenti* cõstabit: & tamen quamvis per illam subsisteret, non tamẽ personaretur, quia illum effectum, vel quasi effectum formalem personalitas possit præstare, quia natura irrationalis, illum recipiendi est incapax. Casu autem, in quo natura creata vniretur simul tribus diuinis personis, licet esset capax, vt sustentaretur ab vna; non tamen esset capax, vt sustentaretur ab omnibus

bus, & ideo licet omnes simul vnirentur naturæ creatæ, non tamen omnes illam sustentarent.

71. *Contra primo.* Sed contra primo: vt enim forma non præstet omnem suum effectum, vel quasi effectum formalem, ob incapacitatem subiecti, cui vnitur, debet in subiecto incapacitas præsupponi; sed casu, in quo omnes personæ diuinæ simul vnirentur eidē naturæ creatæ, nulla illarum supponeret incapacem naturam effectus, vel quasi effectus sustentationis ab ipsa: ergo omnes illam sustentarent. Maior cū cōsequentia tenet, minor autem probatur: vt enim impedimentum, vel incapacitas ad aliquem effectum formalem supponatur in subiecto, debet etiam ad formam supponi id, quod impedimentum vel incapacitatem præstat; sed casu, in quo tres personæ simul vnirentur eidem naturæ creatæ, nulla ex illis ad aliam supponeretur sustentans prædictam naturam, ex quo solum poterat natura impediri, & incapax reddi sustētationis ab alia: ergo in tali casu nulla illarum supponeret in natura, cui vniretur, incapacitatem sustentationis ab ipsa: & consequenter illarum quælibet, & omnes simul illam sustentarent.

72. *Secūdò.* Contra secundò: naturam namque à supposito sustentari, est cōpleri ab illo in ordine ad existendum; sed implicat naturam creatam vniri alicui suppositō, & ab illo non compleri in ordine ad existendum: ergo non stat in natura creata capacitas ad vnionem cum aliqua ex diuinis personis cum incapacitate, vt sustentetur ab illa. Nec refert, si dicas, naturam diuinam per subsistentias relatiuas compleri, & tamen non sustentatur ab illis, nec à diuinis personis, quandoquidem ad relatiuas proprietates supponitur subsistens, & perfectissimè existens: ergo poterit natura creata cōpleri ex vnione ad suppositum, & ab illo non sustentari. *Obijcies.* Non, inquam, refert, hoc namque in natura diuina conceditur, quia non ex necessitate, sed ex summa fœcunditate terminatur tribus subsistentijs personalibus: sicut etiam Verbum in diuinis, non ex necessitate, vt in nobis, sed ex summa fœcunditate producitur. *Respondetur.* Natura autē creata non potest titulo fœcunditatis terminari à diuina persona; ac proindè debet esse ex necessitate, vt existat, cum quo non stat, non compleri ad existendum; ac per consequens, non stat cum vnione personali, non sustētari à suppositō, cui vnitur.

73. *Respondebis secundò.* Respondebis secundò: minorem nostri argumenti esse veram de effectu primario formæ, non verò de secundario; personalitas autem nō habet pro effectu, vel quasi effectu primario sustentare naturam, cui vnitur, sed illam terminare, & simul cum illa constituere personam: vndè licet sit impossibile, personam diuinam vniri personæ creatæ, & illam non terminare, & cum illa personam non constituere, non tamen implicat vniri naturæ creatæ, & non sustētare illam, Deo suspendente concursum, vt constat in quantitate, cuius secundarius effectus est impenetrabilitas cum alia in eodē loco; ideoque quantitas subiecto vnita potest effectu impenetrabilitatis priuari, Deo concursum suspendente: & etiam extensio in ordine ad locum, quæ secundariò à quantitate præstatur, potest miraculosè à quantitate non dari, & de facto corpus Christi in Sacramento Eucharistiæ, licet quantitatem habeat, non est in ordine ad locum extensum.

74. *Contra primò.* Sed contra primò: nam quòd personalitas sustentet naturam, cui vnitur, est, quòd illam substantialitèr cōpleat; sed non potest personalitas diuina vniri naturæ creatæ, & illam non complere substantialiter, vt proximè dicebamus, alias ex illis vnitis nō posset vnum per se resultare, vt cōstat ex dictis *supra*: ergo non potest vniri, & non sustentare naturam. Secundò: nā sustentare naturam, non est effectus secundarius personalitatis creatæ: ergo pariter non est effectus, vel quasi effectus secundarius personalitatis diuinæ sustentare naturam, cui vnitur. Consequentia tenet à paritate rationis. Antecedens autē probatur: etenim personalitatem creatam sustentare propriam naturam, est illam substantia-

stantialiter complere, & cum illa suppositum constituere, quod solum est capax susceptivum existentiæ, vt docet D. Thomas *in hac 3. part. infra q. 17. art. 2.* sed complere naturam, & suppositum constituere, non est effectus secundarius personalitatis creatæ: ergo illam sustentare, effectus secundarius personalitatis creatæ non est.

S. Tho.

75. *Si obijcias in fauorē secundæ solutionis.*

Si obijcias in prædictæ solutionis fauorem; nam potest vnum accidens vniri duobus subiectis, & sustētari tantùm ab vno: ergo pariter poterit natura substantialis creata duabus personis vniri, & ab vna tantùm sustentari. Consequentia videtur tenere à paritate rationis. Antecedens autem probatur: potest vnum accidens, de potentia absoluta, vniri duobus subiectis adæquatis, in hoc enim nulla apparet implicatio; sed non potest ab vtroque adæquatè sustentari, aliàs idem effectus à duplici causa adæquata eiusdem ordinis dependeret, quod implicare supponimus: ergo potest duobus subiectis vniri, & ab vno tantùm sustentari. Respondeo, prætermisso antecedenti, negando consequentiam; ratio autē discriminis est: nam subiectum duplicem respectum, vel quasi respectum habet per comparationē ad accidens receptibile in ipso: vnum recipientis esse accidentale ab illo: alium dantis esse accidenti, in genere causę subiectiuæ, & materialis, inter quos respectus non apparet essentialis connexio: vndè poterit vniri cum accidente, vt dante esse accidentale subiecto, & non vniri vt dans accidenti esse, ac proindè sine vnione sustentatiua accidentis. Personalitas autem non potest naturæ creatæ vniri, nisi cum illa constituat vnum substantiale per se, scilicet, vnam personam, nec potest vnum per se constituere, nisi complendo substantialiter naturam, in quo illam sustentare cōsistit, ideoque implicat naturam creatam vniri cum duabus personis, & sustentari tantùm ab vna.

Respondetur.

76. *Aliter*

Pater Vazquez *disp. supra allegata cap. 4. num. 26* concedens vnum, & eundem effectum non posse à duplici causa adæquata, & totali dependere, negat, quòd vna, & eadem natura, nō possit simul pluribus personis vniri, & rationem discriminis reddit; nam effectus dependet à causa, quia suum esse recipit ab illa: vndè, cum accipit esse ab vna, non relinquitur capacitas ad dependendum ab alia, quia iam est eius indigentia expleta: natura autem ab alieno supposito nō depēdet, accipiendo ab illo esse, sed solum modum quendam substantialem vnionis, & quia natura creata est capax recipiendi diuersas vniones, quibus pluribus personis vniatur; nemo enim negare potest, quòd postquā vni personæ est vnita, possit successiuè per diuersam vnionem cum alia persona vniri, fit consequens, vt vnita vni personæ per vnum modum vnionis, non sit expleta secundum extensionem capacitas, qua possit terminari ab alia persona recipiendo aliam vnionem.

respōdet P. Vazquez.

77. *Impugnatur primò.*

Hæc tamen ratio discriminis sufficiens nō est: & reijcitur, etenim natura creata, supposito alieno vnita, non solum quoad vnionem, sed etiam quoad suum esse intrinsecum dependet ab illo: ergo si vnita vni potest alteri supposito vniri, dependentia, & indigentia naturæ iam ab vno supposito expleta, terminatur ad aliud, & expletur ab illo; ac proindè, id ipsum in dependentia effectus à causa efficiēti, vel formali contingere poterit. Ex quo vlteriùs fit, nullum esse discrimē à prædicto Auctore assignatum. Consequentia tenet ex doctrina solutionis. Antecedens autem probatur primò: vt enim expresè fatetur Vazquez, natura vnita supposito alieno sustentatur ab illo; sed naturam sustētari à supposito, est dependere ab illo in existendo: ergo natura creata, supposito alieno vnita, non solum quoad vnionem, sed etiam quoad suum esse intrinsecum ab illo dependet. Secundò probatur: etenim natura creata à propria personalitate dependet, non solum quoad vnionem cum illa, sed etiam quoad suum esse, vel dependentia à priori, vt docent discipuli Diui Thomæ, vel saltim dependentia à posteriori, vt frequentius alij volunt; sed

suppo-

ſuppoſitum alienum terminans naturam creatam ſubſtituitur loco ſubſiſtētiæ propriæ, & ſupplet vices illius: ergo natura creata ſuppoſito alieno vnita dependet, non ſolum quoad modum vnionis ab illo, ſed etiam quoad ſuum eſſe. Conſequentia cum minori tenet; maior autem probatur: etenim materia prima, quamvis ſuam habeat exiſtentiam partialem, in ſententia P. Vazquez, priuſque illi, quam forma conueniat, quia tamen per formā cōpletur, & ſine illa non poteſt naturaliter ſaltim exiſtere, dependet quoad ſuum eſſe à forma, vt expreſsè docet Vazquez *cap. 4. allegato num. 23.* ſed natura creata, eſto pro priori ad ſubſiſtentiam propriam exiſtat, ab illa tamen completur, & ſine illa ſaltim cō naturaliter exiſtere nequit in omniū Philoſophorum ſententia: ergo dependet à ſubſiſtentia propria, non ſolum quoad modū vnionis, ſed etiam quantum adeſſe.

78. *Secundò.* Et ex his ſecundò prædicta ſolutio reijcitur: vt enim docet Vazquez *nu. 23.* implicat, materiā primā ſimul actuari à duplici forma totali v.c. hominis, & equi, & hoc ideo, quia licet materia prima ſit actus entitativus, qua ratione poteſt de potentia abſoluta à Deo ſine forma conſeruari; tamen, vt naturaliter exiſtat actus ille entitativus, non ſufficit, ſed indiget actu formæ, cumque vna forma ſufficiat ad tollendam indigentiam materiæ, ſemel per vnam ablata, non poteſt per aliam tolli, & idcirco implicat, actuari à duplici forma totali: ita ferè ad Verbum Vazquez *vbi proximè allegatus.* Ex quibus in hunc modum arguitur; ſed natura ſubſtantialis creata, eſto actus ſit ratione ſui, & pro priori ad ſubſiſtētiam propriam exiſtat, & poſſit de potentia abſoluta ſine illa conſeruari, ab illa tamen dependet connaturaliter, nec ſine ea poteſt naturaliter exiſtere, & conſequentèr illa indiget ad exiſtendum: ergo hac indigētia ab vno ſuppoſito ablata, nō poteſt per aliud tolli; ac proindè, niſi aliud conſtituatur diſcrimen, æquè implicabit, vnam naturā creatam vniri duobus ſuppoſitis, atque vnam materiam primam ſimul actuari per duplicē formam totalem, & adæquatam, quod Pater Vazquez implicatorium exiſtimat.

79. *Aliorū ſolutio.* Ex his etiam præcluſa, & impugnata manet aliorum Recentiorum ſolutio, aſſerentiū; ideò poſſe vnam naturam creatam ſimul vniri tribus perſonis diuinis, quia ex tali vnione non ſequitur eundem effectum à pluribus cauſis adæquatis dependere: nam in eo caſu, non daretur vnus effectus à pluribus cauſis dependens, ſed plures, videlicet, plures vniones, pluresq; perſonæ exillis reſultantes: nam tribus diuinis perſonis eidem naturæ vnitis, tres perſonæ reſultarent; ac proindè, tres effectus, vel quaſi effectus formales. Quæ doctrina ex dictis facili negotio reijcitur: nam in eo caſu præter tres vniones, & tres perſonas ex illis reſultantes, inueniretur vna natura vnica exiſtentia exiſtens, & ab illis in exiſtendo depēdens: ergo ex hac parte daretur vnus effectus dependens à pluribus cauſis, quarum quælibet illam præſtare ſufficeret, & conſequentèr daretur vnus, & idem effectus dependens à pluribus cauſis adæquatis, & totalibus. *Reijcitur.*

§. V.

Traditur, & defenditur vera ſolutio.

80. *Vera ſolutio.* HIs igitur modis dicendi relictis, vera ſolutio argumēti facti eſt, quam tradunt Capreolus *in 3. diſt. 1. quæſtione prima art. 3. ad 1. Scoti contra primam concluſionem*, & Caietanus *in hac quæſt. art. 6. §. Ad hanc Scoti rationem*, vbi docent, quòd licet nō poſſit vnum, & idem à duobus adæquatè dependere dependentia cauſali, quæ eſt dependentia ſtricta; poteſt tamen dependentia, non cauſali, ſed terminatiua, quæ dependentia ſtricta non eſt, vnum, & idē à duobus depēdere adæ-

Capreol. Cait.

quatè

quatè adæquatione intensiua, non tamen adæquatione extẽsiua: vnũ enim album vna relatione similitudinis adæquatè intensiuè ab vno albo terminatur, non tamen adæquatè extensiuè; potest enim ex vi eiusdem relationis ad plura alba terminari, & de facto terminatur ad omnia, cum quibus in graduali intensione similitudinem habet. Et idẽ in quãtitate palmari in ordine ad alias quãtitates eiusdem magnitudinis invenitur. Pater etiam ex vi eiusdem relationis, qua ad primum filium refertur, & ab illo terminatur ad æquatè intensiuè, refertur ad novũ filium, si adveniat; ac proindè dicta relatio nõ terminatur adæquatè à primo, adæquatione extensiua. Natura autẽ creata vnita alieno supposito, nõ dependet ab illo dependentia stricta, & causali, sed dependentia terminatiua, & non causali; ac proindè licet vnita vni ex diuinis personis ab illa adæquatè intensiuè terminetur, non tamen terminatur adæquatè extensiuè, & id circo vni ex personis vnita potest cum alijs vniri.

81. *Oppones primò.* Si opponas primò, hęc omnia exẽpla negari à Scoto: nam ipse, nec in patre ad plures filios, nec in vno simili, vel æquali ad plura æqualia, vel similia, vnam tantùm relationẽ cõstituit; sed plures iuxta terminorũ numerũ, quibus ad illorum singulas refertur: ergo ex illis perperam à Nobis deducitur explicatio, & limitatio prædictę propositionis, quod, nempè, debeat intelligi, de depẽdẽtia stricta, & causali, non verò de non causali, & purè terminatiua, quæ stricta dependẽtia non est.

Respõdetur ex Caietano. Respondet Caietanus, & benè, cõcesso antecedenti, negando cõsequẽtiam: nam licet Scotus neget exemplorũ, quæ adduximus, veritatẽ, sunt tamen ex communi Schola Peripateticorum sumpta, negãtium plura, accidẽtia solo numero distincta, etsi respectiua sint, posse simul in eodem subiecto inveniri: vndè ad respondẽdum Scoto rectè à Nobis prædicta exempla adducũtur; ipsi autẽ incumbebat ad concludendum aliquid esse impossibile de potentia Dei absoluta, non ex opinatis ab illo, & communiter ab alijs refutatis procedere.

82. *Oppones secũdò.* Si opponas secundò: vna persona diuina, non minus perfectè naturam creatam terminat, quam personalitas propria; sed hæc propriã naturam terminat adæquatè, intensiuè, & extensiuè; quo circa natura creata subsistens in proprio supposito, nõ potest in alie no subsistere, nec ab illo terminari, etiã depotentia absoluta, vt *tract. sequẽti* videbimus: ergo persona diuina naturæ creatæ vnita, illã terminat adæquatè vtroque adęquationis modo, nempè, intensiuè, & extensiuè, & cõsequẽtèr implicat simul cum alio supposito vniri. Respondet Caietanus, concessis maiori, & minori, negando consequentiam: quod enim propria personalitas adæquet intensiuè, & extensiuè naturam creatã, & quod hæc, proprio terminata supposito, nõ possit alteri vniri, benè tamen supposito alieno vnita, nõ prouenit ex eo quod persona diuina naturã, cui vnitur, terminet minus perfectè, & propria personalitas magis perfectè, sed ex diuerso modo terminãdi, quia, scilicet, personalitas propria terminat, vt modus naturæ intrinsecus; ex quo nascitur, vt natura non possit ab alio supposito terminari, quin simul ab eodẽ terminetur personalitas propria naturæ, & quia in hoc manifesta implicatio invenitur, fit, vt personalitas propria terminet propriam naturã adæquatè, intensiuè, & extẽsiuè; personalitas verò diuina nõ terminat naturã creatã, vt modus illius intrinsecus: vndè, vt natura terminetur simul ab alio supposito, nõ est necessariũ, vt diuina personalitas ab eodẽ supposito terminetur; ac proindè illam relinquit simul ab alio supposito terminabilẽ, in quo eadem vis, & ratio terminatiua invenitur, & hinc prouenit, quod diuina personalitas non terminet naturam creatam, cui vnitur, adęquatè, intẽsiuè, & extẽsiuè. Sed de his *tract. seq.* plura.

Respõdet Caietanus.

83. *Oppones tertio.* Si opponas tertio: nõ enim potest sufficiẽs ratio distinctionis assignari inter depẽdẽs depẽdentia causali, & dependens depẽdẽtia nõ causali, sed tantũ terminatiua: ergo si nõ potest va-

& idē effectus dependere, depēdentia cauſali, à duab⁹ cauſis adæquatis vni⁹, & eiuſdē rationis, quārū quęlibet ſit intēſiuè adæquata, & inadæquata extēſiuè: paritèr nec poterit vnus, & idē effect⁹ ſecundū vnā rationē dependere depēdētia eſſentiali, nō cauſali, ſed terminatiua, à duobus terminis adæquatis, & totalibus, quorū quilibet ſit intēſiuè adæquatus, & inadæquat⁹ extēſiuè. Reſpōdet Caietanus, negādo antecedēs: tū, quia eſſe differentiā aliquā conſtituendā inter depēdentias prædictas, patet per inſtantiā vniꝰ relatiui, totalitèr, intēſiuè terminati ab vno, & tamē ſimul terminabili ab alio eiuſdē rationis, iuxta cōmunē doctrinā negantē, duo accidētia ſolo numero differētia poſſe eſſe cōnaturalitèr ſimul in eodē ſubiecto; cū tamē id nō cōtingat in depēdentia cauſali, nīſi fortaſſe cōnaturalitèr, non poſſe vnū, & eundē effectū à duabus cauſis adęquatis, & totalibus ſimul depēdere, & cauſari, eſt cōmunis Philoſophorū cōſenſus: ergo aliqua differentia inter vnā, & aliam dependentiam invenitur.

Reſpondet Caietanus.

84. Tūm etiā manifeſta ratio eidē ſuffragatur doctrinæ: nā depēdentia cauſalis oritur ex indigentia, qua expleta per vnā causā, non poteſt altera cauſa indigere; ac proindè, nec depēdere ab illa: depēdentia autē non cauſalis poteſt ſine indigētia inveniri, vt patet in relatiuis, quæ in Deo ſine indigētia inueniūtur, ſicut ſine imperfectione; indigētia namq; in ſuo cōceptu formali imperfectionē importat: vndè, quòd relatio ſemel terminata ad vnū, poſsit terminari ab alio, & cōſequētèr à primo non ſit terminata adęquatè adæquatione extēſiua, poteſt prouenire aliūdè, nēpè, quia illud aliud eiuſdē rationis eſt, & habet eandē vim, & rationē terminādi: & ſic, inquit Caietanus, in noſtro caſu cōtingit. Quod enim Pater v. c. terminare poſsit naturā terminatā à Filio, nō prouenit ex eo quòd natura ſubſiſtēs in Filio imperfectè ſit perſonata, nec quia indigeat Patre, vt exiſtat, ſed ex conditione perſonę Patris, quia, nēpè ratione ſuę infinitatis habet eandē vim, quā Filius ad terminandā, & perſonādā naturam, & aliàs non ſe excludunt ab eadem natura terminanda: cum ſimul naturam diuinā terminent.

85. Sed dices: eſto relatio à termino nō depēdeat dependētia ſtricta, & cauſali, eo quòd correlatiua ſunt ſimul cognitione, & natura, quod ſtare nequit cū dependentia cauſali vnius relationis ab alia; eſſentialitèr tamē exigit ad exiſtendū coexiſtentiam ſui termini, vnum enim relativum ſine alio nequit exiſtere, iuxta cōmunem doctrinam: ergo ſi poteſt huiuſcemodi exigentia adæquatè ab vno termino expleta, ad alterum terminari, poterit etiam indigentia effectus, expleta ab vna cauſa adæquata, ab altera dependere.

Dices.

Reſpondetur. Reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando conſequentiā: nam licet relatio, vt exiſtat, petat exiſtentiam alicuius terminantis, vt tamen ad aliū terminum eiuſdem rationis cum primo extendatur, non eſt neceſſarium, quòd ſecundū ſuam intrinſecā entitatē, petat exiſtentiā illius, prout à primo termino materialitèr diſtinguitur, atque adeo noui termini reſpiciētia, non opponitur cū hoc, quòd per primū terminū exigentia relationis expleta præſuppona tur: vt autem effectus adæquatè ab vna cauſa depēdēs, depēdeat ſimul ab alia debet tali cauſa indigere, nā dependentia eſſentialitèr in indigētia cōſiſtit; implicat autem, quòd indigentia effectus expleta ab vna cauſā adæquatè, alia cauſa ab illa diſtincta indigeat, quia ex hoc ſequitur, primam cauſam indigentiam effectus non expleſſe.

86. Si denique opponas: corpus non dependet à loco depēdentia ſtricta, & cauſali, nō enim cauſatur ab illo in aliquo genere cauſæ, ſed ad ſummum dependentia veluti terminatiua, cōparatur enim ad locū, tanquā ad terminū, & tamen implicat, in ſententia D. Th. vnum corpus eſſe ſimul in duobus locis adæquatis, & circūſcriptiuis: ergo licet natura à perſonalitate, non dependeat dependentia ſtricta, & cauſali, ſed tantū terminatiua, implicabit ſemel ab vna perſona adęquatè terminatā, ab altera terminari; & cōſequentèr non poterit eadē natura creata ſimul vniri pluribus diuinis perſonis.

Oppones vltimò.

Reſ-

87. *Respondetur.*

Respondeo, negando consequentiam; ratio autem discriminis est: nam vnus locus circunscriptivus adæquatur vni corpori, non solũ adæquatione intensiua, verũ etiam extensiua, & implicat duplex terminus vtraque ista adæquatione adæquatus: vna autem persona diuina, solũ est terminus adæquatus intensiuè respectu naturæ creatæ; ideoque illam ab alia persona terminabilem relinquit. Ratio autem, cur locus extensiuè etiam corpori locato adæquetur, non verò vna persona diuina respectu naturæ creatæ, ea est: quia extensio localis corporis prouenit à quantitate, vt effectus formalis secundarius; forma autem non dat effectum formalem primarium, vel secundarium ratione potentiæ obedientialis, sed ratione potentiæ naturalis, quæ cum vno effectu formali, siuè primario, siuè secundario intensiuè, & extensiuè adæquatur, ita vt implicet, effectum formalem multiplicari, non multiplicata forma; ac proindè, non potest vna, & eadẽ quantitas, etiam de potentia absoluta, præstare duas extensiones locales; natura verò creata personatur à persona diuina ratione potentiæ obedientialis, & terminatio ab illa, non est effectus primarius, nec secundarius naturæ, sed personæ terminantis; & ideò, licet à qualibet persona diuina adæquatè intensiuè terminetur; à nulla tamen illarum terminatur adæquatè extensiuè; ideoque relinquitur terminabilis ab alia.

88. *Sed instabis ex dictis.*

Adhuc tamen contra hanc doctrinam resultat ex dictis non modica difficultas: etenim natura creata dependet à propria personalitate dependentia causali, & non purè terminatiua; sed personalitas increata supplet vices personalitatis creatę in terminando naturam: ergo hæc ab illa dependet dependentia, non purè terminatiua, sed causali: & consequentèr, si hoc genere dependentiæ, non potest vnus, & idem effectus à duabus causis dependere adæquatè intensiuè, & inadæquatè extensiuè, implicatorium erit, quòd vna, & eadem natura creata adæquatè intensiuè dependens ab vna persona diuina, possit cum altera vniri, & ab illa dependere. Minor cum consequentia tenet: maior autem contra Vazquez *supra* à nobis tradita fuit. Et probatur: vt enim cum Diuo Thoma *infra quæstione 17. art. 2.* docent omnes eius discipuli, natura capax existentiæ non est, nisi prius per subsistentiam completa, ergo vt existat indiget personalitate complente ob suam imperfectionem. Quæ doctrina, etiam extra Schotam Diui Thomæ est communis quòad hoc, quòd natura creata ob suam limitationem indigeat ad existendum modo subsistentiæ realitèr à se distincto, quamuis subsistentiam personalem, non vt præviam ad existentiam, sed vt illa posteriorem constituant: ergo natura creata à propria personalitate dependet in existendo dependentia indigentiæ orta ex illius imperfectione; & consequentèr dependentia causali, & non purè terminatiua. S. Tho.

89. *Respondetur.*

Respondeo, concessis maiori, & minori, & prima consequentia, negando secundam, quæ subinfertur, quòd, nempè, non possit natura creata adæquatè intensiuè dependens ab vna persona diuina cum alia persona vniri, & ab illa dependere dependentia, aliqua ratione, causali. Ratio autem possibilitatis petenda est ex doctrina à Nobis tradita *disputatione præcedenti §. tertio*, vbi diximus, naturam creatam à propria personalitate recipere perfectionem existentiæ, & perfectionem incommunicabilitatis, & primam præstari à personalitate diuina, non ratione illius, quod explicat, sed ratione subsistentiæ absolutæ, quam implicitè includit. Secundam autem præstari à diuina personalitate ratione illius, quod explicat, & superaddit lineæ absolutæ. Cum ergo personalitates diuinæ, non distinguantur in perfectione existendi sub qua, vel ratione cuius terminant dependentiam causalem naturæ creatæ à propria personalitate, fit consequens, vt quamvis ab vna persona supponatur dependentia illa adæquatè intensiuè terminata, possit vlte-

rius terminari ab alia perſona, quia non terminatur ab illa ratione illius, in quo inter ſe diſtinguuntur, ſed ratione vnius, & eiuſdem omninò formalitatis, nempè, ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, quam in ſe implicitè includunt, & in illis non multiplicatur. Vndè, cum Caietanus, & illum ſequentes docent, naturam creatam non dependere à perſonis diuinis dependentia cauſali, ſed tantùm terminatiua, loquuntur de perſonis diuinis, prout præſtant naturæ incommunicabilitatem, qua ratione inter ſe diſtinguuntur; non autem, prout ratione perfectionis exiſtendi, in qua omnimodè conueniunt, illam capacem per ſe exiſtendi conſtituunt.

90. *Vrgebis adhuc.* Sed adhuc vrgebis: nam licet hæc ſolutio vera ſit, ſuppoſita noſtra ſententia aſſerente, perſonalitates diuinas non ſubſiſtere ratione ſui, ſed ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ; ſententia tamen contraria eſt probabilis, adhuc inter noſtros Thomiſtas, docentes, dari tres ſubſiſtentias relatiuas, ſumpta ſubſiſtentia, non ſolum pro perfectione incommunicabilitatis, ſed etiam pro perfectione independentiæ à ſuſtentante: ergo hac ſententia admiſſa, non poterit natura creata vnita vni perſonæ diuinæ alteri perſonæ vniri, & ab illa dependere. Patet conſequentia: non enim poteſt à pluribus, quatenus plura ſunt, dependentia cauſali adæquatè dependere; ſed dependentia naturæ creatæ à ſubſiſtentia, ſumpta pro per ſe exiſtentia, eſt cauſalis, vt conſtat ex dictis, & perſonæ ſic ſubſiſtentes ſunt plures, in ſententia ſuppoſita, ſiquidem iuxta illam perſonalitas diuina, ratione illius, quod addit ad eſſentiam, per ſe exiſtit perfectione independentiæ: ergo non poteſt natura creata ab vna perſona diuina dependens ab altera dependere: & conſequentèr vni ex perſonis vnita, non poteſt alteri vniri.

91. *Reſpondetur.* Reſpondeo, conceſſo antecedẽti, negando conſequentiam: Auctores namque aſſerentes, perſonalitates diuinas ratione illius, quod addunt ſupra lineam abſolutam, propria ſubſiſtentia gaudere dupliciter id defendunt. Primò, aſſerendo, quòd licet ſuperaddant ad lineam abſolutam perfectitatem exiſtendi; non tamen illam multiplicant: ſicut in eorundem ſententia non multiplicant perfectionẽ, quamvis ratione ſuperadditi ad eſſentiam, & lineam abſolutam, perfectionem importent, ſed omnes perſonalitates diuinæ, etiam quatenus relatiuæ, & prout diſtinctæ à perfectionibus abſolutis ſunt vna, & eadem perfectio.

92. Secundò aſſerendo, quòd licet perfectionem multiplicent, perfectamque exiſtendi, & independentiæ à ſubiecto ſuſtentationis; ſunt tamen omninò æquales, ita, vt paternitas v.c. neque excedat, neque excedatur à filiatione, & ſpiratione paſſiua, & taliter, vt quamvis vna illarum vnam tantùm perfectionem relatiuam dicat, & duæ relationes, proprietatesque perſonales duplicẽ perfectionem relatiuam importent, vna ſola ex relationibus æquiualeat omnib⁹ ſimul, & æquiualẽtèr omnes relationes ſint vna.

93. *Ad cõſequentiæ probationẽ iuxta primum modum.* Et iuxta primum modum dicendi, ad probationem conſequentiæ, cõceſſa maiori, nego minorem, nam licet quælibet perſonalitas per ſe exiſtat perfectione independentiæ à ſubiecto ſuſtentationis; non tamen per ſe exiſtit perfectione diſtincta ab illa, qua perſonalitas alia ſubſiſtit; ac proindè, licet plura ſint, quæ terminant dependentiam naturæ; non tamen vt plura illam terminant formalitèr, ſed quatenus vnum, & idem, pluralitate de materiali ſe habente. Quomodò autem ſtare poſsit, quòd perſonalitates diuinæ ratione illius, quod addunt ſupra lineam abſolutam, dicant perfectitatem independentiæ, & non multiplicent illam, ſicut rationem perſonalitatis, & independentiæ multiplicant, ipſis explicare, & defendere incumbit. Et quidem facile explicatu non eſt.

94. Iuxta ſecundum modum dicendi, ad conſequentiæ probationem reſpõdeo, diſtinguendo maiorem: ſi illa plura ſunt æquiualenter vnum, nego maiorem:

Ad probationē consequētiæ iuxta secundum modum.

iorem: si tali æquiualentia non gaudeant, concedo maiorem, & sub eadem distinctione secundæ partis minoris, nego consequentiā: sicut namque in prædicto modo dicendi, quamvis proprietates relatiuæ realitèr, & veluti specificè distinguantur inter se; sibi tamen æquiualent in essendo, & illarum quælibet omnibus in essendo æquiualet: ita etiam in terminando dependentiam naturæ omnes illæ æquiualentèr sunt vna: vndè, licet natura casu, in quo assumatur à pluribus personis simul, dependeat à causis formaliter pluribus; omnes tamen illæ causæ sunt æquiualentèr vna. Quomodò autem cum distinctione reali, & specifica, vel quasi specifica perfectionum, possit omnimoda æqualitas, & æquiualentia subsistere inter proprietates relatiuas diuinas, ipsis explicare, & defendere incumbit; semel tamen data cum prædicta distinctione inter relationes, & personalitates diuinas æquiualentia in essendo facilè defendi potest in terminando dependentiam naturę omnimoda æquivalentia.

§. VI.

Vltimum argumentum proponitur, & examinatur, an tunc casus vnica vnio, vel multiplex sit constituenda?

95. *Quintū argumētum.*

QVINTÒ arguitur: vt vna natura creata vniatur simul pluribus diuinis personis, & ab illis assumatur, necessariæ sunt tres vniones realitèr distinctæ inter se; sed non potest simul vniri tribus distinctis vnionibus: ergo nec potest simul vniri tribus personis diuinis, & ab illis simul assumi. Consequentia tenet, præmissæ autem indigent probatione. Maior ostenditur primò; nam multiplicato termino relationis, siuè transcendentalis, siuè prædicamētalis sit, necessariò multiplicatur relatio, cum specificetur ab illo; sed modus vnionis, quo natura vnitur personæ, illam pro termino respicit: ergo vna, & eadem vnio, non potest plures personas respicere, & consequenter, nec potest naturam creatam pluribus personis vnire. Deindè, vnio namque non minus à termino quam à subiecto dependet; sed non potest vnicus modus vnionis subiectiuè plures vnire naturas: ergo nec potest vnam naturam vnire pluribus personis diuinis.

Maior ostenditur 1.

Secundò probatur.

Tertiò.

Præterea, nam dependentia essentiali non potest vnus, & idem effectus à pluribus causis adæquatis dependere; sed dependentia vnionis à termino est dependentia essentialis, & quælibet ex diuinis personis est causa adæquata vnionis, qua ipsi vnitur natura: ergo non potest vnica vnio naturam creatam vnire cum tribus personis diuinis. Denique, nam quælibet persona diuina terminans naturam creatam, illi per vnionem distinctam vnitur: sicuti per distinctam personalitatem terminat naturam vnitam, illamque personatam constituit; vnio namque ex parte personæ diuinæ se tenens, est à propria personalitate indistincta: ergo etiam ex parte naturæ debet vnio distincta cōstitui in ordine ad distinctas personas; & consequentèr non potest vna, & eadem vnione natura creata vniri pluribus personis diuinis.

Vltimò.

96. *Minor probatur primò.*

Deindè minor argumenti probatur primò; nam si vnio, qua humanitas v.c. vniretur primæ personæ, esset realitèr distincta ab vnione, qua secundæ personæ vniretur, non posset humanitas assumi à secunda persona, quin etiam modus vnionis, quo esset vnita primæ, à secunda assumeretur; sed modo vnionis, quo vniretur primæ personæ, repugnat assumi à secunda: ergo, si vniones constituuntur distinctæ, non potest natura creata vnita vni ex personis diuinis, alteri personæ vniri. Minor cum consequen-

tia tenet; maior autem probatur: quia namque perſonalitas creata eſt modus naturæ, quam terminat, implicat, naturam creatam, propria ſubſiſtentia retenta, aſſumi à perſona diuina, quin etiam perſonalitas propria ab eadem perſona aſſumatur, vt ex dicendis *tractatu ſequenti* conſtabit; ſed vnio, qua humanitas vniretur primæ perſonæ, eſſet modus humanitati intrinſecus, illamque intrinſecè afficiens, vt conſtat ex dictis *ſupra*: ergo implicaret, humanitatẽ vnitam primæ perſonæ aſſumi à ſecunda perſona diuina, illique ſimul vniri, modo vnionis non aſſumpto.

97. *Secũdo probatur minor.* Secundò minor principalis probatur: etenim prædictæ vniones nõ poſſunt numero, vel ſpecie diſtingui: ergo nec poſſunt plures vniones realitèr diſtinctæ ſimul in natura creata conſtitui, quibus pluribus perſonis vniatur. Conſequentia tenet, nam diſtinctio realis inter duo, neceſſariò debet eſſe, vel numerica, vel ſpecifica, niſi generica ſit, de qua eadem eſt in præſenti, ac de ſpecifica diſtinctione difficultas. Antecedens pro prima parte conſtat primò; duo enim accidentia ſolo numero diſtincta non poſſunt in doctrina D. Thomæ eſſe ſimul in eodem ſubiecto, quod non ſolum verum eſt de accidẽtibus abſolutis, ſed etiam de reſpectiuis, vt communitèr ſentiũt Thomiſtæ, clareque ex doctrina Diui Thomæ colligitur negantis ex hoc principio, patrem ad diſtinctos filios referri per relationes diſtinctas: ergo nec duo modi ſubſtantiales, numero ſolum diſtincti, poſſunt eſſe ſimul in eadẽ numero natura, cum etiam modus naturam afficiens à natura indiuiduetur: qua ratione ductus Angelicus Doctor negat, poſſe duo accidentia ſolo numero diſtincta eſſe ſimul in eodem ſubiecto, quia, nempè, accidens indiuiduatur ab illo.

Primæ pars antecedentis probatur primò.

Secũdò. Secundò probatur: etenim extrema prædictarum vnionum nõ numero diſtinguuntur, ſed ſpecie, vel quaſi ſpecie, diſtinctioneque eſſentiali, nam perſonalitates diuinæ, quæ ſunt taliũ vnionum extrema, ſunt quaſi ſpecie diſtinctæ: ergo vniones ab illis ſpecificatæ non poſſunt ſolo numero diſtingui, ſed neceſſariò debent diſtingui ſpecificè, eſſentialique diſtinctione.

Deindè pro ſecunda parte probatur: ſi namque prædictæ vniones eſſent ſpecificè diſtinctæ, neceſſariò eſſe deberẽt ſpecificè inæquales: repugnat enim æqualitas inter ſpecies ſpecificè diſtinctas, vt communitèr ſupponunt Philoſophi ex Ariſtotele 7. *Metaph. textu* 5. vbi docet, quòd ſpecies ſunt ſicut numeri, inter quos nequit cũ æqualitate eſſentiali, ſpecifica differentia ſubſiſtere, & 10. *Metaph. textu* 5. vbi ab Ariſtotele aſſeritur, duas ſpecies ſub eodem genere contentas taliter inter ſe comparari, vt vna ſe habeat ſicut priuatio ad aliam propter imperfectionem, & alia propter perfectionem ſicut habitus ſe habeat: quæ doctrina vera eſſe non poteſt, ſi inter ſpecies diſtinctas ſit poſsibilis æqualitas; ſed implicat, prædictas vniones eſſe perfectionis ſpecificè inæqualis, cum ſubiectum illarum ſit idem, nempè, vna, & eadem natura creata; termini autem à quibus ſpeciem deſumerent, videlicet, perſonæ diuinæ, inæquales eſſe non poſsint in aliqua perfectione: ergo implicat, modos vnionis, quibus natura creata in prædicto caſu vniretur, ſpecificè diſtingui; diſtinctio namque relationum ſpecifica, ſiuè prædicamẽtalium, ſiuè tranſcendentalium deſumi debet à termino, vel à fundamento, aut ſubiecto.

98. *Secũda pars antecedentis probatur.* *Philoſ.*

Hoc argumentum à Recentioribus noſtris non tangitur, fortè, quia in myſterio Incarnationis non recognoſcunt vnionẽ realitèr ab extremis diſtinctam. Quamvis tamen prædicta ſententia admittatur, eadem ſupereſt difficultas; nam licet modus ſubſtantialis vnionis realitèr ab extremis vnitis diſtinctus probabiliter in hoc myſterio negetur; non tamẽ poſſunt Diſcipuli D. Thomæ negare relationem prędicamentalem, qua humanitas de nouo ad Verbum relata fuerit, cum eam tradat expreſsè Angelicus Doctor *q. 2. art. 7. in corpore*, & de huiuſcemodi relatione idem argumentum militet, quod de modo ſubſtantiali vnionis,

99. *Hoc argumẽtũ Recẽtiores Thomiſtæ nõ tangũt.* *Non euaditur difficultas, etſi modus vnionis negetur.*

S. Tho.

nionis; an, scilicet, casu, in quo humanitas vniretur simul trib⁹ personis diuinis, vnica relatione, vel pluribus ad illas cõpararetur? Si namque vna relatio afferatur, nõ obstante distinctione terminorum, poterit etiam, eadẽ distinctione non obstante, vnicus modus vnionis naturam creatam plurib⁹ personis vnire, cum non minus relatio prędicamentalis, quam transcendentalis à termino speciem desumat. Si autem in prædicto casu relationes prędicamentales multiplicentur, pluresque in natura creata admittantur, eadem difficultas insurgit, an, scilicet, distinguantur solo numero, an verò distinctione specifica, et si specie distinguuntur, an sint æquales in perfectione, vel essentialitèr inæquales, & quid quid de relatione prædicamẽtali asseratur, poterit accommodari modo vnionis realitèr ab humanitate distincto: vndè immeritò Zipullus *q. 2. art. 7. dub. 1. §. 3.* ducitur argumento facto ad negandum modum substantialem vnionis realitèr ab humanitate distinctum, cum, vt dixi, eadem difficultate prẽmatur, loquendo de relatione prędicamentali, quę negari in humanitate à Discipulis D. Thomę non potest.

Redarguitur Zipul.

100 *Prima solutio.*

Illi autem, qui vnionem realitèr ab extremis distinctam in mysterio Incarnationis ex parte naturę constituunt, variè argumento facto occurrunt. Frequentior solutio est, necessarias esse vniones distinctas realitèr, vt pluribus personis diuinis natura creata vniatur. Ita supponũt Suarez, Vazquez, alijq; Recẽtiores: de genere autẽ distinctionis inter prædictas vniones nõ disputãt; cũ verò distinctio vnionũ non aliundè, quã ex terminorũ distinctione sumatur, & hæc essentialis sit in terminis, consequentèr dicere tenentur, vniones terminatas ad illos specificè fore distinctas. An autem forent æquales, vel inæquales in perfectione essentiali, plures non tractãt, alij inconveniens non censent, inter specificè distincta esse omnimodam æqualitatem.

Primus modus explicã di solutionem.

101. Alij, etsi inter entitates completas specificè distinctas essẽtialẽ æqualitatem non admittant, inter modos verò incompletos, esto sint specificè distincti, æqualitatem admittere pro inconvenienti non habent, & potissimè inter prædictas vniones, quibus natura creata vniretur pluribus personis diuinis: cum enim illarum distinctio specifica sumatur ex personis terminantibus, & inter diuinas personas cum distinctione essentiali proprietatum personalium componatur omnimoda æqualitas, & negatio omnis inæqualitatis propter identitatem cum essentia diuina, vel illius essentialem inclusionem, quæ, quia infinita in omni genere est, non admittit in rebus cum ipsa identificatis, vel illam in se includentibus aliquam inferioritatẽ, sicut nec imperfectionem, fit consequens, vt in istis modis vnionis, tamet si specificè distinctis, omnimoda seruetur æqualitas, nec vna illarum ab altera excedi possit.

Secundus modus explicandi prædictã solutionem.

Alij denique non valentes intelligere inter entitates creatas completas, vel incompletas cum specifica distinctione æqualitatem in perfectione essentiali, asserũt, prędictos modos vnionis eo ipso, quòd sint specificè distincti, necessariò esse essẽtialitèr inæquales; quis autẽ alium excedat nõ posse ex terminis, vel ex subiecto desumi, sed pẽdere ex mera voluntate Dei, qui ex infinitis modis possibilibus specificè distinctis, quibus humanitas posset vniri, cuilibet diuinę personę, quos vellet, produceret. Ita Gaspar Hurtado *disput. 3. de Incarnatione difficult. 5. num. 27.* vbi addit, posse Deũ vno, & eodem numero modo distincto secundum speciem ab eo, quo de facto humanitas fuit vnita personalitati Filij illam vnire tribus diuinis personis: sicut vnus, & idem numero cognitionis actus potest plura obiecta specificè distincta essentialitèr respicere.

102. *Tertia explicatur.*

Gaspar Hurt.

Hæc tamen solutio, & modi illam defendendi, explicandique non placent. Et primus reijcitur primò; aduersatur enim communi Methaphysicorum sententiæ cum Aristotele *loc. cit. vbi supra* asserenti, non posse inter specie distincta inueniri essentialẽ

103. *Primus modꝰ dicẽdi reijcitur primò.*

æqualitatem, quod maximè verũ cẽſent inter entitates creatas, ſiuè completæ, ſiuè incõpletæ ſint. Quam ſententiam Philoſophi, & Methaphyſici non tam probant, quam vt principium manifeſtum ſupponunt ex Philoſopho *locis* in argumento *relatis*.

Secũdò. Deindè, nã ſi poſſent duæ naturæ ſpecificè diſtinctę omnimodè ęquales eſſe in perfectione eſſentiali, idem poſſet affirmari de naturis, quamvis genere diſtinctis; hoc autem dici non poteſt, aliàs non poſſet ratione naturali mõſtrari repugnãtia pluralitatis Deorum, quod communi Theologorum ſententiæ adverſatur. Quòd autẽ ſequatur, probo: ſi namque non repugnant duæ naturæ ſpecificè, aut genericè diſtinctæ æquales omninò inter ſe in perfectione eſſentiali, non eſt vndè repugnare poſsit, eſſe duo prima principia omninò æqualia inter ſe, quorum vnum ab altero non procedat; ſed conceſsis pluribus primis principijs, pluralitas Deorum cõceditur: ergo admiſſo, poſſe inter ſpecificè, & genericè diſtincta ſeruari omnimodã æqualitatem in perfectione eſſentiali, nõ eſt vndè poſsit ratione naturali cõuinci repugnãtia pluralitatis Deorũ.

104 *Secundus modus dicẽdi reijcitur primò.*

Deindè ſecundus modus dicendi, quem ſequitur Magiſter Prudentius *tract. 3 de Incarnatione. diſput. 1. dub. 1. ſect. 4. num. 102. & ſeqq.* reijcitur primò; nulla enim ratio ſufficiens diſcriminis poteſt inter naturas completas, & entitates modales, & incompletas conſtitui quoad hoc, quòd ſpecifica diſtinctio inæqualitatem inferat eſſentialem: ergo, ſi doctrina iſta tenet in naturis completis, quòd, nempè, inter illas cum diſtinctione ſpecifica, & eſſentiali, non ſtat eſſentialis æqualitas, non poteſt in entitatibus incompletis negari, ſed conſequentèr aſſerendum eſt, eo ipſo, quòd entitates modales eſſentialitèr, aut ſpecificè diſtinguantur, neceſſariò eſſe eſſentialitèr inæquales.

105 *Secũdò.*

Secundò reijcitur: nam quòd perſonę diuinę cum diuerſitate eſſentiali, vel quaſi eſſentiali proprietatũ perſonalium ſeruent inter ſe omnimodã æqualitatẽ, provenit, vel ex eo quòd perſonalitates Dei ratione illius, in quo diſtinguuntur, nõ importãt perfectionẽ, nec illã ſuperaddũt eſſentiæ; ac proindè ſecũdum illas non attẽditur æqualitas, vel inæqualitas inter diuinas perſonas, vt docet D. Tho. *1. p. q. 36. art. 4 ad 3. & q. 42. art. 4. ad 2.* Vel quia, licet ratione illius, quod explicant, & ſuperaddunt eſſentiæ, abſolutiſque perfectionibus, perfectionem relatiuam importẽt; includunt tamẽ in ſe ipſis eſſentiam diuinã, cũ qua non poteſt inferioritas, vel inæqualitas aliqua, ſicut nec imperfectio, componi; ſed nulla ex his rationibus militat in modis vnionis; vnio namque ſubſtantialis naturæ creatæ cum Deo perfectio maxima eſt. vt omnibus eſt in cõfeſſo, & aliàs modi prædicti non includunt in ſe ipſis aliquam vnam naturã, quæ ob ſui infinitatem non patiatur inæqualitatem perfectionis: ergo, ſi dantur modi vnionis ſpecificè diſtincti, debent eſſe inæquales in perfectione eſſentiali.

S. Tho.

106 *Modus vltimus impugnatur.*

Tandem modus vltimus dicendi reijcitur: nã licet ſit in poteſtate Dei ex eſſentijs poſsibilibus, quas voluerit producere; non tamen eſt conſtitutum in illius poteſtate variare rerum eſſentias, nec exceſſum perfectionis inter illas conſtituere: non enim eſt in poteſtate Dei, quòd homo Angelũ excedat, nec paritèr poteſt facere, quòd brutum excedat hominem: ergo exceſſus eſſentialis inter modos illos vnionis, non eſt reducendus in diuinam voluntatem, ſed aliundè debet penſari; at non eſt aſsignabile caput, vndè poſsit ſumi exceſsus, cum ſubiectum idem ſit, nempè, eadem natura, quæ vnitur, & cõſequentèr ex illa, nec diſtinctionem, nec exceſſum poſsint venari; termini autem à prædictis modis inſpecti non ſint inæqualis perfectionis, vt ex fide præſupponimus, qua credimus, tres perſonas diuinas æquales omninò eſſe: ergo non ſunt poſsibiles modi ſubſtãtiales vnionis naturæ creatæ cum diuinis perſonalitatibus inæquales in perfectione eſſentiali.

(.§.)

§. VII.

Traditur, & defenditur vera solutio.

107 *Secũda, & vera solutio. Doctrina probatur primò. Secũdò.*

VNdè, omissa hac solutione ad argumentum respondeo, casu, in quo tres personæ assumerent vnam naturam creatam, vnicum modum vnionis constituendum esse ex parte naturæ assumptæ. Quod patet primò ex dictis contra prefatos modos dicẽdi. Deindè, nã si modi vnionis essent in natura assumpta multiplicãdi propter distinctionem proprietatum personalium, quibus natura vniretur, nõ solum specie differrent, sed etiam genere distinguerentur, ita vt solũ analogam convenientiam haberẽt, quod contrarij Auctores nõ docent. Quod autem sequatur, patet; nam proprietates personales talitèr inter se distinguuntur, quòd non conveniunt genericè, sed tantùm convenientia analoga in ratione entis diuini transcendentis, & in ratione personalitatis vt sic, & personalitatis diuinæ: ergo, si ex illarum distinctione modi vnionis necessariò distinctionem acciperent, nõ solum specificè differrent, sed etiam genericè inter se distinguerentur, & solum analogica vnitate, vel convenientia gauderent.

108 *Deniq; ex Diuo Thom.*

Denique, quia est expressa sententia Angelici Præceptoris 3. *ad Annibaldum dist.* 1. *q. vnic. art.* 4. *ad* 3. quod ita procedebat: *Si tres personæ assumerent vnum, & eundem hominem, aut vna, aut pluribus vnionibus; sed non vnica, nec pluribus: ergo.* Cui argumẽto ita respondet: *Ad tertium dicendum, quòd vnio secundum rem, prout relatio est, esset vna ex parte humanæ naturæ, quia accidentia eiusdem speciei impossibile est in eodem multiplicare, &c.* Ex quibus verbis tale argumentũ cõficitur. Eadem ratio est quoad vnitatem, vel pluralitatẽ de relatione, qua humanitas, vt vnita, ad personam, cui vnitur refertur, ac de modo substantiali vnionis; sed iuxta D. Thomam si vna, & eadem natura vniretur simul tribus diuinis personis, relatio, qua ad illas, vt vnita, referretur, esset vna, & eadem numero: ergo modus substantialis vnionis, quo humanitas vniretur tribus personis diuinis, supposito, quòd sit realitèr ab humanitate distinctus, vnus, & idem numero esset.

109 *Nõ vrgent probationes maioris. Ad primam dicatur.*

Nec vrgent, quæ adducta sunt in probationẽ maioris, ad cuius primam probationem dicatur, veram esse maiorem, quando termini sunt distincti distinctione formali, falsam autem, quando in ratione termini, vel nõ differunt, vel solum materialitèr distinguuntur, qualitèr in nostro casu contingit: nam personalitates diuinæ terminant vnionẽ naturæ creatæ, prout illi præstant perfectatem existendi, & perfectatem incõmunicabilitatis: sub prima ratione non differunt, nam dictam perfectatem præbẽt ratione subsistentiæ absolutæ, quam in se includunt, & quæ in illis nõ multiplicatur, sed est eadem omninò; sub posteriori verò consideratione, prout, scilicet, præstant perfectatem incommunicabilitatis, etsi entitatiuè differant plus quam specificè; in ratione tamen termini nõ differunt distinctione formali, nam respiciuntur à natura creata, & à modo vnionis, quo natura ipsis vnitur, vt continẽtes eminentèr personalitatem creatam propriam naturæ, in qua ratione tres personalitates diuinæ conveniunt, solumque materialitèr distinguuntur. Quæ doctrina non potest in sententia D. Thomæ negari, qui, vt *proximè* dicebamus, relationem realem prædicamentalẽ, qua natura creata tribus personis vnita referretur ad illas, asserit, fore vnam numero; quia plura accidentia solo numero distincta non possunt simul esse in eodem subiecto, nec in illo, solo numero multiplicari: ergo apertè sentit D. Thomas, personas diuinas, prout terminant relationem prædicamẽtalem vnionis, non distingui distinctione formali, nam si ita distinguerentur; relationes, quibus illas natura respiceret, non numero, sed specie differrent, & consequentèr possent simul conve-

nire

nire naturæ: accidentia namque ſpecificè diſtincta poſſunt eſſe ſimul in vno, & eodem ſubiecto. Sed perſonæ terminant relationem tranſcendentalem vnionis eodem modo, quo terminant relationem prædicamentalē ſuper ipſam funditam: ergo in ratione termini modi vnionis ſubſtantialis ipſas tranſcendentaliter reſpicientis ſolum materialiter differunt: quę diſtinctio vnitati relationis non obſtat.

110. *Ad ſecundam.* Ad ſecundam probationem dicatur, veram eſſe maiorem, loquēdo de vnione quoad vnitatem, vel diſtinctionem ſpecificam; hęc enim à termino ſumitur, falſam autem quoad vnitatem numericam; hanc etenim, non à termino, ſed à ſubiecto relationem deſumere, eſt perpetua doctrina Angelici Præceptoris; quo circa ſemper negat, non poſſe plura accidentia, eſto reſpectiua ſint, eſſe ſimul in eodē ſubiecto, patremque non pluribus, ſed vnica relatione ad plures filios referri, docet D. Thom. *infra*, ne plures relationes prædicamentales ſimul in eodem numero ſubiecto inveniantur, & conceſſa minori, neganda eſt conſequentia, & inſtatur in relatione prædicamentali, quę non poteſt vna manēs plura ſubiecta referre, nec in illis ſubiectari; poteſt tamen, numerica vnitate ſeruata, reſpicere plures terminos materialiter diſtinctos, vt de relatione vnionis naturę creatę ad perſonā docuit Angelicus Doctor.

111. *Ad tertium.* Et ex his ad tertiam probationem, diſtinguo maiorem: ſi plures cauſæ adęquatę, vt plures formaliter, ab effectu reſpiciantur, concedo maiorem: ſi quamvis plures ſint, non tamen vt plures reſpiciātur, ſed prout in aliqua ratione conveniunt, nego maiorem, & conceſſa minori, diſtinguo conſequens: non poteſt vnicus modus vnionis vnire naturam creatam cum pluribus perſonis diuinis per dependentiam eſſentialem ab illis, formaliter vt plures ſunt, concedo conſequentiam: cum dependētia eſſentiali ab illis, prout in aliqua ratione cōveniunt, nego conſequentiam. Et quidē actus vitalis eſſentialiter à principio vitali depēdet, & actus ſupernaturalis eſſentialiter dependet à principio ſupernaturali; & tamen in ſententia noſtris Thomiſtis communi poteſt idē actus charitatis, qui elicitur medio habitu, elici mediante auxilio, quamvis auxilium tranſiens, & habitus eſſentialiter diſtinguantur, quia non procedit ab illis, quatenus diſtinctis formaliter, ſed prout conveniunt in tendentia ad idē obiectum, modo tendendi, per quem eſſentialiter diſtinguuntur, materialiter ſe habente per comparationem ad actum, quatenus ab illis procedit, & eſt effectus illorum.

112. *Ad vltimam.* Ad vltimam probationem maioris, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, & ratio diſcriminis eſt; nam vniones ex parte perſonarum ſe tenētes cum perſonis identificantur; ac proindè multiplicātur cum illis; vnio autem, qua natura creata vnitur perſonis, cum illis non identificatur, & aliàs illas reſpicit ſub ratione, in qua conveniunt: ex quo prouenit, vt ſpecie multiplicari non poſſit: vt enim ſpecie multiplicaretur, oportebat, vt illas reſpiceret, quatenus diſtinctas formaliter: & cum ex alia parte ſubiectum recipiens vnionem, nempè, natura creata, non multiplex ſit, ſed idem, non poteſt vnio numero multiplicari; ac proindè vnica, & eadem vnione vniretur pluribus perſonis diuinis. Et inſto argumentum in relatione prædicamentali, qua natura vnita reſpiceret tres perſonas, illi namque ex parte perſonarum plures correſponderent relationes, vt docet D. Thom. *ad Annibald. loco citato*; & tamen relatio ex parte naturæ ſe tenens eſſet vna, & eadē numero, vt *ibidē* Angelicus Doctor docet. Inſto etiā in relatione, qua pater ad plures filios refertur, quæ iuxta D. Thomam *in hac 3. p. infra q. 35. art. 5.* eſt vna, & eadem numero; & tamen ex parte filiorum talem relationem terminantium diuerſæ ſunt relationes, quod non aliundè prouenit, niſi quia illarum diſtinctio materialiter ſe habet, comparatione relationis, qua pater reſpicit illos.

S. Tho.

113. *Sed inſtabis 1.* Sed vrgebis, & inſtabis primo: vt enim docet D. Thom. *in hac q. art. 4.* ideò vna perſona diuina poteſt ſine

alia terminare naturam creatam, quia illam terminant ratione proprietatũ personalium, penès quas distinguuntur personæ: ergo sentit D. Thomas, personam v.g Filij terminare naturã humanam ratione suæ proprietatis personalis, prout à proprietate Patris distinctæ, & consequẽter terminat vnionem naturæ humanæ cum ipsa formaliter ratione illius, in quo distingui tur ab alijs proprietatibus personalibus, non autẽ ratione alicuius, in quo dictæ proprietates conueniant.

114. *Secũdò.* Deindè, nam filiatio v.c. ratione illius, in quo distinguitur à paternitate, terminat naturam diuinam, aliàs non constitueret personam à Patre distinctam; sed est potens terminare naturam creatam ratione eiusdẽ, quo diuinam terminat naturam: ergo est potens terminare creatam ratione illius, ratione cuius à paternitate distin guitur, & consequenter etiam vnionẽ naturæ creatæ cum ipsa terminare po test, & de facto illam terminat, prout distincta à paternitate.

115. *Tertiò.* Præterea, quia namque pater creatus omnes filios à se genitos respicit relatione paternitatis, non prout distinctos formaliter, sed prout in aliqua ratione conuenientes, non potest non respicere illos, suppositò, quòd existant: ergo si modus vnionis, quo natura creata vnitur personæ diuinæ, non respicit illam formaliter, prout ab alijs distinctam, sed prout cõuenit cum illis, non poterit non respicere omnes diuinas personas, & consequẽtèr non poterit natura creata vni ex personis diuinis seorsim ab alia vniri.

Vltimo. Denique, nam sequitur ex doctrina à Nobis tradita, humanitatẽ semel cũ diuino Verbo vnitam posse successiuè alijs personis vniri ex vi eiusdẽ mo di vnionis: consequens est falsum: ergo & tradita doctrina. Sequela patet: quia namque Pater creatus omnes filios à se genitos respicit, prout conue nientes in vna ratione terminandi paternitatem, vna, & eadem relatione, qua Filium primogenitum respicit, successiuè refertur ad filios secundò genitos: ergo si vnio humanitatis cũ Verbo respicit personam Verbi, non prout ab alijs distinctam, sed sub ratio ne, in qua conuenit cum alijs perso nis, poterit humanitas semel cum diuino Verbo vnita ex vi eiusdem modi vnionis successiuè alijs personis vniri. Quòd autem consequens sit fal sum probatur: sicut enim non potuit humanitas absque sui mutatione vniri personæ Verbi, vt *tract. præced.* docuimus: ita nec potest de nouo alteri personæ vniri, quin de nouo mutetur intrinsecè, cum in vtroque ea dem militet ratio; sed si ex vi eiusdem vnionis successiuè secundæ personæ vniretur, ex vi huiusce modi vnionis non mutaretur de nouo, cum nulla forma daretur de nouo illi superve niens, quod necessum erat, vt de nouo mutaretur intrinsecè: ergo non po test humanitas, aut quævis alia natura semel cum vna persona vnita successiuè alteri vniri ex vi eiusdem modi v nionis, quo primæ personæ vnitur.

116. *Ad primã replicam respõdetur.* Respondeo ad primam replicam, concessa doctrina D. Thomæ, & prima consequentia, distinguendo consequens subillatum: terminat Verbũ habitudinem vnionis, qua humanitas ipsi vnitur, ratione illius, in quo distin guitur ab alijs personis reduplicatiuè, & formalitèr, nego cõsequentiã: materialiter, & specificatiuè, concedo consequentiam. Itaque ratio *quæ* terminans immediatè ex parte Verbi vnionem humanitatis cũ ipso est personalitas Verbi distincta ab alijs perso nalitatibus: cæterũ ratio *qua* termi nandi est cõtinentia eminentialis personalitatis propriæ humanitatis, quæ ad illam esset cõsequutura, nisi à Verbo impediretur: & quia in hac continentia eminentiali personalitas Verbi conuenit cum alijs formaliter, fit, vt ratio terminandi non sit id, in quo distinguitur, sed id, in quo cum alijs personis conuenit, non quidem conuenientia reali, sed conuenientia rationis.

Ad secũdam. Et ex his ad secundam replicam constat solutio; solum enim sequitur, filiationem terminare habitudinem vnionis, qua humanitas ipsi vnitur ratione illius, ratione cuius terminat na turam diuinã, vt rationis *quæ* termi-

nantis,

nantis, non autem vt rationis *qua* terminandi prædictam habitudinem, sed hæc est continentia eminentialis personalitatis creatæ, in qua filiatio cõuenit cum alijs personis: sicut de ratione terminandi relationem prædicamentalem, qua natura creata personę diuinæ vnita ad ipsam prædicamentaliter refertur, necessariò discurrendũ est in doctrina D. Thomæ, vt constat ex dictis.

117. *Ad tertium.* Ad tertiam, distinguo antecedẽs: ly *quia* dicente causam adæquatam, nego antecedens: causam inadæquatam, concedo antecedẽs, & nego cõsequentiam; disparitas autẽ est, nam eo ipso, quòd à Patre alij filij generentur, adsunt omnia connotata requisita, vt paternitas, qua primum respiciebat filium, extendatur ad alios, & ideo, illis existentibus, necessariò ad illos extenditur prima relatio. Nam connotata requisita, vt prima relatio de nouo extendatur ad filios secundò genitos, est illorum existentia pro termino, & genitos esse ab eodem parente ex parte fundamenti, quæ omnia adsunt eo ipso, quòd de nouo filium aliquẽ generet; & idcirco eo ipso quòd de nouo filium generet, necessariò ad illum præexistens relatio extenditur; secus in nostro casu opposita de causa contingit, nam connotatum exactum, vt vnio, qua humanitas vnitur vni personæ, illam cum altera nectat non est sola existentia alterius personæ, sed insuper actio vnitiua humanitatis cum illa: & quia hæc de facto nõ datur, ideò modus vnionis, quo humanitas, Verbo vnitur, non terminatur necessariò ad alias personas diuinas.

118. *Ad vltimam obiectionem respõdetur primò.* Ad vltimam obiectionem respondeti potest primò, cõcedendo sequelam, & negando minorẽ, ad illius probationem, nego maiorem; disparitas autem est, nam cum natura creata primò, personæ diuinæ vnitur, adest terminus formalis novus respectus trãscendentalis, quem vnio dicit ad personam terminantem, & ideo non potest primò, diuinæ personę vniri per nouitatem solũ denominatiuam absque nouitate entitatis, & consequenter nõ potest prima vnio cum aliqua persona diuina dari in natura creata absque intrinseca illius mutatione; semel tamen cũ vna persona vnita, cum de nouo alteri personæ vnitur, nõ additur terminus formalis novus, sed solum novus terminus materialis; & idcirco absque nouitate entitatiua cum sola nouitate denominatiua potest præexistens vnio de nouo ad secundã personam extendi, & consequenter potest humanitas de nouo secundæ personæ vniri absque sui physica mutatione. Et insto manifestè argumentum in sententia communi Thomistarum: ipsi namque ex eo quòd subiectum, quod antea non referebatur, de nouo, primò referatur ad terminũ, quem antea non respiciebat, inferũt, subiectum physicè per relationẽ prædicamentalem mutari, & indè vlterius colligunt, relationẽ prædicamentalem distingui realiter à fundamẽto; & tamen ex eo quòd pater relatus ad primum filium, secundum de nouo respiciat, realem mutationem in patre nouitèr ad secundum filij relato non inferunt, nec nouitatem intrinsecam entitatiuam, sed solum nouitatẽ denominatiuã. Cuius rei nullũ aliud discrimen potest constitui, nisi quia in primo referri adest novus terminus formalis; in secunda verò extensione, qua pater ad filium secundò à se genitum refertur, non nisi terminus novus materialiter superadditur: pariter ergo in præsenti.

119. *Secũdò respondetur.* Secundò respõderi potest, negando sequelam, ad cuius probationem respondeo primò, negando antecedens, nam licet pater creatus vna, eademq; relatione omnes filios à se genitos respiciat, eo quòd duo accidentia solo numero distincta non possunt simul in eodem subiecto existere, vt docet D. Thom. *infra q. 35. art. 5. in corpor.* cum autem post primam generationem advenit secundus filius, advenit etiam secũda relatio, per quã pater ad primum, & secundum refertur, & prima relatio corrumpitur per adventum perfectioris relationis: vndè non respicit filios genitos post primum eadem numero relatione, qua

S. Tho.

ad

ad primum referebatur, sed relatione distincta nouitèr superueniente. Iuxta quam doctrinam consequentèr in nostro casu est dicendum, vnionem, qua humanitas fuit diuino Verbo vnita, si de nouo alteri personæ vniretur, corrumpendam forè per adventum perfectioris vnionis, qua simul vtriquè personæ vniretur; etsi potè vnionem cum duabus, successiuè vniretur cum tertia, idē, & eadem ratione eueniret, nempè, quòd prima vnio, qua erat duabus personis vnita, destrueretur per adventum perfectioris vnionis, per quam vniretur cum tribus.

120. *Ad probationē sequelæ respondetur secundò.*

Vel secundò ad probationem sequelæ respondeo, negando vt adæquatam, cautalem antecedentis; sed ideò paternitas prius existens, qua pater ad primum filium refertur, ad filium secundò genitum invariata intrinsecè perseuerans extenditur, quia nihil entitatis intrinsecæ illi deest, vt ad secūdum filium extendatur, sed solum cōnotatum extrinsecum, nempè, secundi filij existentia: vndè, illa posita, prima relatio invariata manens entitatiuè, ad secundum filium extenditur; vnioni autem, qua humanitas cum prima persona vnitur, non convenit omnis entitas intrinseca requisita, vt ad secundam personam successiuè extendatur: & ideò vel noua vnio à præexistēte individualiter distincta, illaq; perfectior requiritur, vel præexistentis vnionis noua, & intrinseca perfectio, si fortè est possibilis. Quòd si huius discriminis petas rationem, ea est, nam vt humanitas cum vna persona vnita, alteri de nouo vniatur, requiritur noua actio productiua, & cum terminus per huiusmodi actionem productus sit vnio, requiritur noua vnio nouitate substantiali, vel accidentali; ac proindè in prima vnione non erat, quidquid entitatis requiritur, vt humanitas secundę personę vniretur. Vt autem relatio prius existens, qua pater ad primum filium refertur, secundum filium respiciat, non est necessaria actio relationem producens, sed tantùm producens terminum; ac per consequens nouitas entitatiua in relatione necessaria nō est, sed sufficit nouitas solum denominatiua, vt patrem ad secundum filium referat.

121. *Alia solutio tertiæ obiectionis.*

Ex dictis ad hanc obiectionem habetur alia tertiæ obiectionis solutio, negando antecedens, quòd, scilicet, pater creatus ex vi primæ relationis, qua ad primum filium refertur, necessariò omnes filios à se genitos respiciat: licet enim nunquam duę relationes simul existant in illo, eo quòd duo accidentia solo numero distincta non possunt simul eidem subiecto inesse; non tamen prima relatio extenditur ad filios de nouo genitos, nec patrem refert ad illos, sed prima relatione destructa per adventum relationis perfectioris, ex vi istius ad primum, & secundum refertur, vt constat ex dictis in secunda solutione quartæ obiectionis: vndè ex nostra doctrina non sequitur, humanitatem ex vi vnionis, qua cū prima persona vnitur, necessariò vniri cum alijs.

122. *Solutio quartæ obiectionis, & hucusq; dicta impugnantur.*

Sed adhuc contra primam solutionem quartæ obiectionis, & hucusque dicta instabis: in vnione cum secunda persona adest novus terminus formalis, respectus transcendentalis, quem vnio ad personam dicit: ergo non potest humanitas de nouo secūdæ personę vniri absq; intrinseca mutatione, nouitateque entitatiua. Consequētia tenet ex dictis; antecedens autem probatur, nam secundam vnionem terminat secunda persona, prout à prima reduplicatiuè distincta; sed personalitas vnius personæ distinguitur à personalitate alterius formaliter: ergo persona, cui secundò vnitur humanitas, terminat illius vnionem, prout formaliter ab alia persona distincta, & consequenter in vnione, qua secundæ personæ vnitur, adest terminus formalis nouus, respectus transcēdētalis vnionis. Maior probatur: terminat secundam vnionem sub ea ratione, sub qua secūdam personam cōstituit, cum vnio sit personalis; sed constituit secundā personā reduplicatiuè, prout ab alijs personis distincta, cum persona ex secunda vnione resultās sit in ratione personæ distincta ab alijs formaliter, quod saluari non potest, nisi personalitas, cui secundò vnitur natura, prout ab

alijs

aliis personalitatibus distincta, secundum personam constituat: ergo personalitas, cui secundo humanitas vnitur, terminat secũdam vnionem, prout distincta ab aliis personalitatib⁹ reduplicatiuè, & formaliter, & cõsequẽter est in ratione termini vnionis formaliter distincta à termino, cui primò vnitur humanitas.

123. *Respondetur.* Respondeo, negando antecedens, ad probationem nego maiorem, ad illius probationem distinguo maiorẽ: sub eadem ratione *quæ*, cõcedo maiorem: sub eadem ratione *sub qua*, nego maiorem, & concessa minori, nego cõsequẽtiam: cum enim personalitas patris vnita eidem naturæ, cui personalitas filij præsupponitur vnita, distinctã constituat personam ab ea, quam personalitas filij constituit, concurrit ad constitutionem personæ reduplicatiuè vt ab illa distincta; quia tamen humanitas est vnibilis vtrique personalitati, quia continent eminenter personalitatem propriam, respicitur vtraq; ab humanitate vt vnibili ratione huius continentiæ formaliter: & quia in hac continentia personæ diuinę conueniunt, nõ respicit illas vt distinctas reduplicatiuè, & formaliter, sed tantum materialiter, & specificatiuè. Et idem de vnione humanitatem vniente est dicendum, quòd, nempè, nõ respicit personas diuinas formaliter prout distinctas, sed prout in prædicta ratione conuenientes. Cuius rei aliquale exemplum habemus in vnione, qua materia substantialis, formæ substãtiali vnitur, quę in plurium sententia est vna, & eadẽ respectiuè ad omnes formas, & consequenter illas respicit materia vt vnibilis, non vt distinctas reduplicatiuè, sed vt in aliqua ratione conueniunt; & tamen formę ad constitutionem totius resultãtis ex illis, & materia, concurrunt reduplicatiuè, vt distinctæ, aliàs totum ex materia, & vna forma substantiali cõpositum non distingueretur à toto, quod materia cũ alia forma componeret. Paritèr ergo in præsenti distinctio personalitatum, quæ formaliter comparatur ad personę constitutionem, materialiter se habet ad terminandam habitudinẽ vnionis: & ideò non potest vniones multiplicare.

§. VIII.

Secunda pars disputationis resolvitur.

CIRCA Secundum, quod in hac disputatione vocauimus in examen, an, scilicet, vna persona diuina possit simul plures naturas assumere, omnes Theologi conueniunt in sentẽtia affirmatiua. Et probatur ratione D. Tho. ad hanc formam redacta: nã vis assumptiua non comprehensa ab vna natura potest simul ad aliam extẽdi; sed vis assumptiua conueniens diuinę personæ non comprehenditur ab vna natura creata: ergo potest simul cum illa aliam naturam assumere. Cõsequentia tenet, maiòr est certa: nam eo ipso quod vis assumptiua non comprehendatur ab aliqua vna natura, nõ adęquatur cum illa; ac proinde illam excedit: ex quo vlterius fit, vt possit ad aliam assumendam extendi. Minor autem probatur: nam vis assumptiua naturæ creatæ conuenit personæ diuinæ ratione omnipotentiæ, vt principij assumptionis, & ratione personalitatis vt termini; sed nec omnipotentia, vt principium activũ, nec personalitas, vt terminatiua comprehendi possunt ab vna natura creata, cum omnipotentia, vt activa, & personalitas, vt terminatiua sint infinitæ, & natura creata finita; infinitum autem à finito comprehendi non possit: ergo vis assumptiua competẽs diuinæ personę non comprehenditur ab vna natura creata, & consequenter extendi potest ad simul cum illa aliam assumẽdam naturam.

124. *Omnes Theologi in sententia affirmatiua cõueniunt.* *Ratione D. Tho. probatur.*

125. *Respondebis primò.* Respõdebis primò, quòd licet hac ratione probetur, nõ repugnare, quãtum est ex parte personæ, simul assumere plures naturas creatas; non tamen probari, quòd non repugnet ex parte naturæ assumendæ, simul cum

alia

Reiicitur prima.
S. Tho. S. Aug.

alia assumi ab vna persona. Sed cõtra primo: vt enim docet D.Tho. *artic.6. istius quæst.in corp.* ex August. *epist.ad Volusianum*, in Mysterio Incarnationis tota ratio facti est potentia facientis, & consequenter ad iudicãdum, an aliquid sit possibile, magis attendendum est ad conditionem personę assumentis, quam ad conditionem extremi assumptibilis, nisi ex parte illius aliqua repugnantia, vel implicatio involvatur; sed ex parte naturę creatæ assũptibilis à persona diuina, non potest implicatio assignari coincidẽdi cum alia natura simul in eadem persona: ergo, cum aliàs non repugnet ex parte personæ assumentis, vt ratio D.Tho. suadet, asserẽdum est possibile, quòd vna persona diuina simul assumat plures naturas creatas.

126. *Secũdò.*

Secundò, nam quòd non repugnet ex parte naturæ creatæ, cũ alia simul, ab vna persona assumi, & cum illa simul in eadem persona coincidere, supponit D.Tho. ex Mysterio Incarnationis, in quo de facto natura creata coincidit cum natura diuina in eadem Verbi persona: ex quo euidenter colligitur, non posse illi repugnare conueniẽtiam in eadem persona cum alia natura creata, cum magis distent creata, & increata natura, quã duę naturę creatę.

127. *Respõdebis secũdò.*

Respondebis secundò, vim terminatiuam conuenientem personę diuinę, quamuis infinita sit, & consequenter incõprehensibilis à natura creata; posse tamen à natura increata, infinitaq; comprehendi. Cum ergo personalitas diuina terminet naturam Dei, quę increata est, infinitaque per essentiam, comprehẽdetur ab illa; ac proinde ex infinitate vis terminatiuę conuenientis diuinę personę nõ probatur, posse simul assumere plures naturas creatas: sicut potentia generatiua Patris, quamuis infinita sit, cum termino infinito adequatur, ab illoque comprehẽditur, nempè, cũ Filio à se genito: quo circa nõ potest Pater alium filium generare.

128. *Sed contra.*

Sed contra; nã ratio Angelici Præceptoris supponit, personalitati diuinę competere vim terminatiuam, nõ solum ad intra, respectu naturę Dei, sed etiam ad extra per comparationẽ ad naturam creatam: quę suppositio est de fide, qua credimus, de facto personalitatem Verbi terminasse naturã humanam; sed hęc vis terminatiua ad extra est infinita, & consequenter incomprehẽsibilis à natura creata in terminando: ergo ex hoc, quòd vnam terminet, non impeditur, vt simul terminet aliam, & plures in infinitum. Quod amplius explico, & confirmo in hunc modum; quia namque diuinæ omnipotentię præter vim productiuam ad intra conuenit vis ad extra productiua, & hęc virtus infinita est, non potest in producẽdo exhauriri ab aliquo effectu creato, & ab illo comptehendi: ex quo rectè arguitur, posse, vno effectu producto, simul producere alios; sed personalitati diuinæ præter vim terminatiuam ad intra convenit vis ad extra terminatiua infinita, & cõsequenter inexhauribilis, & incomprehensibilis ab aliqua natura creata: ergo ex hoc, quòd vnam terminet, nõ tollitur, quòd simul terminet alias.

129. *Instãtia nõ est ad rem.*

Et ex his constat, non esse ad rem instantiam potentiæ generatiuæ, quæ in fauorem solutionis adducitur: hęc namque, sub denominatione potentiæ generatiuæ, non convenit Deo per respectum ad creaturas, quæ infinitè distant ab ipso; & consequenter nequeunt illi assimilari, in natura, vel essentia similitudine vniuoca, & specifica, quod necessarium erat, vt ab eo generari possent, & ad illas extendi potentia Dei generatiua, sub hac denominatione, sed tãtum competit Deo per comparationẽ ad intra: & cum intra Deum habeat terminum per essentiam infinitum, videlicet, Filium genitũ, adæquatur cum illo potentia generatiua intensiuè, & extensiuè, ab illoque comprehenditur; sed vis terminatiua competens personalitati diuinæ in ratione talis, non solum illi conuenit per respectũ ad intra, sed etiam per comparationem ad extra, nempè, in ordine ad naturas creatas, à quib⁹, quia finitæ sũt, adæquari, & comprehendi nõ potest: ergo exemplum potentiæ generatiuę

in fauorem solutionis adductum omninò præter rem est.

130 *Respõdebis tertiò.*

Respondebis tertiò, personalitatẽ diuinam pro eo, quod addit supra essentiam, & ad lineam absolutam, nõ dicere perfectionem in frequentiori Thomistarum sententia; ac proindè, sub hac consideratione, non potest esse finita, nec infinita: ex quo vlterius sequitur, minus benè ex ratione infinitudinis personalitatis diuinæ, ab Angelico Doctore probari, quòd possit simul plures terminare naturas.

131. *Sed contrà.*

Sed contra: nam vt personalitas diuina gaudeat vi terminatiua infinita, non requiritur, quòd sit infinitæ perfectionis: ergo, quamvis pro eo, quod addit ad essentiam, & ad lineam absolutam, perfectionem non importet, potest ratione illius, quod essentiæ superaddit, vi infinita in terminando gaudere; ac proindè, etiam illa sententia supposita, efficacia rationis Angelici Præceptoris subsistit. Antecedens ostenditur primò: solum namque in linea explicante, vel dicente perfectionem, petit infinitas perfectionem infinitã: vndè, quia offensa grauis cõtra Deũ irrogata nõ spectat ad lineam importantẽ perfectionẽ, infinitas grauitatis offensæ nõ est infinitas perfectionis, nec in illa infinitam perfectionẽ supponit, cum offensa in quantum talis nullam perfectionem dicat; sed vis terminatiua personalis ex suo cõceptu perfectionem non importat, vt in sententia allegata supponitur: ergo infinitas virtutis personalis terminatiuæ infinitatem perfectionis non petit; & consequentèr, vt personalitas diuina pro eo, quod addit ad essentiam, & ad lineam absolutam, sit virtutis in terminando ad extra infinitæ, nõ est necessarium, quòd sic sumpta sit infinitæ perfectionis.

132. Secundò probatur idem antecedens: vt personalitas diuina pro eo, quòd addit ad essentiam, sit inexhauribilis ab omni natura creata, non petitur, esse sub illo conceptu infinitæ perfectionis; sed in hoc consistit infinitudo in terminando: ergo ad hanc infinitatem saluandam infinitas perfectionis necessaria non est. Consequentia tenet, minor cõstat, nam, isto modo infinitatis admisso, cõsequitur D. Thomas intentum, quòd, scilicet, possit eadem persona diuina plures simul terminare naturas creatas. Maior autẽ probatur: quod sufficit vt personalitas sit inexhauribilis à natura infinita, à fortiori est sufficiens, vt exhauriri nequeat à natura limitata; sed quamvis personalitas diuina pro eo, quod addit ad essentiam, & sub expresso personalitatis conceptu, perfectionem non dicat, nec infinitæ perfectionis sit, nõ exhauritur vis eius terminatiua extensiuè à natura increata, quandoquidem ex terminatione illius non impeditur, vt possit naturã creatã terminare: ergo quamvis sub prædicto conceptu infinitudinem perfectionis non explicet, erit ratione illius inexhauribilis à natura creata in ratione terminantis, & cõsequentèr, vt sit inexhauribilis ab omni natura creata in ratione terminantis, & isto modo infinita, non exigitur, vt sub illo conceptu infinitæ sit perfectionis. Maneat ergo vis rationis D. Thomæ in concussa, & firmum, posse vnam personam diuinam simul assumere plures naturas creatas, in quo, vt dixim⁹, omnes Theologi, nullo, quem viderim, dissentiente, conueniunt.

133. *Pictus difficultatis explicatur.*

Quod ergo difficultatem non modicam ingerit, est, an casu, in quo vna persona diuina duas v.c. humanitates assumeret, esset dicenda vnus homo, an duo homines? De quo D. Thom. *in præs. art. solut. ad 2. arg.* Prima sententia docet, in eo casu, nec dicendam esse personam assumentem vnum hominem, nec plures homines propriè, & simpliciter; impropriè tamen, & secundum quid, posse plures homines dici. Pro hac refert Vazquez *1. p. disp. 155. cap. 1.* Richardum *in 3. dist. 1. art. 1. q. 5.* illã tenet Durand. *in eadẽ distinct. q. 3. solut. ad 3.*

Prima sẽtẽtia. *Vazq. Richar. Durãd.*

134. *Reiicitur.*

Hæc tamen sententia displicet cõmuniter Theologis, eo quòd in prædicto casu persona diuina duas humanitates assumens esset naturæ humanæ propriè, & simpliciter, propriè; & simpliciter homo: ergo vel propriè, & simpliciter esset vnus homo,

vel

vel propriè, & simplicitèr plures homines. Antecedens est certum, & cõsequentia patet; nam vnum, & multa adæquatè diuidunt ens, & omnia eius inferiora: ergo quod continetur simplicitèr sub aliqua entis natura, debet esse sub illa, vel simpliciter vnum, vel simpliciter multa; & consequentèr necessariò est, asserendum personam diuinam plures assumentem humanitates simul, esse simpliciter vnum hominem, vel simplicitèr plures homines.

135. Secunda sẽtẽtia. *Scotus. Castillo.*

Secunda sententia docet, eo in casu personam diuinam dicendam esse plures homines simplicitèr. Hanc tenet subtilis Scotus *in 3. dist. 1. q. 3. & in 1. dist. 12. q. 1. §. iuxta quæstionẽ istam*, Scotum sequitur Franciscus del Castillo *disp. 6. de Incarnatione q. 3. n. 12.* pro illa referens alios Scotistas. Eandem sententiam tenet Vazquez *1 p. disput. 155. cap. 4. & 5.* pro illa referens Altisiodorensem *lib. 3. summ. tract. 1. cap. 1.* & Capreolum *in 1. dist. 4. q. 1. art. 1. ad 1. argum. Aureoli contra 5. conclus.* Vazquez sequuntur Gaspar Hurrado *disp. 3 de Incarnat. difficult. 7.* & Martinus Perez *disp. 10 sect. 1.*

Vazq. Altisiod. Capreol. Gaspar Hurt. Mart. Perez.

136 *Vera sẽtẽtia eligitur. Ferrar. Caiet. Medin. Aluar. Cabrer. Nazar. Araujo. Lorca. M. S. T. Zippul. Prudet. Marsil. Gabriel. Faber. Scot.*

Tertia, & vera sententia defendit, personam diuinam duas humanitates assumentẽ, non esse dicẽdam duos homines, sed vnum hominem. Hanc tenent Ferrara 4. *Contra gentes cap. 1.* Caietanus, Medina, Aluarez, Cabrera, Nazarius, & Illustrissimus Araujo *in præsenti art. 7.* Lorca *disp. 31. num 9.* Reuerẽdissimus Sancto Thoma *disp. 6. art. 3.* Zippullus *art. 7. dub. 1. §. 2. cõclus. 1.* & nouissimè Prudentius *tract. 3. disp. 2. dub. 4. sect. 3.* Tenent etiam ex antiquioribus Marsilius *in 3. q. 2. art. 3. dub. 2.* & Gabriel *in 3. dist. 1. q. 2. art. 3. dub. 4. ad secundam rationem.* Quibus ex Discipulis Scoti adhæsit Philippus Faber *in 1. Sentent. dist. 12. disp. 41. cap 4. in fin. & in 3. dist. 1. disp. 5.* pro illa referens Scotum *in 3. dist. 6. q. 1. ad 1. & quodlibeto 11. art. 6. in vltimis verbis.* Eandem sentẽtiam sequuntur ex Patribus Societatis Suarez *disp. 13. sect. 3* Granadus *cõtrou. 2. de Incarnat. tract. 5. disp. 2. n. 3.* Becanus *de Incarnatione cap. 4. q. 4. conc. 2.* Albertinus *corollar. 5. Theologico ex prædicamento substãtiæ dubit. 3* Arriaga *disp. 27. sect. 3. n 22. & seqq.* Cardin. Lugo *disp. 3. sect. 3.* & Bernal *disp. 24. sect. 2. §. 4.* singulariter addens, duas humanitates, tunc casus, duo concreta hominis cõstituere, & cõsequẽter duos homines. In quo parũ consequẽtèr videtur procedere; si namq; ex personalitate diuina, & duplici humanitate duo concreta hominis, & duo homines resultãt, sequitur, duos homines esse de persona diuina enuntiandos; & consequentèr personam diuinam in eo casu, non vnũ, sed duos homines esse, cuius contrarium docet Bernal cõmuni sententiæ adhærens. Probatur sequela: nã vtraq; humanitas prædicaretur in concreto de persona diuina: ergo si ex illis duplex concretũ hominis resultaret, duplex concretum hominis prædicaretur de persona assumente; & consequentèr, non vnus, sed duo hominis esset.

Arriag. Cardin. Lugo. Bernal.

Inconsequentiæ redarguitur Bernal.

137 *Respondet Bernal.*

Respondet prædictus Auctor, personam diuinã posse dupliciter accipi: primò, prout in sua naturali constitutione, quatenus ex proprietate personali, & diuina natura cõstituitur diuina persona: secundò, prout in sua cõstitutione præternaturali, quatenus ex proprietate personali, exclusa, vel nõ intellecta diuina natura, & ex humanitate resultat persona humana: & de illa primo modo sumpta prædicari accidẽtaliter esse hominẽ: vndè homo in tali prædicatione est concretũ accidẽtale, & quia concreta accidentalia numerum, vel vnitatem à supposito adæquatè venantur, fit cõsequens, vt homo de persona diuina sic accepta singulariter prædicetur, quamvis humanitates sint plures. In secũda verò acceptione homo prædicatur de persona diuina essentialitèr, nõ minus, quã de Petro, & alijs personis creatis, & cõsequentèr in hac considetatione est cõcretũ substantiale: & quia concreta substantialia numerum, vel vnitatem adæquatè accipiunt à forma, vel natura, quam directè significant, fit consequens, vt de persona diuina accepta in sua præternaturali cõstitutione terminante duas humanitates, nõ

singulariter, sed pluraliter prædicetur esse hominem.

138 *Rejicitur prædicta solutio primo.*

Sed contra hanc solutionem facit primò: vt enim homo de persona diuina sub prima consideratione prædicaretur singulariter, & in secunda pluraliter, necessum erat, quòd in prima sumeretur adiectiuè, & substantiuè in secunda; sed in nulla sumitur adiectiuè: ergo vel in vtraque prædicatur singulariter, vel in vtraq; pluraliter. Cõsequentia tenet, minor videtur constans; nam licet plures asserant, humanitatẽ de Verbo diuino prædicari accidentaliter; nullus tamen docuit, hominem, prout de Verbo dicitur, adiectiuè prædicari, aliàs prædicatio ista: *Verbum diuinum est homo*, esset eadem cum hac: *Verbum est humanum, vel est humanatum.* Maior autem probatur: vt de personis diuinis, *Omnipotens*, & *Æternus* singulariter, & pluraliter prædicentur, necessum est, quòd substantiuè, & adiectiuè accipiantur, vt fatentur omnes Theologi: ergo pariter, vt de diuina persona homo diceretur singulariter, & pluraliter in prædictis cõsiderationibus, necessum erat, quòd ly *homo* in vna sumeretur adiectiuè, & in alia substantiuè acciperetur, cuius ratio est; quia, vt varietur appellatio in terminis numeralibus, non attẽditur res significata, sed modus significandi, & supponẽdi: vndè *omnipotens* sumptum adiectiuè, pluraliter dicitur de diuinis personis, quãvis ex parte rei significatę prędicatũ substantiale sit, & diuinis personis essentiale.

139 *Secũdo.*

Deindè contra eandem solutionẽ facit doctrina D. Thom. *infra q. 16. art. 1. ad 1.* vbi docet, hanc propositionẽ: *Deus est homo*, non esse in materia remota, nec in materia contingenti, sed in materia necessaria, quia ly *Deus* supponit pro persona Filij, de qua *homo* per se prædicatur; sed Deus non supponit pro persona Filij secundum præternaturalem constitutionẽ, sed prout naturaliter constituta ex proprietate personali, & natura diuina: ergo sẽtit D. Tho. hominẽ de persona Verbi sic sumpta, non accidentaliter, sed per se prædicari, & consequenter falsum est, de persona diuina casu, in quo duas humanitates assumeret, prædicari esse hominem, vt concretum accidentale.

§. IX.

Statuitur conclusio, & examinantur aliquorum rationes.

140 *Statuitur conclusio, quã probat Bernal.*

Tertia, & communis sententia à Nobis pro conclusione statuitur. Illam probat Bernal *vbi supra*; quia homo, vt dicitur de persona diuina est concretum accidentale; sed cõcreta accidentalia numerum, vel vnitatem à supposito venantur: ergo, quamvis essent plures humanitates in vna ex diuinis personis, quia tamen suppositum vnum esset, non diceretur duo homines pluraliter, sed vnus in singulari.

141. *Ratio Bernal non placet.*

Hæc tamen ratio, quæ sola, alijs reiectis, potuit prædicto Auctori placere, Nobis non placet: tùm; quia falsum est, hominem, prout dicitur de persona diuina, esse concretũ accidentale: vt enim docet D. Th. *infra q. 16. art. 1.* homo de Deo, & de persona Verbi non accidentaliter, sed essentialiter prædicatur; & consequenter concretum accidentale non est: ergo ratio istius Auctoris ex principio falso procedit; & consequenter est nulla. Tùm etiam; quia, vt nomen aliquod, seruata vnitate formę, pluraliter prædicetur, non sufficit, quòd forma sit extra essentiam subiecti, de quo nomen prædicatur, sed requiritur, quòd ex modo significandi adiectiuè prædicetur, vt ex dicendis constabit; sed quamvis humanitas sit extra essentiam, personæ diuinæ; *homo* tamen non significat humanitatem per modum adiacentis, sed per modum per se stantis, nec adiectiuè, sed substantiuè humanitatem importat: ergo, ex

eo,

eo, quòd *homo*, prout dicitur de persona diuina, sit concretum accidentale, perperam à prædicto Auctore infertur, illius vnitatem, vel pluralitatem adæquatè esse pensandam penès vnitatem, vel pluralitatem suppositi, de quo dicitur, ideòque in casu duplicis humanitatis terminatæ ab eadem persona diuina singularitèr prædicari de illa esse hominem.

142 *Secùdò ab alijs probatur.* Secundò illam probat Arriaga vbi *supra*: nam *homo*, vt dicitur de persona diuina, non significat humanitatẽ directè, sed subsistentiam in humanitate: idem namque valet hæc propotio: *Persona diuina est homo*, ac ita: *Persona diuina est subsistens in humanitate*; in hac autem secunda prædicatione subsistentia importatur directè, & in recto, & humanitas indirectè, & in obliquo; & consequentèr etiam in prima prædicatione, non humanitas, sed subsistentia in humanitate directè, & in recto significatur; sed casu, in quo vna persona diuina terminaret duas humanitates, quamvis naturæ essent duæ, vnum tamen esset subsistens in illis, & vnica subsistentia subsisteret in vtraque: ergo non obstante, quòd naturæ plures essent, persona in illis subsistens, non esset plures homines, sed vnus homo.

143 *Reijcitur primò.* S. Tho. Hæc tamẽ ratio displicet nõ minùs, quam prima, & reijcitur primò: vt enim docet D. Thomas *in* 1. *Sentent. dist.* 4. *q.* 1. *art.* 1. *in corpore*: *Hoc nomen Deus significat per modum perfecti, & per se subsistentis: sicut, & hoc nomen homo: vndè sicut hoc nomen homo in se importat non tantum essentiã, sed etiam suppositum, sed indistinctè, aliàs non prædicaretur de indiuiduis: ita hoc nomen Deus; & ideò de se habet, quòd possit supponere pro persona*: ergo iuxta D. Thomam nomen *homo*, non significat directè subsistentiam in humanitate, sed humanitatem directè significat; indirectè autem, & indistinctè importat subsistentiam, & suppositũ in humanitate subsistens, & indè habet, quod possit supponere pro indiuiduis. Patet consequentia: nam ly *Deus* nõ significat directè subsistẽtiã, vel suppositũ in Deitate subsistens, sed Deitatẽ ipsam; sed iuxta D. Thom. eadẽ ratio est de ly *homo*: ergo non significat directè subsistens in humanitate, sed ipsam humanitatem,

144. *Secùdò.* Deindè reijcitur: nam ly *homo* eodem modo significat, prout dicitur de nobis, & prout dicitur de persona diuina; sed, prout de nobis dicitur, nõ significat subsistentiam directè, sed naturã humanã: ergo vt dicitur de persona diuina, non subsistentiã in humanitate, sed humanitatẽ directè significat. Minor cũ cõsequentia tenet; maior autẽ ostenditur primò: nam iste terminus *homo* vnus est respectu omniũ, de quibus prædicari potest, & est nomen absolutum, non connotativum, substantivum, nõ adiectivũ; sed vnitas termini, vel nominis penès modum significandi pensatur: ergo respectu omniũ, de quibus prædicari potest, eodẽ modo significat.

145 *Secùdò probatur maior.* Secundò probatur maior: nã Verbũ, & alij homines sunt in ratione hominis eiusdẽ speciei; sed si homo, vt dicitur de Verbo diuino, directè significaret subsistẽtiã in humanitate, & vt dicitur de alijs hominibus humanitatẽ significaret directè, Verbum non conueniret cum illis vniuocè, nec specificè in ratione hominis, nam subsistẽtia diuina, & natura humana vniuocè nõ conueniunt in aliquo prędicato: ergo homo eodem modo significat, & idẽ habet directũ significatum, prout dicitur de alijs hominibus, & de persona diuina. *Confirmatur.* Confirmatur: subsistens in humanitate non dicitur vniuocè de Verbo, & de alijs hominibus; nam subsistẽtia non prædicatur vniuocè de subsistentia increata, qua Verbum in humanitate subsistit, & de subsistentia creata, per quam in humanitate subsistunt cæteri homines; sed subsistentia, quam in sententia istius Auctoris directè significat *homo*, prout dicitur de Verbo diuino, non convenit vniuocè cum humanitate, quam significat directè, vt de alijs hominibus prædicatur: ergo homo non prędicatur vniuocè de Verbo, & de alijs hominibus, nec est in ratione hominis eiusdem rationis cum illis.

146 *Tertiò.* Denique prędicta ratio impugnatur: nam ſi ly *homo*, vt dicitur de perſona diuina, ſignificaret ſubſiſtentiam directè, ideò eſſet, quia idē valet, *perſona diuina eſt homo*, ac *perſona diuina eſt habens humanitatem*, vel *ſubſiſtens in humanitate*; ſed hęc ratio non concincit; quòd directè ſignificet ſubſiſtentiā: ergo falſum eſt, quòd *homo*, prout dicitur de perſona diuina, directè ſubſiſtentiā ſignificet. Conſequentia cū maiori tenet; minor autē oſtenditur primò: nam etiā huiuſmodi propoſitio: *Petrus* v.c. *eſt homo*, idem valet, ac *Petrus eſt habens humanitatem*; in vniuerſum enim omne concretum explicatur per ly *habens*, albū per habens albedinem, ens per habens entitatem, &c. & tamen homo vt prædicatur de Petro non ſubſiſtentiam, ſed naturā directè ſignificat: ergo, ex eo, quòd homo, prout dicitur de Verbo diuino, explicetur per *habens humanitatem*, vel per *ſubſiſtens in illa*, malè infertur, quòd ſignificet ſubſiſtentiam, vel ſubſiſtens in humanitate directè.

Minor probatur primo.

147 *Secūdò.* Secundò probatur minor, & præcedēs probatio magis explicatur: hæc propoſitio: *Petrus* v.c. *eſt homo*, nō eſt eadem cum iſta: *Petrus eſt humanitas ſubſiſtens*, cum prima vera ſit; ſecunda autem falſa propoſitio: ergo eſt eadē cum iſta: *Petrus eſt ſubſiſtens in humanitate*, vel per illam explicatur; & tamen ex hoc, nō ſequitur, quòd *homo*, vt prædicatur de Petro directè ſubſiſtētiam ſignificet, ſed tantū, quòd pro ſubſiſtente in humanitate ſupponat: ergo paritèr ex eo, quòd *homo*, prout dicitur de Verbo diuino prædicto modo explicetur, nō ſequitur, quòd, prout ſic, directè ſignificet ſubſiſtētiam, ſed ſufficit, quòd illam de connotato, & indiſtinctè, ſeu implicitè importet, vt ex D. Thoma vidimus.

148 *Tertiò.* Denique eadem minor ſuadetur: hæc namque propoſitio: *Verbum diuinum eſt Deus*, non æquipollet cum iſta: *Verbum eſt Deitas ſubſiſtens*, nec per illā rectè explicatur, aliàs hęc propoſitio: *Deus generat Deum*, æquipolleret cum iſta: *Deitas ſubſiſtens generat Deitatem ſubſiſtentem*, quod admittendum non eſt, cum prima vera, & catholica ſit, ſecūda autē ab omnib⁹ reijciatur: ergo æquipollet cū hac: *Verbum eſt habens Deitatem*, vel *eſt in Deitate ſubſiſtens*. Et tamē ex hoc non licet inferre, *Deus*, vt dicitur de Verbo, & alijs perſonis diuinis, ſignificare ſubſiſtētiā directè, aliàs tres perſonę eſſent dicendæ tres Dij: ſicut dicuntur tres habētes Deitatē, & tres ſubſiſtentes in illa, quòd fides catholica abhorret: ergo, ex eo, quòd ly *homo*, vt dicitur de perſonis diuinis, explicetur per *habens humanitatem*; & hæc propoſitio: *Perſona diuina eſt homo*, æquivaleat iſti propoſitioni: *Perſona diuina eſt habens humanitatē*, vel *eſt ſubſiſtens in illa*, malè probatur, non humanitatem, ſed ſubſiſtentiam in humanitate directè ſignificare.

149 *Probatur concluſio noſtra primò ex D. Th.* Vndè, relictis his argumentis, vt omninò inſufficiētibus, ſuadetur noſtra concluſio primò ex D. Thoma *in præſenti art. 7. ſolut. ad 2.* illis verbis: *Et ideò, ſi perſona diuina aſſumeret duas naturas humanas, propter vnitatem ſuppoſiti, diceretur vnus homo habens duas humanitates*: ergo iuxta D. Thomam perſona diuina aſſumens duas naturas humanas, non eſſet duo homines, ſed vnus homo.

Secūdò. Deindè probatur ex eodem Diuo Thoma 1. *p. quæſt. 36. art. 4. ad 2.* vbi docet: *Quòd licet Pater vna proprietate ſit principium Filij, & alia Spiritus Sancti, non ideò eſt dicendus plura principia, quia implicaretur pluralitas ſuppoſitorum*: ergo paritèr vna perſona diuina propter duas humanitates aſsūptas nō diceretur duo homines, ſed vnus homo propter vnitatem ſuppoſiti vtramque terminantis naturam.

Tertiò. Tertiò probatur, nam in Chriſto reperiuntur duę naturæ ſubſtantiales, nempè, diuina, & humana; & tamen, quia perſonalitas, per quam in vtraque natura ſubſiſtit, non multiplex, ſed vna eſt, non dicitur duæ ſubſtantiæ, ſed vna: ergo paritèr in caſu duplicis humanitatis aſſumptæ ab eadem perſona, non diceretur duo homines, ſed vnus homo.

150 *Quartò.* Denique probatur ratione Angelici Præceptoris *in præſenti art. 7. ſolut.*

ad

ad 2. argum. nominibus namque vtẽdum est, secundum quod sunt ad significandum imposita; sed nomen ab aliqua forma impositum nunquam dicitur pluraliter, nisi intercedat pluralitas suppositorum: ergo, quamuis humanitates sint plures, si persona illas assumens est vna, non est dicenda duo homines, sed vnus homo. Maior cum consequentia tenet; minor autem probatur: nam vsus nominum venari debet ex ijs, quę apud nos contingunt, nam diuina nominamus, & concipimus ad modũ rerum creatarũ; sed in ijs, quæ apud nos contingunt, nomen ab aliqua forma impositũ nunquam pluraliter dicitur, nisi intercedat suppositorum pluralitas: ergo absolutè nomẽ impositũ ab aliqua forma, nunquam dicitur pluraliter, nisi intercedente pluralitate suppositorum. Minorem, in qua est difficultas, probat D. Thomas; homo enim duplici veste vestitus, non dicitur duo vestiti, sed vnus vestitus duobus vestimẽtis, & qui habet duas qualitates dicitur singulariter aliqualis secundum duas qualitates, & sic de alijs: ergo vniuersaliter verum est, quòd in ijs, quæ apud nos contingunt, nomen ab aliqua forma impositum, nõ dicitur pluraliter, nisi interueniat suppositorum pluralitas; & consequenter casu, in quo vna persona diuina duas assumeret humanitates, non esset dicẽda duo homines, sed vnus homo.

151. *Respõdebis.* Respondebis, exempla apposita à D. Thoma constare ex nominibus adiectiuis, in quibus verum est, exigi ad illorum pluralitatem, quòd suppositа sint plura: ergo ex illis non probatur doctrina illa, vt vniuersaliter vera, sed solum, quòd vera sit, quando nomina sunt adiectiua, & super illa nomen numerale cadit; *homo* autem non est nomen adiectivum, sed substantivum; ac proindè exempla adducta non probant, quòd, vt homo dicatur pluraliter de persona diuina, pluralitatem suppositorum requirat.

152. *Sed contra 1.* Sed contra primò: nam in hoc, quod est exigere pluralitatem suppositorum, vt nomen pluraliter prædicetur, conueniunt nomen substantivum, & nomen adiectivum, vt ex dicendis cõstabit: ergo, quòd exempla, quibus vtitur D. Thomas, constent ex nominibus adiectiuis, non infirmat eius rationem. Secundò, nam Pater, & Filius non sunt nomina adiectiua, sed substantiua; & tamen, quamvis demus, Patrem pluribus relationibus paternitatis respicere plures filios, nõ dicetur plures patres, sed vnus pater, & quamvis filius pluribus relationibus filiationis respiciat patrem, & matrem, non dicitur plures filij, sed vnus filius, Christusque, quamvis vna relatione filiationis temporaliter referatur ad Matrem, & alia, nempè, increata ab æterno ad Patrem referatur, non ideò dicitur plures filij. *Artifex* etiam, & *Dominus* sunt nomina substantiua; & tamen habens plures artes non dicitur plures artifices, sed vnus artifex, & Dominus plures habens seruos, esto illos respiciat pluribus relationibus dominij, non dicitur plures domini, sed vnus dominus: ergo in ijs, quę apud nos cõtingunt, nõ solum nomina adiectiua, sed etiam nomina substantiua requirunt, vt pluraliter prędicentur, quòd suppositа sint plura.

Secũdò.

153. *Respõdebis primò.* Respondebis primò, hęc nomina à Nobis adducta, esto sint nomina substantiua, non tamen significare formas substantiales, sed accidẽtales; forma autem accidentalis, cum non det esse subiecto, sed potius ab illo proprium esse recipiat, non dat subiecto vnitatem, vel pluralitatem, quę consequuntur ad esse; & consequenter, vt pluraliter prædicentur, vel singulariter, nõ attẽditur illarũ vnitas, vel pluralitas, sed adęquatè est pensandũ penès vnitatẽ, aut pluralitatẽ suppositorũ; homo autẽ est *nomen substantiuũ* substantiale, hoc est, formã substantialẽ, & substãtialẽ naturam significat: & quia forma substãtialis dat esse, etiam dat vnitatẽ, vel pluralitatẽ, ideoq; penès illã vnitas, vel pluralitas nominis debet pẽsari; ac proindè, si humanitates sint plures, quãvis suppositum illas habens sit vnum, nomen homo pluraliter est prædicandum.

154. Sed contra, nam quoad hoc, quòd

Sed contra. est, nomen aliquod dici pluralitèr secundum pluralitatem ſuppoſitorum, nõ attẽditur ad rem ſignificatam per nomen, an, ſcilicet, ſit ſubſtantia, vel accidens, ſed ad modum ſignificandi, vel ſupponendi, penès adiectiuè, aut ſubſtantiuè: ergo, ſi nomina ſubſtantiua ſignificantia formas accidentales nunquam dicuntur pluralitèr, niſi intercedat ſuppoſitorum pluralitas, idẽ eſt dicendum de nomine ſubſtantiuo, quamvis ſubſtantiam ſignificet, vel formam, aut naturam ſubſtantialem, eſto ex ijs, quæ apud nos ſunt, exẽpla ſumi non poſſint ex concretis ſubſtantialibus, ſed ex concretis accidentalibus; eo quòd nunquam plures naturæ ſubſtãtiales in eodem ſuppoſito creato conueniunt, plures tamen formæ, vel naturę accidentales in eodem reperiuntur ſubiecto. Conſequentia eſt euidens; antecedens autem probatur: vt enim docet D. Thom. 1. *p. q.* 39. *art.* 3. *in corp.* quẽ ſequuntur omnes Theologi, conſtatq; ex Concilio Lateranẽ ſi ſub Innocentio Tertio, & refertur *in cap. firmitèr de ſumm. Trinit. & fide cathol.* tres perſonæ diuinæ dicuntur tres Sapientes, tres increati, æterni, & omnipotẽtes, ſi hęc nomina adiectiuè ſumantur; ſecus autem ſi accipiantur ſubſtantiuè; vt enim, inquit Athanaſius in Symbolo, loquens de diuinis perſonis: *Non tres increati, ſed vnus increatus, non tres omnipotentes, ſed vnus omnipotens, non tres æterni, ſed vnus æternus* dicuntur, prædicta nomina ſubſtantiuè accipiendo; & tamẽ illorũ ſignificata formalia, non accidẽtia, ſed ſubſtantiæ ſunt, cũ in Deo accidens eſſe nõ poſsit, vt fide docemur: ergo quoad hoc, quod eſt, nomen aliquod dici pluralitèr ſecundum pluralitatem ſuppoſitorum, illorumq; pluralitatem requirere, vt pluralitèr prędicetur, non attenditur res ſignificata per nomen, an, ſcilicet, accidens ſit, vel ſubſtantia, ſed modus ſignificationis, vel acceptionis penès ſubſtãtiuè, vel adiectiuè ſignificare, vel accipi; & cõſequẽtèr, ſi nomina ſubſtantiua accidẽtalia, ex parte rei ſignificatæ pluralitèr non dicuntur, quamvis formæ accidentales ſint plures, niſi multiplicentur ſuppoſita, paritèr nomina ſubſtantiua ſignificantia formas ſubſtantiales, vel ſubſtantiales naturas, pluralitèr non dicentur, licet naturæ ſint plures, niſi ſint plura ſuppoſita, quamuis, vt dixi, inter puras creaturas exẽpla non reperiantur, quia plures naturæ ſubſtantiales in eodem ſuppoſito creato non conueniunt, nec cõuenire poſſunt; ac per cõſequens caſu, in quo plures humanitates ſimul terminarentur ab eadẽ perſona diuina, non eſſet plures homines, ſed vnus homo ſubſiſtens in pluribus naturis humanis.

S. Tho.

Conc. Later.

Symb. Athan.

155. *Reſpondebis ſecũdo ex Vazq.*

Reſpondebis ſecundò cum Gabriele Vazquez *diſp. ſupra allegata cap.* 8. *n.* 35. ly *Artifex*, ly *Philoſophus*, & alia huius generis nomina, cum ſumuntur ſubſtantiuè, non tam ſignificare ipſas formas accidentales, quam naturam ipſam ſubſtantialem, cui tales formæ cõueniunt: & quia in homine eſt vna natura, cui inſunt diuerſæ artes, ideò dicitur vnus artifex, quamvis plures artes habeat. Et addit *n.* 36. Chriſtum non poſſe dici plures filios, etiã ſi plures habeat filiationes; vnam tẽporalẽ ad Virginẽ, aliamq; æternã ad Patrẽ, vt ſub anathemate diffiniuit Nazianzenus *oratione* 51. vel quia *filius* eſt nomen veluti adiectivum, cũ idẽ valeat, ac *genitus*: vel quia eſt nomen ſuppoſiti, cum dicitur in concreto, cumq; in Chriſto vnũ tantùm ſit ſuppoſitum, non poteſt duo filij nuncupari.

156. *Reijcitur ſolutio Vazquez.*

Sed non ſatisfacit iſta ſolutio: cum enim docet Vazquez, nomen *artifex* ſubſtãtiuè acceptũ ſignificare naturã ſubſtãtialẽ ſubſiſtẽtẽ, vel loquitur de ſignificato materiali, vel de ſignificato formali: primũ intẽto non ſufficit; ſecundum autem eſt falſum: ergo non ſubſiſtit ſolutio. Minor pro prima parte patet: tùm, quia etiam acceptum adiectiuè de materiali ſignificat naturã ſubſtantialẽ ſubſiſtentẽ: ergo quoad materiale ſignificatũ nulla eſt differentia inter ly *artifex* acceptum ſubſtantiuè, & acceptum adiectiuè. Tùm etiam; quia nomen ſubſtantivum ſubſtantiale etiam de materiali ſignificat ſuppoſitum per ſe ſubſiſtẽs: ergo, ſi *artifex* ſubſtantiuè acceptum dicitur ſingulariter propter vnitatẽ

naturæ

naturæ substantialis, quam de materiali significat, quāvis artes plures sint, etiam nomen substantivum substantiale singulariter prædicabitur, propter vnitatem suppositi, quod de materiali significat, quamvis naturæ de formali significatæ sint plures, & consequenter casu, in quo vna diuina persona duas, vel plures humanitates assumeret, non esset dicenda plures homines, sed vnus homo.

157 *Secūda minoris pars probatur primò.* Deindè minor pro secunda parte probatur primò: nam ly *omnipotens* idem de formali significat substātiuè, & adiectiuè acceptum, nempè, eandē omnipotentiam: ergo paritèr ly *artifex*, siuè acceptum substantiuè, siuè acceptum adiectiuè, habet idem formale significatum; & consequenter, si adiectiuè acceptum non significat de formali naturam substantialem, sed artem, idem est dicendum de illo in substantiua acceptione. *Secūdò.* Secūdò probatur minor: nam concreta accidentalia, prout ponuntur in prædicamento, non adiectiuè, sed substātiuè accipiuntur, cum de illis, vt in prædicamēto cōstitutis, prædicata superiora enūtientur, & consequenter sint in propositione subiecta, quod adiectiuo sumpto adiectiuè non competit: cum enim dicimus, *album currit*, *artifex ædificat*, non sumuntur adiectiuè, sed substantiuè dicta nomina accipiūtur, quę doctrina pervia est tyronibus Logicam salutantibus; sed concreta accidēntalia non constituuntur in prædicamento substātiæ, sed in prædicamēto accidētis: ergo formale illorū significatū, etiam cū non adiectiuè, sed substantiuè accipiūtur, non est substātialis natura, sed natura accidentalis. Patet consequentia: nam pertinent ad prædicamētum, & in illo constituuntur, ratione significati formalis: vnde, quia *Christus* de formali significat naturā substantialē creatam, ponitur in prædicamento substantiæ; cum tamē significato illius materiali, nēpè, supposito Verbi in prædicamēto collocari repugnet: ergo, si cōcreta accidentalia sunt in prædicamento accidētis, significant de formali naturā accidentalē, non autē substantialem naturam, etiam quando substantiuè accipiuntur. Denique probatur: omnes enim Logici, & Methaphysici admittunt concreta accidētalia substantiuè significata; sed omne nomē concretū de formali significat formā: ergo nomen concretū substantivum accidentale significat de formali accidentalē naturam, non autem naturam substantialem subsistentem. *Vltimò.*

158 *Ex dictis doctrina, quā addit præcluditur.* Et ex his præclusa, manet doctrina prædicti Autoris asserentis, ideò ly *filius* nō dici de Christo pluraliter, quāuis habeat plures relationes filiationis: vnam, qua tēporaliter refertur ad matrem, aliā, qua ab æterno ad Patrē refertur, quia *filius* in concreto dictū est nomen suppositi, quod in Christo est vnū tātum. Quæ doctrina ex dictis excluſa manet; *filius* namq; etiam cōcretiuè dictū, non est nomē suppositi pro formali, hoc est, suppositū de formali significans, aliàs nomen relativū non esset, cū ad esse relativū requiratur, relationē significare formaliter, vt omnibus est in confesso: solū ergo de materiali importat suppositum, de formali verò relationē filiationis significat; & tamen, quamvis filiationes sint plures, quia suppositū est vnū in Christo, non dicitur plures filij, sed vnus, vt ex Nazianzeno refert Vazquez oppositam doctrinam damnāte: ergo, quamvis humanitas, quā ly *homo* significat de formali, multiplicaretur in vna persona diuina, quia persona de materiali importata esset vna, non deberet dici duo homines, sed vnus homo.

159 *Quod vltimo addit reijcitur.* Denique quod addit Vazquez, nēpè, *filium* esse nomē veluti adiectivū, quia valet idem, quòd *genitus*; *genitus* autē nomē adiectivū est. Reijcitur primò: nam si ly *filius* est nomē quasi adiectivū, quia potest formale significatū illius, nēpè, filiatio in eodē supposito multiplicari, etiam ly *homo* erit veluti adiectivū, cū etiā duplex humanitas, quæ est significatū formale huius termini *homo*, possit in eodē supposito reperiri, & cōsequenter in casu nostræ disputationis persona diuina plures humanitates assumens, nō esset dicenda plures homines, sed vnus.

Deindè, nam licet *genitus* ſignificet fundamentum filiationis; non tamen eſt idem in ſignificando cum filio, quod non fundamentum filiationis, ſed filiationē ipſam de formali ſignificat: qua ratione falſa cenſetur à maiori parte Theologorum, ſententia Caietani aſſerentis, poſſe validè baptiſmum conferri ſub nomine genitoris, & geniti, procedētiſque ab vtroq; quia, nempè, genitus, & filius nomina æquiualentia in ſignificando nō ſunt: ergo ex eo, quòd ly *genitus* nomen adiectivum ſit, malè infert Vazquez, ly *filius* nomen adiectivum, vel quaſi adiectivum eſſe. Denique reijcitur: nā inquiro ab iſto Auctore, ly *filius* abſolutè quid eſt, adiectivum, an ſubſtantivum? Si reſpondeat, eſſe adiectivū abſolutè, tùm falſum dicet, & contra omnes: tùm etiam, ſibi ipſi veluti cōtradicet; nam ſi abſolutè nomē adiectivum eſt, vt quid cum limitatione illud adiectivum vocat, dicendo eſſe veluti adiectivum? Si autē doceat ſecundum, nēpè, quòd ſit abſolutè ſubſtantivum, cur non ſequitur leges nominum ſubſtātivorū, inter quæ abſolutè numeratur, ſed adiectivorum, inter quæ cum addito diminuente conſtituitur?

Maneat ergo vera propoſitio Angelici Præceptoris, qua aſſerit, numquam nomen ab aliqua forma impoſitum, ſiuè adiectivum, ſiuè ſubſtantivum ſit, pluralitèr prædicari, niſi interveniente pluralitate ſuppoſitorū; & conſequentèr caſu, in quo vna perſona diuina plures humanitates aſſumeret, non eſſet abſolutè plures homines, ſed vnus homo, eo quòd, licet naturæ eſſent plures, ſuppoſitum in illis ſubſiſtens eſſet vnum.

(.??.)

§. X.

Tribus argumentis occurritur, & mens D. Thomæ explicatur.

CONTRA iſtam concluſionem arguitur primò ex D. Thoma *in 3. Sent. diſt. 4. q. 2. art. 5. ad 2.* illis verbis: *Dicendum, quòd ſtante prædicta poſitione*, nempè, quòd vna perſona aſſumeret duas humanitates, *Petrus, & Ieſus non ſunt duo ſuppoſita, ſed vnū, & hæc eſt vera, Petrus eſt Ieſus, & tamē Petrus, & Ieſus nō ſunt vn⁹ homo, ſed duo homines: attēditur enim ſecundū vnitatē, vel pluralitatē naturæ ſignificatæ per terminum, & non ſecundum vnitatem, vel pluralitatem ſuppoſitorū*: ergo noſtra ſententia, qua aſſerimus, caſu, in quo vna diuina perſona duas humanitates aſſumeret, non fore duos homines, ſed vnum hominem, apertè menti Angelici Præceptoris contradicit. 160 *Contra cōcluſionem arguitur primò.*

Huic argumento reſponderi ab aliquib⁹ ſolet, D. Th. ſic intelligēdū eſſe, non quòd abſolutè in eo caſu perſona duas humanitates aſſumens eſſet duo homines, ſed quòd eſſet duo homines, attenta ſola ratione formali, ſecūdum quam penſatur pluralitas nominis ſubſtantiui, cum quo benè ſtat, vt ex defectu conditionis neceſſariò requiſitæ, vt nomen ſubſtantivum pluralitèr prædicetur, ſcilicet, pluralitatis ſuppoſitorum, non dicatur perſona duas humanitates aſſumēs duo homines abſolutè; ad hoc enim neceſſarium erat, vt adeſſet, non ſolum id, quod vt ratio formalis penſatur, ſed etiam id, quod vt conditio requiritur vt nomen ſubſtantivū pluralitèr prædicetur, & ſic rectè componuntur doctrina D. Thomæ *in præſenti*, & illa, quæ *in argumento ex 3. Sent.* obijcitur. 161. *Aliquorum ſolutio.*

Hæc tamen ſolutio eſt difficilis: nam D. Thom. duo aſſerit *loco* in argumento *allegato*, nempè, in eo caſu perſonam ſubſiſtentem in duplici humanitate eſſe duos homines, deindè, non 162. *Hæc ſolutio difficilis eſt primò.*

eſſe

esse vnum hominē; sed si solum intelligeretur de pluralitate, quantum est ex parte illius, quod vt ratio formalis attenditur, non autem de pluralitate absoluta, non negasset D. Thom. in eo casu personam subsistētem in duabus naturis humanis esse vnum hominē: ergo minus benè in prædicto sensu explicatur.

Secūdò. Secundò, nā D. Thom. reddit rationem, cur in prædicto casu, nō singularitèr, sed pluralitèr prædicetur humanitas in cōcreto de persona duas humanitates assumente, quia, nē pè, vnitas, vel pluralitas nominis substantiui, non attenditur penès pluralitatem, vel vnitatem suppositorum, quæ de materiali nomine substantiuo importantur, sed penès vnitatem, vel pluralitatem naturarum, quas de formali nomen substantivum significat; sed si D. Thom. sentiret, pluralitatem suppositorum requiri, vt nomen substantivum pluralitèr prædicetur, non negaret secundum illam aliqua ratione attendi, aut penès illam pēsari prædicationem nominis substātiui in plurali: ergo loquutus est D. Tho. in sensu absoluto, & non cum prędicta limitatione, cū *loco allegato* docuit, eo in casu hominem de persona assumente, non singularitèr, sed pluralitèr prædicandum.

163. *Vera D. Th. explicatio.* Quare melius respondetur secundò, D. Thomam *in præsenti art. 7. ad 2. argum.* prædictam retulisse sentētiam, quamvis non meminerit, illam aliquā do à se assertam, & expressè retractasse, docens, nunquam nomē ab aliqua forma impositum pluraliter prædicari, nisi intercedente pluralitate suppositorum; quando autem D. Thom. expressè aliquam sententiam retractat, etiam si illam aliquando docuerit, stādum est vltimæ illius voluntati, & sentētia, quam vltimò docet, est ab illius Discipulis tenenda.

164 *Capreoli solutio impugnatur primò.* Nec valet solutio Capreoli asserentis, D. Thom. *in præsenti* loqui de nominibus adiectiuis, non autem de substantiuis, nec in vniuersum de omni nomine, cum docet, numquam nomen ab aliqua forma impositum dici pluraliter, nisi intercedat pluralitas suppositorum: vndè doctrina *in præsenti* tradita non retractatur, illa, quæ ex 3. *Sent.* obijcitur. Non, inquam, valet: nam D. Tho. cum docet, nunquā nomen ab aliqua forma impositū pluralitèr prædicari, nisi interveniente pluralitate suppositorū, est ad probandum, personam duas humanitates assumentem non esse duos homines, sed vnum hominem; at ly *homo*, non est nomen adiectivum, sed substātivum: ergo vniuersalis propositio assumpta ab Angelico Doctore non est ad nomina adiectiua coarctāda, sed ad omne nomen, siuè adiectivum, siuè substantivum sit extēdenda, aliàs nō probaret intentum, sed omninò ineptè argueret. Deinde, nam D. Thom. 1. *p. q. 36. art. 4. ad 2.* expressè docet, Patrē propter plures proprietates, quarum vna est principium Filij, & alia principium Spiritus Sancti, non posse dici plura principia, quia, inquit, implicaretur pluralitas suppositorum; sed ly *principium* nomen substantivū est, vt *ibidem* docet D. Thomas: ergo, cum ait, nūquam nomē ab aliqua forma impositū pluraliter prædicari, nisi propter pluralitatem suppositorum, nō loquitur solum de nominibus adiectiuis, sed etiam de substantiuis.

Secūdò. Secundò arguitur ex eodem Diuo Thoma 1. *p. q. 36. art. 4. in corpore, & q. 39. art. 3. in corpor.* vbi docet: *Quòd quia nomina substantiua significant aliquid per modū substantiæ, seu per se stantis: nomina verò adiectiua significant aliquid per modum accidentis, quod inhæret subiecto; substantia autem sicut per se habet esse: ita per se habet vnitatem, vel multitudinem, ideò singularitas, vel pluralitas nominis substantiui attenditur secundum formam significatam per nomen.* Sed ly *homo*, vt dicitur de persona diuina, nomen substantivum est, vt docet D. Thom. *in hac q. art. 6.* ergo illius vnitas, vel pluralitas attendi debet penès formam significatam, scilicet, humanitatem, & consequenter, cum in prędicto casu humanitates sint plures, quamvis sit vnum suppositum in illis subsistens, non erit vnus homo, sed plures homines.

165 *Secundò arguitur.*

166 Respondeo ex Caietano *art. citat. ad 1. dub.* & ex Ferrara 4. *Contra gentes*

Reſpondeo ex Caietano, & Ferrara

cap. 11. pluralitatem formæ ſignificatæ attendi ad pluralitatẽ nominis ſubſtantiui, vt ſufficientem, ſi ſit nomen ſubſtantivum abſtractum, ſi autem ſit nomen ſubſtantivum concretum attendi, vt requiſitam ad illius pluralitatem, & vt pluralitèr prædicetur: non tamen vt ſufficientem, niſi accedat ſimul vt conditio, ſuppoſitorum pluralitas: vndè, cum in caſu noſtræ diſputationis, quamvis humanitas, quæ eſt forma ſignificata, plurificetur, deficiat tamen multitudo ſuppoſitorum, quæ tanquam conditio requiritur, cõſequens fit, vt perſona aſſumens duas humanitates, non dicatur duo homines, ſed vnus homo, eo quod nomen *homo*, non in abſtracto, ſed in concreto humanitatem ſignificat, nec eſt nomen ſubſtantivum abſtractum, ſed nomen ſubſtantivum concretum.

167 *Contra hanc explicationẽ opponit Vazquez.*

Sed contra hanc explicationẽ põderat Vazquez illud verbum *attendi. tur*, quod manifeſtè indicat, inquit ipſe, adæquatam rationem pluralitatis nominis ſubſtantiui ſumi ex pluralitate formæ per nomen ſignificatæ. Hæc tamen ponderatio non vrget, nam id, quod vt ratio formalis ad pluralitatẽ nominis ſubſtantiui concurrit, rectè dicitur attendi ad illius pluralitatem, quamvis ſolum non ſufficiat, ſed aliud vt conditio, ad candẽ pluralitatem requiratur.

Non vrget.

168 *Secũdò ponderant alij*

Secundò ponderãt alij, D. Thom. non meminiſſe *locis in argum. relatis* multitudinis ſuppoſitorum requiſitę vt conditionis, vt nomen ſubſtantivũ pluralitèr prędicetur: ergo ſine funda mẽto dicta explicatio doctrinæ D. Th. adhibetur. Sed nec vrget hæc ponderatio, nam D. Thomas prædictę conditionis non meminit: tùm, quia ſolum explicabat id, in quo diſcriminantur nomina ſubſtantiua, & adiectiua, non verò id, in quo cõueniunt: & quia in neceſsitate multitudinis ſuppoſitorum, vt pluralitèr prædicentur, nomina adiectiua, & ſubſtantiua cõueniũt, ideò dictam conditionem nõ addidit, nec illius expreſſam fecit mentionem. Tùm etiam: quia ad doctrinam, quã *in prædicto artic.* D. Thom. ſtatuere intendebat, nempè, nomina eſſentialia ſubſtantiuè ſumpta, non dici pluraliter de perſonis, conditio illa neceſſaria non erat, cum perſonæ plures ſint; ideoque talis conditionis non meminit *q. 39. citata art. 3. quæſt. autem 36. art. 4. ad 2.* vt ſaluaret, Patrem non eſſe duo principia, ob duplicẽ proprietatem, ſecundum quarum vnam eſt principium Filij, & ſecũdum aliam eſt principium Spiritus Sancti, dictã conditionem expreſsit; quia neceſſaria erat, docẽs, non dici Patrem duo principia ob duplicem proprietatẽ, quia implicaretur ſuppoſitorũ pluralitas.

169 *Tertiò arguitur.*

Tertiò alij obijciunt, pluralitatẽ namque nominis ſubſtantiui attendi penès formam ſignificatam, probat D. Thomas, quia ſignificat per modũ ſubſtantiæ, quæ à ſe habet eſſe, & conſequẽtèr habet à ſe vnitatem, vel pluralitatem; ſed forma ſubſtantialis, quę eſt formale ſignificatum nominis ſubſtantiui, nempè, ſubſtantialis natura, eſt adæquata ratio eſſendi: ergo iuxta D. Thomam eſt adæquata ratio, penès quam attenditur pluralitas nominis ſubſtantiui.

170 *Reſpondetur.*

Reſpondeo, hanc obiectionẽ pro Nobis potius, quam contra Nos eſſe; nam licet natura ſubſtantialis ſit adæquata ratio eſſendi ſumpta in abſtracto, reſpectu tamen concreti ſubſtantialis non eſt adæquata ratio eſſendi abſolutè, ſed adæquata per modũ rationis formalis, ingrediente ſubſiſtentia vt conditione: ergo, quamvis natura ſubſtantialis ſit adæquata ratio pluralitatis reſpectu nominis ſubſtantiui, illam ſignificãtis in abſtracto; reſpectu tamen nominis ſubſtantiui illam ſignificantis in concreto, quale eſt ly *homo*, quod in concreto humanitatem ſignificat, erit quidem humanitas ratio adæquata pluralitatis per modum rationis formalis, non tamen adæquata ratio omnibus modis, ſed neceſſaria erit pluralitas ſuppoſitorũ per modum conditionis requiſitæ, vt nomen *homo* pluralitèr prædicetur: quæ conditio cum in caſu noſtræ diſputationis non adſit, non poterit ly *homo* de perſona duas humanitates aſſumente pluralitèr prædicari.

171.

Denique, & vrgentius contra explica-

Contra eandem explicationem vltimo arguitur.

plicationem traditam obijcitur, nam D. Thomas eodē modo docet, attendi pluralitatem nominis substantiui penès pluralitatem formæ significatæ, quo de vnitate docet, illius vnitatem attendi penès vnitatem formæ, quam de formali significat; sed vnitas nominis substantiui concreti attenditur penès vnitatem formæ, nō solum vt rationem formalem vnitatis talis nominis, sed etiam vt adæquatè sufficientem, quin vt conditionem requirat vnitatem suppositi, quod de materiali importat: vndè tres personæ diuinæ dicuntur, & sunt vnus Deus; vnusque omnipotens, substantiuè accepto ly *Omnipotens*, quamvis sint plura suppositа, quia id, quod de formali significāt dicta nomina, nempè, Deitas, & omnipotentia, non multiplicantur in illis: ergo etiam pluralitas nominis substantiui concreti in doctrina Diui Thomæ attenditur penès pluralitatem formæ significatæ, non vt rationem formalem expectantem aliud, vt conditionem, sed vt rationem adæquatè, & se sola sufficientem, vt prædictum nomen pluraliter prædicetur; & consequenter in casu nostræ disputationis, quia formale significatum huius nominis *homo*, quod est nomen substantivum concretum, nempè, humanitas, est duplex, quamuis persona assumens sit vna, pluraliter de illa dicetur, eritque non vnus, sed duo homines.

172 *Respondetur.*

Respondeo, negando maiorem, nam licet verba sint eadem; sensus tamen verborum non idem, sed diuersus est; nam verba D. Thomæ taliter sunt explicanda, & accipienda, vt in illius doctrina cōtradictio non sequatur: cum ergo alijs *locis supra* à Nobis ponderatis doceat Angelicus Doctor expressè, ad pluralitatē nominis substantiui concreti præter formę multiplicationē requiri multitudinē etiam suppositorum; nunquam tamen expressè doceat, ad illius vnitatem interuenire debere vnitatem formæ, quam de formali significat, & vnitatem suppositi, quod importat de materiali, sed potius oppositum, consequens fit, vt, cum docet, vnitatem nominis substantiui concreti attendi penès vnitatem significati formalis, accipiendus sit de ratione sufficiente ad inducendam vnitatem dicti nominis, & vt in singulari prædicetur. Cum autem docet, pluralitatem nominis substantiui attendi penès pluralitatē formæ, quā de formali significat, intelligendus sit de ratione requisita ad illius pluralitatem, non autem de ratione adæquatè sufficiente, vt prædictum nomen pluraliter prædicetur, sed vltra illam requiri multitudinem suppositorum, quæ cum in casu nostræ disputationis non detur; consequens fit, vt, quamuis humanitates sint plures, nomē *homo* de persona illas assumente pluraliter non dicatur.

173 *Tertiò principale argumentum.*

Tertiò principaliter arguitur: vnitas, vel pluralitas nominis sumitur ex vnitate, vel pluralitate formæ per nomen in recto, & formaliter significatæ; sed forma in recto, & formaliter significata per ly *homo* est humanitas: ergo vnitas, vel pluralitas huius nominis *homo* sumi debet ex vnitate, vel pluralitate humanitatis; & consequenter, cum in casu nostræ disputationis, duæ humanitates constituantur, duo homines consurgent, nō autem vnus homo, quamvis persona assumens sit vna. Maiorem, vt constantem regulam esse tenēdā probat Bernal vbi *supra*, primò ex D. Thoma 1. p. q. 39 *art.* 3. vbi loquens de nominibus substantiuis asserit, illorum singularitatem, vel pluralitatē, attendi penès formam per nomen significatam.

Maior probatur primò auctoritate D. Th.

Secundò probat: quia namque ly *artifex*, quod est concretum substantivum accidentale, in recto, & formaliter exprimit solum subiectum, à sola vnitate, vel pluralitate subiecti, singulariter, aut pluraliter prædicatur: vnde vnū subiectum plures habens artes vnus artifex dicitur, et si plures homines eandē artē haberent, plures dicerentur artifices: ergo verum est vniuersaliter, pluralitatem, vel vnitatem nominis substantiui concreti adæquatè pensari penès vnitatem, vel pluralitatem illius, quod de formali, & in recto significat.

Secundo ab exemplis.

Deinde, quia namq; nomina adiectiua

ctiua in recto, & formaliter ſolum ſubiectum ſignificant, ex ſola vnitate, vel pluralitate ſubiecti, ſingulariter, vel pluraliter enuntiantur; vnus enim paries, vnum album diceretur, eſto plures haberet albedines, & ſi plura ſubiecta vna albedine afficerentur, plura dicerentur alba. Nomen etiam ſubſtantivum perſonale, quia in recto, & formaliter ſolam perſonalitatem ſignificat, pluraliter, vel ſingulariter dicitur ex ſola pluralitate, aut vnitate perſonalitatis: vndè, Chriſtus Dominus, quãuis duas habeat naturas, quia perſonalitas, qua illas terminat, & in illis ſubſiſtit, eſt vna, dicitur vna perſona, & è contra, quia in Deo ſunt tres perſonalitates, quamuis vna ſit natura, non vna, ſed tres perſonæ dicũtur: ergo maior argumenti, quòd, nempè, vnitas, vel pluralitas nominis ſumitur ex vnitate, aut pluralitate ſolius formæ ſignificatę in recto, & formaliter, eſt vniuerſaliter vera.

174 *Reſpondetur ad primam probationem.*

Reſpondeo, negando maiorem, ad cuius primam probationẽ, conſtat ex dictis *num.* 166. *& ſeqq.* vbi mentẽ D. Thomæ explicuimus. Ad ſecundam probationem dicatur, primum, & ſecundum exemplum oppoſitũ potius conuincere illius, quod prędictus Auctor intendit; nam ly *artifex* non ſignificat de formali ſubiectũ, ſed artem, etiam cũ ſubſtantiuè accipitur: vndè non ponitur in prędicamento ſubſtantiæ, ſed in prædicamento accidentis, quod ſignum euidens eſt, non ſignificare de formali ſubſtantiam, ſed accidens; nomina enim, vel res nominibus ſignificatæ, ratione ſignificati formalis, non autem ratione materialis, in prędicamento collocantur: vndè, quia ly *Chriſtus* de formali naturã ſubſtantialem creatam ſignificat, ponitur in prædicamento ſubſtãtiæ; cum tamen perſonæ, quam de materiali importat, in prædicamento collocari repugnet: ergo ſi ly *artifex* pluraliter, vel ſingulariter dicitur ratione ſubiecti, & non ratione vnitatis, vel pluralitatis artis, falſa eſt maior, quam prędictus Auctor aſſumit, vt vniuerſalem regulam, quòd, nempè, omne nomen ſingulariter, vel pluraliter dicitur ratione ſolius formę in recto, & de formali ſignificatæ.

Ad ſecũdam. Primũ, & ſecundũ exẽplum oppoſitum probãt.

Secundum etiam exẽplum ſumptum ex nominibus adiectiuis oppoſitum probat; album enim non ſignificat de formali ſubiectum, ſed albedinem, imò album (& idem eſt dicendũ de quouis alio concreto accidentali) ſolam albedinẽ, aut ſolam qualitatẽ, vel accidẽs ſignificare ex Philoſopho communiter docetur in Logica; & tamen nomina adiectiua pluraliter, vel ſingulariter dicuntur ex ſola vnitate, aut pluralitate ſubiecti, vt prædictus Auctor docet, & cõmunis docet ſententia: ergo vnitas, vel pluralitas nominis non ſemper attenditur penès vnitatem, vel pluralitatẽ formæ de formali, & in recto ſignificatæ, cuius oppoſitum Bernal pro vniuerſali regula ab omnibus neceſſariò amplectenda, intendit ſtatuere, & prædictis exẽplis, quæ, vt vidimus, oppoſitum ſuadent, conuincere.

175

176 *Ad tertiũ reſpõdetur*

Denique ad tertium exemplũ dicatur, *perſonam* dici ſingulariter, vel pluraliter adæquatè ex vnitate, vel pluralitate perſonalitatis, quod libentèr fatemur; non tamen ideò ſolum, quia de formali perſonalitatem ſignificat, ſed quia ſignificat perſonalitatẽ de formali, & pro illa in recto ſupponit, nõ quidem in abſtracto, ſed in cõcreto, ideſt, pro ſubſiſtente in natura rationali; ly autem *homo*, etſi de formali humanitatem ſignificet; non tamẽ pro humanitate ſupponit, ſed pro habente humanitatem, vel pro ſubſiſtente in illa, & ideò, vt dicatur pluraliter, non ſufficit pluralitas humanitatis, niſi etiam multitudo ſuppoſitorum ſubſiſtentium in humanitate intercedat: & ſic accipienda eſt doctrina D. Thomæ 1. *p. q.* 39. *art.* 3. *ad* 4. vbi docet, quòd quia forma ſignificata per hoc nomen *perſona*, nõ eſt eſſentia, vel natura, ſed perſonalitas, & in Deo dantur tres perſonalitates; ideò *perſona diuina*, non ſingulariter, ſed pluraliter dicitur de Patre, & Filio, & Spiritu Sãcto. Quæ doctrina Nobis aduerſari videtur, & ex illa colligi caſu, in quo vna perſona diuina duas humanitates, aſſumeret, duos homines eſſe dicẽda

S. Tho.

non

non vnum hominem, quãdoquidem humanitas, quam ly *homo* de formali significat, non vna, sed duplex in prædicto casu supponitur.

177 *Doctrina D. T. nostræ non aduersatur*

Nullatenus tamen nostræ doctrinæ aduersatur, nam *in argum. 4.* quod soluit Angelicus Doctor, supponitur ly *persona* accipi pro habẽte naturam, & pro subsistente in natura supponere; hoc autem præsuppositio, rectè D. Thomas docet, dici pluralitèr propter pluralitatem personalitatis, non quidem solum, quia illam de formali significat, sed insuper, quia pro illa supponit; *homo* autem, etsi de formali significet naturam humanam, & hæc in casu nostræ disputationis multiplicetur; quia tamen non supponit pro illa, sed pro habente humanitatem, & hoc in prædicto casu est vnũ, scilicet, vna persona duas humanitates assumens, ideò ly *homo* non prædicatur pluraliter, vt constat ex doctrina D. Thomę *1. p. q. 36. art. 4. ad 2.* vbi ait: *Quod licet in Patre sit duplex proprietas respectu Filij, & Spiritus Sancti, non dicitur duo principia, sed vnum, quia implicaretur pluralitas suppositorum*; quia, nempè, etsi ly *principium* de formali proprietatem significet; non tamen supponit pro illa, sed pro habente proprietatem, quod non multiplicatur in Patre: ergo si ly *persona* pluralitèr prędicatur ex sola pluralitate personalitatis, quod libentèr fatemur, nec ab aliquo potest negari, non est præcisè, quia personalitatem de formali significat, sed simul, quia pro illa supponit.

178 *Opponens.*

Sed dices: quidquid sit de veritate exemplorum, nomen numerale additum alicui nomini applicat suum significatum circa significatum formale nominis, supra quod cadit, sed formale significatũ huius nominis *homo* est humanitas: ergo nomẽ numerale illi additum numerat humanitatem; & consequentèr vbi humanitas fuerit duplex, vt in nostro casu contingit, non dicitur vnus homo, sed duo.

179 *Respondetur ex*

Respondeo ex Caietano *1 p. q. 39. art. 3. ad 2. dubitat.* negando maiorẽ; nam terminus numeralis per se primò ponit significatum suum, nõ circa formale significatum termini, cui adiungitur, sed circa suppositum, ideſt, circa id, pro quo talis terminus supponit, & hoc tam in substãtiuis, quam in adiectiuis; cũ hac tamẽ differentia, quòd in substantiuis, quia substantiua sunt, & ad modum substantiæ significant, & substantia habet esse per se, non solum cadit supra suppositum, pro quo nomen substãtivum supponit, sed etiam supra formale significatum illius, & ideò vtriusque pluralitas ad nominis substantiui pluralitatem requiritur; in adiectiuis autẽ, quia secum suum suppositum nõ afferunt, nec formam per modum dantis esse significant, per nomẽ numerale solum numerantur suppositа, & illis multiplicatis, quamvis forma non multiplicetur, pluralitèr prædicantur. *Caietano.*

§. XI.

Occasione quarti argumenti examinatur, an casu, in quo plures personæ assumerent vnam humanitatem essent plures homines, vel vnus homo?

180 *Vltimũ argumẽtũ principale proponitur.*

DENIQVE principalitèr arguitur; casu, inquo tres personę diuinę assumerent vnam, & candẽ humanitatem, essent vnus homo, non plures homines; quia licet habentia essent plura, humanitas habita est vna: ergo paritèr casu, in quo vna persona diuina duas humanitates assumeret, non esset vnus homo, sed duo homines. Patet consequentia primò; nõ enim alia ratione tres personæ vnam humanitatem assumentes essent vnus homo, nisi quia significatum formale termini *homo* esset vnũ, quamvis plura sint suppositа humanitatem habentia, in illaque subsistentia, & supra significatum formale cadit nomen vnitatis: ergo eadem ratione supra significa-

tum

Probatur conſequentia primò. tum formale termini cadere debet nomen numerale pluralitatis; & conſequenter ſi, in quo vna perſona diuina duas humanitates aſſumat, non erit vnus homo dicēda, ſed duo homines. *Secundò*, nam oppoſitorum eadem eſt ratio: ergo ſi, vt *homo* ſingulariter prædicetur, ſufficit vnitas humanitatis, quam de formali ſignificat, quamvis plura ſint ſuppoſita, quę de materiali importat, etiam ſufficiet, vt enuntietur pluraliter, humanitatis pluralitas, quamvis vnum ſit ſuppoſitum plures terminans humanitates, & in illis ſubſiſtens. *Tertiò.* Denique; non enim eſt ratio aſſignabilis, cur ad vnitatem hominis ſufficiat vnitas humanitatis, quam ly *homo* de formali ſignificat, & ad hominis pluralitatem nō ſufficiat pluralitas eiuſdem ſignificati: ergo ſi *homo* dicitur ſingulariter ex ſola ſingularitate humanitatis, dicetur etiam pluraliter ob ſolam humanitatis pluralitatem; & conſequēter ſi in caſu eiuſdē humanitatis aſſumptæ à tribus perſonis, de illis ſingulariter homo prædicatur, caſu, in quo vna perſona plures humanitates aſſumat, prædicabitur de illa pluraliter.

181. Hoc argumentum petit, vt explicemus, an in caſu eiuſdem humanitatis aſſumptę à tribus perſonis, perſonæ illam aſſumentes plures homines eſſent dicendæ, an vnus homo? Circa quod plures ſunt Theologorū ſententię. Durand. vbi *ſupra* docet, in eo caſu, nec eſſe plures homines, nec vnum propriè, & ſimpliciter, ſed vtrumque ſecundum quid, cuius ſententiam *ſupra* in ſimili refutauimus cum cōmuni Theologorum. Ex his autem, qui noſtram ſententiam tenēt, in caſu vnius perſonæ terminantis duas humanitates; Caietan⁹, & Medina *locis vbi ſupra relatis* docent, caſu in quo tres perſonæ aſſumerent eandem humanitatem, non fore vnum hominem ſimpliciter, ſed plures homines: tū, quia non eſſet vnus numero homo cōmunis tribus perſonis. Tùm etiam, quia eſſent plures perſonę humanæ, & cōſequēter eſſent plures homines. Tùm denique, quia non eſſet homo vnus ſecūdum naturam, & perſonam, quam vnitatem importat vnus homo ſimpliciter; ac proindè ſimpliciter eſſent tres homines in vna natura humana. Et D. Thom. *art. 6. ad 1.* docentem, in eo caſu tres perſonas dicendas fore vnū hominē, explicant de vnitate ſecūdum quid, nō de vnitate tali ſimpliciter, quod ſibi ſuadēt ex illis verbis Angelici Præceptoris. *Non enim poteſt argui ex hoc, quòd tres perſonæ ſint vnus homo, quod eſſent vnus ſimpliciter.* Nō ergo loquitur D. Thom. de vnitate ſimpliciter tali, cum docet, tres perſonas aſſumentes vnam naturam humanam eſſe vnum hominem dicendas.

Sētētia Durādi refelli-tur ex dictis ſupra.

Secūda ſentētia eſt Caietani, & Medinæ

Probat illā Caietanus primo.

Secundò.

Tertiò.

D. Thomā explicant de vnitate ſecundū quid.

Quam ſententiam confirmat Medina primò; quia homo idē eſt, quòd habens humanitatem; ſed in eo caſu eſſent tres habentes humanitatē ſimpliciter: ergo ſimpliciter eſſent tres homines. Deindè, quia ſi eſſent vnus homo ſimpliciter: ergo vel iſte, demonſtrato Patre, & tunc Filius eſſet Pater, vel iſte, demonſtrato Filio, & tunc Pater eſſet Filius, quorum vtrūque eſt abſurdum. Præterea, nam homo idem eſt, quòd ſuppoſitum humanum, vel quòd ſubſiſtens in natura humana; ſed in eo caſu non eſſet vnū humanum ſuppoſitum, nec vnum ſubſiſtens in humanitate, ſed plura ſuppoſita humana, & plura ſubſiſtentia in humanitate ſimpliciter: ergo non eſſent vnus homo, ſed plures homines ſimpliciter. Denique, nam ſi per impoſsibile Angelus, & Deus in eadem humanitate ſubſiſterent, non eſſent ſimpliciter vnus homo, cū vnus eſſet creatura, ſcilicet, Angelus; Deus autē humanitatem aſſumens, & in illa ſubſiſtens creatura non eſſet: ergo pariter caſu, in quo tres perſonæ diuinæ eandem humanitatem aſſumerent, nō eſsēt vnus homo, ſed plures homines ſimpliciter.

182. *Pro eadē arguit Medina primò.*

Secundò.

Tertiò.

Vltimò.

Quod amplius vrgetur: nam ſi Verbum humanitatem, quam aſſumpſit, relinqueret, ſuppoſitum de nouo reſultans, non eſſet idem homo cū Verbo, quod prius illam terminabat, in illaque ſubſiſtebat; quod verum eſſe alia ratione non poteſt, niſi quia ſuppoſitum ex relicta humanitate reſiltans non eſſet idem cum Verbo, quod

Confirmatur.

prius

priusillā terminabat; sed casu, in quo tres personæ diuinæ vnam humanitatem assumerent, non essent idem suppositum, sed diuersa suppositā simpliciter: ergo, quāvis humanitas assumpta esset eadem, non essent dicendæ vnus homo, sed plures simpliciter homines.

183 *Tertia, & vera sententia.*

Tertia, & vera sententia defendit, in prædicto casu tres personas esse vnum hominem *simpliciter*, contrapositiuè ad *secundum quid*, non autē *simpliciter*, prout *simpliciter* idem valet, quòd *omnibus modis*. Hanc sententiam tenent frequentius Discipuli D. Thomæ, & alij, quos pro nostra cōclusione retulimus in casu duplicis humanitatis ab vna persona assumptæ: & pro secunda parte à nullo negari potest, nam esse vnum hominem *simpliciter*, idest, *omnibus modis*, est, esse vnum hominē ex omni capite; sed in casu, quē supponimus, quòd, scilicet, tres personæ diuinæ vnam, & eandem humanitatem assumerēt, non esset vnus homo ex omni capite, & principio, cum nō esset vnus homo ex parte suppositi, sed solum ex parte naturæ assumptæ: ergo tres personæ eandem assumētes humanitatem, non essent vnus homo *simpliciter*, idest, *omnibus modis*, in quo, vt dixi, nullus potest discrepare.

Secūda pars huius sententiæ à nemine potest negari.

184 *Prima pars eius defensa sententiæ probatur 1. ex D.T.*

Prima autem pars istius sententiæ videtur expressa Angelici Præceptoris *in hac q. art. 6. ad 1.* vbi docet, in prædicto casu tres personas dicendas fore vnum hominem. Nec sufficit explicatio, qua verba D. Thomæ explicant Caietanus, & Medina, quòd, nēpè, loquatur de vnitate secundū quid in ratione hominis, nō de vnitate simpliciter. Non, inquam, sufficit: tùm, quia ait D. Tho. tres personas diuinas assumentes eandem humanitatē esse vnum hominem propter vnitatē humanitatis: sicut sunt vnus Deus propter vnam deitatem; sed tres personæ diuinæ propter vnam deitatem sunt vnus Deus, non secundū quid, sed simpliciter: ergo in casu nostræ disputationis sentit D. Thomas, fore simpliciter vnum hominem propter vnam humanitatem; & consequēter minus benè explicatur à Caietano, & Medina de vnitate in ratione hominis, secundum quid. Tùm etiam, quia D. Thomas *in 3. dist. 1. q. 2. art. 4. ad 6.* non alijs verbis, quam in *præsenti* docuit, tres personas diuinas eandem assumētes humanitatem esse vnum hominē; & tamen, vt Medina fatetur, *ibi* loquitur D. Thom. non de vnitate secūdum quid, sed de vnitate simpliciter in ratione hominis: ergo in *præsenti* de eadem vnitate est accipiendus.

Secundò.

Tertiò.

Præterea, nam si hæc explicatio valeret, posset etiam eodem modo explicari D. Thomas, cum *art. 7. ad secundū* docet, casu in quo vna persona diuina duas humanitates assumeret, fore vnum hominem, cum eodē modo in vtroque casu loquatur Angelicus Doctor, imò, & vtrumque æquiparet *art 7. ad finem corp.* Cum ergo Caietanus, & Medina D. Thom. ita non explicent, sed accipiant de vnitate in ratione hominis simpliciter, sine fundamento illum explicant, quòd *in art. 7.* loquatur, non de vnitate simpliciter, sed de vnitate secundū quid in ratione hominis, cum docet, tres personas diuinas eandem assumentes humanitatem, non plures homines, sed vnum hominem fore dicendas.

S. Tho.

185. *Prædictæ explicationi D. Th. nō fauet.*

Nec fauet prædictæ interpretationi D. Thomas, illis verbis: *Non enim posset argui ex hoc, quòd tres personæ sunt vnus homo, quòd essent vnus simpliciter.* Ex quibus Caietanus, & Medina inferunt, D. Thomam loqui de vnitate secundum quid, non simpliciter in ratione hominis. Sed sine vllo fundamēto dicta interpretatio ex D. Tho. colligitur; aliud enim est, quòd tres personæ sint vnus homo simpliciter; aliud verò, quòd sint vnus simpliciter: nam ad primum sufficit vnitas humanitatis assumptæ; ad secundum autē requiritur vnitas personalis, quę in prædicto casu non adesset: ergo, ex eo, quòd D. Thom. asserat, quòd tunc casus, tres personę nō sunt vnus simpliciter, sine fundamēto infertur, Angelicum Doctorem negare, quòd simpliciter sint vnus homo. Explicatur, & vrgetur; nam tres personæ diuinæ sunt simpliciter vnus Deus; & tamen non sunt vnus simpliciter masculinè;

Confirmatur primò.

benè

benè tamen vnum neutraliter, quia primum denotat vnitatẽ perſonalẽ, quæ diuinis perſonis non conuenit; ſecundũ autem denotat vnitatem in natura, quæ inter perſonas diuinas inuenitur: ergo, ex eo, quòd tres perſonæ diuinæ aſſumentes eandem humanitatem eſſent vnus homo ſimpliciter, non ſequitur, quòd eſſent ſimpliciter vnus, & ex eo, quòd non eſſent ſimpliciter vnus, quod aſſerit D. Thom. nõ ſequitur, non fore vnum hominẽ ſimpliciter. Quod alio cõfirmatur exẽplo: nam ex eo, quòd plures homines ſint vn⁹ populus ſimpliciter, quo exẽplo vſus eſt D. Thomas, non infertur, quòd ſint ſimpliciter vnus, imò potius ſunt plures ſimpliciter: ergo pariter ex eo, quòd D. Thom. aſſeruerit, quòd tres perſonæ aſſumentes vnam humanitatem non ſunt ſimpliciter vnus, non licet inferre, docuiſſe, quòd non ſint vnus homo ſimpliciter, ſed tantùm ſecundum quid. Et ratio eſt, quam aſſignauim⁹; quia ad vnitatẽ in ratione hominis ſimpliciter, ſufficit vnitas humanitatis, quę in prædicto caſu ſupponitur; vt autẽ ly *vnus* maſculinè acceptum, diceretur de diuinis perſonis ſimpliciter, neceſſaria erat vnitas perſonalis, quæ in prædicto caſu non adeſſet.

Confirmatur. ſecũdò.

186 Deindè ſuadetur ratione ab Angelico Doctore inſinuata; nam tres perſonæ diuinæ ſunt ſimpliciter vnus Deus, vt fides catholica docet, quia licet ſint plura ſuppoſita ſubſiſtentia in deitate, natura tamẽ diuina eſt omninò vna, & indiuiſa in illis; ſed in caſu eiuſdem humanitatis aſſumptæ à tribus perſonis, quãvis ſuppoſita ſubſiſtentia in humanitate ſint plura; humanitas tamen ab illis aſſumpta eſt vna: ergo non ſunt dicendę plures homines, ſed vn⁹ homo ſimpliciter propter vnitatem humanitatis à tribus perſonis aſſumptę. Patet conſequentia; non enim videtur diſcriminis ratio aſſignabilis, cur tres perſonæ diuinę ab vna deitate ſint ſimpliciter vnus De⁹, quamvis in ratione perſonæ ſint plures, & ab vna humanitate non dicantur vnus homo ſimpliciter, quamvis ſuppoſita in humanitate ſubſiſtentia ſint ſuppoſitaliter plura.

Probatur ratione D. Thomæ.

Huic argumento reſpondet Medina tripliciter, primò ex Caietano, negando conſequentiam. Ratio autẽ differentiæ eſt, nam tribus perſonis diuinis, non ſolum convenit vna numero natura diuina, ſed etiã vnus numero Deus in diuinitate ſubſiſtens ſubſiſtentia abſoluta communi tribus perſonis; ideoque dicũtur ſimpliciter vnus Deus; in caſu autem noſtræ diſputationis, etſi tribus perſonis cõueniat vna numero humanitas, non tamen illis cõuenit vnus numero homo, quia non datur vnum ſubſiſtẽs in humanitate commune tribus perſonis: ideoque non poſſunt dici vnus homo abſolutè, & ſimpliciter, ſed tantùm ſecundum quid, & cum addito, nempè, ſecundum naturam humanam. Secũdò aſſignat aliam rationem diſcriminis, nempè, quòd diuina natura eſt idem cum perſonis; humanitas autem realiter ab illis diſtinguitur; ideoque ratione vnius diuinitatis, cum qua intimè identificantur, dicuntur ſimpliciter vnus Deus; ratione autem humanitatis, à qua realiter diſtinguuntur, non dicuntur vnus homo ſimpliciter, ſed tantùm ſecundum quid. Tertiò reſpondet, negando conſequentiam ob aliam differentiæ rationem; quia, ſcilicet, humanitas perſonæ diuinæ aduenit accidentaliter: vndè, hoc concretum *homo*, vt de Filio Dei dicitur, debet annumerari concretis accidẽtalibus; in his autem numerus adæquatè ſumitur à ſuppoſitis, quin ad hoc, quòd pluraliter prædicentur, formę multiplicitas requiratur; ac proindè, cũ in caſu, de quo diſputamus, ſuppoſita forent plura, quamvis natura eſſet vna, deberent dici plures homines ſimpliciter, & tantùm ſecundum quid vnus homo.

187 *Reſpondet Medina primò ex Caietano.*

Secundò reſpondetur.

Tertiò.

Denique Recentiores extra Scholam D. Thomę reſpondent, rationem diſcriminis inter diuinitatẽ, & humanitatem, vt illa ſingulariter de tribus perſonis prædicetur; humanitas autẽ pluraliter; eſſe nam *Deus* naturam diuinã ſignificat de formali, & in recto; ac proindè numerũ, vel vnitatẽ petit accipere ab illa: cumq; natura ſit vna

Vltimo reſpõdẽt Recẽtiores.

in

in tribus personis, rectè sunt, & dicuntur simpliciter vnus Deus; *homo* autē, prout dicitur de persona diuina nō significat humanitatē in recto, sed subsistentiam in humanitate: cumq; in prædicto casu, de quo nostra disputatio procedit, quamvis vna sit humanitas, subsistentiæ in illa sint plures, fit consequens, vt absolutè, & simpliciter debeant dici plures homines, casu in quo tres personæ diuinę eandem numero humanitatem assumant.

188 *Contra omnes solutiones facit.*

Nulla tamē ex his solutionibus argumento facto satisfacit: & in primis contra omnes facit, sequi ex illis D. Tho. ineptō prorsus exēplo vsum fuisse, vt explicaret, quid esset in prædicto casu dicendū, quoad vnitatē, vel pluralitatem, meliusq; facturū, si id explicuisset exēplo horum nominū *Omnipotens*, & *Æternus*, prout sumuntur adiectiuè: consequens non admittēt, ad minus nostri Thomistæ: ergo nec solutiones traditas admittere debēt. Probatur assūptū, nā iuxta euasiones prædictas, dispar est ratio quoad vnitatē, vel pluralitatē inter ly *Deus*, & ly *homo*, prout de diuinis prædicātur personis; nulla autē est disparitas inter ly *homo*, & ly *Omnipotēs*, & *Æternus* sūpta adiectiuè: ergo exēplū quo vsus est D. Thom. ineptū est; alia autē sunt aptissima: ergo his, & non illo, vti D. Tho. debuisset ad explicādum, quid esset in prædicto casu dicendū quoad vnitatē, vel pluralitatē, & an ly *homo* singulariter, vel pluraliter esset de personis assumentibus prædicādū. Antecedēs pro prima parte ex ipsis euasionibus constat; pro secunda verò probatur; nam tres personę diuinę dicūtur tres omnipotētes, & tres æterni simpliciter, sūptis his terminis adiectiuè, & in eadem acceptione possunt dici vnus omnipotens, & vnus æternus secundum quid: ergo, si tres diuinæ personæ assumentes eandē humanitatem dicuntur simpliciter plures homines, & vnus secundum quid; magis convenit ly *homo*, vt dicitur de personis diuinis, cum nominibus essentialibus sumptis adiectiuè, quam cum nominibus substantiuis, quale est hoc nomen *Deus*; ac proindè D. Thom. illa, & non ista debuisset in exemplum adducere, vt explicaret, quid esset in prædicto casu dicēdum, & an ly *homo* esset in singulari, vel in plurali de personis assumentibus prædicandum?

189. *Prima solutio reijcitur primò.*

Deindè in particulari prima solutio reijcitur primò: nam tres personas diuinas esse absolutè, & simpliciter vnū Deum est propositio de fide; quod autem in Deo detur subsistentia absoluta communis tribus personis est tātùm sententia probabilis: ergo illi alliganda non est veritas prædictæ propositionis, sed independentèr ab hac sententia est dicendum, tres personas esse vnum Deum absolutè, & simpliciter; quo dato, manet in suo robore argumentum, quo ex D. Thoma nostram sententiam monstrauimus.

Secūdò.

Secundò tradita solutio reijcitur: sequitur namque ex illa, posse in aliquo verò, & catholico sensu dici, personas diuinas esse tres Deos absolutè, & simpliciter: consequens absurdum est, nec hucusque ab aliquo admissū: ergo prima solutio insufficiens. Probatur sequela: dicuntur namque iuxta hanc solutionem, tres personæ diuinæ simpliciter vnus Deus, quia vnica subsistentia absoluta in deitate subsistunt; sed etiam subsistunt in deitate tribus subsistentijs distinctis, videlicet, relatiuis; ergo, prout sic subsistentes, potest catholicè dici, quod sunt plures Dij simpliciter.

Cōfirmatur.

Quod amplius vrgetur: quia namque habens deitatem constituitur per subsistere in illa, dicuntur tres personæ diuinæ vnum habens deitatem ratione vnius subsistentiæ communis, & plures habentes deitatem propter plures subsistentias relatiuas, quibus in illa subsistunt: ergo si *Deus* idem valet, quod *habens deitatem*, & ideò tres personę dicuntur simpliciter vnus Deus; quia vnica subsistentia absoluta in diuinitate subsistunt; quia etiam subsistunt in illa tribus subsistentijs relatiuis distinctis, sicut ratione illarum dicuntur tres habentes deitatem; dici etiam poterunt in aliquo vero sensu simpliciter plures Dij.

190 *Secunda solutio impugnatur.*

Nec magis secunda solutio satisfacit: nam identitas naturæ diuinæ cum personis, & negatio identitatis humanitatis cum illis, facit quidem vt deitas in abstracto verè prædicetur de personis, & humanitas in abstracto non possit verè prædicari de illis: vt autem vna, & non altera natura in concreto singulariter prædicetur, nihil conducere potest. Quod probo primò: nam prædicta differentia non tollit, quominus vtraque sumpta in concreto verè prædicetur de personis: ergo nec facit, quod vna singulariter, & alia pluraliter prædicetur de illis.

Assumpti probatur primo.

Secundò.

Secundò, nam si natura realitèr distincta à personis, quamvis vna sit, non prædicatur de illis in concreto singulariter, ideo erit, quia concretum talis naturæ, non ex illa adæquatè, sed simul cum subsistentia resultat, subsistentiæ autem sunt plures; sed quamvis natura diuina identificetur realiter cum personis; concretum tamen illius, non solum naturam dicit, sed etiam subsistentiam importat, & subsistentiæ sunt plures: ergo, si illa ratio est efficax, non prædicabitur de personis in concreto singulariter, quamvis cum illis realitèr identificetur.

Tertiò.

Denique id ipsum probatur: nam omnipotètia realitèr cum tribus personis identificatur; & tamen sumptum ly *omnipotens* adiectiuè, non singulariter, sed pluralitèr prædicatur de illis; sumptum autem substantiuè singularitèr prædicatur: ergo, quod ly *Deus* singularitèr de personis prædicetur, non prouenit ex identitate deitatis cum personis, sed quia illam substantiuè significat: cumque nomen *homo*, prout dicitur de diuinis personis, substantiuè etiam humanitatem significet, prædicabitur singularitèr de personis assumentibus, quāvis humanitas realitèr distinguatur ab illis.

191. *Tertia solutio reijcitur* 1.

Deindè tertia solutio reijcitur primò: vt enim docet D. Thomas *infra quæstione* 16. *art.* 1. homo de persona Verbi, non accidentaliter, sed essentialiter prædicatur, & hæc propositio: *Verbum est homo*, non est in materia remota, nec contingente, sed in materia necessaria: ergo iuxta D. Thomam homo, vt dicitur de persona diuina, non est concretum accidentale, sed concretum substantiale.

Secundò.

Secundò, nam esto esset concretum accidentale; ly tamen *homo* non est nomen adiectivum, sed substantivum, etiam prout de persona diuina prædicatur; sed ad pluralitatem nominum substantivorum non sufficit, quod multiplicentur suppositа, sed insuper est necessarium, quod forma multiplicetur, vt expresè docet D. Thomas *prima parte quæstione* 36. *artic.* 4. *& quæstione* 39. *artic.* 3. vbi hanc constituit differentiam inter nomina substantiua, & adiectiua: quòd hæc adæquatè numerum accipiunt à suppositis; illa verò numerum accipiunt à forma, non excludendo, sed potius exigendo simul pluralitatem suppositorum, vt rectè *ibi* Caietanus explicuit: ergo, quamvis homo, prout de Deo prædicatur, sit concretum accidentale, vt pluraliter prædicetur, præter multitudinem suppositorum, exigit pluralitatem formæ; ac proindè, cum in casu nostræ disputationis humanitas assumpta vna sit, quamvis plura sint suppositа assumentia humanitatem, & in illa subsistentia, non dicentur plures homines, sed vnus homo simplicitèr.

S. Tho.

192. *Contra vltimam solutionem facit primò.*

Tandem Recentiorum solutio reijcienda venit primò: nam *homo* de Filio Dei, & de nobis vniuocè prædicatur; at si vt dicitur de Verbo, in recto importaret subsistentiam, & prout dicitur de nobis in recto importaret naturam, non prædicaretur de Verbo, & de nobis vniuocè, cum natura creata, & subsistentia increata vniuocè non conueniant: ergo *homo*, vt dicitur de persona diuina, non subsistentiam, sed humanitatem in recto significat. Patet consequentia: nam, prout dicitur de nobis, non significat subsistentiam in recto, sed humanitatem, vt illi Recentiores fatentur.

193 *Secundò.*

Secundò reijcitur: si namque *homo*, vt dicitur de persona diuina, signi-

ficaret

Secundò. ficaret in recto subsistentiam, & in obliquo naturam, esset in significando idem, quod *persona*: consequens est falsum: ergo etiam falsum est, quod *homo*, vt dicitur de persona diuina, significet subsistentiam in recto, & naturam in obliquo. Sequela patet: nam *persona* in recto subsistentiam significat, & in obliquo rationalem naturã, & persona humana rationalem naturam humanam: ergo, si *homo*, vt dicitur de persona diuina, significat subsistentiam in recto, & naturam humanam in obliquo, significat idem, & eodem modo, quo significat *persona humana*; & consequenter erit idem, quod *persona* in significando. Falsitas autem consequentis probatur: nam persona nõ vniuocè, sed analogicè, dicitur de nobis, & Christo, cum Christus sit persona increata, nos autem personæ creatæ simus; sed *homo* de nobis, & de Christo prædicatur vniuocè: ergo, vt dicitur de Christo, & vt potest dici, & prædicari de quavis alia persona diuina, non significat idem, quod persona; & consequenter significatum eius formale, & in recto non est subsistentia in humanitate, sed humanitas ipsa.

194 *Tertiò.* Denique reiscitur: nam si *homo*, vt dicitur de persona diuina de formali in recto non significaret naturam, sed subsistentiam in illa, ideò esset, quia non pro natura supponit, sed pro habente naturam: at hæc ratio est nulla: ergo falsum est, quod ly *homo*, prout dicitur de persona diuina, significet de formali, & in recto subsistentiam in natura. Maior cum consequẽtia tenet; minor autem ostenditur primò: nam etiam, prout de nobis dicitur, non supponit pro natura in recto, sed pro habente naturam, aliàs hæc propositio esset falsa: *Petrus est homo*: sicut hæc est falsa: *Petrus est humanitas*; & tamen prout de nobis prædicatur, non significat subsistentiam, sed naturam humanam in recto, vt illi Recentiores fatentur: ergo ex eo, quod, prout dicitur de persona diuina, non supponat pro natura humana, sed pro habente naturã, non sequitur, quod prout sic, non naturam, sed subsistẽtiam in illa in recto de formali significet.

Minor ostenditur primò.

Secundò probatur minor: nam etiam ly *Deus* non supponit in recto pro natura diuina, sed pro habente naturam diuinam; & tamen non significat de formali, & in recto subsistentiam in diuinitate, sed diuinitatem ipsam, vt expressè docent allegati Recentiores: ergo ex eo, quod ly *homo*, vt dicitur de persona diuina, non pro natura, sed pro habente naturam supponat, malè infertur, non naturam, sed subsistentiam in illa de formali in recto significare. Minor cum consequentia tenet; maior autem probatur: si ly *Deus* supponeret in recto pro natura, & non pro habente naturam, pro eodem supponerent ly *Deus*, & ly *Deitas*; sed hoc asserendum non est, aliàs, sicut hæc est falsa, & hæretica propositio: *Deitas generat Deitatem*: ita hæc falsa, & hæretica esset: *Deus generat Deum*, cuius contrarium fatentur omnes Catholici: ergo ly *Deus* non supponit in recto pro natura diuina, sed pro habente naturam diuinam, & pro subsistente in illa.

195. *Secundò.*

196 *Confirmatur, & vrgetur.* Explicatur, & vrgetur: vt enim docet D. Thomas *prima parte, quæst. 39. artic. quarto*, quamvis *Deitas*, & *Deus* significent idem: quia tamen Deus significat deitatem, vt in habente, habet ex modo suæ significationis, vt possit pro personis supponere, & ideo hæc est vera: *Deus generat Deũ*; deitas autem, quia non significat deitatem, vt in habente, non potest pro personis supponere: vndè hæc est falsa propositio: *Deitas generat Deitatem*: ergo ly *Deus* non supponit pro natura diuina directè, sed pro habente naturam diuinam, & pro subsistente in illa; & tamen non significat de formali in recto subsistentiam, sed naturam; aliàs non significaret idẽ de formali, quod *Deitas*, cuius contrariũ à D. Thoma docetur: ergo ex eo, quod ly *homo*, vt dicitur de personis diuinis, non pro natura humana, sed pro illam habente supponat, perperam infertur, non naturam humanam, sed subsistentiam in illa de formali in recto significare.

197 *Concluditur in caſu propoſito tres perſonas dicendas eſſe vnũ hominẽ, quia ly homo nomẽ ſubſtantivũ eſt.*

Aſſerendum ergo eſt, quòd ſicut tres perſonæ diuinæ ſunt ſimpliciter vnus Deus propter vnam deitatem, quamvis ſint plura ſuppoſita: ita caſu, in quo vnam humanitatem aſſumerent, eſſent vnus homo ſimpliciter propter vnitatem naturæ, non obſtante pluralitate ſuppoſitorum, eo quòd *homo* nomen ſubſtantivum eſt; nomina autem ſubſtantiua, vt pluraliter dicantur, exigunt pluralitatem, non ſolum ſuppoſitorum, ſed etiam formæ per illa ſignificatæ: vndè, qualibet ex his pluralitatibus deficiente, non poſſunt prædicari pluraliter. Ex quo vlterius fit, vt debeant ſingulariter prædicari; ac proindè ſicut in caſu duplicis humanitatis aſſumptæ ab vna perſona diuina, diceretur vnus homo ob defectum multitudinis ſuppoſitorũ: ita in caſu eiuſdem humanitatis aſſũptæ à tribus perſonis vnus homo dicerentur ob defectum pluralitatis formæ, nempè, humanitatis, quam ly *homo* de formali ſignificat.

198 *Caietani motiua non vrgent. Nõ primum. Non ſecundũ.*

Nec vrgent Caietani motiua. Non primum; nam licet in eo caſu non eſſet vnus homo numero communis tribus perſonis vnitate numerica perſonali; eſſet tamen vnus numero homo vnitate numerica naturæ: & hæc vnitas ſufficeret, vt vnus homo ſimpliciter dicerentur, vt cõſtat ex dictis. Nec magis vrget ſecundum: nam *perſona humana* in recto, & de formali ſignificat perſonalitatem, & inſuper pro illa ſupponit: & quia in eo caſu eſſent tres perſonalitates, eſſent conſequenter tres perſonæ humanæ; homo autem ſignificat de formali naturam: vndè, vt dicatur pluraliter, petit naturæ pluralitatem, quæ in prædicto caſu non eſſet. Et quidem in Deo ſunt tres perſonæ diuinæ, & tamen non ſunt tres Dij, ſed vnꝰ ſimpliciter Deus: ergo ex eo, quod in caſu noſtræ diſputationis eſſent tres perſonæ humanæ, minus benè à Caietano infertur, fore neceſſariò tres homines. Nec tertium conuincit; falſum enim eſt, vnum hominem ſimpliciter conſtare ex vna natura, & ſimul ex vna perſona, ſed ſufficit ad illius vnitatem ſimpliciter vnitas ex parte naturæ: ſicut vnus Deus ſimpliciter vnitatem perſonalem non petit, ſed ſolum vnitatẽ naturæ. Et quidem, cum Caietanus *art.* 7. docear, in caſu duplicis humanitatis aſſumptæ ab vna perſona fore vnum hominem ſimpliciter, miror, quomodo *in præſenti*, ad vnum ſimpliciter hominem, petat vnitatem naturæ, & vnitatem perſonæ, nam in primo caſu vnitas naturę nõ datur; & tamẽ, vt Caietanus docet, datur vnus homo ſimpliciter.

Nec tertium.

199 *Fundamenta Medinæ nõ vrgent. Non primum.*

Nec etiam fundamenta Medinæ veritatem noſtrę reſolutionis expugnant. Ad primum reſpondeo, diſtinguendo maiorem: ſunt idem in ſupponendo, concedo maiorem: in modo ſignificandi, nego maiorem, & cõceſſa minori, nego conſequentiam: nam licet *homo*, & *habens humanitatem* pro eodem ſupponant; non tamen eodem modo ſignificant; nam ly *habens* ſignificat adiectiuè; *homo* verò ſubſtantiuè; & ideo ly *habens humanitatem* pluralitèr prædicatur ob ſolam pluralitatem ſuppoſitorũ; non autem ly *homo*, niſi adſit etiam pluralitas formę, ſcilicet, humanitatis, quã de formali ſignificat: ſicut hæc cõſequentia non valet: *Deus eſt idem, quòd habens deitatem; ſed tres perſonæ ſunt tres habentes deitatem: ergo ſunt tres Dij*: in qua præmiſſæ ſunt veræ; conſequentia autem eſt nulla, cum conſequens ſit hæreticum; & hoc propter eandem rationem; quia, nempè, quãuis *Deus*, & *habens deitatem* ſupponãt pro eodem; vnum tamen adiectiuè, & alterũ ſubſtantiuè ſignificat; ideoque habens deitatem pluraliter dicitur de perſonis, propter ſolam ſuppoſitorum multitudinem; *Deus* autem, quia ſubſtantiuè ſignificat, non pluralitèr, ſed ſingularitèr prædicatur de diuinis perſonis, quia, licet adſit multitudo ſuppoſitorum; non tamẽ adeſt naturæ pluralitas, & vtrumque neceſſarium erat, vt pluraliter diceretur. Quæ doctrina expreſſa eſt Angelici Præceptoris 1. *p. q.* 39. *art.* 3. *ad* 1. illis verbis: *Ad primum ergo dicendũ, quòd licet Deus ſignificet habentem deitatem; eſt tamen alius modus ſignificandi, nam Deus dicitur ſubſtãtiuè, ſed habens deitatem dicitur adiectiuè: vndè, licet ſint* S. Tho.

tres

tres habentes deitatem; non tamen sequitur, quòd sint tres Dij.

200 *Non secundum.*

Ad secundum dicatur: quòd sicut ista consequentia non tenet: *Pater, & Filius sunt vnus Deus*: ergo vel *iste, demonstrato Patre, vel iste, demonstrato Filio.* Antecedens enim est catholica veritas; consequens autem pro vtraque parte est falsum: ita consequentia à Medina facta non valet, & ob eandem rationem, nam prima, ideò non est bona, quia Deus, etsi sit vnus, est realiter tribus personis cõmunis; homo autem in dicto casu etiam est communis reali communitate tribus personis diuinis; ideoque non sequitur: *Pater, & Filius sunt vnus homo*: ergo vel *hic homo, demonstrato Patre, vel hic homo demonstrato Filio.* Et defectus in vtraque consequentia est; quia in illis fit argumẽtum à superiori ad inferius affirmatiuè. Quod argumentum bona consequentia nõ est in communi Dialecticorum doctrina.

201 *Non tertium.*

Ad tertium, distinguo maiorem: *Homo idem est, quòd suppositum humanum, vel quòd subsistens in natura humana*, identitate in supponendo, concedo maiorem: in significando, & in modo significandi, nego maiorem, & concessa minori, nego cõsequẽtiam. Quę solutio, & distinctio cõstat ex dictis *ad prim.* Medinæ *argum.* & quidem persona diuina, & Deus idem sunt in supponẽdo, hoc est, pro eodem possunt supponere; & tamen, quia persona diuina personalitatem significat de formali, & dantur plures personalitates; Deus autem de formali significat deitatem, quæ vna, & indiuisa est, ideò dantur in Deo plures personæ diuinæ; secus autem plures Dij. Pariter ergo *in præsenti*, quamvis *homo*, & *suppositum humanum*, idem sint in supponẽdo; quia tamen forma significata per ly *humanum suppositum*, non est natura, sed personalitas, quæ in prædicto casu multiplicatur; forma autem significata per ly *homo*, est humana natura, quæ præsupponitur vna assumpta à tribus personis, ex eo quòd in casu à Nobis supposito darẽtur plura supposita humana, perperam infert Medina, etiam fore plures homines. Quę doctrina est expressa D. Thomæ 1. p. q. 39. art. 3. ad 4. quod ita procedebat: *Sicut hoc nomen Deus significat habentem deitatem: ita hoc nomen, persona, significat subsistentem in natura aliqua intellectuali; sed dicimus tres personas: ergo eadem ratione dicere possumus tres Deos.* Quod argumẽtum est prorsus idem cum argumento Medinæ, sola materia mutata, illique Angelicus Doctor, his verbis respondet: *Ad quartum dicendum, quod forma significata, per hoc nomen, persona, non est essentia, vel natura, sed personalitas: vndè, cum sint tres personalitates, ideſt, tres personales proprietates in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, non singulariter, sed pluraliter prædicatur de tribus.* Hæc D. Thom. quę cum argumento collata, idem valent, ac si diceret, quòd licet hoc nomen *Deus*, & hoc nomen *persona diuina* in supponendo sint idem; quia tamen non sunt idẽ in forma significata, ideò ex eo, quòd in Deo plures cõstituantur personæ, & ly *persona diuina* pluraliter prædicetur, non sequitur, plures Deos admittendos, nec nomen *Deus* pluraliter prædicandum. Quæ est ipsissima nostræ solutionis doctrina.

S. Tho.

Ad vltimum, nego antecedens: sicut enim tres personæ diuinæ assumẽtes vnam humanitatem essent vnus homo simpliciter: ita si Angelus, & vna persona, vel plures personæ diuinæ assumerent vnam naturam humanam, omnes essent vnus simpliciter homo propter naturę vnitatem. Nec obstat probatio in contra; nam secundum naturam humanam, tam Angelus, quam personæ diuinę assumentes humanitatem, essent aliquid creatum; secundum personalitatem verò, Angelus in humanitate subsistens esset creatura; secus autem personæ diuinę assumentes simul cum Angelo humanitatem: ex quo tolum sequitur in prædicto casu distinctio suppositorum subsistentium in humanitate. Quæ, vt ex dictis habetur, non obstat, vt *homo* in concreto sumptum singulariter prędicetur, si vna sit humanitas, quam de formali significat, vt in casu nostrę disputationis supponitur. Et ex his ad augmentum difficultatis

202 *Si Angelus, & Deę eandem assumerent humanitatẽ, essent vnus homo.*

Probatio in cõtra non obstat.

Nec augmentum difficultatis.

cultatis conſtat ſolutio; nam caſu, in quo Verbum humanitatem relinqueret, ſuppoſitum reſultans ex relicta humanitate eſſet quidem ſuppoſitaliter à Verbo diſtinctum, in ratione tamen hominis non diſtingueretur ab illo: vndè, ly *homo*, non pluraliter, ſed ſingulariter de Verbo, & de ſuppoſito nouitèr reſultante prædicari deberet, niſi forte ad prędictam vnitatem, & ſingularitatem præter vnitatem formę ſignificatæ, ſimultas temporis requiratur, quę in caſu confirmationis non adeſſet.

§. Vltimus.

Occurritur quarto argumento, & inter nomen numerale, & nomen vnitatis differentia explicatur.

203 *Ad vltimũ argumentum reſpondetur, negãdo cõſequentiam.*

HIS IGITVR ita ſtatutis, ad vltimum argumentum principale, cuius occaſione ſunt dicta, reſpondeo, concedendo antecedens, & negando conſequentiam: ad cuius primam probationem, conceſſo etiam antecedenti, nego conſequentiam: nam ad vnitatem nominis ſubſtantiui ſufficit, vel vnitas formæ, vel vnitas ſuppoſiti: vndè in quocumque iſtorum ſit vnitas, ſingulariter prędicatur; ad pluralitatem autem nominis ſubſtantiui non ſufficit pluralitas formæ, vel pluralitas ſuppoſiti, ſed vtriuſque pluralitas eſt neceſſaria; & ideò, quamuis ſint plures humanitates, ſi ſuppoſita plura non ſunt, non dicuntur plures homines, ſed vnus homo: & è contra, ſi humanitas ſit vna, quamvis ſint plura ſuppoſita, non plures homines, ſed vnus homo dicuntur.

Ad primã probationẽ.

Ad ſecundam probationem dicatur, oppoſitorum eſſe eandem rationem quoad ſciri, hoc eſt, eandem diſciplinam; ſub eadem enim ſciẽtia oppoſita, vt oppoſita cadunt: quoad eſſe tamen, non eſt eadem oppoſitorum ratio, ſed potius oppoſita: vndè, quamuis de gratia, & peccato, vt gratiæ oppoſito, eadem ſit diſciplina, eademque ſcientia circa vtrumque verſetur; in eſſendo tamen non eſt eadem vtriuſque ratio, ſed prorſus diuerſa; nam gratia à ſolo Deo fit, & non in potentia naturali, ſed in potentia obedientiali animæ recipitur; peccatum verò non cauſatur à Deo, ſed à voluntate creata, vt à prima cauſa defectibili prouenit, nec in potentia obedientiali animæ, ſed in naturali recipitur; ac proindè ex eo quòd vnitas formæ ad vnitatem cõcreti ſubſtantiui ſufficiat, & vnitas, & pluralitas opponantur inter ſe, non ſequitur, quòd pluralitas formę ſit ſufficiens, vt concretum ſubſtantivum pluraliter prædicetur.

204 *Ad ſecũdam probationẽ dicatur primò.*

Vel ſecundò reſponderi poteſt, conceſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens: ſi ad vnitatem hominis ſufficit vnitas humanitatis ſolum, ad pluralitatem ſufficit humanitatis pluralitas, concedo conſequentiam, ſed nego ſuppoſitum: ſi ſufficiat vnitas humanitatis, vel ſuppoſiti diſiunctim, nego conſequentiam: cum enim ad vnitatem concreti ſubſtantiui non requiratur vnitas formæ, nec vnitas ſuppoſiti determinatè, ſed vnitas formæ, vel vnitas ſuppoſiti diſiunctim ſufficiat; conſequens ſit, quòd ad illius pluralitatem requiratur vtriuſque pluralitas, nempè, ſuppoſiti, & formæ: & ſic ſaluatur, oppoſitorum eandem eſſe rationem, non identicè, ſed proportionabiliter.

205 *Secũdò.*

Ad tertiam probationem conſequentiæ, qua petitur ratio diſcriminis, ob quam ad vnitatem concreti ſubſtantiui ſufficit vnitas formæ; ad pluralitatem autem pluralitas formę non ſufficit, ſed vlterius requiritur multiplicatio ſuppoſitorũ: variè occurritur ab Auctoribus noſtræ ſententiæ. Lorca vbi *ſupra* reſpondet, eam eſſe

206 *Ad tertiã conſequentiæ probationẽ variè occurritur. Lorca Reſpondet.*

esse rationem, quia, nempè, vnitas formæ constituentis dat constituto vnitatem; vnitas autem constituti impedit pluralitatem: & quia in casu eiusdem humanitatis assumptæ à tribus personis forma constituens est vna, est vnitas constituti; ac per consequens vnus homo; quia autem in casu vnius personæ assumẽtis duas naturas constitutum est vnum, illius vnitas impedit, vt à duabus humanitatibus duo homines consurgant.

207 *Impugnatur.*

Sed, vt verum fatear, non satis percipio rationem discriminis à Magistro Lorca assignatam; nam in primo casu supponitur pluralitas ex parte constituti, scilicet, ex parte personarum assumentium eandem humanitatem, quæ in ratione hominis per illam constituuntur, & vnitas formæ constituentis; in secundo autem casu supponitur vnitas personæ assumentis, & pluralitas ex parte formæ, scilicet, humanitatis constituentis in ratione hominis, inquiro à prædicto Magistro, cur in secundo casu vnitas constituti, scilicet, personæ assumentis impedit pluralitatem à forma constituente, & in primo casu pluralitas constituti, ideſt, ſuppoſitorum aſſumentium eandem humanitatem, non impedit vnitatem à forma præſtandam, hoc eſt, vt ab illa perſonæ aſſumentes vnitatem recipiant? Huius rei ratio petitur in argumento, & à Magiſto Lorca non datur: ergo argumentum non ſoluit.

208 *Secũdò reſpõdet Suarez.*

Suarez *diſput. allegata* eam diſcriminis rationem aſſignat; quia, nempè, ad pluralitatem requiritur negatio vnionis rerum, quæ plures dicuntur; ad vnitatem autem realis conuenientia ſufficit: & quia, ſiuè forma ſit vna, & ſuppoſita ſint plura, ſiuè ſuppoſitum ſit vnum, & formæ plurificentur, datur realis conuenientia, vel formarum in ſuppoſito, vel ſuppoſitorum in forma, & non vnionis negatio, ſit conſequens, vt ad pluralitatem cõcreti ſubſtantiui, & vt nomẽ ſubſtantivum pluraliter prædicetur, petatur pluralitas formæ, & pluralitas ſuppoſitorum; ad vnitatem autem concreti ſubſtantiui, & vt nomen ſubſtantivum prædicetur ſingulariter, vnitas cuiuſvis illorum, nempè, aut ſuppoſiti, aut formæ, diſiunctiuè ſufficiat.

Ceterum, quamvis hæc ratio diſcriminis proximius ad veritatẽ, quam præcedens, accedat; non tamen plenè ſatisfacit, & reijcitur primò: nomina enim adiectiua dicuntur pluraliter abſolutè, & ſimpliciter, ſi ſuppoſita ſint plura, quavis forma per illa ſignificata ſit vna, vt omnes fatentur; & tamen, quando forma eſt vna datur cõvenientia ſuppoſitorũ in illa: ergo pluralitas abſolutè, & ſimpliciter talis, non dicit omnimodam diuiſionem, nec omnem cõvenientiam excludit ab iis, quæ plura dicuntur, vel pluraliter prædicantur; & conſequenter, quamvis tres perſonæ diuinæ in vna, & eadem humanitate conveniant, dici poterunt plures homines abſolutè, & ſimpliciter, niſi aliundè repugnantia proueniat.

209 *Non plenè ſatisfacit primò.*

Deinde, nam ſicut pluralitas dicit diuiſionem illorum, quæ plura dicuntur: ita vnitas in entis indiuiſione conſiſtit: vnum namque diffinitur per hoc, quòd *ſit indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio*: ergo, ſi hoc nõ obſtante, ſtat vnitas realis ſimpliciter cũ diuiſione, vel diſtinctione reali ex aliquo capite, ſtare etiam poterit pluralitas realis ſimpliciter cum conueniẽtia reali ex aliquo capite, vel cum cõuenientia reali in aliquo prædicato, & conſequenter, quamvis plura ſuppoſita conveniant in vna forma, vel plures formæ conueniant in vno ſuppoſito, non obſtabunt conuenientiæ prædictæ, vt concreta reſultantia ſimpliciter plura dicantur, & nomina illa ſignificantia pluraliter prædicentur, niſi aliundè ratio petatur.

Secũdò.

210 *Tertia ſolutio.*

Aliorum ſolutio, & præcedenti proximè affinis, eſt, rationem, quarè tres perſonæ aſſumentes eandem humanitatem dicantur vnus homo ſimpliciter, eam eſſe, quia, ſcilicet, ſimpliciter in humanitate conveniunt, & realiter vniuntur in illa; vnitas autẽ in reali conuenientia, vel in vnione reali conſiſtit: cum verò, vna perſona diuina duas aſſumeret humanitates, non poſſet dici duo homines, nã duo homines ſunt alius, & alius homo; tũc

autem nō eſſent alius, & alius homo, quia vnus homo non prædicatur realiter de alio; in eo autem caſu, perſona vni humanitati vnita, prædicaretur de ſe ipſa vnita alteri humanitati: vndè, ſi vt aſſumens vnā appellaretur *Ieſus*, & vt aſſumens aliā vocaretur *Petrus*, verum eſſet dicere: *Petrus eſt Ieſus*, & etiam verum eſſet dicere: *Ieſus eſt Petrus*; ac per cōſequens, non eſſent duo homines, ſed vnus homo; duo namq; homines taliter inter ſe comparātur, vt vnus de alio, nec identicè prædicetur. Ex quo vlterius fit, vt pluralitas concreti ſubſtantiui petat vtriuſque partis concreti pluralitatem; vnitas autem illius, ſolum expoſcat vnitatē alicuius partis, nempè, formalis, aut materialis, & hæc vnitas ſufficiat, vt nomen ſubſtantivum concretum ſingulariter prædicetur.

211. *Diſcurſus iſte difficilis redditur primò.*

Sed etiam diſcurſus iſte redditur ex dictis difficilis. Primò, nam ſicut pluralitas conſiſtit in diuiſione: ita vnitas in indiuiſione conſiſtit; ſed, hoc non obſtante, ſtare poteſt vnitas realis ſimpliciter cum hoc, quòd illa, quę dicuntur vnum, de ſe invicem negentur, & vnum non prædicetur verè de alio: ergo pariter ſtare poterit realis pluralitas abſolutè, & ſimplicitèr cum hoc, quòd vnum de alio realitèr affirmetur, & prædicetur; & conſequenter ex eo, quòd perſona diuina vnam humanitatem aſſumens prædicetur de ſe ipſa aliam humanitatem aſſumente, non ſequitur, eſſe vnum hominem abſolutè, & ſimpliciter ſub vtraque humanitate, & non poſſe plures homines ſimpliciter dici. Maior cum conſequentia tenet; minor autem probatur: nam in caſu humanitatis aſſumptæ à tribus perſonis diuinis, perſonæ aſſumentes dicuntur vnus homo ſimplicitèr iuxta Auctores iſtius ſolutionis; & tamen vna perſona diuina realitèr negatur de alia, nam iſtæ propoſitiones eſſent verę: *Pater humanitatem aſſumens, non eſt Filius aſſumens humanitatem*, & è contra: ergo cum vnitate reali ſimpliciter inter duo, ſtat realis vnius de altero vera negatio; & conſequentèr cum pluralitate reali inter aliqua ſtare poterit realis, & vera vnius de altero affirmatio.

212. *Secūdò.*

Deindè, nam eſto ex doctrina traditæ ſolutionis habeatur, vnam perſonam aſſumentem duas humanitates, eſſe vnum hominem ſimpliciter; non tamen habetur, ex illa in caſu humanitatis aſſumptę à tribus perſonis, eſſe etiam ſimpliciter vnum hominem: ergo ex tradita doctrina non infertur, vnitatem concreti ſubſtantiui ſaluari, vel cum vnitate formæ, vel cum vnitate ſubſtracti diſiunctim, & conſequenter nec ſequitur, ad pluralitatem ſimpliciter illius, & vt nomen ſubſtantivum concretum pluraliter prædicetur, vtriuſque partis materialis, nempè, & formalis pluralitatem expoſci, quod eſt prædictorum Auctorum, & noſtrum intentum. Probatur antecedens: nam in hoc ſecundo caſu vna perſona verè, & realitèr negatur de alia eandem humanitatē aſſumente, vt conſtat ex dictis: ergo, eſto hoc requiratur ad pluralitatem ſimpliciter, non ideò excluditur realis pluralitas in ratione hominis à tribus perſonis diuinis, caſu in quo aſſumant eandem humanitatem.

213. *Vera reſolutio traditur*

Ex his conſtat, rationem conuincentem diſcriminis, non poſſe aſſignari, totumque ex modo cōcipiendi dependere. Et quidem, ſi ad pluralitatem concreti ſubſtantiui requiritur pluralitas formæ, & etiam pluralitas ſuppoſiti, qualibet ex his deficiente, erit ſimplicitèr vnum, nomenque illud ſignificans ſingulariter abſolutè prędicabitur. Quod patet: nam inter vnum, & multa medium non datur; ſed requiſitis ad pluralitatem cōcreti ſubſtantiui pluralitate formę, & pluralitate ſuppoſitorum, qualibet deficiente, non poteſt plurificari, nec eſſe ſimplicitèr plura: ergo erit ſimplicitèr vnum. Quod autem requiratur ad pluralitatem concreti ſubſtantiui pluralitas formæ ſignificatæ, docet expreſsè D. Thom. 1. *p. q.* 36 *art.* 4. & *quæſt.* 39. *art.* 3. probatque ex eo, quòd forma ſignificatur per cōcretū ſubſtantivum, vt dans eſſe concreto, & ſubſtracto, & conſequētèr vt præſtans vnitatem, vel pluralitatem ad

Requiri pluralitatē formæ, probatur ex D. Th.

diffe-

differentiam nominis adiectiui, quod, quia non significat formam, vt per se stantem, nec vt dantē esse subsistacto, sed potius vt accipientem esse ab illo, adæquatè numeratur, & multiplicatur ad pluralitatem suppositorum: & hęc sola sufficit, quamuis forma significata sit vna, vt nomen adiectivum pluraliter prædicetur.

214. *Quod nō sufficiat pluralitas formæ, probatur.*

Cæterum, quòd non sufficiat pluralitas solius formæ, sed vlterius necessaria sit suppositorum pluralitas, vt concretum substantivum realiter pluri ficetur, & nomen illud significans posit pluraliter prędicari, docet Angelicus Doctor *q. 36. allegata art. 4. ad 2. arg.* vbi ait, Patrē non posse dici plura principia, quamvis vna proprietate sit principium Filij, & alia sit principium Spiritus Sancti: *Quia implicaretur pluralitas suppositorum*; & *in præsenti q. art. 7. ad 2.* eandem doctrinam repetit, probatque: nominibus namque vtendum est, prout sunt ad significandum imposita, quæ impositio sumenda est ex ijs, quæ apud nos contingunt; in his autem nunquam nomen, siuè adiectivū, siuè substantivum sit, pluraliter dicitur, nisi intercedat pluralitas suppositorum, quod exemplis *superius* adductis demonstrat: ergo ad pluralitatem concreti substantiui, & vt nomen substantivum concretū pluraliter prædicetur, non sufficit pluralitas formæ significatæ, sed insuper est necessaria multitudo suppositorum, & consequenter, qualibet ex his deficiente, singulariter prędicabitur, & vnitas concreti consurget: vt enim *num. præced.* asserebamus, inter vnum, & multa medium non datur; ac proindè, quod sufficit ad pluralitatem, vel multitudinē vitandam, sufficit etiam ad vnitatem simpliciter inducendam in ente, quod existens supponitur.

215. *Opponēs primò.*

Sed oppones primò: in ijs, quæ apud nos contingunt, nunquam invenitur vna, & eadem forma in pluribus subiectis existens: ergo, si modus iste loquendi, & significandi sumendus est ex ijs, quæ in nobis eveniunt, non potest exindè inferri, cōcretum substantivum prædicari singulariter propter solam vnitatem formæ si intercedat suppositorum pluralitas. Respondeo primò, prætermisso antecedenti, concedendo consequentiam, nec hoc necessarium est, vt doctrinā D. Thom. subsistat, nam regulam ex ista parte, nempè, vt nomen concretum singulariter prædicetur, à priori à D. Tho. probatur ratione iam assignata, quia, nempè, nomen substantivum concretum significat formam, non per modum adiacentis, & accipientis esse à substracto, sed per modum per se stātis, & per modum dantis esse; atque adeò per modum dantis vnitatē: ideoque necessarium non fuit illam exemplis monstrare, sed sufficit, quòd exēpla in contrarium non sint. *Respōdetur primò.*

216. *Respondetur secundo.*

Vel secundò respondetur, distinguendo antecedens: in ijs, quæ apud nos contingunt, non invenitur vna forma vnitate simplicitatis in pluribus subiectis existens, concedo antecedens: vna vnitate ordinis, nego antecedens, & consequentiā: vt enim docet D. Thom. *locis allegatis supra*, plures homines dicuntur vnus populus. vnus exercitus. vnū Collegium. quia hæc nomina substantiua sunt, propter vnitatem formę, quam illorum quod libet significat de formali, non quidē propter vnitatē simplicitatis, sed ordinis: populus namque, exercitus, & Collegium hac sola vnitate gaudent; eum tamen vnum habitantes Collegium plures Collegiari dicantur; quia hoc nomen, nō substantivum, sed adiectivum est. Et quia in creaturis vna, & eadem forma numero vnitate simplicitatis, non potest in pluribus subiectis inveniri, fit consequens, vt modus iste loquendi, & significandi, ascendendo ad diuina, non ex vna forma vnitate simplicitatis apud nos in pluribus subiectis inventa, sed ex vna forma vnitate ordinis dante sufficienter concreto substantiuo vnitatem, sit desumendus.

217. *Opponēs secundò.*

Replicabis secundò: humanitas non dat esse Verbo, sed illud in suo esse completissimè constitutum supponit, idemque dicendum de qualibet persona diuina, cui potest vniri: ergo *hom.*, vt dicitur de Filio Dei, potestque dici de alijs personis diuinis, debet com-

computari inter nomina adiectiua illorumque leges ſequi; non autem inter nomina concreta ſubſtantiua, quoad hoc, quòd eſt pluraliter prædicari ob ſolam pluralitatem ſuppoſitorũ, non expectata multiplicatione formæ, & cõſequẽter in caſu, de quo modò diſputamus, nẽpè; quòd plures perſonæ eandem humanitatem aſſumerent, nõ eſſent vnus homo, ſed plures homines abſolutè, & ſimpliciter. Antecedẽs eſt certum; conſequentia autẽ patet: etenim nomina adiectiua, ideò prædicantur pluraliter ex ſola multitudine ſuppoſitorum, non requiſita, ad hoc, pluralitate formæ, quã de formali ſignificant, quia forma ſignificata adiectiuè, non dat eſſe ſubiecto: ergo, ſi humanitas non dat eſſe perſonę diuinæ, cui vnitur, ſed illam plenè conſtitutã ſupponit, computari debet inter nomina adiectiua, non autem inter ſubſtãtiua, quoad hoc, quod eſt, pluraliter prædicari ob ſolam pluralitatẽ ſuppoſitorũ abſq; pluralitate formæ; & conſequenter in caſu, quẽ examinamꝰ, quãuis humanitas eſſet vna, quia tamen ſuppoſita plura forent, perſonæ illam aſſumẽtes, non vnus homo, ſed tres homines abſolutè, & ſimpliciter dici deberent, quę eſt ſententia Caietani, & Medinę.

218 *Reſpondetur.* Reſpondeo, conceſſo antecedẽti, negando conſequentiã, ad probationẽ dicatur, modũ prædicationis in terminis non attẽdi penès rẽ ſignificatã, ſed penès modũ ſignificandi, licet autẽ humanitas Verbo in re adveniat, ſupponendo illius conſtitutionẽ intrinſecã, & nõ præſtando illi eſſe, ſed ab illo eſſe accipiendo; ex modo tamen ſignificandi Chriſtum per iſtum terminũ *homo*, importatur, vt dans eſſe, & nõ vt accidẽs, ſed vt ſubſtãtia ſignificatur, ideoque quoad hoc, quòd eſt pluraliter, vel ſingulariter prædicari, regulari nõ debet per leges nominũ adiectiuorũ, nec computari inter illa, ſed inter cõcreta ſubſtantiua, & ſubſtantialia. Et quidem formale ſignificatũ huius nominis *omnipotens*, etiã adiectiuè ſumpti, non eſt accidens, ſed ſubſtantia, nec in re accidentaliter, ſed eſſentialiter conuenit tribus diuinis perſonis; quia tamẽ adiectiuè ſignificatur, & per modum accidentis non conſtituentis, nec ſecum afferentis ſuum ſuppoſitũ, non ſingulariter, ſed pluraliter de diuinis perſonis prædicatur: ergo è contra, quãvis humanitas reipſa non det eſſe perſonæ diuinę, cui vnitur; quia tamẽ ex modo ſignificandi per ly *homo* importatur per modum perſeſtantis, dãtiſq; eſſe, non debet eõputari inter nomina adiectiua, ſed inter nomina ſubſtantiua, & iſtorum leges ſequi, quoad hoc, quòd eſt ſingulariter, vel pluraliter prædicari, & conſequenter in caſu vnius humanitatis aſſumptæ à tribus perſonis, quãvis plura ſint ſuppoſita, quia humanitas eſt vna, illamq; ly *homo* de formali ſignificat, dici debent perſonę illam aſſumentes, non plures homines, ſed vnus homo abſolutè, & ſimpliciter, quod contra Caietanũ, & Medinã, Angelicũ Doctorẽ ſequẽdo, aſſerit noſtra ſententia. Vndè, ad probationẽ conſequentię, diſtinguendum eſt antecedens: adiectiua ideò dicũtur pluraliter ex ſola multitudine ſuppoſitorũ, quia forma per illa ſignificata nõ dat eſſe in re, nego antecedẽs: quia non dat eſſe in modo ſignificationis, & acceptionis, concedo antecedens, & nego conſequentiam, ob ea, quæ proximè dicebamus.

219 *Primũ corollarium.* Ex dictis ſequitur primò, quod, ſi Verbum humanitatẽ aſſumptã relinqueret, & aliam numero diſtinctam aſſumeret, eſſet *vnus homo*, non *plures homines*, abſolutè, & ſimpliciter dicendũ. Quod patet: nã licet humanitates eſſent diſtinctæ, eſſet vnũ ſuppoſitum in illis ſubſiſtens; ſed ad pluralitatẽ hominis, & vt nomen *homo* pluraliter prædicetur, tam formæ, quã ſuppoſiti pluralitas eſt neceſſaria, vt habetur ex dictis: ergo in illo caſu, quãvis humanitates eſſẽt diſtinctæ, Verbũ in illis ſubſiſtẽs nõ eſſet plures homines, ſed vnꝰ homo abſolutè, et ſimpliciter.

220 *Secundũ corollarium.* Secundò ex dictis colligitur, quòd, ſi Verbũ humanitatẽ relinqueret, quo in caſu, propria ſubſiſtentia humanitati ab intrinſeco debita reſultaret; ſuppoſitum creatũ ex humanitate, & propria ſubſiſtentia conſtitutũ eſſet vnus homo cũ Verbo antecedenter in humanitate ſubſiſtente. Quod patet eadẽ

ratio-

ratione: nã licet ſuppoſita in humanitate ſubſiſtentia realitèr diſtinguerentur, humanitas eſſet vna: ergo homo de Verbo, & de ſuppoſito creato, non poſſet pluralitèr dici; ac per cõſequẽs de illis deberet ſingulariter prędicari.

221. *Tertium corollarium.*

Denique infertur ex dictis, quòd, ſi tres perſonę diuinæ aſſumerent ſimul tres humanitates diſtinctas, dicendæ eſſent *plures homines* ſimpliciter, prout ſubſiſtẽtes in tribus humanitatib⁹, & *vnus homo* ſimpliciter, prout ſubſiſtentes in vna humanitate. Primũ patet: nã prout ſubſiſtẽtes in trib⁹ humanitatibus, eſſet in illis pluralitas ex parte formæ, & pluralitas ex parte ſuppoſiti; ſed hoc ſufficit, vt cõcretũ ſubſtantivũ abſolutè, & ſimplicitèr pluraliter prædicetur: ergo perſonæ aſſumẽtes tres humanitates diſtinctas, prout in illis ſubſiſtentes, ſimplicitèr eſſent tres homines. Secundũ probatur ratione ſæpè aſsignata: nã tres perſonæ diuinæ cõſideratæ, prout in vna humanitate ſubſiſtentes, licet ſint plura ſuppoſita, nõ tamẽ in illis ſunt plures humanitates ſub hac conſideratione; ſed vt nomẽ *homo* pluralitèr prædicetur, ex vtroq; capite eſt neceſſaria pluralitas: ergo nomen *homo* de illis conſideratis, prout in vna humanitate ſubſiſtentibus, non poſſet dici pluralitèr, ac per conſequens deberet de illis ſub hac cõſideratione inſpectis ſingulariter prædicari. Et hæc de ista diſputatione applicanda litteræ Magiſtri *in 3. diſt. 4. §. 3.* ad illa verba: *Si verò quæritur, an Pater, &c.*

Secunda pars eiuſdẽ corollarij probatur.

M. Sẽt.

DISPVTATIO DECIMASEPTIMA.

Vtrùm perſonà creatà poſsit de potentiâ abſoluta alienam terminare naturam?

§. I.

Quibuſdam præſuppoſitis, eligitur vera ſententia.

Nu. 1. *Supponitur primò.*

IN *hac diſputatione* tria ſupponim⁹, & vnum in examen vocamus. Primũ, quod ſupponimus eſt, non poſſe perſonã creatã, etiam de potentia abſoluta, ſibi aſſumere naturam alienam, vt principium aſſumptionis, tanquam cauſa principalis illius, in quo omnes Theologi conueniunt, nullo diſſentiente, quem viderim; id adeò certum cenſentes, vt rationem eius probatiuam aſsignare non curauerint; forſan tamen inferius à Nobis obitèr examinabitur huius veritatis ratio.

2. *Supponitur ſecũdò.*

Secundum, quod ſupponimus, eſt, nec etiam per modum termini, poſſe perſonalitatem creatam alienæ naturæ vniri, potentia ſibi connaturali, in quo nullus Theologorum diſſentit. *Probatur primò.* Et patet primò: nam id ad minus conuincunt rationes *infra* adducendæ ad probandum, repugnare de potentia abſoluta, perſonalitatem creatã alie-

næ naturæ vniri, illam terminare, ſubſiſtentemque, & perſonatam conſtituere. Deindè, nam accidens nō poteſt connaturaliter extraneo ſubiecto inhærere. Paſsio vnius naturæ nō poteſt connaturaliter alteri naturę competere. Punctum vnam lineam terminans non poteſt naturali potentia, aliam lineam terminare, nec modus alicuius ſubiecti poteſt extraneū ſubiectum modificare: ergo pariter perſonalitas creata non poteſt, ſaltim de lege ordinaria, & potentia ſibi connaturali, vniri alienæ naturæ, illam perſonare, ſubſiſtentemque conſtituere.

Secūdò.

3. *Tertio ſupponitur.*

Tertiò ſupponimus, quòd, ſi perſonalitas creata, non in poſitiua entitate, ſed in negatione conſiſtat, vt probabile cenſent Scotiſtę, non poteſt de potentia abſoluta terminare naturam alienam, illamq; reddere ſubſiſtentē, quod licet nōnulli Recētiores, vt exploratū omninò, & ab omnib⁹ admiſsū ſupponāt; negatur tamē à Philippo Fabro *in 3 diſt. 1. diſp. 6. cap. 1.* quem cum alijs refert, & probabilitèr ſequitur Franciſcus del Caſtillo *diſput. 6. de Incarnatione q. 6 n. 11.* Noſtram tamen ſuppoſitionem tenent communiter Theologi. Illam probat Bernal vbi *infra n. 54.* vt enim natura creata aliena perſonalitate ſubſiſtat, & per illam terminetur, debet vniri per phyſicam vnionem cum illa; ſed implicat phyſica vnio naturę cum negatione: ergo implicat, perſonalitatem creatā, ſi nō in poſitiua entitate, ſed in negatione conſiſtat, vt contendunt Scoti Diſcipuli, alienam terminare naturā. Hæc tamen ratio, vel deſtruit ſuppoſitionē, vel eſt ab arguēte ſolvenda. Quod probo: nam ſi perſonalitas creata in negatione conſiſtit, natura, cuius eſt perſonalitas, cū illa phyſicè vnitur; non enim poteſt effectum ab ea recipere, niſi media phyſica vnione, cum effectus phyſicus ſit, nempè, phyſica conſtitutio perſonæ, & phyſica terminatio naturæ: ergo, hac ſententia præſuppoſita, negatio capax eſt terminandi phyſicā alterius vnionē, & vt phyſicè cum altero vniatur; ac proindè ratio à prædicto Auctore facta, vel deſtruit ſuppoſitionē, quòd, ſcilicet, perſonalitas in negatione cōſiſtat, vel ab ipſo debet ſolui.

Fabr. Caſtillo.

Quod probat Bernal vbi infra.

Illius ratio impugnatur.

Si dicas, naturam creatam, in ordine ad propriam ſubſiſtentiam, vnione non indigere, ſed ſe ipſa illi alligari; quod autem aliena ſubſiſtentia ſubſiſtat, non poteſt contingere, abſque phyſica vnione cum illa, quam negatio pura terminare non poteſt. In cōtrariū obſtat; quòd enim natura creata ſit propriæ ſubſiſtētię affixa, de quo modò non diſputamus, non tollit, quòd cum illa ſit phyſicè vnita; ſed tantùm infert, quòd modo vnionis à ſe diſtincto non egeat, vt illi vniatur, ab illaque terminetur; ſed, dato, quòd pura negatio poſsit terminare vnionē phyſicā indiſtinctā à natura, quā terminat, nō eſt, cur illi repugnet terminare vnionē phyſicā, quę à natura, quā terminat, diſtinguatur; nō enim poteſt in hoc diſcrimen aliquod aſsignari: ergo, admiſſo, quod perſonalitas creata in pura negatione conſiſtat, non poteſt cōſequentèr ad hanc ſuppoſitionem impoſsibile cenſeri, quòd alienā terminet naturam, illamque perſonam conſtituat, ex eo, quòd non poſsit, eſſe terminus phyſicæ vnionis.

4. *Si dicas*

In cōtrarium obſtat.

Vndè aliter eſt ſuadenda huiuſcemodi impoſsibilitas. Primò: quia negatio, in qua perſonalitas conſiſtit ſe ipſa vnitur propriæ naturę; ſed quia modus vnionis ſe ipſo vnitur proprio ſubiecto, non poteſt alteri in eſſe, nec aliud extremum vnire, etiam de potentia abſoluta: & quia actio ſe ipſa egreditur ab agente, egrediens ab vno principio, prout ab altero principio diſtincto, non poteſt, etiam de potentia abſoluta, ab alio principio egredi, illudque agens conſtituere: ergo negatio, in qua perſonalitas conſiſtit, in ſententia, quam ſupponimus, nō poteſt alienæ naturæ ineſſe, illamq; terminare, & reddere ſubſiſtentē, etiam de potentia abſoluta.

5. *Probatur ſuppoſitio primò.*

Deindè, nam omne, quod ſe ipſo alteri vnitum non eſt, indiget, vt illi vniatur vnione ab ipſo diſtincta; ſed negatio, in qua perſonalitas creata conſiſtit, non eſt ſe ipſa alienæ naturæ vnita: ergo, vt naturę alienæ vniatur, indiget vnione à ſe ipſa diſtincta; ſed

6. *Secūdò.*

impli-

implicat, quòd negatio subiectiuè recipiat vnionem, qua vniatur naturę alienæ (cum huiuscemodi vnio, non in negatione, sed in positiua entitate necessariò cõsisteret, & sit omninò repugnans, quod entitas positiua recipiatur in negatione:) ergo implicat, illi vniri; & consequenter implicat illam reddere subsistentem.

7. Tertiò. Denique id ipsum probatur: non enim implicat aliquid, quod ob minimam entitatem, sit proprio subiecto essentialiter affixum, alijque incommunicabile; sed nihil apprehendi potest debilioris entitatis, quam negatio: ergo taliter propriæ naturæ est affixa, vt alteri communicari nõ possit, etiam de potentia absoluta, & consequenter, si creata personalitas in negatione consistit, implicabit, alienæ naturę vniri, illam terminare, subsistentemque constituere, in quo, vt dixi, ferè omnes Theologi cõsentiunt.

8. Prima sẽtẽtia. Quod igitur restat disquirendum, & examinandum, est. An, supposito, quod personalitas creata in positiua entitate consistat, vt frequentior, veraque sententia tenet, possit de potentia absoluta alienam terminare naturam? Qua in re, duplex è regione opposita sententia versatur. Prima affirmans est, quã ex antiquioribus Theologis tenent Scotus *in 3. dist. 1. q. 4.* Bassolis *q. 6.* Almainus *q. 2. dub. vltim.* quos referunt, & sequuntur Philippus Faber *in 3. Sent. dist. 1. disp. 6. cap. 3.* & Franciscus del Castillo *in præsenti disp. 6. q. 6. num. 8.* Eidem sententiæ adhærent ex Patribus Societatis Becanus *cap. 4. de Incarnat. q. 5.* Pessantius *q. 3 disp. 1.* Hurtado de Mendoza *disp. 11. Methaphysicæ sect. 8.* Albertinus *q. 7. Theologica circa septimum corollarium ex prædicamento substantiæ;* Martinus Perez *disp. 10. de Incarnat. sect. 7.* & Bernal *disp. 24. sect. 3.* pro illa referens nostrũ Maluendam *lib. 2. de Anti-Christo cap. 7. §. Contemptis hit.* Illam etiam sequitur P. Valentia loquendo, non de personis creatis actu existentibus, sed de persona possibiliter creabili, *in præsenti disp. 1. q. 3. punct. 6.*

Scot. Bassol. Almain. Faber. Castillo. Becan. Pessant. Hurt. de Mẽd. Albert. Mart. Perez. Bernal. Maluẽ. Valent.

9. Secunda, & vera sententia negat, id esse possibile, etiam de potentia absoluta, non solum loquendo de personis actu existentibus, sed etiam de personis possibilibus. Hanc tenent cõmuniter Discipuli D. Thomæ. Paludan. *in 3. dist. 1. q. 1. art. 2.* Caietanus, Medina, Aluarez, Nazarius, Illustrissimus Araujo, Cabrera, & Reuerendissimus Sancto Thoma *in præsenti q. 3. circa art. 1.* Zippullus *dub. vnic. §. 2.* pro illa referẽs Henricum *quodlibeto 11. q. 10.* Picum de Mirandula *in Apologia q. 4. & 6.* & Lorcam *disp. 23.* quos, & alios refert, & sequitur Magister Prudẽtius *tract. 3. disp. 2. dub. 5.* Tenent etiã Durandus *in 3. dist. 1. q. 5.* & Gabriel *q. 2. art. 3 dubitat. 5.* Cui ex Patribus Societatis adhærent Suarez *disp. 13. sect. 4.* Vazquez *disp. 25.* Cardinalis Lugo *disp. 13. de Incarnat. sect. 4.* & Gaspar Hurtado *disp. 3. difficult. 8.* referens Ragusam *disp. 48.* Illamque vt probabilẽ defendunt Scotus, & Faber, quos refert, & probabiliter sequitur Castillo *disp. 6. allegata q. 6.*

Secũda sẽtẽtia. *Palud. Caiet. Medin. Aluar. Nazar. Araujo. Cabrer. M. S. T. Zippul. Henric. Mirãd. Lorca. Prudẽt. Durãd. Gabriel. Suar. Vazq. Lugo. Gaspar Hurt. Ragus. Scotus. Faber. Castillo.*

§. II.

Aliquorum argumenta expenduntur.

10. Licet autem allegati Auctores in sententia negatiua conueniant, in assignanda ratione implicationis, vt persona creata alienam possit terminare naturam, dissident valdè inter se. Pater Suarez, alijs rationibus impugnatis, implicationem probat, eo quod subsistẽtia creata est modus propriæ naturæ; sed implicat, modum vnius rei afficere, aut modificare rem aliam distinctam: ergo implicat, subsistentiam creatam aliam terminare, aut modificare naturã, præter illam, cui connaturalis est. Maiorẽ tanquam notam suppositi; minorem autem pluribus exemplis probat; implicat enim, me per alterius sessionem sedere, aut esse præsentem loco per localem præ-

Dissidiũ Auctorũ in probãda sẽtẽtia. *Ratio P. Suarez.*

Minorẽ prob. 1. ab exemplis.

sentiam

ſentiam alterius, virgam eſſe rectam, per alterius rectitudinem, & quod vnum accidens per alterius inhærentiã inhæreat; at hæc, non alia ratione implicatoria cenſentur, niſi quia ſeſsio, præſentia localis, rectitudo, & inhærẽtia ſunt entitates modales, ideoque inſeparabiles à rebus, quarũ ſunt modi, & rebus alijs diſtinctis inconiungibiles: ergo omni entitati modali eſſentiale eſt, non poſſe à re, quam naturaliter modicat, ſeparari, aliamque diſtinctam modificare.

II. *Secũdo probat minorẽ.* Secundò probat minorem: quia namque accidens actuat per inhærentiam, non poteſt extrahi ab hoc modo actuandi, & abſque inhærentia actuare: ſicut actuat anima rationalis: forma etiam, quæ de ſe habet actuare, vt entitas à ſubiecto diſtincta, non poteſt extrahi ab hoc modo actuandi de potentia abſoluta, aliumq; induere, nẽpè, actuando ſubiectum, tanquam modus illius: ergo pariter entitas modalis, quæ de ſe habet actuare per modũ modi à ſubiecto inſeparabilis, non poteſt extrahi ab hoc modo actuandi, actuareque aliud ſubiectum tanquam res ab illo diſtincta, & per diſtinctam vnionẽ; ac proindè perſonalitas creata, quæ de ſe habet propriam terminare naturam, vt modus indiſtinctus ab illa, ab eaque inſeparabilis, implicabit, quòd alienæ vniatur naturæ, illam vt formam actuando. Ex quo infert Suarez, quòd ſi ſubſiſtentia creata nõ eſſet modus, ſed entitas realiter à natura propria diſtincta, ſicut poſſet ab illa realiter ſeparari: ita poſſet de potentia abſoluta, alienæ vniri naturæ, illam terminare, perſonamque cõſtituere.

I2. *Rationẽ iſtam impugnat Vaz.* Rationem iſtam refert Vazquez *diſp. 25. cap. 2. num. 14.* &, vt de more habet, refellit, nam ex illa ſequeretur, non poſſe perſonalitatẽ diuinam terminare naturam creatam: conſequẽs eſt contra fidem: ergo ratio facta inſufficiens. Probat ſequelam: nã etiam perſonalitas diuina eſt modus diuinæ eſſentiæ, quod, ait, ſe oſtendiſſe ex ſententia Patrum *1. p. diſp. 126. cap. 2.* ergo ſi perſonalitati creatæ, quia eſt modus propriæ naturæ repugnat, alteri communicari, id etiam repugnabit perſonalitati diuinæ. Nec eſt eadem ratio, inquit Vazquez, de modis in argumento relatis, ac de perſonalitate; nam illi non poſſunt modificare, niſi inhærendo, non autem poſſunt inhærere, niſi rei propriæ, cuius ſunt modi, & idcirco rem aliam nõ poſſunt modificare; ſuſtentare autem naturam poteſt conuenire perſonæ, abſque eo quod ipſius perſonalitas inhæreat naturæ alienæ, ſolum extrinſecè illam terminando, vt cõſtat in perſona Verbi ſuſtentante humanitatem abſque eo quod Verbi perſonalitas inhæreat humanitati, quam terminat; & ideò, etſi modus ſit, non eſt vndè illi repugnet alienam terminare naturam, non per hoc, quod à propria ſeparetur, quod implicat, ſed per hoc, quod in propria manens natura, ſit ratio terminandi aliam.

I3. *Non vrget impugnatio Vazquez.* Hæc tamen doctrina diſplicet. Et in primis impugnatio non vrget: etenim perſonalitas diuina, etſi ex modo concipiendi noſtro ſit modus, obiectiuè tamen rationẽ modi non obtinet: cum enim de conceptu formali modi ſit incompletio, incompletio autem imperfectionem importet, nõ poteſt eſſentia modi perſonalitatibus diuinis obiectiuè formaliter conuenire, quę, licet in ſententia probabili non exprimant perfectionem, ſecundũ id, quod addunt ad eſſentiam, & ad lineam abſolutam; imperfectionem tamen importare nõ poſſunt, nec aliquid, de cuius conceptu formali imperfectio ſit, poteſt de illis obiectiuè formaliter prædicari, aliàs in Deo eſſet formaliter aliquid poſitiuè imperfectũ, quod neutiquã poteſt admitti: ergo ex eo, quod perſonalitati creatæ repugnet alienæ naturæ vniri, illamque ſuſtentare, quia eſt modus propriæ naturæ, perperam infertur, repugnare etiam perſonalitati diuinę alienam terminare naturam, quia eſt modus diuinæ eſſentiæ, quo argumento vtitur Vazquez.

I4. *Solutio P. Vazq̃ reijcitur.* Deindè ſolutio, qua occurrit rationi Patris Suarez, illius vim non infringit. Primò, quia falſum eſt, perſonalitatẽ Verbi ſolum extrinſecè terminare

minare humanitatem, aliàs Verbum solum esset homo extrinsecè, vt *supra in hoc tract. disp.* 14. arguebamus: ex quo vlterius fieret, non esse hominē eiusdem rationis nobiscum. Deindè, nam ex eo, quod Verbum terminet humanitatem, illamque sustentet absque intrinseca informatione, & intrinseca inhærentia, non sequitur, posse personalitatem creatam terminare alienam naturam, illam non informando, vel illi inhærendo intrinsecè; sed, vt fatetur Vazquez, repugnat personalitati creatæ alienam informare naturam, aut illi inhærere intrinsecè: ergo fateri tenetur, repugnare personalitati creatæ alienā terminare, vel sustentare naturam. Minor cum consequentia tenet: maior autem ostenditur primò; quod enim convenit personalitati diuinæ ex ratione summæ actualitatis, non est concedendū personalitati creatæ, cui summa actualitas conuenire non potest; sed personalitati diuinæ convenit ex ratione summæ actualitatis, quod sustentet naturam creatam absque intrinseca informatione, aut inhæsione: ergo id extendendum non est ad personalitatē creatam.

Secūdò.

Maior ostenditur 1.

15. *Secūdo.*

Secundò probatur maior: nam ex eo, quod diuina essentia vniatur mentibus Beatorum, vt species absq; physica informatione, non sequitur, posse aliquam essentiam creatam absque physica inhærentia, vel physica informatione determinare intellectum, eique vt speciem vniri: ergo pariter ex eo quod possit persona diuina alienam sustentare naturam, absq; eo quòd illi inhæreat, illamque intrinsecè informet, non sequitur, posse personam creatam sustentare alienam naturā sine physica inhæsione, aut physica informatione. Confirmatur, & vrgetur: non enim aliundè colligi potest, alios modos, de quib⁹ in argumēto fit mentio, nō posse rem aliam modificare absque intrinseca inhæsione, nisi quia naturam, cuius sunt modi, modificant, illi inhærendo; sed etiam personalitas creata naturam, cui propria est, mediante informatione modificat, illamque informando, sustentat: ergo nullam aliam naturam sustētare, & modificare potest absque physica informatione.

Confirmatur.

Alij Recētiores, tum nostri, tum etiam ex familia Societatis, aliter occurrunt rationi implicationis adductę, nimirum, quod licet impossibile sit, modum alicuius rei proprium, ab illa separatū existere, vel per se ipsum alteri subiecto vniri; quod autem per se ipsum vniatur proprio subiecto, & per vnionem distinctam alieno subiecto vniatur, illudque modificet, & afficiat, nullam involuit implicationē: vndè per sessionem Petri non separatam ab ipso, sed vnitam Paulo per vnionē ab illa distinctam, poterit Paulus sedere, & per stationem Pauli poterit Petrus stare, & vna virga per alterius rectitudinem, sibi vnione distincta vnitam, poterit recta constitui, & sic de alijs modis.

16. *Secundo Recētiores respōdent.*

Hęc tamen doctrina non placet, & reijcitur primò: non enim minus impossibile apparet, quod sessio mea alteri subiecto vniatur, quam quod à me separetur: ergo, si separatio implicat contradictionē, etiam alieno subiecto vniri, illudque modificare, debet implicatorijū censeri. Secundò, & explicatur magis hoc ipsum: quod enim entitati modali essentialitèr repugnet, separari à proprio subiecto, prouenit ex imperfectione, quam habet in linea entis, quia, nempè, minimæ entitatis est, ideoque alterius adminiculo indiget ad existendū; sed nō minus arguit perfectionem entitatis, posse simul actuare duo subiecta, quā posse à subiecto proprio separari, & ab illo separatam existere: ergo, si hoc entitati modali ob suam minimā entitatē essentialitèr repugnat, etiam repugnat illi essentialiter, existentem in proprio subiecto, alteri subiecto inhærere, illudque modificare.

17. *Dissplicet prædicta solutio primò.*

Secūdò.

Tertiò, quia namque relatio per se ipsam respicit essētialiter terminū, implicat, vt manens entitatiuè invariata terminū distinctū respiciat; sed entitas modalis se ipsa essentialitèr est proprio subiecto affixa: ergo implicat, alteri subiecto inhærere, vel aliud subiectum informare, & actuare.

Tertiò.

Præ-

Quartò.

Præterea; ſeſsio namque v.c. non minus eſt affixa ſubiecto connaturali, quam vnio ſubiecto vnito; ſed implicat, quod vnione, qua vnitur humanitas Verbo, vniatur etiam equinitas, vel alia quęvis natura: ergo implicat, quod vnius ſeſsione alterum ſubiectum ſedeat.

18. *Vltimò.*

Denique reſcitur: vt enim entitas modalis aliquod ſubiectum afficiat, neceſſum eſt tale ſubiectum reſpicere; ſed eo ipſo, quod à proprio ſubiecto ſit inſeparabilis eſſentialiter, non poteſt aliud ſubiectum reſpicere: ergo, admittentes inſeparabilitatem eſſentialem modi à re, cuius eſt modus, inconſequenter tuentur, poſſe alteri ſubiecto inhærere, illudque modificare. Maior cum conſequentia tenet; minor autem probatur: nam eſſentialis inſeparabilitas, nõ poteſt alicui formæ competere, niſi reſpectu ſubiecti adæquati adæquatione eſſentiali; ſed nulla forma poteſt, in reſpiciendo ſubiectũ, excedere illud, quod eſt adæquatum adæquatione eſſentiali: ſicut nulla potentia poteſt, in reſpiciendo obiectum, excedere obiectũ ſibi adæquatum eſſentiali adæquatione: ergo eo ipſo, quod entitas modalis ſit eſſentialiter inſeparabilis à proprio, & connaturali ſubiecto, non poteſt illud excedere in reſpiciendo; & conſequenter non poteſt aliud reſpicere: ex quo vlterius fit, vt nec poſsit alteri ſubiecto vniri, illudque modificare.

19. *Prædicta ratio implicationis ex duplici capite diſplicet*

Licet autem prædictę ſolutiones vim rationis factę non eleuent; Nobis tamen ex duplici capite diſplicet prędicta ratio. Primò, nam, quod perſonalitas non ſit modus incompletus, ſed entitas realis realiter à propria natura diſtincta, eſt ſententia in via Diui Thomæ probabilis, quam tenet Caietanus *infra q. 4. art. 2.* & cum illo plures Theologi: ergo quod perſonalitas creata non poſsit de potentia abſoluta alienam terminare naturam (quod communiter cenſetur, Angelicum Doctorem docuiſſe) non eſt oppoſitæ ſententiæ alligãdum, nec ex eo ſolum probandum, quod perſonalitas creata ſit modus, & non realis entitas realiter entitatiuè à propria natura diſtincta. Deindè, nam, quod non poſsit perſonalitas creata alienam terminare naturam; benè tamen perſonalitas diuina, probat Angelicus Doctor *art. 1. ad 2. argum.* ex eo, quod diuina perſonalitas eſt infinita in linea perſonalitatis; ſecus autem perſonalitas creata; & conſequenter ſentit, vim terminatiuam naturę alienæ infinitudinem petere in perſona terminante; ſed nos dus iſte dicendi, probandique implicationem, vt perſonalitas creata terminet alienàm naturam, quo vtitur P. Suarez, nõ procedit ex iſto principio, imò oppoſitum ſupponit, quod, nempè, ſi perſonalitas creata, non modus, ſed realis entitas eſſet, quamuis foret limitata, & finita, vi terminatiua naturæ alienæ gauderet: ergo menti Angelici Præceptoris non congruit, ideo que Nobis neutiquã poteſt placere.

S. Tho.

20. *Recẽtiores quidã Thomiſtæ prædictã rationẽ inſtaurant.*

Ob hæc Recentiores quidam Diſcipuli D. Thomæ rationi factę adhærentes, illaque implicationem probantes, vt ſimul ex limitatione creatę perſonalitatis implicationem deducant, illam in hunc modum inſtaurant. Sola perſonalitas infinita poteſt alienam terminare naturam; ſed perſonalitas creata infinita eſſe nõ poteſt: ergo nequit vlla potentia alienam naturã terminare, illamque perſonatam conſtituere. Probant maiorem: ſola perſonalitas per ſe ſubſiſtẽs poteſt alienã terminare naturam; ſed perſonalitas per ſe ſubſiſtẽs, hoc eſt, nulli alteri inhærens, neceſſariò eſt infinita: ergo ſola infinita perſonalitas alienam naturam poteſt terminare. Minor cũ conſequentia tenet; maiorem autem probãt: nam omnis perſonalitas, quæ nõ eſt per ſe ſubſiſtens, eſt entitas incompleta, & modalis; ſed eo ipſo, quod ſit entitas modalis, & incompleta, non poteſt communicari rei diſtinctæ ab illa, cui connaturalis eſt, quod patet exemplis, & rationibus adductis: ergo ſola perſonalitas per ſe ſubſiſtens poteſt alienę naturæ vniri, illam terminare, perſonatamque conſtituere. Sic arguit Zippullus *art. 2. dub. vnic. n. 11.*

Hæc tamen ratio implicationis, etiam prout ſic inſtaurata, menti Diui Thomæ non congruit; nam iuxta illã

21.

impoſ-

Ratio ista, etiã sic explicata, mẽti D. Th. non congruit.

impoſsibilitas terminandi alienam naturam, in perſonalitate creata, non reducitur ad eius limitationem, ſed ad hoc, quod ex limitatione conſequitur, quod ſit, non entitas realis, ſed modus entitatis; at Diuus Thomas non ad rationem modi conuenientem perſonalitati creatæ, ſed ad rationem limitationis dictam impoſsibilitatem reducit, nec ex ratione modi, ſed ex ratione limitationis illam oſtendit: ergo modus iſte arguendi mentem D. Thomæ non ſaluat.

Cõfirmatur primo.

Confirmatur primò: nam etiam ſi perſonalitas creata, non modus, ſed entitas realis eſſet, dummodò finita foret, non poſſet alienam terminare naturam, cum adhuc in illa perſeueraret caput, ex quo Diuus Thomas impoſsibilitatem deducit, vt perſonalitas creata alienam naturam terminet; ſed, iuxta præfatum modum arguendi, oppoſitum eſt aſſerendum, cum ex eo deducat, perſonalitatem creatam non poſſe alienam terminare naturam, quia non eſt entitas realis, ſed modus entitatis: ergo à Diſcipulis Diui Thomæ approbandus non eſt.

Secũdò.

Confirmatur, & vrgetur ſecundò: vt enim *ſupra* arguebamus, eſt ſententia in via Diui Thomæ probabilis, perſonalitatem creatam, non modum, ſed realem entitatem eſſe; quòd autem alienam poſsit terminare naturam eſt, in Schola Diui Thomæ, fere improbabile: ergo hæc impoſsibilitas non debet in rationem modi conuenientem perſonalitati creatæ reduci, ſed in eius limitationem, ſiue modus ſit naturæ propriæ, quam terminat, ſiue ſit entitas realiter ab illa diſtincta.

22.

Ratio P. Vazq̃z ex Durãdo ſumpta expẽditur.

Pater Vazquez *diſputatione 25. cap. 3.* reiectis aliorum rationibus, hãc vnicam cenſuit, ad intentum, efficacem ſumptam ex Durando vbi *ſupra numero 7.* etenim perſona creata non poteſt alienam terminare naturam, per propriam, ſibique innatam, & cõnaturalem virtutem, alias terminatio hæc naturaliter eſſet poſsibilis, cum omnis virtus naturalis petat aliquandò ad actum, medio agente naturali reduci. Nec poteſt alienam terminare naturam ratione intrinſecę eleuationis, & vt eleuata intrinſecè ad talem terminationem. Non enim eleuatione per formam accidentalem illi intrinſecè inhærentem: hæc namque ad effectum ſubſtantialem, qualis eſt prædicta terminatio, non ſufficit: nec eleuatione per formam aliquam ſubſtantialem ſupernaturalem, aliàs hæc, & non perſonalitas eleuata per illam, eſſet, quæ alienam terminaret naturam. Nõ deniquè id poteſt præſtare per extrinſecam aſsiſtentiam diuinam; nam licet cauſa efficiens poſsit per huiuſmodi aſsiſtentiam, eleuari ad ſuperna turales effectus, quos efficere non poteſt, per ſibi innatam, & cõnaturalem virtutem; forma tamen non poteſt, per extrinſecam Dei aſsiſtentiam, eleuari ad præſtandum effectum formalem, quẽ ipſa de ſe ſit inſufficiens præbere, & oppoſitum, inquit Vazquez, eſt hactenus inauditum; perſona autem, non in genere cauſæ efficientis, ſed in genere cauſæ formalis, vel quaſi formalis comparatur ad naturam, quam terminat, perſonatãque conſtituit: ergo nullo modo poteſt perſona creata alienam terminare naturam.

Fertur de prædicta ratione iudicium.

Hoc atgumentum veram continet doctrinam, & qua Nos inferius ad noſtrum intentum vtemur; defficit tamen in eo, quod impotentiam terminandi alienam naturam in perſonalitate creata non reducit ad eius limitationem; eo autem ipſo, quod repugnantia ex iſto capite non probetur, non eſt cur noſtra ſententia debeat D. Thomæ cenſeri, illique attribui, quod Nos potiſsimè ad eius defenſionem inclinat.

§. III.

Probatur noſtra ſententia Auctoritate, & ratione.

23. *Probatur noſtra sẽtia auctoritate D. T.*

IGITVR HIS MODIS PRObandi omiſsis, vel ad *inferius* dicenda reductis, probatur noſtra ſententia, primò ex Diuo Thoma *quæſtione præcedenti articulo tertio ad primum, & in hac quæſtione articulo primo ad ſecundum*, illis verbis: *Hoc autem eſt proprium diuinæ perſonæ propter eius infinitatem, vt fiat in ea concurſus naturarum, non quidem accidentaliter, ſed ſecundum ſubſiſtentiam*: ergo ſentit Diuus Thomas, ideò perſonam diuinam poſſe alienam terminare naturam, quia eſt in linea perſonæ infinita. Patet conſequentia: nã cõcurſus naturarum, non accidentaliter, ſed ſecundum ſubſiſtentiam, fit per hoc, quod perſona diuina terminet alienam naturam, illamque perſonatam, & ſubſiſtentem conſtituat; ſed poſsibilitas prædicti concurſus in perſona diuina reducitur à Diuo Thoma ad eius infinitatem, aitque, eſſe illi proprium: ergo ſentit, inde perſonam diuinam poſſe alienæ vniri naturæ, illãque terminare, & perſonare, quia eſt in linea perſonæ infinita; ſed quod eſt diuinæ perſonæ proprium ob illius infinitatem, non poteſt perſonæ limitatæ, & finitæ competere: ergo iuxta Diuum Thomam implicat, quod perſona creata terminet alienam naturam.

24. *Reſpondent cõtrarij Auctores dupliciter.*

Huic argumento reſpondent contrarij Auctores, dupliciter explicando teſtimoniũ Diui Thomæ. Primò, aſſerendo, loqui Angelicum Doctorem, non de ſola terminatione naturę alienæ, ſed de principio aſſumptionis; hoc autem ita eſt perſonæ diuinæ proprium, vt nulli perſonæ creatæ conuenire poſsit, etiam de potentia abſoluta: implicat enim perſona creata potens per modum cauſę principalis eſſe aſſumptionis principium, ſibique naturam aſſumere; ex hoc tamen nõ colligitur, quod implicet, perſonam creatam alienam terminare naturam; aliud enim eſt terminare, & aliud eſſe aſſumptionis principium.

Secunda explicatio.

Secundò aliter teſtimonium Diui Thomę à contrarijs Auctoribus explicatur, nempè, loqui de terminatione naturę alienę connaturaliter conueniente perſonæ illam terminanti, & quę à tali perſona præſtetur ratione proprię, ſibique innatæ, & connaturalis virtutis; hoc autem modo alienam terminare naturam ſoli perſonæ diuinæ conuenit, nec poteſt perſonæ creatæ, aut creabili conuenire; eſt enim ſupra naturam cuiusvis perſonæ creatæ, non ſolum de facto exiſtentis, ſed etiam creari poſsibilis alienæ naturæ terminatio: vndè ſolum poteſt illi competere ratione potentiæ obedientialis, ratione cuius poteſt eleuari à Deo ad prædictum effectum præſtandum.

25. *Neutra explicatio eſt ſufficiens, & vtraque ſimul reijcitur.*

Neutra tamen explicatio eſt ſufficiens. Et in primis contra vtramque facit, verba Angelici Præceptoris cõmunitèr eſſe explicata, non de vi aſſumptiua, ſed de vi terminatiua, non ſolum connaturali, ſed etiam obediẽtiali; ſic enim verba Diui Thomæ acceperunt, tam ipſum ſequentes, quam Scotus, alijque Auctores illius impugnantes ſententiam, præter paucos Recentiores: ergo ſic ſunt accipienda, & conſequenter tenendum, taliter eſſe diuinę perſonę proprium alienam terminare naturã, vt nulli perſonæ creatæ poſsit conuenire, nedum connaturaliter, & ratione ſibi innatæ virtutis, ſed etiam obedientialitèr, & de potentia abſoluta.

26. *Prima explicatio reijcitur primo.*

Deinde prima explicatio reijcitur primò, expendendo verba Angelici Doctoris: non enim ait, eſſe proprium diuinæ perſonæ, vt ab ea fiat cõcurſus naturarum ſecundum ſubſiſtentiam, ſed vt in ea prædictus concurſus fiat: at ſi ſolum intenderet, eſſe diuinæ perſonę propriam vim aſſumptiuam naturæ per modum principij aſſumptionis, debuiſſet prioribus verbis vti; nam in perſona diuina fieri naturarum concurſum, non explicat ordinem ad perſonam, vt principium aſſumptionis, ſed vt terminum terminantem, ſuſtentantemque naturam; eſſe autem à perſona diuina prædictum naturarum concurſum, explicat ordinem ad perſonam, vt aſsũptionis principium: cum ergo D. Th. non fuerit prioribus verbis vſus, ſed illis,

quæ

quæ ex ipso retulimus, manifestũ signum est, non loqui de vi assumptiua, sed de vi terminatiua, & sustentatiua naturæ, cum docet, esse diuinæ personæ proprium propter eius infinitatẽ, quod in ea fiat concursus naturarum, non accidentaliter, sed secundum subsistentiam.

27. *Secũdò.* Secundò, nam loquitur D. Thomas de eo quod speciale est in Mysterio Incarnationis; sed non posse efficienter causari, nisi à persona diuina, speciale in hoc Mysterio non est, cum alij effectus miraculosi hoc habeant; quòd sola Omnipotentia illos, vt causa principalis, efficere potest; quod autem sola persona diuina possit naturã terminare creatam, est in hoc Mysterio speciale: ergo cum docet Diuus Thomas, esse personæ diuinæ proprium, vt in ea fiat concursus naturarum secundum subsistentiam, & vnionem substantialem, non loquitur de vi effectiua assumptionis, sed de vi terminatiua; & consequenter sentit, non posse personam creatam alienam terminare naturam.

28. *Tertiò.* Denique reijcitur: nam eadem ratio cogit, vt sit proprium personæ diuinæ, esse assũptionis, vel vnionis principium, & esse naturæ vnibilis terminum: ergo, dato, quod Diuus Thomas loquatur de vi assumptiua naturæ, & vnionis effectiua, non solum illam appropriat personæ diuinæ ob illius infinitatem, & excludit à persona creata propter eius limitationem, sed etiam virtutem naturæ terminatiuã. Probatur antecedens: non enim alia ratione potest personæ diuinæ appropriari, & excludi à persona creata vis vnionis effectiua, vt principium efficiens principale, nisi quia prædicta vnio, quia miraculosa est, excedit sphæram essentialem virtutis actiuæ creaturæ; sed etiam terminatio alienæ naturę miraculosa est: ergo excedit sphęram essentialem virtutis terminatiuæ conuenientis entitati creatæ; & consequenter eadem ratione excludenda est à persona creata, & appropriandа personæ diuinæ virtus terminatiua, qua illi appropriatur, & excluditur ab illa virtus assumptiua naturæ, & vnionis principalitèr effectiua.

Deinde secunda explicatio reijcitur primò: nam id, quod talitèr vni conuenit, quod nulli alteri potest vlla ratione competere, cum maiore proprietate dicitur proprium illius, quam si posset alijs conuenire, quamuis non connaturaliter, nec ratione propriæ, & innatæ virtutis, sed obedientialitèr, & ratione potentiæ obedientialis; sed nihil est, quod vrgeat, vt verba Diui Thomæ cum minori proprietate vsurpemus, cum nullibi Diuus Thomas oppositum insinuauerit, posse, scilicet, personalitatem creatam de potentia Dei absoluta, & ratione potentiæ obedientialis, alienæ naturæ vniri, illamque personam constituere: ergo asserendum est, Angelicum Doctorem sensisse, talitèr esse diuinæ personæ proprium ob suam infinitatem, alienam terminare naturam, vt nulli personæ creatæ, vel creabili possit vllo modo competere.

29. *Secũda explicatio impugnatur primo.*

30. *Secũdò.* Secundò: vt enim ex dicendis constabit: vel terminatio alienæ naturæ potest connaturalitèr conuenire personę creatæ, vel nulla ratione potest illi conuenire: ergo, si iuxta Diuum Thomam terminatio alienæ naturæ, vt conueniens connaturalitèr, & ratione innatæ virtutis, est ita personæ diuinæ propria, vt nequeat personæ creatæ competere, est ex illius mente asserendum, prædictam terminationem taliter esse personæ diuinæ propriam, vt nec ratione potentiæ connaturalis, nec ratione potentiæ obedientialis, nec connaturalitèr, nec de potẽtia absoluta, valeat persona creata alienam terminare naturam.

31. *Secũdo probatur ratione.* Secundò probatur principalitèr conclusio ratione Durandi *vbi supra*, & Caietani *in hac quæstione artic.* 1. ad hanc formam redacta. Persona potens de se subsistere in duabus naturis esset in subsistendo infinita; sed implicat persona creata infinitæ subsistentiæ, vel in subsistendo infinita: ergo implicat persona creata potens ratione suæ personalitatis subsistere in duabus naturis; & consequenter implicat persona creata, quæ alienam possit naturam terminare.

Secunda cõſequentia ex prima euidenter colligitur; nam perſona in natura aliena ſubſiſtens, cum etiam ſubſiſtat in propria, ſubſiſtit neceſſariò in duabus naturis: ergo, ſi implicat perſona creata potens ratione ſuæ perſonalitatis ſimul in duabus naturis ſubſiſtere, implicat perſona creata potens ſubſiſtere in aliena natura. Prima conſequẽtia ex præmiſſis infertur, minor eſt certa, & maior probatur: perſona potens de ſe ſubſiſtere in duabus naturis poteſt ſubſiſtere in infinitis, ſub cõditione, quod eſſent; ſed perſona potens de ſe ſubſiſtere in infinitis naturis, eſt in ſubſiſtendo infinita: ergo perſona potens de ſe ſubſiſtere in duabus naturis, eſt infinita in ſubſiſtendo. Maiorem probat Caietanus: nam vbi pluralitas differentiã non facit, nec illam infinitas faceret, ſi infinitas poſsibilis eſſet: ergo, ſi pluralitas naturarum non obſtat, vt perſona ex vi vnius ſubſiſtentiæ ſubſiſtat in illis, nec infinitas naturarum obſtaret, ſi poſsibilis eſſet, vt in infinitis ſubſiſteret; & cõſequenter perſona potens de ſe ſubſiſtere in duabus naturis, eſt etiam de ſe potens ſubſiſtere in infinitis. Minorem autem, quod, ſcilicet, poſſe, quantum eſt de ſe, in infinitis naturis ſubſiſtere, infinitatem exigat in ſubſiſtentia, non probat Caietanus, ſed tanquam notam ſupponit; poteſt tamẽ, efficacitèr ſatis, probari: nã ſubſiſtentia gaudens vi terminatiua, & ſuſtentatiua infinita, eſt infinita in ratione ſubſiſtentiæ, cum in nullo alio ſubſiſtentia conſiſtat, quam in vi terminatiua, & ſuſtentatiua naturæ; ſed ſubſiſtentia perſonæ potentis de ſe ſubſiſtere in naturis infinitis neceſſario gaudet vi terminatiua, & ſuſtentatiua infinita: ſicut virtus effectiua potens, quãtum eſt de ſe in effectus ſyncathegorematicè infinitos, neceſſariò eſt infinita in ratione virtutis effectiuæ: ergo perſona potens, quantum eſt de ſe, ſubſiſtere in infinitis naturis, neceſſariò eſt infinitæ ſubſiſtentiæ, & conſequentèr in ſubſiſtendo infinita.

32. *Multiplex cõtrariorũ ſolutio. Prima.*

Huic argumento multiplicitèr occurritur ab Auctoribus contrarijs. Primò, aſſerendo ex hoc, quod perſona poſsit ſubſiſtere in duabus naturis, ſolum ſequi, poſſe ſucceſsiuè ſubſiſtere in infinitis, non verò, quod poſsit ſimul infinitas naturas terminare; ex eo autem, quod perſona ſit, quantum eſt de ſe, potens ſucceſsiuè in infinitis naturis ſubſiſtere, non ſequitur in illa infinitas ſubſiſtentię, nam intellectus noſter poteſt ſucceſsiuè infinitas elicere intellectiones, quin ex hoc inferatur, eſſe virtutis intellectiuæ infinitæ, nec infinitus in intelligendo.

33. *Secũda ſolutio.*

Secunda ſolutio eſt, quòd, vt poſſit vna perſona duas ſimul terminare naturas, vel infinitas ordinis inferioris, non requiritur in illa infinitas ſubſiſtentiæ, ſed ſufficit ſuperioritas ordinis, vt conſtat in ſpeciebus Angelorum, quæ licet finitæ ſint; quia tamen ſunt ordinis ſuperioris ad ſpecies, quibus noſter intellectus intelligit, vna ſola ſpecies intellectus Angelici æquiualet infinitis ſpeciebus noſtri intellectus.

34. *Tertia ſolutio.*

Tertiò alij reſpondent, ex vi terminatiua naturarum ſine termino, nõ colligi in ſubſiſtentia infinitatem: ſubſiſtentia namque terminat, ſe communicando naturæ, & quia omnibus naturis eundem præſtaret effectum: ſicut poteſt vni, ita & infinitis poteſt vniri naturis, quin ex hoc in ſubſiſtentia colligatur intrinſeca infinitas.

Quarta.

Denique reſpondetur ab alijs, quod licet poſſe per naturalem, & innatam virtutem infinitas terminare naturas, infinitatem argueret in ratione ſubſiſtentię; poſſe tamen per potentiam, virtutemque obedientialem, in infinitis numero naturis ſubſiſtere, infinitatem ſubſiſtentię nõ arguit: ſicut ex parte naturæ poſſe connaturalitèr, & ratione potentiæ naturalis terminari ab vna ſubſiſtentia infinita, infinitatem arguit in natura terminabili; poſſe autem obedientialitèr per ſubſiſtentiam infinitam ſubſiſtere, ab illaque terminari infinitatem in natura non infert, vt conſtat in humanitate, quæ de facto terminatur per ſubſiſtentiam Verbi, quin ex hoc inferri poſsit, eſſe aliqua ratione infinitam; quia hæc terminabilitas non conuenit illi ratione potentię naturalis, ſed ratione poten-

tiæ obedientialis: ex quo tantum sequitur, non posse personam creatam virtute sibi connaturali alienam terminare naturam; non autem, quòd id non possit præstare ratione potentiæ obedientialis.

35. *Reijcitur prima solutio primo.*

Nulla tamen ex his solutionibus argumento satisfacit. Et prima reijcitur primo: nam doctrina illa Caietani sumpta ex Aristotele *quarto Physicorum textu 76.* quòd, nempè, vbi pluralitas differentiam non facit, nec illam infinitas faceret, si possibilis esset: ex qua infert, quòd si duo corpora nō prohibētur esse simul in eodem loco, nec etiam prohibentur esse in eodem loco infinita, si possibilia forent, intelligenda est de infinitate iuxta modum pluralitatis; sed si persona creata posset alienam terminare naturam, & in illa subsistere posset, non solum successiuè, sed etiam simul subsistere in duabus naturis, vt Auctores istius solutionis fatentur: ergo etiam posset simul, & non solum successiuè, subsistere in infinitis; & consequentèr, si ex hoc infertur infinitas subsistentiæ, eadem infinitas sequitur ex eo, quod possit vna persona subsistere in duabus naturis.

36. *Secundò.*

Secundo: vt enim, etiam successiuè, in infinitis naturis possit vna persona subsistere, necessariò exigitur continentia eminentialis personalitatum sine termino, actu simul tali personæ conueniens, vt ex dicendis constabit; sed actu eminentialiter continere personalitates syncathegorematicè infinitas, non potest conuenire personalitati, quę intrinsecè infinita non sit: sicut continentia effectiua eminentialis creaturarum sine termino non potest actu entitati, aut virtuti limitatæ, & finitę conuenire: ergo posse successiuè subsistere in naturis sine termino in infinitum, vel in infinitis numero naturis sub conditione, quod possibiles essent, non potest conuenire personę, quę actu infinita non sit, actuque infinita subsistentia non gaudeat.

37.

Et ex his secunda solutio euertitur: vt enim vna persona in alterius natura subsistat, requiritur cōtinentia eminentialis subsistentię proprię, illius naturę, quam terminat; sed subsistentia ordinis superioris non potest actu eminenter continere infinitas subsistentias, etiam ordinis inferioris: sicut natura superioris ordinis, esto in perfectione excedat infinitas naturas ordinis inferioris; illas tamen eminentèr non continet, nec continentia effectiua, nec continentia formali, vt cōstat in natura Angelica, quę nullo ex prędictis modis eminentèr continet naturam humanam, quamvis sit illa superior: ergo persona creata, licet superioris ordinis sit, dummodo non sit infinita, non potest ratione proprię subsistentię in infinitis naturis, etiam ordinis inferioris, subsistere.

Ex his euertitur secūda solutio.

Explicatur, & vrgetur: quamvis natura Angelica sit superioris ordinis respectu naturę humanę; non tamen illam continet eminentèr continentia eminentiali formali, ita, vt illius effectum formalem seipsa præstare possit: ergo, quamvis subsistentia Angeli sit superioris ordinis ad humanā subsistentiam; non tamen continet illam continentia eminentiali formali: ita, vt possit præstare illius formalem effectum; ac proinde non potest naturam humanam complere, illā terminare, & sustentare. Ex quo vlterius sequitur, Angelum ratione illius, non posse in humanitate subsistere, nam ad hoc requirebatur, vt ratione proprię subsistentię humanitatem compleret, & sustentaret.

38. *Augetr difficultas.*

Nec exemplum in confirmationē solutionis adductum vrget: nam licet demus, speciem vnam Angelicā posse repręsentare omnia obiecta, quę per species infinitas humanas repręsentari possunt; non tamen illas continet continentia eminentiali effectiua, cum non possit illas efficientèr causare, nec continentia eminentiali formali; non enim potest effectus formales talium specierum præbere: ergo prędicto exemplo non probatur, sufficere superioritatem ordinis ad cōtinentiam eminentialem rerum, vel formarum in ordine inferiori existentium.

39. *Exēplū ad rē nō est.*

Confirmatur, & vrgetur: nam,

Confirmatur.

ſi exemplum ad rem eſſet, ſequeretur, poſſe perſonam creatam exiſtentem in ordine ſuperiori per virtutem ſibi innatam in aliena natura ſubſiſtere: conſequens non admittunt Auctores tradiçſolutionis: ergo exẽplum, quo vtuntur, non vrget. Probo ſequelam: æquiualentia namq; vnius ſpeciei Angelicę ad infinitas ſpecies humanas eſt illi connaturalis: ergo ſi ex illa rectè arguitur, quod ſubſiſtentia ordinis ſuperioris æquialere poſsit infinitis ſubſiſtentijs ordinis inferioris, & ex hoc illarum effectus ſupplere, & in illarũ naturis ſubſiſtere, quamuis limitata ſit, & finita, colligitur, hoc tali ſubſiſtentiæ competere ratione ſibi innatę virtutis; & conſequenter, ſi exemplũ facit ad rem, probat terminationem naturæ alienæ eſſe ſubſiſtentiæ creatę naturaliter poſsibilem.

40. *Contra tertiam ſolutionem facit primo.*

Nec magis tertia ſolutio ſatisfacit, contra quam facit primò, nam licet perſona ex infinitis naturis, & vna perſonalitate illas terminante reſultãs eſſet vna in ratione perſonæ propter vnitatem perſonalitatis; naturæ tamen ſuſtentatæ ab illa, & earum paſsiuę ſuſtentationes eſſent numero infinitæ; ſed nõ ſolum ratio perſonæ, ſed etiam ſuſtentatio paſsiua naturæ, eſt effectus perſonalitatis: ergo, ſi vna perſonalitas infinitas terminaret naturas, præſtaret infinitos effectus, quod cum limitatione, & finitudine perſonalitatis, illos præſtantis, nequit ſubſiſtere, vt relinquimus probatum.

41. *Secũdò.*

Facit ſecundò: nam licet effectus, quem perſonalitas præſtaret infinitis naturis terminatis, & ſuſtentatis ab illa, formaliter eſſet vnus; eſſet tamẽ eminentèr, omnes illi effectus, quos terminando infinitas naturas ſuppleret; ſed effectus, quos ſuppleret, eſsẽt numero infiniti iuxta numerum naturarum: ergo perſonalitas creata, illos ſupplens, daret eminenter infinitos numero effectus, & conſequentèr deberet eſſe infinita.

42. *Tertiò.*

Tertio, nam quod effectus infinitis naturis ab vna perſonalitate præſtandus ſit vnus formaliter, vel ſufficit, vt perſonalitas creata poſsit infinitas terminare naturas, per potentiam ſibi innatam, ſibique connaturalem, vel vt poſsit illas terminare ratione potentiæ obedientialis; neutrum poteſt dici: ergo ſolutio tradita eſt inſufficiens. Maior cũ conſequentia tenet; minor pro ſecunda parte ex dicendis contra quartam ſolutionẽ conſtabit. Pro prima autem parte oſtẽditur primò: nam ſi vnitas effectus argueret, poſſe perſonalitatem creatam ratione potentiæ naturalis infinitas, vel plures terminare naturas, ſequeretur, terminationẽ illam naturaliter eſſe poſsibilem: conſequens eſt falſum, aliàs ab agente naturali effici poſſet, vt perſonalitas creata illis vniretur, illaſq; terminaret: ergo vnitas effectus præſtandi ab vna perſonalitate creata pluribus, aut infinitis naturis, non arguit, poſſe illas terminare, ratione potẽtiæ ſibi innatæ, ſibique connaturalis. Deinde, nam eſto effectus ille vnus ſit; prout tamẽ alienæ naturæ præſtit' ſupernaturalis eſt: ergo nõ poteſt à perſonalitate creata præſtari, ratione potẽtiæ ſibi connaturalis. Præterea, nam ſi humanitas v. g. eſſet naturaliter ab intrinſeco terminabilis infinitis perſonalitatibus, eſſet neceſſariò infinita, vt *diſp. præced. §. 3. in ſolut. 2. argum.* docuimus; & tamen effectus ab humanitate præſtandus eſſet vnus: ergo, ſi perſonalitas creata poſſet ab intrinſeco ratione innatæ virtutis, & potentiæ ſibi connaturalis infinitas terminare naturas, eſto aſſeratur, omnibus vnum præſtituram effectum, non tollitur, quod neceſſariò ſit futura infinita in terminando.

43. *Probatur minor.*

Denique probatur minor: ſola namque perſonalitas in terminando infinita eſt inexhauribilis per terminationem finitæ, & limitatæ naturæ, ſaltim quantum ad vim, & potentiã naturalem terminatiuam; ſed perſonalitas potens per potentiam naturalem infinitas terminare naturas ſub conditione, quod eſſent poſsibiles, quamvis vnum effectum ſolum præſtaret, eſſet inexhauribilis quoad vim naturalem terminatiuam à natura limitata, & finita: ergo talis perſonalitas, licet omnibus naturis vnum effectum præſtaret, deberet eſſe infinita. Conſequen-

tia

tia tenet, minor constat, nam personalitas, quæ, vna terminata natura, potest alias naturaliter terminare, non exhauritur per primam, quoad vim naturalem terminatiuam, vt ex ipsis terminis constat. Maior autem ostenditur primò: etenim sola natura infinita est inexhauribilis quoad passiuã terminabilitatem naturalem à personalitate limitata, & finita: ergo sola infinita personalitas est inexhauribilis quoad vim terminatiuam naturalem per terminationem naturæ limitatę, & finitæ. Secundò probatur maior: nã vis terminatiua finita termino finito exęquatur; ac per cõsequẽs exhauritur per illum: ergo sola personalitas gaudẽs vi terminatiua infinita est inexhauribilis à natura finita, & limitata; sed personalitas gaudẽs vi terminatiua infinita est infinita in ratione personalitatis, & in terminãdo naturam: ergo sola personalitas infinita in ratione personalitatis, & in ratione terminantis est inexhauribilis à natura limitata, & finita.

§. IV.

Vltima solutio reijcitur, & vlterius nostra conclusio probatur.

44. *Vltima solutio impugnatur.*

TANDEM vltima solutio reijcitur: forma namque effectum, quem præstat in genere causę formalis, non potest præstare per potentiam obediẽtialem, sed solum per virtutem sibi innatam, & potentiam connaturalem; sed terminare, & sustentare naturam prouenit à personalitate in genere causæ, vel quasi causæ formalis: ergo non potest talem effectum præbere, ratione potentię obedientialis, sed solum ratione virtutis sibi cõgenitæ, & potẽtiæ sibi connaturalis. Minor cum cõsequentia tenet; maior autem probatur: nam potentia obedientialis est in ordine ad illa, quæ sunt supernaturalia, & excedunt facultatẽ naturæ; sed effectus ab aliqua forma proueniẽs in genere causæ formalis, nõ potest illius facultatem naturalem excedere, nec respectu illius esse supernaturalis: ergo nulla forma potest præstare proprium effectum formalẽ ratione potentię obedientialis, sed necessariò illum præstat per virtutẽ sibi innatam, sibique connaturalem. Maior, & cõsequentia probatione nõ indigent; minor autẽ probatur: effectus enim formalis non potest propriam formã excedere excessu essentiali, vel graduali intensione; quo circa calor vt quatuor, nec de potentia absoluta potest formaliter cõstituere calidũ vt quinque, quia calidum vt quinque excedit in graduali intensione calorẽ vt quatuor, nec albedo v.c. quæ inferior est essentialiter forma substantiali, potest effectum formalem præstare in essentiali perfectione adæquantem effectũ à forma substantiali formaliter prouenientem: ergo nec potest effectus formalis excedere excessu ordinis formã, à qua prouenit formaliter, & consequenter non potest illius facultatẽ excedere, nec respectu illius esse supernaturalis

45. *Respondebis.*

Respondebis, potentiam obedientialem, non solũ esse respectu effectuũ supernaturalium quoad substantiam, sed etiam comparatione supernaturalium quoad modum; licet autem effectus formalis formæ non possit esse supernaturalis quoad substantiam per cõparationẽ ad formam, cuius est effectus formalis, nec quoad substantiã illius facultatẽ excedere, quod ratione facta cõvincitur; potest tamẽ esse cõparatiuè ad illa supernaturalis quoad modũ, vt cõstat in reanimatione corporis ab anima rationali, quæ est supernaturalis quoad modum: reunio etenim animæ cum corpore non est illi connaturaliter debita, aliàs resurrectio esset per vires agẽtis naturalis possibilis; & tamen reanimatio corporis prouenit ab anima rationali in genere causæ formalis: sicut corporis animatio ab illa in genere causæ formalis præstatur: potest ergo forma ratione potẽtię obediẽtialis formalẽ aliquem

effectum præſtare; ac proindè, quod terminatio alienę naturæ præſtãda ſit à perſonalitate creata in genere cauſæ formalis, non probat, non poſſe ab illa præſtari per potentiam obedientialem.

46. *Sed contra.* Sed contra: nam ſaltim verum eſt, formam non poſſe prę ſtare effectum formalem ratione potentiæ obedientialis reſpicientis ſupernaturale quoad ſubſtantiam; ſed ſi perſonalitas creata poſſet alienam terminare naturam, deberet eſſe ratione potentiæ obedientialis reſpicientis terminum ſupernaturalem ſubſtantialiter: ergo nullatenus poteſt alienam naturam terminare. Maior conſtat ex doctrina traditæ ſolutionis, conſequentia tenet, & minor probatur: terminatio naturæ alienæ eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, & nõ ſolum quoad modum: ergo, ſi in perſonalitate creata datur potentia obedientialis ad alienam naturam terminandam, poteſt illam terminare ratione potẽtię obedi ẽtialis reſpicientis terminum ſupernaturalem quoad ſubſtantiam. *Antecedens pro batur primò.* Antecedens, in quo ſolo eſſe poteſt difficultas, oſtenditur primò; id enim eſt ſupernaturale quoad ſubſtantiam, quod excedit exigentiam omnis naturæ, tam creatæ, quam creabilis; ſed terminatio per alienam ſubſiſtentiam excedit exigentiam omnis naturæ, tam creatę, quã creabilis: ergo eſt ſupernaturalis ſubſtantialiter. *Secũdò.* Secundò, nam cui eſſentialiter repugnat, fieri ab agente creato per naturalem virtutem, eſt ſubſtantialiter ſupernaturale; ſed terminatio naturæ per alienam ſubſiſtentiam huius conditionis eſt; implicat enim agens creatum illam per virtutem ſibi naturalem efficiens: ergo eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. *Tertiò.* Tertiò probatur; quod enim eſt ſupernaturale ſolum quoad modum, aliquando ſine tali modo invenitur effectum ab agente naturali, per ſuam naturalem virtutem, vt conſtat in oculo reſtituto cęco, & in anima rationali corpori per reſurrectionem vnita: nam oculus, licet non vt reſtitutus; quoad ſuũ tamen eſſe abſolutè, ab agente naturali producitur, & anima, quãvis non vt reunita; vt tamen abſolutè corpori vnita, & vt abſolutè corpus informans per virtutem agentis naturalis efficitur; ſed terminationi naturæ per alienam ſubſiſtentiam repugnat, aliquando fieri virtute naturalis agẽtis: ergo nõ eſt ſupernaturalis tantũ quoad modum.

47. *Reſpondebis.* Reſpondebis, veram eſſe maiorem, cum talis modus ſeparabilis eſt ab effectu; falſam autẽ, cum inſeparabiliter convenit illi, vt in *præſenti* contingit: vt enim perſonalitas creata alienam naturam terminet, ſemper eſt neceſſaria vnio cũ natura aliena; nõ enim, niſi media vnione, poteſt illam terminare; hæc autem vnio non poteſt fieri ab aliquo agente creato per virtutem ſibi innatam, ſibique connaturalem; ac proindè terminatio alienæ naturæ habet inſeparabiliter ſibi coniunctũ modum ſupernaturalem: ex quo vlterius fit, vt nunquam poſsit effici ab agente creato ratione ſibi innatæ virtutis, & potentiæ ſibi connaturalis, quin ex hoc inferri poſsit, prædictam terminationem eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam.

48. *Sed contra.* Sed contra: & ſupponamus, vnionem perſonalitatis creatæ cum aliena natura eſſe realiter à perſonalitate diſtinctam, quod contrarij Auctores ferè vniformiter docent, quo ſuppoſito, aduerſus traditam ſolutionem in hunc modum inſurgo: vnio iſta, qua perſonalitas creata vnitur naturæ alienæ ſupernaturalis eſt quoad ſubſtantiam; ſed terminatio alienæ naturæ prętita à perſonalitate creata vnionem iſtam eſſentialiter petit: ergo talis terminatio eſt quoad ſubſtantiam ſupernaturalis. *Minor* continet ſolutionis doctrinam, cõſequentia patet: nam entitas, vel formalitas naturalis quoad ſubſtantiam, & ſolum ſupernaturalis quoad modum, non poteſt eſſentialiter exigere entitatem ſubſtantialiter ſupernaturalem, nec cum illa connecti; ens enim ſupernaturale eſt ſupra exigẽtiam naturæ: ergo, ſi vnio prædicta eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, & exigitur eſſentialiter à terminatione naturæ alienæ præſtita à perſonalitate creata, huiuſmodi ter-

mina-

minatio non est quoad substantiã naturalis. Maior autem ostenditur primò: vnio personalitatis creatæ cum natura aliena, essentialiter sumpta, est supra exigentiã omnis naturæ creatæ, & creabilis, & supra exigentiã personalitatis terminantis: ergo essentialiter, substãtialiter est supernaturalis.

Maior ostenditur primò.

Secũdò. Secũdò probatur; nam prædicta vnio excedit actiuitatẽ omnis agentis creati, & creabilis, imò & vim actiuã Dei, vt Auctoris naturalis, Conditorisque naturæ: ergo est supernaturalis substãtialiter, & non solum quoad modum.

Deniq; Denique probatur maior: non enim alia ratione vnio humanitatis ad Verbum est supernaturalis substantialiter, nisi quia est supra exigentiam omnis naturę creabilis, & supra actiuitatem omnis naturalis agentis; sed vnio personalitatis creatæ cum natura aliena his cõditionib⁹ gaudet, vt manet probatum: ergo talis vnio, non quoad modum, sed quoad substantiã est supernaturalis.

49. *Respondebis.* Respondebis fortè, negando causalem maioris; non enim ideo solum vnio humanitatis cum Verbo est supernaturalis quoad substantiam, quia est supra exigentiã omnis naturæ creabilis, & supra actiuitatem omnis agentis naturalis, sed quia terminatur ad subsistentiam Verbi, quæ entitatiuè supernaturalis est: quæ ratio in nostro casu non militat, nam extrema vnionis personalitatis creatæ cum natura aliena, entitatiuè sunt naturalia; ideoque licet prædicta vnio excedat exigẽtiam naturę terminabilis, & personalitatis terminantis, vimque actiuam omnis agentis naturalis, nõ sequitur, esse supernaturalẽ quoad substantiã, sed solum quoad modum.

50. *Sed contra.* Sed contra: nam quod vnio humanitatis cum Verbo supernaturalis sit quoad substantiam, non prouenit ex supernaturalitate entitatiua Verbi, quod est extremum illius, sed quia Verbum in ratione terminantis vnionem, & suppositantis humanitatẽ supernaturale est: & hoc ideò, quia in prædictis considerationibus supra omnis naturæ exigẽtiam eleuatur, illamque excedit; sed, quamvis personalitas creata sit entitatiuè naturalis; prout tamen vnionem terminans, & naturam alienam suppositans, omnis naturæ exigentiam excedit: ergo vt sic supernaturalis est, & consequenter vnio naturæ alienæ cum illa, est entitatiuè, & quoad substantiam, supernaturalis. Minor cum consequentia tenet; maior autem probatur: nam omnes naturę creatę connexionem habent cum Deo, qui entitatiuè supernaturalis est; & tamen quia vt terminans habitudinẽ effectuum naturalium supernaturalis non est, habitudo talium effectuum ad Deum est naturalis: ergo supernaturalitas vnionis humanitatis cum Verbo non sumitur ex supernaturalitate entitatiua Verbi, sed quia in ratione terminantis, & suppositantis humanitatem, est supernaturale, ideſt, excedens exigentiam omnis naturæ: quæ ratio in *præsenti* militat, vt *proximè* dicebamus.

51. *Dediq; probatur conclusio.* Denique principaliter probatur conclusio: sola enim personalitas propria naturæ infinitæ, potest alienã terminare naturam; sed personalitas naturæ infinitæ propria, necessariò est infinita: ergo sola infinita personalitas id potest præstare; & consequẽtèr persona creata non poterit alienã terminare naturam. Minor est certa de infinitate formali, vel saltim identica: nam licet Scotus neget personalitati diuinæ, prout à natura distinctæ, formalem infinitatem, identicam nõ potest negare, quandoquidem identificatur cum natura diuina, quæ infinita est per essentiam.

Maior probatur. Consequentia probatione non indiget; maior autem, in qua sola est posita difficultas, probatur. Sola personalitas propria naturæ continentis eminenter aliam naturam quoad omne id, quod in illa est perfectionis, potest alienam terminare naturam; sed sola natura infinita potest aliam hoc modo continere: ergo sola personalitas propria naturæ infinitæ potest alienæ naturæ vniri, illamque terminare, & suppositare. Consequentia tenet, minor est certa; quævis enim natura creata, quia finita, & limitata est, ita intra proprium genus, & speciem

con-

continetur, vt non ſe extendat ad alia, nec genera, nec ſpecies, vel formali, vel eminentiali continentia; quo circa nec rationale continere poteſt irrationale aliquo ex prædictis modis, nec natura Angelica humanã, ſed ſit proprium diuinæ naturæ, quia infinita eſt per eſſentiam, aliarum rerum perfectiones eminentèr continere.

52. *Probatur maior.*

Maior autem probatur: quævis namque perſonalitas eſſentialiter cũ propria natura adæquatur, & conſequenter illam non poteſt excedere: ſicut nec potentia excedere poteſt obiectum ſibi adæquatũ, nec relatio ſuum adæquatũ terminũ; ſed ſi natura, cui propria eſt perſonalitas, non continet eminentèr aliam naturam à perſonalitate ſibi propria terminabilem, perſonalitas huiuſcemodi naturam terminans, excedet propriam naturam: ergo ſola perſonalitas propria naturę eminentèr aliam continentis poteſt aliam à propria terminare naturam. Conſequentia eſt bona, minor cõſtat: ideo namque perſonalitas diuina, & ſi terminet naturam creatam, diuinam, cui propria eſt, non excedit, quia in natura diuina, quam primariò terminat, continetur eminẽter natura creata, quam terminat ſecundariò. Ideò etiam lumen gloriæ nõ excedit ſuum obiectum eſſentiale, nempè, diuinam eſſentiam, quamvis per illud cognoſcantur creaturæ, quia creaturæ, ad quas ſecundariò extenditur, in diuina eſſentia, quæ eſt illius obiectum primarium, eminenter continentur: ergo, ſi perſonalitas aliqua terminaret ſecundariò naturam, non contentam eminenter in natura primariò terminata per illam, propriam naturam excederet.

53. *Maior oſtenditur primo.*

Maior autem, cui ineſt tota difficultas, oſtenditur primò: vt enim cũ D. Thoma *infra* q. 17. *art.* 2. communiter docent Thomiſtæ, ſubſiſtentia eſt vltimum, quod naturam creatam determinat, & complet ad exiſtẽdum; ſed exiſtẽtia, cuiuſvis naturæ propria, eſſentialiter cum illa adæquatur, ita vt vltra illam, aut vltra eius eminentiam, continentiamque eminentialem nõ valeat extẽdi, vt omnes, quos viderim, docent, vel quia identificatur cũ propria natura, vt extra Scholam D. Thomæ communiter circumfertur, vel quia eſt actus ſpecificativus eſſentiæ, & ſpecificatus ab illa, vt intra Scholam D. Thomæ docetur: ergo ſubſiſtentia vltimò ad illam determinans, & complens eſſentiam ad exiſtendum, cum natura ſibi propria adæquatur taliter, vt vltra illam, vel vltra eius continentiam eminentialem nullatenus valeat extendi.

54. *Secundò probatur maior.* *Confirmatur*

Secundò probatur: ita enim cum natura ſubſtantiali comparatur ſubſiſtentia: ſicut cum accidentali modus inhærentiæ confertur; ſed iſte cum natura accidentali, cuius modus eſt, adæquatur eſſentialiter: ergo ſubſiſtentia eſſentialiter adæquatur cum natura propria ſubſtantiali. Explicatur, & vrgetur: nam ſubſiſtentia eſſentialiter conſiſtit in actuali exercitio terminandi, complendique naturam, & faciendi illam ſubſiſtere, nõ minus, quã modus inhærentiæ in actuali exercitio inhærendi, relatio in actuali referendi exercitio, vnio in actuali exercitio vniendi, & exiſtẽtia in actuali exercitio exiſtendi; ſed hæc, quia in actuali exercitio conſiſtunt, adæquantur cum ſubiectis, quibus ſunt connaturalia, inhærentia cum ſibi proprio accidenti, relatio cum proprio ſubiecto, vnio cum extremo, quod naturaliter vnit; ac denique exiſtentia cum natura, quam connaturaliter exiſtentem conſtituit: ergo paritèr ſubſiſtentia adęquatur eſſentialiter cum ſibi propria natura.

55. *Vltimò probatur maior.*

Denique probatur maior: ſicut enim relatio adęquatur cum termino illam ſpecificante: ita terminus adæquatur cũ ſubiecto terminabili adęquatè ſpecificatiuo illius; ſed ſubſiſtentia propria alicuius naturæ adæquatè ſpecificatur ab illa, vt terminabili: ergo adæquatur eſſentialiter in terminando cum illa. Maior cum conſequentia tenet; minor autem probatur: nam ſubſiſtentia hominis v.c. in ratione termini terminantis ſpecificatur à natura terminabili; ſed non ſpecificatur à natura creata abſtrahente à propria, & aliena natura: ergo ſpe-

cifi-

cificatur adæquatè à natura ſibi propria, & cui eſt connaturalis. Cõſequẽtia cum maiori tenet; minor autẽ probatur: ab illo namque vt terminabili ſpecificatur ſubſiſtentia, ad cuius ſpeciem reducitur: ſicut ſi potentia reducenda foret ad ſpeciem obiecti, deberet reduci ad ſpeciem obiecti illam ſpecificantis; non verò ad ſpeciem huius, vel illius obiecti, eſto vnum eſſet obiectum connaturale, & aliud obedientia litèr ab illa attingibile; ſed ſubſiſtẽtia hominis. v. c. non pertinet ad genus naturæ creatæ abſtrahentis à propria, & aliena, ſed ad ſpeciem hominis reducti uè: tùm, quia exiſtẽtia hominis ad hominis ſpeciem reducitur, nõ autem ad genus naturę ſubſtãtialis creatę: tùm etiam, quia ſubſiſtẽtia hominis, & ſubſiſtentia bruti diſtinguũtur ſpecificè, quod cum reductione vtriuſque ad rationem genericam naturæ ſubſtantialis creatæ ſtare non poteſt. Tùm denique, nam inhærentia accidentis determinatæ ſpeciei nõ reducitur ad rationem accidentis cõmunem, ſed ad ſpeciem illius accidentis, quod modificat connaturalitèr: ergo ſubſiſtentia hominis. v. c. non ſpecificatur à natura creata ſubſtantiali abſtrahente à propria, & aliena, ſed adæquatè ſpecificatur à natura hominis ſibi propria, vt ab ipſa terminabili; & cõſequentèr vltra illam extendi in terminando non poteſt, idemque dicendum eſt de quavis alia ſubſiſtentia creata.

§. V.

Primum argumentum cõtrariæ ſententiæ diluitur.

56. *Primũ contrariæ ſentẽtiæ argumẽtũ*

CONTRA Noſtram concluſionẽ obijciunt Auctores cõtrarij primo: nam diuina perſonalitas, prout ab eſſentia diſtincta infinita nõ eſt; & tamen terminat plures naturas de facto, nempè, humanam, & diuinam, poteſtq; infinitas terminare: ergo terminatio naturæ alienæ infinitatem in perſonalitate terminante non exigit, etiam ſi, quantum eſt de ſe, ad naturas numero infinitas terminandas ſufficiẽter extendatur; & conſequẽter perperam ex iſto capite negatur poſsibilis terminatio naturæ alienæ perſonalitati creatæ, quia, nempè, infinita nõ eſt. Minor cum cõſequentia tenet: maior autem probatur: ſi perſonalitas diuina ratione ſui, prout ab eſſentia diſtinguitur, & ratione illius, quod addit ſupra lineam abſolutã, eſſet infinita formaliter, ſequeretur, aliquam infinitatem conuenire Patri, quæ Filio nõ cõueniret, & è conuerſo: nam Patri conueniret infinitas paternitatis, & nõ Filio, & Filio conueniret infinitas filiationis, quæ non conuenit Patri; conſequens eſt falſum, aliàs nec Pater, nec Filius eſſent in omni linea infiniti: ergo perſonalitas diuina ratione ſui, quatenus ab eſſentia diſtincta, & ſecundũ id, quod addit ſupra lineam abſolutã, infinitatem non dicit.

57. *Reſpõd. Vazq.*

Huic argumento P. Vazquez *diſp. alleg. cap. 4.* reſpondet, non ſolam perſonalitatem, ſed perſonam ipſam terminare, & ſuſtentare naturam creatã; licet autem perſonalitas ratione ſui, prout ab eſſentia diſtincta, & ſecundũ id, quod addit ſupra lineam abſolutã, nulla infinitudine gaudeat; eſſentia tamen, quæ includitur in perſona diuina, & ex qua ſimul cum perſonalitate perſona cõſtituitur, infinita eſt, & hoc ſufficit, vt perſonalitas, quia eſt mod⁹ naturæ infinitæ proprius, ſit perſonæ ratio terminandi, & ſuſtentandi naturam alienam, & vt perſona diuina illã ſuſtentet, & terminet, ſicque accipiendum exiſtimat D. Tho. cum *in artic. 1. iſtius quæſt.* docet, proprium eſſe perſonæ diuinæ ob ſuam infinitatem, vt in ea fiat plurium naturarum concurſus; non enim intelligendus eſt de infinitate perſonalitatis ſecundum cõceptum explicitum ſuperadditum eſſentiæ, ſed de infinitate perſonæ, non ratione relationis, ſed ratione eſſentiæ.

58. *Diſplicet ſolutio Pat. Vazq.*

Hæc tamen ſolutio non placet: ſi namque in perſona alienam terminante naturam ex conceptu illam terminandi, & ſuſtentandi infinitudo requiritur, debet eſſe in eo, quod eſt perſonæ ratio terminandi, & ſuſtentandi naturam;

turam: ſicut infinitas requiſita in cauſa efficiente ex conceptu efficiētis, oportet, quod ſit in eo, quod eſt illi ratio efficiendi; ſed natura diuina, vel diuina eſſentia, prout à perſonalitate diſtincta, non eſt perſonę ratio terminādi, & ſuſtentādi naturam creatam, ſed proprietas perſonalis ſecundum id, in quo diſtinguitur ab eſſentia, in ſententia iſtius Auctoris: ergo infinitas naturæ, vel eſſentiæ diuinę, quatenus à perſonalitate diſtinctę, non ſufficit in perſona ad alienam terminandam naturam, ſed neceſſariò exigitur aliqua ratio infinitudinis in proprietate perſonali, quatenꝰ ab eſſētia diſtincta, quæ, prout ſic, eſt perſonæ ratio terminandi propriam, vel alienam naturam.

59. *Cōfirmatur primo.* Quod amplius vrgetur, & explicatur: nam, quod perſonalitas Verbi ſit modus naturæ infinitæ, non poteſt cōferre, vt ratione ſui poſsit infinitas terminare naturas, niſi ex natura infinita, quam primò terminat, & modificat, ipſi perſonalitati cōueniat aliqua infinitas: ergo nec poteſt conducere, vt valeat alienam terminare naturā. Conſequentia tenet ex dictis, nam ex eadem ratione, qua poteſt duas naturas terminare, poteſt terminare infinitas, ſi eſſent, vt *ſuperius* arguebamus: ergo ſi eſſe modum naturæ, & eſſentię infinitæ non ſufficit, vt poſsit infinitas terminare naturas, niſi in ipſa perſonalitate aliqua detur infinitas, nec ſufficiet, vt poſsit alienam terminare naturam. Antecedēs autē probatur; quod enim virtꝰ productiua Dei ſit proprietas naturæ infinitæ, nequit eſſe ratio, vt poſsit infinitos effectus producere, niſi ex natura diuina in virtutem productiuam deriuetur aliqua infinitas: ſi namque virtus ipſa, quatenus ab eſſentia diſtincta, vel finita, vel non infinita eſſet, quamuis eſſet proprietas naturę infinitę, non poſſet in infinitos effectus: ergo paritet, quòd perſonalitas Verbi ſit modus naturæ infinitæ, niſi ex hoc ipſa perſonalitas infinita cōſtituatur, non ſufficit, vt gaudeat vi terminatiua naturarum in infinitum, vel vt poſsit infinitas terminare naturas ſub conditione, quòd eſſent.

60. Confirmatur, & vrgetur ſecundo: quia namque vis creatiua eſt Deo propria, propter ſuam infinitatem, nō ſufficit, vt Deo vis creatiua conueniat, quòd natura Dei ſit infinita, ſed neceſſariò requiritur, quòd virtus proxima agendi, ſcilicet omnipotentia, etiam infinita ſit, quia eſt Deo ratio proxima creandi; ſed iuxta D. Tho. eſt perſonæ diuinæ proprium ob ſuam infinitatem, quòd in ea fiat plurium naturarum concurſus; & conſequēter, quòd poſsit alienam ſuſtentare, & terminare naturam, & illam perſonatam, ſubſiſtentemque cōſtituere: ergo, vt hoc verificetur, non ſufficit infinitudo naturæ, & eſſentiæ diuinæ, prout à perſonalitate diſtinctæ, quę, prout ſic, non eſt perſonę ratio terminādi naturam, ſiue propriam, ſiue alienam, ſed neceſſariò requiritur aliqua ratio infinitatis in proprietate perſonali, prout ab eſſentia diſtincta, quę ſecundum proprium conceptum eſt perſonæ ratio terminandi, & ſuſtentandi naturam.

Confirmatur ſecundo

61. *Pro vera ſolutione notatur.* Vndè, prætermiſſa hac ſolutione, ad argumentum reſpondeo, notando ex dictis *ſupra diſp.* 10. perſonalitatem diuinam duo præſtare naturæ, quā terminat, & modificat, ſcilicet, perfectatē independentię, & perfectatem incommunicabilitatis, quorum primū, quia perfectio eſt, & perſonalitas in propria linea, & ſecundum explicitū perſonalitatis conceptum perfectionem non dicit, non præſtat ratione illius, quod explicat, ſed ratione ſubſiſtentię diuinę abſolutę, quam in ſe implicitè includit; hęc autem infinitę perfectionis eſt; ac proindè perſonalitas diuina ratione illius poteſt infinitum effectū præſtare, & infinitas terminare naturas: nec ſequitur, infinitam aliquā perfectionem cōuenire vni perſonæ, quæ alteri non conueniat, nam ſubſiſtētia abſoluta, vna, & omninò indiuiſibilis eſt, quamuis reali tranſcendētia in tribus perſonalitatibus includatur; & cō ſequenter eſt tribus perſonis communis. Secundum autem, ſcilicet, perfectatem incommunicabilitatis præſtat perſonalitas diuina ratione illiꝰ, quod explicat, additque ſupra lineam abſoluta; quia hoc perfectionem non dicit: ac proinde præſtari poteſt à perſo-

nali-

nalitate diuina ratione proprij cõcep tus expliciti ad lineam absoluram superadditi, quamvis ratione illius perfectionem non dicat; adhuc tamẽ sub hac secunda consideratione personalitas diuina habet quandam rationem infinitudinis, non quidem perfectionis, sed in ratione terminandi naturã: tum, quia primò terminat naturam diuinam, quę infinita est; ac proinde ipsa debet esse aliqua ratione infinita. Tùm etiam, quia in ordine ad naturã creatam, quam secundatiò terminare potest, habet vim terminandi syncathegorematicè in infinitum, & inexhauribilem à natura creata terminabili per ipsam, quod sine aliqua ratione infinitudinis nequit subsistere.

62. *Vera solutio.* Iuxta quam doctrinam, ad argumentum factum respondeo, distinguẽdo maiorem: personalitas diuina, quatenus ab essentia distincta, infinita nõ est infinitudine perfectionis, concedo maiorem: infinitudine terminatiua, in linea incommunicabilitatis, nego maiorem, & concessa minori, nego cõsequentiam: ad probationem maioris, quatenus distinctioni traditæ obstare potest, distinguo consequens: aliqua infinitas perfectionis, nego sequelam: infinitas aliqua in ratione terminationis, quæ infinitas perfectionis non est, concedo sequelam; & sub eadem distinctione minoris, nego cõsequentiã: nam licet sit incõueniẽs, quod aliqua infinita perfectio Filio competens nõ conueniat Patri, aut è contra; quod autem infinitas aliqua in linea non dicente perfectionem, conueniat vni, & non alteri ex personis diuinis, nullum inconueniens est: sicut, quamuis incõueniens cẽseatur à pluribus, quòd perfectio aliqua Patri conueniens non cõperat Filio, aut è contra; quòd autem entitas aliqua, aut aliqua realitas Filio conueniens nõ conueniat formaliter Patri, nempè, Filiatio, inconueniens non censetur, sed necessariò debet ab omnib⁹, vt veritas catholica admitti: si namque filiatio sub conceptu proprio filiationis conueniret Patri, prædicaretur de Patre, esse Filium, & confunderentur diuinę personę.

Ad id autem, quod in *argumento* addit, nempè, sequi ex nostra sentẽtia, Patrem non esse in omni linea infinitum, dicatur, Patrem ratione paternitatis non esse infinitum in omni linea, sed tantum in propria, scilicet paternitatis: vnde, ex hac parte nullum inconueniens est, quòd illi infinitas filiationis non competat, ratione verò naturæ, & essentię diuinę, esse infinitũ formaliter in linea naturę, & essentię, & identicè in omni alia linea, quæ reperitur in Deo, quia natura diuina cũ omnibus, quę in Deo sunt, siue absolutis, siue relatiuis, summam habet identitatem: vndè etiam est identicè infinita infinitudine filiationis, quia tamen hanc infinitatem non petit natura diuina, prout in qualibet persona, necessarium non est, vt illam communicet Patri: sicut nec infinitatem propriam paternitatis, cum qua etiam natura identificatur, cõmunicat Filio, quin ex hoc aliqua imperfectio in Patre, vel in Filio sequatur; quia infinitas filiationis non debetur naturę diuinę, vt in Patre, nec infinitas paternitatis illi debetur in Filio. *Adsequelam dicatur.*

63. *Oppones primò.* Sed oppones primò: nam infinitas est mod⁹ quãtitatis molis, aut virtutis, ideſt, perfectionis, cum autem in Deo quantitas molis repugnet, infinitudo competẽs Deo modus perfectionis est; sed personalitas ratione illius, quod explicat, additque supra lineam absolutam, perfectionem non dicit, vt *tract. de Trinit.* cum frequentiori Thomistarum sententia docuimus, & *in præcedentibus* suppositimus: ergo sũpta personalitas secundum explicitum personalitatis conceptum superadditum essentię, & ad lineam absolutam, & ratione illius, per quod à perfectionibus Dei absolutis distinguitur, infinita esse nõ potest, etsi infinitatem implicitè importet, eo quòd in suo conceptu implicitè claudit essentiam, attributaleique perfectiones.

64. *Secũdò.* Secundò, & explicatur magis hoc ipsum: infinitas namque magnitudinem supponit, & supra magnitudinẽ addit: etenim omne infinitũ est magnum; non tamen è contra, omne magnum infinitum est: ergo id, quod ratione sui magnum non est, ratione sui infinitum

finitum eſſe non poteſt; ſed perſonalitas diuina ratione illius, per quod ab eſſentia diſtinguitur, & ratione cõcep tus expliciti ſupperadditi ad eſſentiã, & ad lineam abſolutam, magna non eſt: ergo ratione illius nequit eſſe formaliter infinita. Minor probatur: nã magnitudo eſt proprietas quantitatis molis, aut virtutis, quod idẽ eſt, quòd perfectio; ſed perſonalitati diuinæ, ſumptæ ratione illius, quod ſuperaddit ad lineam abſolutam, non conuenit ratio quantitatis aliquo ex prædictis modis, nempè, molis, aut virtutis: ergo ſic ſumptæ, non conuenit magnitudo, & conſequentèr illi, prout ſic, infinitas conuenire non poteſt.

Tertiò. Denique, nam ſi infinitas terminatiua, quam perſonalitati diuinæ concedimus, infinitam perfectionem non dicit, nec ſupponit, non eſt, cur prædicta infinitas repugnet perſonalitati creatæ: ergo ſi diuinæ conuenit, & repugnat creatæ perſonalitati, vt noſtra ſententia tenet, debet eſſe infinitas perfectionis, cuius contrarium noſtra reſolutio ſupponit.

65. *Ad primã replicam reſpõdetur*

Reſpondeo ad primam replicam, diſtinguendo maiorem: infinitas in genere dicente perfectionem eſt modus perfectionis, concedo maiorem: infinitas in omni genere, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam; nam licet ſequatur benè, perſonalitatẽ diuinam, ratione illius, quod ſuperaddit eſſentiæ, & ad lineam abſolutam, non eſſe infinitam infinitate generis dicentis perfectionem; non autẽ colligitur, nullo modo eſſe infinitam, nec gaudere infinitudine terminatiua, ad quam ſufficit, quod in ratione potentis terminare naturam, inexhauribilis ſit, & terminis non claudatur, quod revera competit perſonalitati diuinæ. Quod autem non omnis infinitas mod⁹ perfectionis ſit, nec adſtricta ad genus perfectionem importãs, patet in peccato mortali, quod in ratione offenſæ Dei, eſſe infinitum ſimpliciter, docet ſatis frequens ſententia, & quam Nos *diſput.* 1. iudicauimus veriorem: & qui negant peccato graui in ratione offenſæ Dei infinitatem ſimpliciter, non mouentur ex eo, quod in ratione offenſæ perfectionem non importet, ſed ex alijs principijs ſuam ſententiam ſuadent, illique concedunt infinitatem, ſaltim ſecundum quid; ac proinde omnes ſupponũt, modum infinitatis ad lineam perfectionis limitatum non eſſe, ſed extra illã poſſe reperiri, aliàs diſputatio de infinitate peccati mortalis, in ratione offenſæ, prorſus inutilis foret: ergo ex eo quod perſonalitas diuina ratione conceptus expliciti, per quem ab eſſentia diſtinguitur, & quem ſuperaddit eſſentiæ, & ad lineam abſolutam, non explicet perfectionem, non ſequitur, infinitam in ratione perſonalitatis non eſſe.

Et ex his ad ſecundam replicã cõſtat ſolutio, conceſſo antecedenti, & prima conſequentia, negando minorem ſubſumptam, quam non conuincit probatio: nam licet magnitudo, in genere dicente perfectionem, modus perfectionis ſit, non autem magnitudo omnis generis, vt cõſtat in eodem exemplo: peccatum enim graue abſq; dubio magnum eſt, nec illius magnitudo in ratione peccati ab aliquo poteſt negari: ſicut nec negari poteſt, dari vnum peccatũ, quod altero maius ſit; vbi autem maioritas eſt, magnitudo præſupponitur, nam comparatiuum abſolutum ſupponit; qui enim ſapientior dicitur alio, neceſſariò eſſe Sapiẽtem ſupponitur, & qui alio fortior aſſeritur, ſupponitur, eſſe fortem; & tamen peccatum in ratione peccati perfectionem non importat: nõ ergo omnis magnitudo alligatur lineæ perfectionis; ac proinde nec omnis infinitas adſtricta eſt generi perfectionem dicẽti; benè verum eſt, quod infinitas, & magnitudo dictæ, & enuntiatæ abſolutè ſtant pro infinitate, & magnitudine perfectionis; cum addito tamen, nempè, infinitas, aut magnitudo in tali ratione, latius patent, quam perfectio, & cum hoc addito poſſunt de ijs, quæ ad genus perfectionis non pertinent, prædicari, vt in exemplo appoſito cõſtat: peccatum enim graue non poteſt dici magnum, aut infinitum abſolutè; benè tamen dicitur magnum, & infinitum in ratione offenſæ Dei: ex quo tantum ſequitur, perſonalitatem diui-

66. *Ad ſecũdã replicam reſpõdetur*

nam

nam ratione illius, quod addit ad essẽtiam, & ad lineam absoluram, non esse dicendam absolutè infiniram, non autem, quod dici non posit, & debeat infinita cum addito, nempè, in ratione personalitatis, & in ratione termini terminantis, aut potentis terminare naturam, ad quod sufficit, vt diximus, esse in terminando inexhauribilem à natura creata.

67. *Ad tertiã replicã respõdetur.*

Ad tertiam replicam nego antecedens: tum, quia personalitati creatæ, non solũ infinitas perfectionis repugnat, sed etiam infinitas entitatiua non dicens imperfectionem; licet autem infinitas terminatiua conueniens personalitati diuinæ non sit infinitas perfectionis, est tamen infinitas entitatis, & aliàs imperfectionem non dicit, & cõsequenter personalitati creatæ repugnat. Tum etiam: nam infinitas terminatiua petit in personalitate, cui conuenit, infinitatem etiam sustentatiuã, vel illi conuenientem ratione sui, vel ratione prædicati in ipsa inclusi, & idẽtificati cum illa, quæ perfectionis infinitas est: & quia personalitati creatæ repugnat includere in se infinitã perfectionem, vel cum infinita perfectione identificari, fit consequens, vt etiã illi repugnet infinitas terminatiua, quamvis infinitudinẽ perfectionis nõ explicet.

68. *Instabis aduersꝰ dicta ad 1. & 2. obiectionem.*

Sed aduersus dicta ad primam, & secundam obiectionem instabis: vt enim ex Augustino communiter circũfertur, in ijs, quæ nõ mole magna sũt, idem est maius, quod perfectius: ergo in ijs, quæ mole magna non sunt, magnum idẽ est, quod perfectum; sed personalitas diuina, ratione illius, quod addit ad essentiam, mole magna esse non potest, vt omnibus est cõspicuũ: ergo in illa idem erit, esse magnam, ac esse perfectam; & consequenter idem erit, esse infinitam, ac esse perfectã infinitè: ex quo vlterius sequitur, quod si ratione superadditi ad essentiam, & ad lineam absolutam, personalitas diuina perfectionem non importat, ratione illius infinita esse non possit.

69. *Respondetur.*

Respondeo, doctrinam Parentis Augustini esse veram de maioritate, & magnitudine sumptis absolutè, & absolutè enuntiatis; non autem de maioritate, & magnitudine enuntiatis cũ addito: sic enim accipiendum non esse, nec posse, constat in exemplo adducto; nullus enim Theologorũ negat, vnum peccatum esse maius altero, in ratione peccati, nec id catholicè potest negari, & consequenter concedẽda est peccato in ratione peccati magnitudo: vt enim *proximè* dicebamus, omne comparatiuum absolutum supponit; & tamen ex hoc non infertur, vnum peccatum esse altero perfectiꝰ, vel quod peccatum in ratione peccati perfectionem importet: ergo ex doctrina Augustini tantũ colligitur, personalitatem diuinam ratione illius, quod addit ad essentiam, non posse dici magnam absolutè, nec absolutè infinitam; non autem, quod magna, & infinita cum addito dici nõ possit, nẽpè, in ratione personalitatis, & in vi terminatiua naturæ, quatenus in hac ratione inexhauribilis est, & terminis non includitur.

70. *Vrgebis contra traditã resolutionem.*

Adhuc tamen contra hanc resolutionem vrgebis: nam penes idem pensantur æqualitas, & inæqualitas, penes quod minoritas, & maioritas; sed secũdum proprietates relatiuas, prout ab essentia distinctas, nõ possunt dici personæ diuinæ æquales, aut inæquales: ergo secundum illas maioritas, aut minoritas esse non potest, & consequenter nec magnitudo, aut infinitas. Maior cum consequentia tenet; minor autem ostenditur primò: quia est expressa D. Tho. 1. *p. q. 36. art. 4. ad 2. & q. 42. art. 4. etiam ad 2. argum.* Deinde probatur: si namque personalitas ratione illius, quod addit ad essentiam æqualitatem, vel inæqualitatem posset fundare, sequeretur, proprietates personales diuinas, ratione illius, in quo inter se distinguuntur, esse inæquales: consequens admittendum non est: ergo personalitas ratione illius, quod addit ad essentiam, nõ potest æqualitatem, aut inæqualitatem fundare. Minor patet: tum, quia inconueniens maximũ est, vnam personam diuinã in aliquo prædicato altera inferiorem asserere. Tum etiam, quia non potest inter Dei proprietates aliqua ratio inæqualita-

tis

tis aſsignari, cur, ſcilicet, paternitas v.c filiationem excedat, vel filiatio paternitatem. Sequela autem probatur: nam proprietates perſonales, quatenus diſtinctæ inter ſe non poſſunt, vt æquales comparari, cũ diſtinctio, quæ inter illas verſatur, eſſentialis ſit, & vt *ſupra diſp.* 11. aſſerebamus, inter diſtincta eſſentialitèr æqualitas eſſe non poteſt: ergo, quatenus diſtinctæ, neceſſariò ſunt inæquales, ſi ſemel perſonalitas poteſt æqualitatem, vel inæqualitatem fundare. Patet conſequentia: nam eo ipſo, quod perſonalitas diuina pro eo quod addit ad eſſentiam, ſit potens æqualitatem, aut inæqualitatem fundare, quæuis perſonalitas, prout ab altera diſtincta, aliquid illorum fundabit; ſed æqualitatem cum altera proprietate fundare non poteſt: ergo neceſſariò fundat inæqualitatem, & conſequentèr ex noſtra ſentẽtia ſequitur, perſonalitates, & proprietates diuinas, prout diſtinctas inter ſe, eſſe neceſſariò inæquales. Ex quo vlterius ſequitur, inter diuinas perſonas, vt per illas conſtitutas, inæqualitatem eſſe admittendam, quod ſine inconuenienti non videtur poſſe admitti.

71. *Reſpondetur.* Reſpondeo, conceſsa maiori, negando minorem: ad primã illius probationem dicatur, D. Thomam loqui de æqualitate perfectionis, quæ eſt æqualitas abſolutè, & de hac æqualitate loquendo, verum eſt, nõ penſari inter diuinas perſonas ſecundum proprietates relatiuas, & perſonales, per hoc autem non excluditur, quod æqualitas cum addito, nempè, in hac, vel illa ratione, quæ perfectionem non dicit, inter perſonas diuinas ſecundũ proprietates relatiuas penſetur; non enim negari poteſt, perſonalitatem Patris in ratione terminantis, & perſonantis naturam, tam ad intra, quam ad extra, cum perſonalitate Filij adæquari. Ratio autem termini terminantis naturam, perſonamque conſtituentis, non conuenit proprietatibus relatiuis diuinis ratione eſſentiæ, aut alicuius perfectionis abſolutę, ſed ratione proprij conceptus, per quem ab eſſentia diſtinguuntur, & quem ſuperaddunt eſſentiæ, abſolutiſque perfectionibus: ergo prædicta æqualitas inter Patrem, & Filium penſatur penès proprietates relatiuas ſic ſumptas.

72. *Ad ſecũdam probationẽ minoris reſp.* Ad ſecundam probationem minoris, nego ſequelam, ad illius probationem, nego antecedẽs: nam licet inter diſtincta eſſentialitèr, diſtinctione perfectionis, non poſsit æqualitas reperiri: inter illa tamen, quæ eſſentialitèr diſtinguuntur, non diſtinctione perfectionis, ſed ſolius entitatis, & aliàs in ſe includentia omnem perfectionẽ poſsibilem, benè poteſt æqualitas inueniri, imò neceſſariò inuenitur, etiam in eo, in quo diſtinguuntur eſſentialiter: & quia perſonalitates diuinæ in ſe omnem perfectionem includunt, nõ poſsunt non eſſe ęquales, etiam prout diſtinctæ ſunt. Ratio autem diſtinctionis traditæ eſt, nam cum hoc, quod eſt aliquid eſſe omninò perfectum, nulla imperfectio compatitur; quod enim eſt aliqua ratione imperfectum, nõ poteſt omninò perfectum eſſe; inferioritas autem in quocumque prædicato imperfectio reputatur: ergo id, quod ſummè perfectum eſt, omnẽque perfectionem includit, in nullo prædicato poteſt inferioritatem habere, & alteri, vt inferius, comparari. Cum ergo perſonalitates diuinæ ſupponãtur nõ addentes perfectionem ad eſſentiam, ſed eiuſdem omninò perfectionis, & conſequentèr quęlibet ſummè perfecta, non poteſt vna in aliquo prædicato inferior altera eſſe; ac per conſequens in quocumque prędicato neceſſariò ſunt ęquales.

73. *Oppones.* Sed oppones, ſequi ex iſta ſolutione, quamuis relationes diuinę ſuperaddant ad eſſentiam perfectionem, dicantque perfectiones relatiuas diſtinctas, poſſe omnimodè ęquales defendi: conſequens aduerſatur frequentiori Diſcipulorum D. Thomę ſentẽtię, quam Nos ſequuti ſumus *tract. de Trinit. q.* 28. exinde probantes, non poſſe diuinas relationes ſuperaddere perfectionem ad eſſentiam, importareque perfectiones relatiuas diſtinctas, quia neceſſariò forent inæquales inter ſe: ergo ſolutio tradita nõ eſt conſequẽs ad noſtra principia, nec poteſt conformitèr ad illa defendi. Probatur ſequela:

la: quamvis relationes diuinæ addant supra essentiam perfectionem, dicantque secundum proprios conceptus, perfectiones relatiuas distinctas; includunt tamen essentiam, & attributales perfectiones, vel per realem identitatem, vel inclusione per rationem, & cum inclusione essentiæ, quæ omninò perfecta est, nulla potest compati imperfectio, qualis foret inferioritas in aliquo prædicato; sed iuxta nostræ solutionis doctrinam non stat inferioritas personalitatis Filij comparatione proprietatis personalis Patris, aut è contra, in aliquo prædicato, quia illarum quælibet omnem perfectionē includit aliquo ex prædictis modis, cum qua inclusione nulla imperfectio compatitur: ergo, quamuis relationes diuinæ addant supra essentiam, & ad lineā absolutam perfectiones relatiuas distinctas inter se realitèr, poterunt ob inclusionē essentiæ defendi omnimodè æquales, quod, vt dixi, Nostræ, frequentioriq; Thomistarum sententiæ aduersatur.

74. *Respōd.* Respondeo, negando sequelam, ad illius probationem, nego consequentiam. Disparitas autē est, nam in sententia asserente, relationes diuinas importare perfectiones relatiuas distinctas inter se realiter, quamvis includant essentiam; non tamen includunt illam, vt in qualibet relatione radicantem omnē perfectionem, vt cuilibet relationi formalitèr cōuenientem; & consequentèr non includūt essentiā, vt constituentem quamlibet ex relationibus omninò perfectam formaliter; quia ad hoc requirebatur, vt cuilibet relationi omnem perfectionem præstaret: ex quo vlteriùs fit, vt in prędicta sententia, non includant diuinę relationes essentiam, vt à qualibet ex illis excludentem omnem imperfectionem, nam exclusio omnis imperfectionis fit media communicatione omnis perfectionis: cumquè diuina essentia, quamuis in omni relatione includatur, non radicet, prout in illa, omnem perfectionem formaliter, nec omnem perfectionem formaliter illi communicet, consequens sit, vt quamuis in relationibus includatur; non tamen ita, vt illas incapaces omnis imperfectionis reddat; in nostra autem sententia non multiplicante perfectiones relatiuas, quælibet diuina relatio claudit in se essentiam, vt in illa omnem perfectionem radicātem; ac per consequēs quælibet ex illis omninò perfecta est, & eiusdem omninò perfectionis cum alia, cum quo nulla imperfectio compatitur; ac proindè nec inferioritas in aliquo prædicato, quę imperfectio reputatur.

§. VI.

Duo alia argumenta diluuntur.

75. *Secūdū principāle argumentum* SECVNDÒ principalitèr arguitur: terminatio alienæ naturæ non petit infinitatem in personalitate terminante: ergo, quāvis personalitas creata, non infinita, sed limitata sit, poterit alienam terminare naturam; & cōsequentèr malè ex isto capite talē terminationem impossibilem iudicauimus. Consequentia tenet ex dictis: antecedens autem ostenditur primò: nā terminatio alienæ naturæ non est infinitus effectus: ergo non petit infinitatem in forma illum potente præstare.

Antecedens probatur 1. Secundò probatur: sustentatio alieni, & extranei accidentis non petit infinitatem in subiecto sustentante; anima enim rationalis gratiam recipit, & sustentat, quæ accidens alienum est, hoc est, non connaturale, sed supra naturam illius. Potest etiam substantia creata recipere, & sustentare, nedum connaturalia, & sibi propria accidentia, sed etiam illa, quę sibi propria non sunt, sed alteri subiecto debentur; & consequentèr sunt extranea substantię ipsa recipienti, & sustentanti: ergo paritèr terminatio, aut sustētatio alienæ, & extraneæ naturę, infinitatē non

Secūdò.

arguit in perſonalitate terminante, & ſuſtentante.

76. *Tertiò.* Denique idem antecedens probatur: nam terminatio alienę naturę nō petit, quòd perſonalitas illam terminans contineat in ſe eminentèr perſonalitatem propriam naturę extraneę, quam terminat, & ſuſtentat: ergo nō petit infinitatem in illa. Conſequentia tenet ex dictis: indè namque inter alia probauimus, perſonalitatem, alienam terminantem naturam, eſſe debere infinitam; quia debet in ſe eminentèr continere perfectionem omnem perſonalitatis proprię, naturæ extraneę, quam terminat, quę continentia entitati creatę, & finitæ repugnat: ergo, ſi hęc continentia neceſſaria non eſt, nec infinitas eſt neceſſaria. Antecedens autem probatur: perſona, alienam naturam terminans, non præſtat eundem effectum formalem, quem illi perſonalitas propria præſtaret: ergo non eſt neceſſarium, quod perſona alienam naturam terminans, illius propriam perſonalitatem eminentèr prę contineat. Conſequentia tenet: nam continentia eminentialis formę ſolum requiritur ad præſtādum illius effectum formalem: ergo, ſi perſona terminans alienam naturam, non præſtat illi effectum formalem perſonalitatis propriæ, non eſt neceſſarium, quòd contineat eminentèr perſonalitatē propriam naturę extraneę, quā terminat. *Antecedens probatur 1.* Antecedens autem oſtenditur primò: nam ex perſonalitate aliena, & natura terminata, diuerſa reſultaret perſona ab illa, quæ reſultaret ex eadem natura, & propria perſonalitate; ſed effectus formalis perſonalitatis, eſt perſona conſtituta per illam: ergo perſonalitas alienam naturam terminans nō præſtaret effectum formalem perſonalitatis propriæ. *Secūdo.* Secundò probatur: nā perſonalitas Verbi vnita humanæ naturæ, cōſtituit perſonam increatam; propria autem humanitatis perſonalitas, perſonā creatam conſtitueret; & cōſequentèr perſonalitas diuina non præſtat humanitati effectum formalem perſonalitatis propriæ: ergo perſonalitas creata terminans alienam naturam non præſtaret effectum formalē perſonalitatis propriæ, naturę, quam terminaret.

Reſpondeo, negando antecedēs: ad primam illius probationem, diſtinguo antecedens: terminatio alienæ naturæ non eſt infinitus effectus in ratione entis, concedo antecedens: in ratione effectus formaliter, nego antecedens, & conſequentiam: vt enim in cauſa ex effectu arguatur infinitas, & ab effectu petatur, non requiritur, quòd effectus ſit infinitus entitatiuè; ſed ſufficit, quòd in ratione effectus, ſit infinitus, vt in termino creationis conſtat, qui entitatiuè infinitus non eſt; & tamen in cauſa creante arguit, petitque infinitatem. Conſtat etiam in gratia habituali, quę finita eſt in genere entis; & tamen in cauſa principaliter ſui effectiua, infinitatem per eſſentiam expoſcit. Vnio etiam hypoſtatica in linea entis finita, & limitata eſt; & tamen in ratione effectus eſt infinita; quo circa nulla creatura poteſt illam principaliter efficientèr cauſare. Denique conſtat in ipſa terminatione alienæ naturę, quæ efficientèr principalitèr, non poteſt cauſari ab aliqua cauſa creata; & conſequentèr in ratione effectus cauſæ efficientis infinita eſt, quamvis entitatiuè finita, & limitata ſit. Idem ergo Nos aſſerimus de tali terminatione in ordine ad cauſam formalem, nempè, quòd licet entitatiuè ſit finita; in ratione tamen effectus eſt infinita ob rationes traditas in probatione noſtræ ſententię: & ideò in perſonalitate terminante arguit, petitque infinitatem.

77. *Reſpondetur ad primam antecedētis probationē.*

Ad ſecundam probationem, conceſſo antecedenti de receptione accidentis ſupernaturalis, illiuſque ſuſtentatione, & permiſſo quoad receptionem, & ſuſtentationem accidentis extranei, nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt, nam ſubiectum ſuſtentare, & recipere poteſt accidentia ratione potentiæ obediētialis: nam poteſt materialiter cauſare formas ſupernaturales, penès ordinem ad quas potentia obedientialis conſtituitur; ex effectu autē ab aliqua cauſa præſtabili per potentiam obedientialem, non arguitur infinitas in cauſa, illum potēte

78. *Ad ſecūdam.*

præſta-

præstare; forma verò, cum non possit in genere causæ formalis effectum sibi supernaturalem causare, nō potest id, quod præstat in genere causæ formalis, præstare per potentiam obedientialē: sed necessariò ad omne, quod causat formaliter, concurrit per virtutē sibi innatam, & per potentiam sibi cō naturalem: vndè, cum personalitas in ordine ad terminationem, & sustentationem naturę concurrat in genere causę formalis, si alienam terminaret naturam, id præstaret, non ratione potentiæ obedientialis, sed per virtutem sibi innatam, & sibi connaturalem: ex quo infinitatem colligi in persona terminante manet probatum.

79. *Ad tertiam.*

Ad tertiam probationem, nego antecedens: ad illius probationem distinguo antecedens: non præstat eundem effectum formalem formaliter, concedo antecedens: eundem effectū formalem eminētèr, nego antecedēs, & consequentiam: vt enim necessaria sit in personalitate alienam terminante naturam, continentia eminentialis personalitatis propriæ, naturæ à se terminatæ, sufficit, quòd terminādo alienam naturam suppleat effectū personalitatis proprię illius, & præstet eundem effectum formalem eminentèr: quamuis non præbeat eundem effectum formalem formaliter; præstare autem eundem effectum formalē eminenter, est, quòd, media personalitate aliena, existat, & conseruetur natura, quæ de se petebat personalitate propria, & sibi connaturali existere, & conseruari: & quia hoc præstaretur à personalitate aliena, fit consequens, vt tribueret effectum personalitatis propriæ, nō formaliter, sed eminētèr.

80. *Antecedētis probationes non vrgent.*

Contra quam doctrinam non vrgent antecedentis probationes, quæ ad summum conuincunt, non præstare eundem effectum formalem formaliter; quòd enim personalitas creata alienam naturam terminans non cōstituat eandē personā, quæ ex natura creata, & propria personalitate resultat: sicut quod personalitas Verbi vnita naturæ humanę non constituat eandem personam numero cum illa, quæ resultaret ex natura humana, & personalitate creata, ipsi debita, solum conuincit, personalitatem alienæ naturæ vnitam non præstare illi eundem effectum formalem formaliter cum effectu præstito, vel præstando à propria personalitate; non autē, quòd non præstet illi eundem effectū formalem, non formaliter, sed eminentèr: & hoc sufficit, vt debeat personalitatem propriam naturę, à se terminatæ, eminenter continere.

81.

Vel secundò dicatur, personalitatem terminantē naturam duos effectus causare formaliter, scilicet, personam à se constitutam, & sustentationem passiuam naturæ à se terminatæ, & sustentatę; licet autem persona cōstituta personalitate aliena, & natura à se terminata non sit eadem cum persona constituta ex natura, & personalitate propria, sustētatio tamen passiua naturæ esset eadē: vndè ex hac parte eundem effectum formalē præstaret personalitas aliena naturæ à se terminatæ, quē illi propria personalitas præstat; ideoq; vt personalitas possit alienæ naturę vniri, illamq; sustētare, requiritur, quòd contineat eminentèr personalitatem propriam naturæ à se terminabilis.

82. *Tertiū principale argumētum.*

Tertiò arguitur, & instatur cōtra dicta: nam potest forma præstare effectum, quem formaliter causat, nō solum ratione potētiæ sibi cōnaturalis, sed etiam ratione potentiæ obedientialis: ergo, quamuis personalitas terminet naturā in genere causæ, vel qua si causæ formalis, poterit terminare naturā per potētiā obedientialem: ex quo vlterius sequitur, terminationē naturæ alienæ nō arguere infinitatem in persona terminante. Secūda cōsequētia ex *supra* dictis infertur: indè nā que infinitatē mōstrauimus, quia non potest personalitas terminare alienam naturā per potētiā obediētialē: ergo, si hoc est possibile, ex terminatione alienæ naturę, non arguitur infinitas in persona terminante.

Antecedens probatur primò.

Prima consequentia ex antecedenti colligitur; antecedens autem ostenditur primò: nam anima rationalis à corpore separata est in potentia obedientiali, vt iterum corpori vniatur;

non enim eſt reunibilis corpori per potentiam ſibi cõnaturalem, alias reſurrectio corporũ naturaliter eſſet poſſibilis: ergo ad animãdum corpus, cui per reſurrectionem vnitur, eſt anima rationalis in potentia obediẽtiali; animatio autem corporis provenit abilla in genere cauſæ formalis; & conſequenter forma ad ſuum effectum formalem poteſt concurrere per potentiam obedientialem.

Secũdo. Secundo probatur: nam forma cęleſtis poteſt materiam ſublunarem informare, & forma ſublunaris poteſt de potentia abſoluta informare materiam celeſtem; ſed hoc non eſt poſsibile prædictis formis per potẽtiam ipſis connaturalẽ, aliàs poſſet naturaliter cõtingere, & cęli corruptibiles eſsẽt: ergo poteſt forma effectum formalẽ præſtare ratione potentiæ obedientialis.

Tertiò. Tertiò, nam accidens cõnaturale vni ſubiecto poteſt in alio ſibi non cõnaturali recipi de potẽtia abſoluta, vt admiſſum eſt in *ſolutione 2. arg.* ergo poteſt accidens connaturale vni ſubiecto, aliud ſibi nõ cõnaturale informare, illique ſuũ effectũ formalẽ tribuere; ſed hoc præſtare nõ poteſt ratione potentiæ cõnaturalis; aliàs eſſet poſsibile naturaliter: ergo id præſtare poteſt per potentiam obedientialẽ; & cõſequenter poteſt forma effectum, quẽ cauſat in genere cauſæ formalis, cauſare ratione potentiæ, & capacitatis obedientialis.

Quartò. Deniq; idem antecedens probatur: humanitas namq; Verbum cõſtituit hominem in genere cauſæ formalis; & tamen Verbo huiuſmodi effectum nõ præſtat per virtutẽ ſibi cõnaturalem, aliàs Incarnatio naturaliter eſſet poſsibilis, & ordinẽ naturæ non tranſcenderet, & humanitatẽ Verbo vniri ſupra naturã nõ eſſet: ergo verum eſt antecedẽs, quòd nempè, forma effectum, quẽ cauſat in genere cauſæ formalis, præſtare poteſt per potentiã obedientialẽ; & cõſequenter, quãvis perſonalitas terminet naturã in genere cauſę, vel quaſi cauſæ formalis, poterit ad terminandum concurrere ratione potentiæ obedientialis.

Reſpondeo, negando antecedẽs: ad primã probationẽ dicatur, animam rationalẽ in ordine ad reunionẽ cũ corpore, eſſe in potentia, nõ naturali, ſed obedientiali; in ordine autẽ ad animãdũ corpus, præſuppoſita reunione cũ illo, non eſſe in potentia obedientiali, ſed id præſtare, ratione potẽtiæ ſibi cõnaturalis: ex quo nõ ſequitur, ad effectũ, quẽ præſtat in genere cauſæ formalis, comparari per potentiã obediẽtialem, nam in ordine ad reunionem, ad quã ſe habet in potentia obedientiali, non concurrit in prædicto genere cauſæ, ſed in genere cauſæ ſubiectiuæ, & materialis; in ordine verò ad animandũ corpus, præſuppoſita reunione cũ illo, quẽ effectũ præſtat in genere cauſæ formalis, nõ ſe habet in potẽtia obedientiali, ſed in potentia connaturali. Neq; ex hoc ſequitur, eſſe reſurrectionẽ naturaliter poſsibilem: nã ad hoc requirebatur, quòd reunio animæ ad corpus naturaliter poſsibilis eſſet. 83. *Reſpondetur ad primam probationem.*

Sed dices, ſequi ex iſta ſolutione, poſſe perſonalitatẽ creatã eſſe in potẽtia obedientiali ad vnionẽ cum aliena natura, quamvis illã terminet, & ſuſtẽtet, ratione virtutis ſibi connaturalis: ex quo vlterius ſequitur, quòd, licet poſsit per virtutẽ ſibi cõnaturalẽ alienam terminare naturam, indè non inferatur, terminationẽ naturæ alienæ eſſe per cauſas naturales poſsibilẽ. Patet vtraque conſequẽtia à paritate rationis: poteſt nãque anima rationalis, vt *proximè* dicebamus, eſſe in potẽtia obedientiali ad reunionẽ cum corpore, & in potentia naturali ad animandũ corpus, præſuppoſita reunione, quin ex hoc inferatur, reſurrectionem eſſe naturaliter poſsibilẽ, quia reunio cũ corpore naturaliter poſsibilis non eſt: ergo paritèr poterit perſonalitas creata eſſe in potentia obedientiali, vt naturæ alienæ vniatur, & in potentia naturali ad terminandum, & ſuſtentãdũ naturam alienam, præſuppoſita vnione cũ illa, quin ex hoc colligatur, poſſe prædictam terminationẽ effici per cauſas naturales; eo quòd vnio, quam præſupponit, ſupernaturalis eſt, & excedens vires omnis naturalis agentis. 84. *Dices.*

Reſpon-

85. *Respõd.*

Respondeo, negando consequentiam. Ratio autem discriminis est, nã vnio personalitatis creatæ cum natura aliena est supernaturalis quoad substantiam, vt *superius* monstrauimus; non autẽ potest effectus naturalis dependere essentialitèr à modo substantialitèr supernaturali: connexio enim essentialis cum ente supernaturali entitati naturali repugnat: sicuti repugnat enti supernaturali, quòd ab entitate naturali exigatur; ideoque nõ stat, vnionem personalitatis creatæ cũ natura aliena esse supernaturalem, & quòd terminatio naturę alienæ à personalitate creata, naturalis sit, & quod ipsi conueniat ratione sibi innatæ, & connaturalis virtutis; reunio autem animæ rationalis ad corpus solum est supernaturalis quoad modum, & animatio corporis ab anima rationali nõ dependet à prædicta reunione essentialiter, cum animatio prima corporis; quæ eiusdem rationis est cum secũda animatione, ab anima rationali præstetur media vnione naturali; ideoquè potest optimè componi, quòd anima rationalis sit in potentia obedientiali ad reunionem sui cum corpore, & quòd animationẽ corporis præstet ratione virtutis sibi connaturalis.

86. *Ad secũdam probationẽ respõdẽt Recẽtiores Docti.*

Ad secundam probationem Docti Recentiores respondent, concedẽdo antecedens quoad vtramque partem, & negando consequentiam. Rationem autem discriminis reddũt; nã licet materia, & forma cęlestis, & materia, & forma sublunaris, secundum suas vltimas differentias, sint ad invicem determinatæ, ita vt materia cęlestis cum forma cęlesti adęquetur, & è contra, & materia sublunaris adęquetur cum forma sublunari, & forma sublunaris proprię materię alligetur; attamen materia cęli, secundum rationem genericam, est in potentia obedientiali ad formam sublunarẽ, & forma cęlestis secundum rationem genericam est in potentia obediẽtiali, vt per formam cęlestem actuetur, & forma sublunaris secundum rationem genericam est in potentia obedientiali, vt actuet materiam cęlestẽ. Subsistentia autem est ad propriã naturam sub omni ratione, & consideratione essentialitèr determinata, & alligata; ideoquè non potest vltra propriam naturam extendi, & alienã terminare. Hanc solutionem refert, & non refutat Illustrissimus, & Sapientissimus noster Mag. Herrera in *manuscriptis ad artic. 1. huius quæst. dub. 1. in respons. ad 3.* *M. Herrera.*

87. *Fertur de prædicta solutione iudicium.*

Cęterum quamvis hæc solutio sustineri posset iuxta vltimum modum, quo nostram sententiam ostendimus; non tamen defendi potest conformiter ad secundam rationem, qua illam mõstrauimus, nempè, ex eo quòd formæ ex proprio modo causandi formaliter repugnat ad effectum suum formalem concurrere per potẽtiam obediẽtialem, sed illum necessariò præstare ratione virtutis sibi innatæ, & connaturalis: si namque forma cęli potest informare, & actuare materiam sublunarem ratione potentię obediẽtialis, esto hoc illi conueniat, nõ secundum rationem specificam, sed secũdum rationem genericam, non potest repugnare sublistentiæ creatę alienam terminare naturã, ex eo quòd causę formali ex proprio modo causãdi repugnet ad effectum proprium formalem concurrere ratione potentię obedientialis, sed ex alijs capitibus erit probãdum.

88. *Vera solutio ad antecedẽtis probationẽ traditur*

Vndè ad secundam antecedentis probationem respondeo, negãdo maiorem quoad vtramque partem: sicut enim repugnat, potentiam intellectiuam suum obiectum specificatiuum excedere, quod etiam potentię vitiuę repugnat, & alijs potentijs vitalibus: quo circa potentia vitiua nequit percipere Angelum, etiam de potẽtia absoluta, nec intellectus creatus posset intuitiuè Deũ videre, nisi Deus, vt intuitiuè, & clarè visibilis contineretur intrà ambitum obiecti specificatiui illius, quod fusè cum cõmuni sententia monstrauimus *tract. de visione Dei art. 1.* Ita pariter repugnat cuilibet formę

potentiam aliquam actuare non contentam intra ambitum ſui ſpecificatiui eſſentialis; forma autẽ cęleſtis ſpecificatur adęquatè à materia cęleſti, & forma ſublunaris, à materia ſublunari; ideoquè nec forma cęleſtis poteſt informare materiam ſublunarem, nec forma ſublunaris actuare materiã cęleſtem, etiam de potentia abſoluta.

89. *Replicabis.* Sed dices: poteſt forma cęleſtis reſpicere materiam cęleſtem, vt potẽtiã ſibi connaturalem, abillaque cõnaturalitèr actuabilem, & materiam, vt ſic abſtrahentem à ſublunari, & cęleſti, vt potẽtiam ſpecificatiuam, quamvis nõ vt connaturalem; ſed, hoc admiſſo, poteſt de potentia abſoluta forma cęleſtis actuare, & informare materiã ſublunarẽ: ergo informatio materię ſublunaris à forma cęleſti non implicat; & conſequentèr impoſsibilis cenſenda non eſt, inſpecta Dei potentia abſoluta, idemquè dicendũ de forma ſublunari comparata cum materia cęleſti. Maior, ex qua cętera pendent, probatur: nam intellectus creatus reſpicit pro obiecto proportionato, & ſibi cõnaturali ens naturale; & tamen pro obiecto ſpecificatiuo reſpicit ens, vt ſic, enti naturali, & ſupernaturali commune: ergo paritèr forma cęleſtis poterit pro potentia cõnaturali, ſibiquè proportionata, & abipſa connaturalitèr actuabili reſpicere materiã cęleſtem, & pro potentia ſui ſpecificatiua reſpicere materiã, vt ſic, cęleſti, & ſublunari communem, & ab vtraque abſtrahentem.

90. *Reſpõd.* Reſpondeo, negãdo maiorem, ad cuius probationem, cõceſſo antecedẽti, nego conſequentiã. Ratio autẽ diſcriminis habetur ex dictis; quia, nẽpè intellectus effectiuè ad intelligendũ, & ad elicientiam intellectionis cõcurrit; cauſa autem efficiens poteſt eleuata efficere, & conſequentèr cauſare effectum, ad quẽ de ſe vires ſufficientes, & ſibi cõnaturales non habet: & idcircò poteſt intellectꝰ creatus duplex obiectũ habere: alterũ proportionatũ, quod proprijs viribus, & ſibi cõnaturaliꝰ valet attingere: alterũ improportionatũ, erga quod non niſi eleuatus poteſt verſari, & à ratione vtriq; obiecto cõmuni, & ab vtroq; abſtrahente ſuam ſumere ſpecificationẽ; forma autẽ non poteſt in ſuum effectum formalem influere, vt eleuata; ac proinde ſolũ poteſt in genere cauſæ formalis id, quod ex proprijs viribus poteſt præſtare: & quia ad potẽtiam ſui receptiuã, quatenus à ſe actuabilem, & informabilem comparatur vt cauſa formalis, nõ poteſt reſpectu formę diſtingui, potentia cõnaturalitèr abilla actuabilis, & potentia actuabilis ab ipſa obediencialitèr: & idcircò potentia, quam forma reſpicit, vt à ſe actuabilẽ cõnaturalitèr, illam adęquatè ſpecificat.

91. *Ad tertiã probationẽ antecedẽtis.* Et ex his ad tertiam antecedentis probationẽ, prętermiſſo antecedẽti, nego cõſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt, nam accidens dicit duplicem habitudinem ad ſubiectum, ſecũdum quarum vnam reſpicit ſubiectũ, vt effectus illius in genere cauſæ materialis: & quia cauſa materialis poteſt per potentiã obedientialem effectum ſibi non cõnaturalẽ cauſare, hinc eſt, quòd poſsit ſubiectũ in ſe recipere accidens nõ ſibi cõnaturale, illudq; cauſare materialitèr, non per potentiam naturalẽ, ſed ratione potentiæ obediẽtialis: ſecundum alium reſpectum cõparatur accidens ad ſubiectum vt forma, & in genere cauſæ formalis, prout ſcilicet, ipſum informat, eique præſtat ſuum effectum formalem: & quia in hoc genere cauſę nõ poteſt effectum proprias vires excedentem cauſare, & conſequentèr nec poteſt per potentiã obedientialẽ influere; conſequens fit, vt non poſsit accidens ſubiectum ſibi non cõnaturale informare, quamvis poſsit recipi in ipſo, quę duplex habitudo ab aliquibus in gratia habituali diſtinguitur, ita vt quatenus informãs actum contritionis pręcedat, ipſumq; efficientèr cauſet, & vt recepta in ſubiecto actum cõtritionis ſubſequatur, ab illoque in genere cauſæ materialis, & diſpoſitiuę cauſetur.

92. *Dices.* Sed dices: licet hæc duplex formalitas, duplexve cõceptus, ſeu duplex habitudo poſsit in accidẽti diſtingui; implicat tamen, quòd vnus ex his cõceptibus ſeparetur ab alio, in inſtanti realis temporis: ergo non ſtat, poſſe accidẽs

recipi

recipi in subiecto sibi non cõnaturali, & quòd ipsum nõ informet in eodem reali instanti; ac proinde, si non implicat, quòd accidens, vni subiecto cõnaturale, in altero recipiatur, non poterit implicare, quòd informet, actuetque subiectum sibi non cõnaturale.

·93· *Respõd.* Respondeo, negando antecedens; plures enim docent, posse qualitatem corpoream recipi in subiecto spirituali; cui tamen non potest præstare suũ effectum formalem, in quo accidentis informatio consistit: est ergo separabilis de potẽtia absoluta informatio accidentis, ab illius receptione in subiecto in instanti reali temporis.

·94· *Si dicas* Si dicas, ideò in Angelo componi posibilitatem receptionis accidentis corporei, absque informatione ab ipso, & absq; eo quòd recipiat illius effectũ formalẽ, quia est incapax talis effectus; sed Petrus v.c. capax est effectus formalis albedinis, quæ est connaturalis Paulo: ergo non stat in Petro capacitas, etiam obedientialis, ad recipiendam albedinem Paulo connaturalem, sine capacitate, vt ab illa effectũ formalem recipiat, albusque cõstituatur; ac proinde nõ stat in vno subiecto, capacitas ad recipiendum accidens, alteri cõnaturale absque capacitate, vt informetur ab ipso. Probatur minor; est enim in Petro capacitas ad effectũ formalem albedinis sibi connaturalis; sed albedo cõnaturalis Petro est eiusdem speciei cum albedine Paulo cõnaturali: ergo est in Petro capacitas ad effectum formalẽ albedinis, quæ Paulo est connaturalis.

·95· *Respõd.* Respondeo, concessa maiori, negando minorem; non enim stat capacitas in subiecto ad recipiendum effectum formalẽ formę, absque eo, quòd forma habeat vim ad tribuendum tali subiecto suum effectum formalem; albedo autem connaturalis Paulo, non est potens dare effectum formalẽ Petro, vt ostendimus: & ideò in Petro nõ est capacitas receptiua effectus formalis albedinis conuenientis connaturaliter Paulo.

Ad probationẽ minoris Ad probationem minoris, concessis maiori, & minori, nego consequentiam: sicut ista consequentia non tenet: *Albedo Petri est eiusdem speciei cũ albedine Pauli; est in Petro naturalis capacitas ad propriam recipiendam albedinem: ergo est in illo capacitas naturalis ad recipiendam albedinem Pauli.* Cuius præmissę sunt veræ; conclusio autem falsa est, alias posset accidens connaturaliter recipi in subiecto extraneo. Ratio autem habetur ex dictis; quia, nempè, albedo in ordine ad proprium subiectum comparatur per potentiam naturalem; respectu autem extranei subiecti non habet vim naturalem informatiuam, aliàs posset illud naturaliter informare: & cum repugnet formæ præstare suum effectum, in genere causæ formalis, per potentiam obedientialem, vt relinquimus probatum, fit consequens, vt, quamvis albedo Pauli sit eiusdem speciei cum albedine Petri, & hæc posit Petro suum effectum formalem tribuere, albedo Pauli nõ posit Petro suum effectum formalem præstare: ac proinde nec in Petro sit potentia, adhuc obedientialis, ad recipiendum in se effectum formalem albedinis conuenientis naturaliter Paulo.

§. Vltimus.

Aliter tertiæ probationi occurritur, & cæteræ obiectiones diluuntur.

·96· *Ad tertiam antecedentis probationẽ aliter occurritur* Quod si hæc non placuerint, potest ad tertiam antecedentis probationem respõderi, negando antecedens; nam licet subiectum posit per potentiam obedientialẽ recipere in se ipso, & causare materialiter accidens supernaturale: sicut anima ratione potentiæ obedientialis recipit gratiam habitualem, illãque materialiter causat; inde tamen nõ colligitur, dari in vno subiecto potentiam obedientialem receptiuã accidentis alteri connaturalis. Et ratio discriminis est, nam potentia obedientialis est in ordine ad id, quod cõtradictionem non implicat; non autem implicat

plicat, accidens ſupernaturale recipi in ſubiecto, cuius exigẽtiam excedit, imò hoc ipſum eſt de eſſentia accidentis ſupernaturalis; nam licet ſubiectũ non poſsit exigere accidens ſupernaturale, aliàs ſupernaturale nõ eſſet, cũ non excederet exigentiam naturæ; accidens tamen ſupernaturale ab intrinſeco petit ſubiectum, cui eſt ſupernaturale, & cuius exigẽtiam excedit, habetque vim ſibi connaturalem informatiuam illius: v.c. lumen gloriæ habet ab intrinſeco vim informatiuã intellectus creati, & gratia habitualis ab intrinſeco habet vim informatiuã naturæ intellectualis creatæ, vt ſibi connaturalẽ; ideoque datur in nobis obedientialis capacitas ad recipienda ſupernaturalia accidentia. Implicat autem, quòd accidens connaturale vni ſubiecto, ſubiectum ſibi extraneum informet: quia hoc præſtare deberet ratione potentiæ obedientialis, quę, vt oſtendimus, formę conuenire non poteſt in ordine ad ſuum effectũ formalem: & quia in veriori ſententia, receptioni formę in ſubiecto eſt annexa eſſentialiter eiuſdem ſubiecti informatio, & quòd forma illi præſtet ſuum effectum formalem; ideò non eſt capacitas obedientialis in vno ſubiecto ad recipiendum accidens, quod alteri ſubiecto conuenit connaturaliter.

97. *Opponeſ.* Si opponas: magis repugnans videtur, quòd accidens ſine omni ſubiecto exiſtat, quam quòd exiſtat in ſubiecto ſibi extraneo; ſed non implicat, quod accidens exiſtat ſine omni ſubiecto, vt conſtat in accidentibus panis, quę in Euchariſtia poſt conuerſionem ſine omni ſubiecto exiſtunt: ergo non implicat, accidens extraneo ſubiecto inhęrere, & exiſtere in illo. *Reſpõd.* Reſpondeo, negando maiorem; ratio autem differentię eſt, nã ad hoc, quod eſt exiſtere extra ſubiectum, accidens merè paſsiuè ſe habet, nec, vt extra ſubiectũ exiſtat, præbet aliquem effectum formalem ſupra ipſius accidentis naturã: vidè ad talem modum exiſtendi eſt in potentia obediẽtiali; informare autem alienum, & extraneum ſubiectum prouenit ab accidenti in genere cauſę formalis: & cum aliàs ſit ſupra ipſius accidẽtis naturam, deberet ab eo præſtari, ratione potentię obedientialis; implicat autem, formam prębere ſuũ effectum formalem, ad illumque concurrere per potentiam obediẽtialem: & idcirco implicat, quòd accidens extraneum informet ſubiectũ, illi inhęreat, & in eo recipiatur. Et quidem accidens poſſe ſine ſubiecto exiſtere eſt catholica veritas; quod autem accidens corporeum, nec de potẽtia abſoluta, poſsit Angelo inhęrere, tenet cõmunis ſententia; cum tamen ad probandum, quòd accidens corporeum poſsit in Angelo recipi, illudque informare, poſsit idem argumentum fieri, quòd, nempè, ſi accidenti non repugnat, extra omne ſubiectũ exiſtere, non eſt, cur repugnet accidenti corporeo exiſtere receptum in Angelo.

98. *Ad vltimam antecedentis probationẽ reſpondet Vazquez.* Ad vltimam antecedentis probationem Vazquez vbi *ſupra num.* 17. reſpondet, diuerſam eſſe rationem; humanitas namque in ordine ad vnionẽ cum Verbo, & vt ſuſtentetur ab ipſo, non actiuè, aut quaſi actiuè, ſed merè paſsiuè ſe habet; poteſt autem capacitas merè paſsiua eſſe innata ad recipiẽdum ſupernaturalem effectum; potẽtia autem quaſi actiua ad aliquem effectum præſtandum, vel per modum efficientis, vel per modum cauſę formalis, vel alio modo non paſsino, non poteſt eſſe natiua, & non habere actũ naturalem quoad ſubſtantiam: virtus nã que natiua, & naturalis nõ poteſt effectum, aut actum ſupernaturalem ex ſe præſtare; cum tamen ſubiectũ poſsit formam ſupernaturalem recipere: vidè, cum perſonalitas in ordine ad terminandam, & ſuſtentandam naturam, non paſsiuo modo ſe habeat, ſed actiuè, vel quaſi actiuè in genere cauſæ formalis, ſit conſequens, vt terminare, aut ſuſtentare naturam, non poſſit illi competere ratione potentiæ, & capacitatis natiuæ obedientialis: & cũ aliàs non poſsit alienam terminare naturam ratione potẽtiæ naturalis, quia ex hoc fieret, terminationem illam eſſe naturaliter poſsibilẽ, ſit conſequẽs, vt terminatio alienę naturæ à perſonalitate creata omninò ſit impoſsibilis.

Hæc

99. *Hæc solutio sufficiens nō est, nisi amplius explicetur.*

Hæc tamen solutio non satisfacit plenè argumento: nam licet humanitas in ordine ad vnionē cum Verbo, & ad sustētationem à illo, modo passiuo se habeat; in ordine tamen ad cōstituendum Verbum in ratione hominis, non passiuè, sed actiuè, aut quasi actiuè cōcurrit, nempè, in genere causæ formalis, Verbum namque in esse hominis constituitur, per aliquam formam, & non per aliam, quam per humanitatem. Restat ergo prædicto Auctori explicare, ratione cuius potētiæ humanitas præstet prædictū effectū: etsi præstat illum ratione potentiæ innatæ obediētialis, falsū est, quod Vazquez asserit, nempè, non dari potentiam actiuam, aut quasi actiuam innatam obedientialem, quādoquidem in humanitate conceditur, in ordine ad constituēdum Verbum in ratione hominis; si autē hoc præstat ratione potentiæ sibi connaturalis, suppositā vnione supernaturali cum Verbo, ita vt in ordine ad vnionē se habeat obedientialitèr, & in ordine ad effectum formalem se habeat connaturalitèr, explicandum illi restat, cur id ipsum non poterit affirmari de personalitate creata in ordine ad terminandam naturam alienam, quòd, scilicet, possit ad prædictam terminationem cōcurrere ratione potentiæ sibi connaturalis, vnione indebita, & supernaturali personalitatis creatæ cū natura aliena suppositā; ex hoc enim non sequetur, posse prædictā terminationem per vires naturalis agentis executioni mādari, quo argumēto vtitur Vazq. vt probet, non posse personalitatē creatā ratione potentiæ sibi connaturalis alienam terminare naturam; quia, scilicet, sequeretur, posse illam terminare per vires agentis naturalis.

100 *Vera solutio.*

Hac ergo solutione relicta, vel ad subijciendam reducta, ad vltimam antecedentis probationem, concessa maiori, de forma, non partiali, sed totali, non de forma Verbum informante intrinsecè, sed de forma cōstituente Verbum in ratione hominis, absque illius intrinseca informatione, nego minorem, nam licet sustentari à Verbo, illique hypostaticè vniri, supernaturale humanitati sit, illique cōueniat ratione potentiæ obedientialis; sustentatione tamē, & vnione præsuppositis, Verbum hominem constituere non convenit humanitati ratione potentiæ obedientialis, sed ratione sibi innatæ, & connaturalis virtutis, nam Verbum constituit hominem ratione eiusdem virtutis, per quam nos constituit homines, nec ratio hominis competens Verbo diuino est supra humanitatis naturam, licet illi vniri, ab eoque sustētari humanitatis naturam excedat: vndè semper manet verum, formam ad suum effectum formalem non posse concurrere per potentiam obediētialem; nā humanitas in ordine ad vnionem, & sustentationem à Verbo, ad quæ se habet obedientialitèr, non cōcurrit vt causa formalis; in ordine verò ad constituendum Verbum in ratione hominis, quod præstat vt forma, non se habet obedientialitèr, sed connaturalitèr, vnione indebita, & supernaturali suppositā.

101. *Oppones.*

Sed oppones: si namque potest humanitas in ordine ad vnionem cū Verbo comparari obedientialitèr, & in ordine ad constituendum ipsum in ratione hominis cōparari naturalitèr, hoc est, ratione potentiæ sibi connaturalis; etiam personalitas creata poterit, ratione potentiæ obedientialis, alienę naturæ vniri; semel tamen illi vnita vnione sibi supernaturali, ratione potentiæ connaturalis illam terminare, personare, & sustentare, quod sufficit Auctoribus contrariæ sententiæ, & à Nobis est negandum. Patet consequētia primò à paritate rationis. Secundò, quia, illa doctrina admissa, cōceditur vis naturalis informatiua, sub conditione vnionis indebitæ, & supernaturalis formę cum subiecto informando: ergo dari etiam poterit vis naturalis terminatiua, & sustentatiua naturæ, sub simili conditione, scilicet, vnionis indebitæ, & supernaturalis personalitatis cum natura terminanda.

Denique, nam eadem doctrina suppositā, cōceditur effectus formalis formæ, qui supernaturalis non est, exigēs essentialitèr vnionem indebitam, & quoad substantiam supernaturalem:

ergo

ergo poterit terminatio naturæ alienę esse naturalis quoad substantiam, & exigere essentialitèr, atque essentialitèr præsupponere vnionem personalitati non debitam, & quoad substantiam supernaturalem.

102 *Respondeo ad primam cõsequentiæ probationẽ.*

Respondeo, negando consequentiam, ad cuius primam probationem, nego paritatem rationis: nam in humanitate est duplex comparatio cum Verbo: prima terminabilis, sustentabilisque ab ipso, & ex hoc capite se habet obedientialitèr ad vnionem cum Verbo: secunda comparatio est formæ constituentis Verbum in ratione hominis, ex qua præcisa ratione non potest se habere in potentia obediẽtiali, ob rationem sæpè inculcatam, quia, nempè, forma ad effectum suum formalem non potest concurrere ratione potentiæ obedientialis. Quæ duplex cõsideratio in personalitate creata in ordine ad alienam naturã distinguibilis non est; & ideò consequentia facta non tenet.

103. *Ad secũdã probationẽ cõsequẽtiæ respõdetur.*

Et ex his ad secundam probationem consequentiæ, concesso antecedenti, nego consequentiam, nam humanitas non potest Verbum in ratione hominis cõstituere, nisi ab ipso terminata, & sustentata: & quia ad hanc sustentationem humanitatis à Verbo, vnio supernaturalis exigitur, fit consequens, vt non possit exercere vim formalem constitutiuam Verbi in esse hominis, nisi præsupposita vnione supernaturali cum illo, exacta ab humanitate, vt sustentata à Verbo, quod est aliquid supra eius naturam: non autem exacta formalitèr ab ipsa, vt potente hominem constituere in genere causę formalis, quod supra illius naturã non est: in terminatione autẽ naturæ alienæ à personalitate creata nihil datur, nisi effectus formalis personalitatis terminantis, qui respectu illius supernaturalis esse non potest, sed naturalis; ac proinde nec potest connecti cum vnione substantialitèr supernaturali, nec illam ab intrinseco exigere; est enim de ratione entis supernaturalis omnis naturæ exigẽtiam excedere.

Ad tertiã eiusdem consequentiæ probationẽ.

Et ex his ad tertiam eiusdem consequentiæ probationem constat solutio, negando antecedens: nam effectus formalis humanitatis, scilicet hominis constitutio, quem naturalem esse asseruimus, non exigit essentialitèr supernaturalem vnionem, nec humanitas illam ab intrinseco exigit, prout formaliter constitutiua hominis, sed prout sustentabilis à Verbo diuino, quod ab humanitate, vt à causa formali, non est, neque effectus formalis illius: ergo ex nostra doctrina non sequitur, dari effectum formalem intrinsecè naturalem exigentem aliquid supernaturale quoad substantiam, & cũ illo connexum.

104 *Hæc necessariò asserẽda cõsequẽtèr ad rationẽ Caietani.*

Hæc arbitror, necessario asserenda, vt ratio Caietani, qua nostram sententiam monstrauimus, defendatur: si namque semel admittitur, posse accidẽs informare extraneum subiectum, & consequentèr, quantum est de se, subiecta sine termino informare absq; vi informatiua infinita, non est, vndè colligatur, terminationẽ naturæ alienæ, vimque terminatiuam naturarum sine termino arguere in persona terminante intrinsecam infinitatem. Semel etiam admisso, posse formam ad effectum suum formalem concurrere per potentiam obedientialem, nõ est, vndè possit inferri infinitas in persona terminante, ex eo quòd possit infinitas terminare naturas: infinitas namque in causa solum potest inferri ex eo quod propria virtute extendi possit ad effectus sine termino. Quod si alicui videatur nimis à Nobis omnipotẽtiæ virtutem coarctari, respondebimus cum Vazquez *disputat. allegata cap. vlt. ad finem*, ex eo quòd diuinæ omnipotentiæ, quę impossibilia sunt adscribantur, non extolli, sed potius minui omnipotentiam diuinam.

105 *Potest aliter respondẽri vtendo vltima ratione.*

Et si quis velit defendere, posse accidens informare extraneum sibi subiectum, & formam substantialem aliena informare materiam, & cum hoc Nostram sententiam tueri, vtatur ratione vltima, qua prędictam sententiam monstrauimus, & differimen poterit constituere, cõsistens in eo, quòd subsistentia essentialitèr cum natura propria adęquatur: ex quo sequitur, non posse vltra illam extendi, nisi infi-

nitæ

nitæ naturæ sit propria, quæ naturam terminandam eminentèr contineat: ac proinde, nisi personalitas sit infinita, non potest alienam terminare naturam; accidens autem, etsi proprium subiectum vt terminum connaturaliter adæquatum respiciat, non tamen illud respicit vt terminum adæquatū essentialitèr; & ideò potest de potentia absoluta extraneum subiectum respicere, in eo recipi, illique suum effectum formalem præstare, absque eo, quod proprium subiectum, eminētèr extraneum contineat; & consequentèr absque eo, quod in ipso accidenti aliqua infinitas inferatur ex eo, quòd possit extraneum informare subiectū, idemque est de forma substantiali respectu propriæ materiæ dicēdū, quòd, nempè, illam respicit, vt connaturaliter sibi adæquatam, non autem vt sibi adequatam essentialiter; ideoquè potest de potentia absoluta alienam informare materiam absque aliqua infinitate.

106 *Primū corollarium.*

Ex dictis infertur primò, Angelos, cum corpora assumunt, non vniri hypostaticè cum corporibus assumptis: nam ad hoc necessum erat, vt corpora assumpta per subsistentias Angelorum subsisterent, quod implicare, mō strauimus. Nec obstat, Origenem *tomo 2. in Ioannem*, teste Hieronymo Agæi, docuisse, Baptistam, & Agæum fuisse Angelos incarnatos: tùm, quia vel Origenes in hoc sustinendus non est, vel explicandus, fuisse per exagera tionem loquutus, illos Angelos incar natos appellans propter vitæ purita- *Origen.*

tem. Et eodem modo accipiendi sūt Hieronymus *Daniel. 7.* & Beda *Apocalyps. 13.* asserentes, Anti-Christum fore Dæmonem incarnatum, quòd, scilicet, Anti-Christum propter summam eius malitiam per exageratio- nem Dæmonem incarnatū appellent. Tertullianus etiam *lib. de carne Christi cap. 4. & 6.* vbi docet, Angelos personalitèr assumpsisse corpora, cum apparebant hominibus, vel sustinendus non est, vel explicandus, impropriè vsus nomine assumptionis personalis. Ac tandem quidam Hebræi asserentes, Iacob, Abrahā, & Isaac fuisse Angelos incarnatos, audiendi non sunt. *Hieron. Beda.* *Tertul.*

107 *Secūdū corollarium.*

Secundò ex dictis infertur, non solum personam de facto existētem, sed nec etiam personam de potentia absoluta creabilem, posse alienam terminare naturam. Quod patet, nam persona, cuius propria personalitas infinita non sit, non potest alienæ naturæ vniri, illam terminare, subsistentemquè constituere, vt *in disputat. decursu* latè monstrauimus; sed implicat persona creata, cuius propria personalitas sit infinita: sicut implicat persona creata, cuius essentia finita non sit, personalitas namque consequitur ad naturam, & cum illa proportionatur: ergo implicat persona creata alienam, aut extraneam potens terminare naturā. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in 3. dist. 1. §. 3.* ad illa verba: *Si verò quæritur, vtrum Pater, vel Spiritus Sanctus incarnari potuerit? &c.* *M. Sentent.*

Hæc etiam de Primo Tomo Nostri Operis, correctioni Ecclesiæ ex corde subiecta. In laudem, & gloriā Omnipotētis Dei, Virginis Matris, Petri Apostolorum Principis, Parentum Augustini, & Dominici, meique, & omnium Præceptoris Angelici, à quo, si quid devium à me assertum inueniatur, libentissimè retracto.

FINIS TOMI PRIMI.

INDEX
LOCVPLETISSIMVS
RERVM NOTABILIVM,
Quæ in hoc primo Tomo de Incarnatione Diuini Verbi continentur.

D. *vel* Disp. *Disputationem.* N. *vel* Num. *Numerum marginalem denotat.*

A

ACCIDENS.

Vide verb. *Subiectum.*

ACcidens potens ab intrinseco, & connaturaliter, infinitis subiectis inhærere, foret necessario infinitum; secus autem, si rãtione potentiæ obedientialis, illi hoc conueniret. *Disp.* 16 *num.* 43.

Accidentis modus inhærentiæ, adæquatur essentialiter cũ proprio subiecto, taliter quòd ad aliud non potest extendi. *Disp.* 17. *num.* 54. & 55.

ACTIO.

ACtio immanens, tam sub cõceptu actionis, quam sub conceptu passionis, in eodem subiecto recipitur, etsi diuersas tribuat denominationes. *Disp.* 1. *num.* 93.

Actiones sunt suppositorum *vt quod*, naturæ verò conueniunt tantùm *vt quo*. *Disp.* 5. *n.* 22 & *seqq.* & *disp* 9. *n.* 104. & *seqq.*

Actionis terminus, non debet præexistere actioni, sub ea ratione, qua terminat; potest tamen præsupponi ad illam absolutè, & sub alia consideratione. *Disp.* 9. *num.* 94.

Actio vnitiua, necessariò producit vnionem, realitèr ab extremis distinctã, nec alitèr intelligi potest esse productiuam termini totalis. *Disp.* 11. *n.* 23. & 24.

Actio productiua caloris, & vnitiua illius, ad subiectũ, esset specie diuersa, ab actione vnitiua, & non productiua illius. *Disp.* 12. *num.* 30.

Actione inuariata manente, diuersificari potest eius terminus materialis; non autem terminus formalis. *Disp.* 12. *num.* 8.

ACTVS.

ACtus inuariatus manens in sua physica entitate, & bonitate morali, potest transire de non meritorio in meritorium. *Disp.* 3. *num.* 45.

ACTVS CHARITATIS.

ACtus charitatis creatus adæquare non potest diuinam diligibilitatem, seu Deũ in ratione diligibilis. *Disp.* 1. *n.* 5. & 6.

Actus charitatis, etsi forma iustificans non sit, essentialem tamẽ incompatibilitatem dicit cum peccato, etiam in ratione maculæ, & offensæ. *Disp.* 2. *n.* 32. & 33.

Actus charitatis, non est meritum cõdignum omnis præmij naturalis sine termino, etsi sit superioris ordinis ad omnem entitatem naturalem. *Disp.* 3. *n.* 10. & 13.

ACTVS MERITORIVS.

ACtus meritorius non recipit totum valorem à gratia adequatè, sed ex alijs capitibus desumitur. *Disp.* 3. *n.* 82. & 83.

ACTVS MORALIS.

ACtus moralis datur, qui physicè actus non est, vt patet in pura omissione. *Disp.* 1. *num.* 131. 132. & 133.

ACTVS VLTIMO DISPONENTES AD GRATIAM.

ACtus vltimo disponentes ad gratiã, procedũt physicè ab illa, vel ab auxilio, eius vices gerente. *Disp.* 3. *n.* 83.

ADAMVS.

Vide verb. *Incarnatio.*

ADamo fuit facta reuelatio Mysterij Incarnationis; non tamen præsciuit suum peccatum, nec cognouit futurum esse motiuum, & causam aduentus Christi. *Disp.* 8. *num.* 86.

Adamus nullam triſtitiam, aut anxietatem habuit preſciēdo Incarnationem Verbi, & ignorando futuram, ob remedium peccati; cognouit enim alia eius motiua adæquata, quoad ſufficientiam, ad poſsibilitatem Incarnationis, & quæ fuerint iſta motiua, explicatur. *Ibidem a num.* 89. *vſque ad* 95.

Si Adam in ſtatu innocentiæ proponeretur hæc quæſtio: *Veniret ne Chriſtus te non peccāte?* Diuinitus præueniretur, ne iudicium affirmatiuum proferret, ne falleretur, & ſolū formaret iudicium affirmatiuum de eius poſsibilitate. *Diſp.* 8. *num.* 95.

ANGELVS.

ANgelus excedit in perfectione humanitatem Chriſti, ſecundū ſe conſideratā; ſecus autem vt Verbo vnitam. *Diſp.* 8. *numero* 127.

Si Angelus vniretur perſonaliter naturæ creatæ, vnione realiter à ſe diſtincta, realiter mutaretur; ſecus autem ſi vnione à ſe indiſtincta vniretur. *Diſp.* 14. *num.* 56.

Cum Angeli corpora aſſumunt, non vniuntur hypoſtaticè illis. *D.* 17. *num.* 106.

Si Angelus, & vna, vel plures perſonæ diuinæ eandem numero aſſumerent naturam humanam, eſſent vnus ſimpliciter homo, propter naturæ aſſumptæ vnitatem. *Diſp.* 16. *n.* 202.

ANIMA RATIONALIS.

Vide *Reunio animæ.*

ANima rationalis vnitur corpori mediante modo vnionis, realiter ab illa diſtincto, & in illa immediate recepto. *Diſp.* 11. *n.* 4. & 41.

Talis modus ſpiritualis eſt, non tamen per ſe ſubſiſtens, nec à ſubiecto independens, ſicut anima; vnde in virtute illius medio ſemine, ab homine generante producitur, & educitur. *Ibidem.*

Anima rationalis, non ſolum quando creatur, ſed etiam quando vnitur materiæ, mutatur intrinſecè recipiendo modum, realiter ab illa diſtinctum. *Diſp.* 14. *num.* 63. & *ſeqq.*

Anima rationalis ſe ipſa, per modum formæ præbet gradum vegetandi, quia eſt vegetatiua eminenter formaliter, cum autem ſit intelligens eminenter ſolum effectiue; nequit per ſe ipſam formaliter conſtituere hominem intelligentem *Diſp.* 15. *num.* 127.

ANTI-CHRISTVS

ANti-Chriſtus Dæmon incarnatus appellatur à Patribus, propter ſummam eius malitiam. *Diſp.* 17. *num.* 106.

APPELLATIO.

APpellatio formalis, & expreſſa requirit, quod termini ponantur ex parte vnius extremi; ad appellationem vero æquiualentem hoc non requiritur. *Diſp.* 10. *num.* 25.

Ad appellationem requiritur applicatio formalis ſignificati vnius termini, ſupra formale alterius, non prouenies ex intrinſeca terminorum habitudine. *Ibidem.*

APPLICATIO AGENTIS AD PASSVM.

APplicatio agentis ad paſſum, ſi finita ſit vt *quod*, & vt *quo*, obſtat infinitati effectus; ſecus autē ſi ſit infinita vt *quo*. *Diſp.* 3. *n.* 51.

APOSTOLI.

APoſtoli certo credētes gloriam ſibi à Deo retribuendam, illam poſtulabant oratione dominica, illis verbis: *Adueniat regnum tuum. Diſp.* 13. *num.* 21.

AQVA.

HÆc propoſitio *aqua calefacit*, eſt denominatiua per accidens: hæc vero: *Verbū ſatisfacit*, eſt denominatiua per ſe. *D.* 15. *n.* 25.

ARTIFEX.

LY *artifex*, etiam ſubſtātiuè ſumptum, nō ſignificat de formali ſubiectum, ſed artē. *Diſp.* 16. *num.* 174.

AVXILIVM, VEL AVXILIA.

AVxilia humanitati Chriſti ad operandum data, habuerunt pro fine redemptionem hominū à peccatis, & ſatisfactionem pro illis. *Diſp.* 5. *num.* 39.

B

BAPTISMVS.

BAptiſmus, non poteſt valide conferri, ſub nomine genitoris, & geniti, & procedētis ab vtroque; quia genitus, & filius nomina æquiualētia in ſignificādo nō ſūt. *D.* 16. *n.* 159.

BLASPHEMIA.

BLasphemia hæreticalis habet duplicē malitiam ſpecificè diſtinctam, neceſſario in confeſsione explicandam, vna contra fidē, altera contra religionem. *Diſp.* 6. *num.* 142.

BONITAS.

BOnitas creata, & increata, nō poſſunt cōtineri ſub ratione cōmuni ſpecificante aliquam vnam virtutem, ſicut nec excellentia Dei, & creaturæ. *Diſp.* 6. *num.* 127. & 128.

Bonitas moralis operationum Chriſti, eſt finita, & limitata, licet obiectū quod attingunt ſit infinitum. *Diſp.* 3. *n.* 44.

C

CARO.

HOc nomen *Caro* absolutè prolatum, significat carnem, prout abstrahit à carne passibili, & impassibili, & non sumitur determinatè pro carne corruptibili. *Disput. 8. num. 26.*

CAVSA.

CAusa efficiens continens infinitum effectum debet esse infinita, in eo genere quo continet, & non sufficit quod sit in ordine superiori. *Disp. 1. à num. 28. vsque ad 32. & disp. 3. à num. 6. vsque ad 17.*

Causa causans totum effectum, sed non totaliter, non debet continere illum ex omni parte. *Disp. 3. n. 41.*

Causa efficiens finita in genere physico, causare potest instrumentaliter concretum infinitum, non tamen principaliter. *Disput. 3. num. 41.*

In eodem genere causæ subalterno, idest, diuisibili in diuersos specie modos causandi, potest dari mutua causalitas, inter eadem extrema, secus in eodem genere infimo. *Disput. 8. num. 126. & seqq.* & fusius *à numero 184.*

Causa efficiens, non solum est propter suam operationem, sed etiam propter tuum effectum. *Disp. 8. n. 200. & 202.*

Aliquid potest seipsum causare mediatè, sed non immediatè. *Disput. 13. numero 25. & 29.*

Axioma illud: *Quod est causa causæ, est etiã causa effectus causati per causam*, intelligitur de causa causæ causantis, intrinseca connexione, & necessario inferentis effectum; non autem de causa liberè causante. *Disp. 13. n. 25.* aliter explicatur *Ibi. n. 26.*

Causa physica remota petit distingui realitèr ab effectu, non sic causa moralis remota. *D. 13. num. 29.*

CHRISTVS.

Vide *Satisfactio Christi. Verbum diuinum. Incarnatio. Decretum Dei. Persona Christi.*

CHristus sufficientèr compensauit ex gratitudine beneficium Incarnationis humanitati factum. *Disp. 4. n. 21.* imò perfectè cõpensauit. *N. 27. & 28.*

Christus, non plus obtulit Patri in gratiarum actionem, quam accepit ab illo in beneficio Incarnationis. *D. 4. n. 24. & 25.*

Esto non posset æquales gratias pro beneficijs sibi à Deo collatis reddere, adhuc potuit ad æqualitatem illi pro peccatis hominum satisfacere. *Ibi. n. 26.*

CHRISTI SATISFACTIO.

Vide *Satisfactio Christi.*

CHristus, non solum Patri, verum etiam sibi ipsi satisfecit mediatè, & immediatè huic Deo, vt toti Trinitati communi. *Disp. 6. à num. 8. vsque ad 12.*

Christus realiter satisfecit pro nobis, licet relatio satisfacientis, ad Deum vt offensum, nõ realis, sed rationis sit. *Disp. 5. n. 34.*

Talis relatio, re vera realis est, fundata in actu satisfactorio realiter distincto ab offensa, & Deo offenso: vbi aliqua de relatione æqualitatis diuinarum personarũ attinguntur. *Ibi. num. 35. 36. & 37.*

Christus satisfecit de toto rigore iustitiæ. *Disp. 5. per totam.*

Christus satisfecit vt Deus homo, ly *vt* reduplicante Deitatem, vt rationem formalem valorandi satisfactionem, & humanitatem, vt conditionem respectu valoris, & vt rationem formalem, & vt principium *quo* eliciẽdi opera satisfactoria. *Disp. 5. n. 51. & seqq. & disp. 6. n. 53.*

Christus ratione diuinitatis capax gratiæ non est, sed tantum ratione humanitatis, quæ ad valorem operum solum vt conditio cõcurrit. *Disp. 5. n. 53. & 54.*

Christo, vt subiecto satisfacienti, non fuit facta aliqua gratia; benè tamen, vt subiecto prædestinationis ad esse Filium Dei naturalem. *Ibi. num. 54.* & iterum. *n. 73. 74. & 75.*

Christi opera, siuè in fieri, siuè in facto esse, tã secundum substantiam, quam quoad valorem concretiuè sumptum, fuerunt sub perfectissimo dominio Dei. *Disp. 5. à num. 78. vsque ad 85.*

Christus, vt satisfaciens pro offensa Deo irrogata, non habet supra suam satisfactionem dominium ita perfectum, sicut est dominiũ Dei creditoris. *Disp. 5. à num. 86. 87. & 88.*

Christus satisfecit, vt æqualis Patri dignificatiuè, & vt inferior illi elicitiuè. *Disp. 6. n. 53.*

Christi Domini opera, ob suam infinitatem, satisfactoria erant pro omnib⁹ titulis copulatiuè, quib⁹ à Deo exigi poterãt. *D. 5. n. 97.*

Si à Deo exigerentur titulo supremi dominij, non essent debita à satisfaciente *quod* ratione deitatis operationes valorante, sed tantum ratione principij *quo* illas eliciẽtis, scilicet, humanitatis. *Ibidem.*

Index rerum notabilium.

CHRISTI IVSTITIA.

IN Chriſto eſt conſtituenda ſpecialis virtus ſpecificè ab alijs virtutib⁹ diſtincta, per quā pro peccato ſatisfecit. *Diſp.6.n.7.& ſeqq.*

Chriſtus ſatisfecit per actus omnium virtutū materialiter, & ex propriis illarum motiuis; ex motiuo autem formali ſatisfaciendi, per actum iuſtitiæ ſpecialis regulantis, & imperantis actus aliarum virtutum, vt ex motiuo ſatisfaciendi connaturaliter procedant. *Diſp 6 n.13.& 14.*

In Chriſto datur ſpecialis virtus ad merendū, non tamen in nobis. *Ibi.n.25 & ſeqq.*

Virtus ſpecialis, ratione cuius Chriſtus Dominus elicuit intentionem formalem ſatisfaciendi, eſt iuſtitia cōmutatiua. *Diſp.6.in.35.*

Talis virtus ſpecificatur ab operibus ſatisfactorijs ratione valoris, ratione cuius cum offenſa adæquātur, nec ex hoc ſequitur eſſe virtutem Theologicam. *Ibi.num 62.*

Chriſti Domini ſatisfactio, etſi ſacrificij ratione obtinuerit, & à religione imperata fuerit, intentio tamē formalis ſatisfaciendi, nō ab illa, ſed à virtute ſpeciali proceſſit, & non ab ſpecialiſsima, & innominata quadam virtute à quodam Moderno conficta. *Diſp. 6.num.50.& 51.*

Iſta virtus, & ſi moralis ſit, perfectior eſt religione, licet oppoſitum ſuſtineri poſsit. *Ibid, num.64.*

Chriſti ſatisfactio, non potuit reſpici à virtute iuſtitiæ ſecundum quod adæquat offensā, & à charitate quatenus excedit culpam. *Diſp.6 num.68.*

Iuſtitia in Chriſto ad ſatisfaciendum reſidens, non fuit eminenter formaliter iuſtitia, & ſimul miſericordia, ſicut noſtra Theologia eſt eminenter formaliter practica, & ſpeculatiua. *Diſp.6.num.70.71.& 72.*

Chriſtus Dominus liber fuit in ſatisfaciendo pro nobis, non obſtante, quod eſſet ex iuſtitia obligatus; carentia enim talis operationis debitę ex iuſtitia, nō eſt eſſentialiter priuatiua, & peccaminoſa, ſed tantū ex accidēti, & eſſentialiter negatio. *Ibid.n.89 & 90.*

Chriſtus, vt hominum fideiuſor, tenebatur ex iuſtitia ſtricta pro illis ſatisfacere. *Ibidem à num.93.vſque ad 100.*

Chriſtus, vt fideiuſor, & vt homo, fuit ex iuſtitia obligatus, nedum Deo creditori, verum etiā hominibus debitorib⁹, vt homo enim, & vt fideiuſor, ſupremus Dominus non erat. *Diſp.6.num.99.*

Chriſtus, vt hominum fideiuſor, tenebatur ex iuſtitia ſpeciali ſatisfacere pro hominum peccatis, ſiuè ſint contra ſpecialem Dei iuſtitiam, ſiuè non. *Ibidem, num.104.& ſeqq.*

Virtus iuſtitiæ, qua Chriſtus pro hominibus ſatisfecit, eſt diuerſæ ſpeciei, ab omni virtute in puro homine reperta. *Diſp.6.num.115.& ſeqq.& num.143.& 144.*

Iſtius virtutis obiectum formale *quo* eſt diuinitas valorans Chriſti operationes, æqualeſq; offenſæ cōſtituens. *Ibi.à n.125.vſq; ad 128.*

Quod homo purus ratione virtutis iuſtitiæ complacere poſsit in Chriſti ſatisfactione, vt æquali offenſę, non ſufficit vt iuſtitia illius ſit eiuſdem ſpeciei cū iuſtitia, qua Chriſtus ſatisfecit. *Ibidem.n.130.*

Hæc virtus iuſtitiæ ſpecialis in Chriſto reſidens, diſtinguitur ſpecie à iuſtitia infuſa inclinante ad honorem Deo reſtituendū, eſto illam in homine puro admittamus. *Diſp.6. n.143.& 144.*

CHRISTI RELIGIO.

CHriſti religio non eſt pars ſubiectiua iuſtitię, ſed imperfecta, & potentialis. *Diſp. 6.num.150.*

CHRISTI VNITAS.

PLures Chriſti ſunt poſsibiles obedientialitèr paſsiuè ratione naturarum aſſumptibilium, & ſupernaturalitèr actiuè, quatenus tres diuinę perſonæ poſſunt plures naturas creatas aſſumere. *D.9.n.30.& ſeqq.*

De facto tamen vnus eſt Chriſtus naturalitèr immultiplicabilis. *Ibi.*

Si potentia generatiua, quæ in Chriſto Domino reperitur, ad actum reduceretur, non hominem Deum, ſed purum hominem generaret. *D.6.à num.32.vſque ad 35.*

Oppoſitum contingeret, ſi vnio humanitatis ad Verbum facta eſſet in natura, vt dicebat Eutyches. *Ibidem.*

COGNITIO.

COgnitio perſonæ per peccatum offenſę, non eſt ratio formalis, etiam partialis in ordine ad transfundendam, vel limitandā offenſam. *Diſp.1. num.37.& ſeq.*

Cognitio quidditatiua nō præſcindit inter prędicata realiter identificata, nec inter realiter diſtincta, ſi ſint eſſentialitèr connexa, ad differentiam vnionis. *D.15 n.40.& 41.*

CĘREVS PASCHALIS

QVando in benedictione Cerei Paſchalis dicitur *O certè neceſſarium Adæ peccatum!* Ly *neceſſarium* non ſumitur pro neceſſario abſolutè, ſed tantum pro neceſſario ex ſuppoſitione. *D.8 n.280.*

Index rerum notabilium.

CIRCVNSTANTIA.

CIrcunſtantia decet eſſe cognita, & volita ab operante, vt actui præſtet bonitatem, aut malitiam. *Diſp.* 3. *n.* 46.

Circunſtantia, vt cum proprietate ſit talis, debet circunſtare actum obiectiuè, & non tantum ſubiectiuè. *Ibidem.*

COMPOSITIO.

COmpoſitio eſt diſtinctorum vnio, ad conſtituendum aliquod vnũ: vnde iuxta qualitatem extremorum vnitorum erit qualitas compoſitionis. *Diſp.* 10. *n.* 5. & 7.

Etſi relationes diuinæ realiter diſtinguantur inter ſe, & vniantur in eſſentia, non componunt cum illa: quia non vniuntur ad conſtituendum aliquod vnum, à quo realiter diſtinguantur. *Ibidem.*

In omni compoſitione per ſe, naturali, extrema componentia per ſe ordinantur ad illam: ſecus autem in compoſitione per ſe, ſupernaturali, qualis eſt Chriſti compoſitio. *Diſp.* 10. *n.* 20.

Extrema compoſitionis propriè, diuiſiuè sũpta, non poſſunt de compoſito enũtiari, quãdo pro illis in recto collectiuè ſupponit. Si autem pro vno ſupponat in obliquo, & pro alio in recto, de illo abſolutè prædicatur: vt iſta eſt vera: *Album eſt corpus*; & iſta: *Chriſtus eſt Deus, & Verbum Dei. Diſp. ut* 10. *numero* 45.

In nulla vera compoſitione extremum componens, diuiſiuè ſumptum, dicit totum id, quod compoſitum importat. *Ibid. n.* 47.

Conſtare ex componentibus, eſt quid genericum, ad omnes compoſitionis modos; vnde vt aliqua cõpoſitio ſit *ex his*, requiritur vltra hoc, quod compoſitum ſit vnum per ſe, quod intrinſecè, & in recto vtrumque extremum importet; & pro conflato ex vtroque ſupponat in recto. *Ibid. num.* 82. & *ſequentibus.*

Prædicta doctrina compoſitioni perſonæ Chriſti applicatur. *Ibidem.*

Compoſitio humanitatis cum Verbo non fit ex partibus ſe habentibus tanquam materia, & forma; aliàs Chriſtus eſſet numero multiplicabilis, & diuerſę ſpeciei ab alijs hominibus. *D.* 9. *n.* 10. & 11.

Varij compoſitionum modi explicantur, & quid requirat, qualiſque fuerit compoſitio humanitatis cum Verbo. *Diſp.* 9. *num.* 5. & *ſeqq.*

In quolibet homine duplex datur cõpoſitio, vna ex anima, & corpore immediatè vnitis, ex qua reſultat humanitas: alia ex vnione humanitatis ad perſonalitatẽ, ex qua reſultat perſona. *D.* 9. *n.* 15.

COMPOSITVM.

DE ratione compoſiti, vt ſic, non eſt poſitiua totalitas; ſed abſtrahẽs à poſitiua, & negatiua; Chriſtus enim eſt perſona compoſita ex aliquo prædicato diuino, cui repugnat rationem partis ſubire. *D.* 10. *n.* 17.

Compoſitum ex partibus creatis excedit partes componentes *diuiſiuè* ſumptas; ſecus autem quando aliquod extremum eſt diuinũ, cuius ratio aſſignatur. *Ibid. n.* 18.

Compoſitum ex vna parte finita, & altera infinita, infinitum eſt, ſi pars infinita, finitã per æquiualentiam contineat. *Diſp.* 1. *n.* 147. & *diſp.* 3. *n.* 26. & 27.

Compoſitum ex materia, & forma reſultans, eſt numero multiplicabile, ſi forma non adæquat materiam, cui vnitur, ſed aliã poteſt informare. *Diſp.* 9. *n.* 10.

In compoſito compoſitione *huius ex his*, cõponẽtia ſimul ſumpta, cum illo identificantur, & de illo prędicantur; non autem incõpoſito *huius ad hoc*, vel *cum his*. *Ibidem. n.* 69. & 79.

De compoſito compoſitione *ex his* nullum ex componentibus diuiſim prædicatur: vnde iſta eſt falſa: *Humanitas eſt anima*: bene tamen de cõpoſito compoſitione *cum his*: iſta enim eſt vera: *Chriſtus eſt Verbum Dei. Ibid. n.* 78.

CONFESSIO.

Vide verb. *Inobedientia.*

IN confeſsione non ſemper eſt explicanda circunſtantia, ſpecialis iniuſtitię contra Deum: hæc enim non inuenitur in omni peccato. *Diſp.* 6. *n.* 103. & *ſeqq.*

Nec ille, qui peccatum ſpecialis iniuſtitiæ contra Deum commiſit, v. g. *blaſphemiam*, vel *murmurationem*, famam Dei denigrantem, tenetur ſtatim confiteri; cum extra confeſsionem poſsit proprium dictum retractãdo reſtituere, ad quod ſtatim obligatur. *Ibidem num.* 144.

CONFESSOR.

COnfeſſor, qui in ſatisfactionem pro culpis mortalibus imponit pœnitenti opera ſolu præcepta, peccat mortaliter, iuxta prudentium Theologorum doctrinam, vnde debet ſuperaddere opera cõſiliꝝ, quę aptior materia ſatisfactionis ſunt. *Diſp.* 5. *n.* 70.

Index rerum notabilium.

CONTEMPTVS DEI.

COntemptus Dei, ſolum vt præcipientis, non eſt peccatum ſpecificè diſtinctum à conceptu cuiuſcũq; ſuperioris creati, nec in confeſsione neceſsario explicandum; benè tamen contemptus Dei ſecundum ſuam intrinſecam excellentiam, & dignitatem. *Diſput. 6. num. 18.*

CONTINENTIA.

COntinentia eminentialis, alia eſt cauſalitatis, alia purè equiualẽtiæ. *Diſp. 3. n. 28.* Alia formalis, alia purè effectiua. *Diſp. 15. numero 146.*

Id quod eminentèr continet perfectionem, neceſsario debet eſſe perfectio. *Diſp. 15. nu. 52. & 70.*

CONTRADICTORIA.

Vide *Oppoſita.*

CONTRAPASSVM.

COntra paſſum dicitur ſecundum proportionem rei ad rem, vel paſsionis ad actionem, reperiturque in iuſto commutatiuo, non in diſtributiuo. *Diſp. 7. num. 45, 46. & 47.*

Cõtra paſſum ſumptum pro vera repaſsione, repugnat Deo, non verò largè acceptum, quod ad iuſtitiam commutatiuam propriã ſufficit. *Ibidem. n. 82. & 83.*

CONTRITIO.

COntritio, qua extra Sacramentum impius ad iuſtificationem diſponitur, non eſt cõdigna ſatisfactio pro culpa mortali. *Diſp. 2. num 20.*

Quod verum eſt, etiam ſi admittatur gratiam habitualem, quæ eſt principium meriti, ſub merito condigno cadere poſſe. *Ibi. n. 22.*

Contritio prout ſequitur ad gratiam ſub conceptu auxiliantis, & antecedit illam ſub cõceptu ſanctificantis, nec meretur de cõgruo illam, nec pro peccato eſt adhuc imperfecta ſatisfactio. *Diſp. 2. num. 35.*

Contritio prout ſequitur ad gratiam, vt dantem effectum poſitiuum participationis diuinæ naturæ, & effectum priuatiuum excluſionis peccati mortalis à ſubiecto, vt eſt macula, & malum illius; antecedit tamen eandem gratiam, vt excludentem peccatum in ratione offenſæ, eſt meritum de congruo, & imperfecta ſatisfactio pro culpa. *Ibidem, vſque ad num. 39.*

CONVERSIO.

ETſi conuerſio de ſe ſit actio immutatiua termini *ad quem*; non tamen repugnat termino omnino immutabili terminare actionem de ſe immutatiuam, ſicut Verbum diuinum generationem B. V. de facto terminauit. *Diſp. 9. n. 47. & 48.*

Conuerſio requirit mutationem deperditiuã in termino *à quo*, & acquiſitiuam in termino *ad quem. Ibi. num. 52.*

Si conuerſio ſit formalis, & tranſmutatiua, terminus *ad quem*, & *à quo* debent mutari intrinſecè entitatiuè; ſi autem ſit totalis, & tranſubſtantiatiua, ſufficit in eius terminis mutatio, & nouitas terminatiua, & denominatiua intrinſeca in ſententia multorum; & conſequentèr Deo non repugnabit. *Ibidem, n. 53. 54 & 55.*

CONVERSIO EVCHARISTICA.

COrpus Chriſti ex vi conuerſionis panis in ipſum, non acquirit modum ſubſtantialem, ratione cuius reddatur incompoſibile cum ſubſtantia panis. *Diſp. 9. à num. 39. vſq; ad 45.*

Talis modus erit accidentalis, nedum prædicabiliter; verum etiam prædicamentalitèr, ad differentiam modi vnionis animæ ad corpus. *Diſp. 9. num. 42.*

Si corpus Chriſti per ſe primo terminaret conuerſionem panis in ipſum ratione iſtius modi, non eſſet conuerſio ſubſtantialis completa, ſed tranſmodatio. *Ibi. num. 43.*

Per conuerſionem Sacramentalem producitur aliquis modus ſubſtantialis, realiter diſtinctus à termino conuerſionis. *Diſp. 14. num. 70.*

Terminus cõuerſionis tranſubſtantiatiuę, & totalis, nõ mutatur mutatione ſtrictè ſumpta; ſed ſolum mutatione largè accepta: hæc autem Deo omnino repugnat. *Ibi.*

CORPVS.

ETſi corpus non dependeat à loco dependentia ſtricta, & cauſali, ſed tantum dependentia terminatiua: implicat tamen vnum corpus eſſe in plurious locis adæquatis, & circunſcriptiuis. *Diſp. 16. num. 86. & 87.*

CORPVS CHRISTI.

Vide verb. *Conuerſio Sacramentalis.*

COrpus Chriſti non mutatur ſubſtantialiter per actionum conuerſiuam formaliter, nec per modum realẽ præſentiæ ad ſpecies Sacramentales, realiter ab ipſo diſtinctum, nec mutatur, eo quod mutatione ſui terminet actionẽ tranſubſtantiatiuam, ad quam eſt in potentia paſsiua: ſi ex vi talis actionis, nihil in corpore Chriſti producatur. *Diſp. 14. num. 66. 67. & 68.*

Index rerum notabilium.

CORRVPTIBILE, ET INCORRVPTIBILE.

COrruptibile,& incorruptibile ex te,& ab intrinſeco non poſſunt, nec ſpecie, nec genere in eſſe entis conuenire; benè tamen corruptibile,& incorruptibile ex aliquo accidenti, vt cõſtat in charitate, & gratia viæ, & patriæ. *Diſp.6.num.176.*

CREATVRA.

CReatura poteſt ad æqualitatem gratias Deo agere pro beneficijs à Deo acceptis antecedentibus ipſam gratiarum actionem, quæ ſui ipſius compenſatio eſſe nequit. Etſi oppoſitum poſsit defendi. *Diſp. 4. num. 29. & 30.*

D

DECRETVM DEI.

Vide verb. *Incarnatio*,& verb. *Chriſtus*.

DE diuinis decretis Theologizandum eſt conſentaneè ad rerum naturas, niſi oppoſitum ſit reuelatum, vel ex reuelatis colligatur. *Diſp. 8. num. 122.*

Vnum decretum poteſt eſſe prius altero, & neceſſario cum illo connexum. *Ibid. num. 103. 104. & 105.*

Decreta libera Dei, etſi ſint infinitè æſtimabilia,& infinitate moraliter gaudeant, poſſunt cadere ſub merito condigno iuſtorum, quatenus de condigno dona creata promerentur: quia infinitas decreti à dono creato per ſe non exigitur. *Diſp. 3. num. 86.*

DECRETVM INCARNATIONIS.

NVllum decretũ efficax fuit in diuina voluntate circa Incarnationem Verbi cũ peccato Adami non connexum. *Diſp. 8. à num. 10.*

Decretum Incarnationis Chriſti vt Redemptoris, ordine intentionis fuit prius decreto permittendi peccatum; connexum tamen cum futuritione peccati,& cũ decreto permiſſiuo illius. *Diſp. 8. à num. 37. vſq; ad 52.*

Ex hoc tamen non ſequitur Deum præintendentem efficacitèr Chriſtum, vt Redemptorem, velle peccatum, aut in illo complacere, nec illud cauſare; ſed tantum permittere. *Ibi. à num. 45. vſque ad 52.*

Tali decreto ſuppoſito, poteſt Deus ſerio intẽdere,& deſiderare, quod nõ ſequatur peccatũ,& voluntatẽ creatã ſufficienter adiuuare, vt in peccatum nõ incidat, ſicut in decreto permiſſiuo peccati contingit. *Diſp. 8. num. 54.*

Decretum efficax Dei terminatum ad Incarnationis ſubſtantiam, non connexum cum decreto permiſſiuo peccati, ſine fundamẽto adſtruitur. *Diſp. 8. à num. 55.*

Ordo decretorum in mente diuina exiſtentiũ circa Incarnationem Verbi, iuxta ſententiam plurium Thomiſtarum refertur. *Ibid. à num. 110. vſque ad 114.*

Prædictus decretorum ordo aliter ex propria ſententia diſponitur, & defenditur. *Diſp. 8. num 115. & ſeqq. Maximè n. 229. & 230.*

Decretum intentivum Incarnationis, ordine intentionis, non ſupponit neceſſario præſciẽtiam peccati originalis, ſed ſufficit illud ſupponere præuiſũ ordine executionis præuiſione connotata, & infalibiliter illata ex decreto intentiuo. *Diſp. 8. à numero 149. vſque ad 160.*

Idem contingit in decreto intentiuo gloriæ, vt coronæ, reſpectu meritorum, & in prædeſtinatione vnius hominis reſpectu orationis, media qua ſalus alterius eſt conſequenda. *Ibi. num. 150.*

Etſi decretum intentivum Incarnationis ſit prius permiſſione peccati originalis in aliquo genere cauſæ; eſt tamen ſimul cum illa ſimultate cõſequentiæ, & cum tali permiſſione connexum, ex ordinatione diuinæ voluntatis. *Diſp. 8. n. 152.*

Licet decretum Incarnationis abſolutè ſumptæ, prout præcisè dicit vnionem humanitatis ad Verbũ, ab intrinſeco, & ex natura ſua, non fuerit cum peccato, & illius permiſſione connexum: decretum tamen Chriſti, vt Redemptoris, neceſſario cum peccato connectitur, ſine quo Redemptio ab illo eſſe nõ poteſt. *Ibi. num. 153.*

Decretum Chriſti vt Redemptoris ordine intentionis præcedens permiſsionem peccati, connectitur, non phyſicè, ſed virtualitèr logicè cum tali permiſsione, ad quam ex vitalis decreti manet Deus neceſsitatus: neque ex hoc aliquod abſurdum, vel indecentia, aut crudelitatis ſpecies ſequitur. *Diſp. 8. à num. 156. vſque ad 160.*

Decretum efficax Incarnationis Verbi nõ proceſsit ex intentione noſtræ ſalutis. *Ibi. num. 214.*

Nec primum inſtans intentionis in noſtræ ſalutis negotio diuidendum eſt, vt aliqui ſentiunt, in duo ſigna naturæ. *Ibi. à num. 215. vſque ad 221.*

Prima voluntas, qua Deus Incarnationem ordine intentionis decreuit, fuit amor Dei erga homines,& actus liberalitatis,& miſericordiæ diuinæ. *Diſp. 8. à num. 223. vſque ad 228.*

Decretum executiuum Incarnationis ante-

quam

quam exiſtat cognoſcitur intuitiuè in decreto intentiuo, vt in medio, ſine aliqua futuritione in diuinis decretis. *Diſp.* 13. *num.* 81. & 82.

Ex vi præſentis decreti non veniret Chriſtus propter ſola peccata venialia. *Diſp.* 8. *num.* 231.

Nec veniret non exiſtente peccato originali, quantumcumque peccata mortalia plura forent. *Ibid. à num.* 232. *vſque ad* 238.

In vi præſentis decreti Chriſtus non veniret, ſi non exiſterent peccata mortalia, peccato originali exiſtente. *Diſp.* 8. *à num.* 139. *vſque ad* 273.

Peccata actualia mortalia nõ pertinent ad obiectum, ſeu motiuum extenſiuum decreti, quo de facto intentus fuit Chriſtus, vt perfectus Redemptor; ſed potius ſunt partes motiui primarij adæquati. *Diſp.* 8. *num.* 242. & *ſeqq.*

Decretum intentiuum Chriſti, vt perfecti Redemptoris, nedum peccati originalis, vt abſolutè futuri, verum etiam peccatorũ mortalium abſolutam præuiſionem ſuppoſuit. *Ibid. à num.* 245.

Si decretum Chriſti, vt Redemptoris, nõ ſuppoſuiſſet peccatum originale præuiſum, vt in poſteris actualiter contractum, ſed tantum peccatum originale originans (vt aliqui ſentiunt) non veniret Chriſtus, vt abſolutè poſterorum Redemptor vniuerſalis. *Diſp.* 8. *num.* 250. & 251.

Imò in vi præſentis decreti veniret Chriſtus, mortemque ſubiret, pro ſolis Adamo, & Eua: etiam ſi à nullo ex poſteris eius peccatum originale contraheretur. *Ibi. num.* 252.

In negotio noſtræ ſalutis duo decreta ad ordinem intentionis expectantia, non interuenerunt. *Ibi. num.* 256.

Quolibet peccato mortali in particulari deficiente, non veniret Chriſtus in vi præſentis decreti. *Diſp.* 8. *à num.* 262.

Veniret tamen peccatis venialibus, etiam collectiuè deficientibus. *Ibi. à num.* 269. *vſque ad* 273.

Solis peccatis venialibus in mundo exiſtentibus non veniret Chriſtus Redemptor ad ſatisfaciendum pro illis, nec in vi præſentis decreti, nec in vi alterius. *Ibi. num.* 274.

Nec veniret Chriſtus in vi alterius decreti vno, vel altero homine peccante. *Ibi. n.* 275.

Solo peccato originali ſine actualibus mortalibus exiſtente, vel è cõtra ſolis mortalibus, ſine originali in pluribus hominibus reperti, non poteſt iudicium prudenter in alterutram partem determinari: ſi veniret, vel non veniret Chriſtus ex vi alterius decreti. *Diſp.* 8. *à num.* 276. *vſque ad* 286.

In his, quæ à libera Dei voluntate dependent, non licet à ſimili argumẽtari. *Ibi. num.* 284.

Ordo decretorũ in negotio noſtræ ſalutis ſeruatus, optimè componitur cum immunitate, & præſeruatione Beatiſsimæ Virginis à culpa originali. *Diſp.* 8. *à num.* 287. *vſque ad* 300.

Pro ſigno, in quo B. V. fuit à culpa originali præſeruata, potuerunt alij homines præſeruari, intuitu meritorum Chriſti, etſi de facto præſeruati non fuerint. *Ibi.*

Etſi decretum Chriſti, vt Redemptoris ſupponat præuiſum peccatum originale, non ſolum vt imminens contrahi, ſed etiam, vt de facto contractum in poſteris Adæ: potuit in illis impediri in vi meritorum Chriſti Redemptoris, non ſolum in genere cauſæ finalis, verum etiam meritoriè. *Diſp.* 8. *à n.* 298.

In diuinis decretis futuritio nõ inuenitur. *Diſput.* 13. *num.* 82.

DEVS.

DEus, non poteſt in tempore realiter ad creaturas referri, non quia mutaretur intrinſecè, ſed quia non eſt eiuſdem ordinis cum creatura, quoad cauſam referibilitatis. *Diſp.* 11. *num.* 103.

Deus eſt ſubiectum, & moralis forma offenſæ contra ipſum irrogatæ. *Diſp.* 1. *à num.* 43. *vſque ad* 48.

Licet Deus, vt ſubiectum, & moralis forma offenſæ, impediri poſsit à principio finito, ne actui peccaminoſo ſuam præſtet infinitatem, propter incapacitatem ſubſtracti, non tamen limitatur propriè ab illo. *Diſp.* 1. *à n.* 71. *vſque ad* 83.

Deus recipiens offenſam, non mutatur mutatione intrinſeca morali fundata in Deo intrinſecè, ſed ſolum mutatur moraliter mutatione fundata in ordine ad prudentũ exiſtimationem. *Ibi. num* 101. 102. & 103.

Mutaretur tamen, moraliter intrinſecè, ſi offenſa diſtinguitur realiter ab actu ofenſiuo, vt aliqui Recentiores docent. *Diſp.* 1. *num.* 94. & 102.

Deus offenditur magis vno peccato, quã alio extenſiuè, non verò intenſiuè. *Diſp.* 1. *num.* 146.

Deus præmiat vltra condignum, & citra condignum punit; quomodo intelligitur explicatur. *Diſp.* 1. *n.* 162. & *à n.* 169 *vſq; ad* 171.

Deus, conformiter ad rationem naturalē ęterna pœna peccarum punit, attenta illius grauitate ex perſona offenſa, & maieſtate diuina per illud iniuriata. *Diſp.1. num.163.*

Deus acceptauit Chriſti ſatisfactionem ex iuſtitia ſtricta, & ſpeciali. *Diſp.7.n.4. & ſeqq.*

Hęc iuſtitia fuit commutatiua propriè. *Ibi. à num.44.* & iterum. *num.67.*

In Deo non reperitur iuſtitia commutatiua, ſecundum primam nominis impoſitionem, & prout à Philoſophis diffinitur; iuſtitia verò diſtributiua, etiam quoad primam nominis impoſitionem in Deo datur. *Ibi.& n.81.*

Deus poteſt obligari, & neceſsitari ad remiſsionem offenſæ ex aliqua ſuppoſitione, ſibi libera. *Diſp.2.num.33.* & fuſius. *Diſp.7. num.14.& ſeqq.*

Deus efficienter cauſans Chriſti ſatisfactionē, illum ex iuſtitia obligantem, non obligauit ſe ipſum ex iuſtitia; non enim denominabatur liberè, & vitalitèr ſatisfaciens, ſicut Chriſtus. *Diſp.5. num.103. & Diſp.7. num.24.& ſeqq.*

Deus potuit obligare ex iuſtitia Chriſtum ad præſtandam ſatisfactionem excedentem offenſam, abſolutè, & ex ſuppoſitione, quod gratis in ſe ſuſcepit fideiuſſoris officium. *Diſp.6.num.75.*

Deus autem, vt remunerator meritorum, non poteſt ex iuſtitia à merente obligari, vt illi tribuat præmium merita excedens, etiam ſi non eſſet poſsibile præmium, cui in æſtimatione morali meritum adæquaretur. *Ibi. num.78.*

Deus non tenetur abſolutè peccatorem punire, ſi tamen puniat, tenetur ex rectitudine ſuæ voluntati eſſentiali, non excedere in puniendo demeriti grauitatem. *Diſp.6.n.85.*

Deus remuneratur ex ſtricta, & commutatiua iuſtitia merita condigna iuſtorum. *Diſp. 7. num.5.& ſeqq.& à n.44.* & etiam *n.68.*

Deus non acceptans Chriſti ſatisfactionem; & hominibus, non remittens offenſam, iniuſtitiam, & iniuriam Chriſto Domino irrogaret. *Diſp.7.num.27.*

Licet, Deus potentia abſoluta, & antecedenti ius Chriſti ſatisfactorium deſtruere poſsit, & offenſam hominibus, nō remittere; potētia tamen cōſequenti, & ſuppoſita promiſſione remiſsionis offenſæ, qua virtualiter non extinctio iuris promittitur, hoc facere non poteſt. *Diſp.7.num.32.& 43.*

Deus poteſt, ex ſuppoſitione ſibi libera, alteri obligari, facta autem quavis ſuppoſitione libera, non poteſt alteri, vt ſuperiori, & iudici ſubijci. *Diſp.7.num.41.& 42.*

Deus poteſt nobis debitor eſſe, ratione pacti, & promiſsionis oneroſæ, ſub conditione operis condigni, & æqualis. *Ibi.n.69.& ſeqq.*

In Chriſto autem hoc non requiritur, vt Deū ex iuſtitia obliget. *num.77.*

Deus non poteſt in compoſitionem alicuius naturę venire; benè autē in compoſitionē alicuius perſonæ. *Diſp.10.num.10.*

In Deo, id quod de concreto dicitur, etiam de abſtracto prædicatur, niſi talis conditionis ſit, quod abſtracto repugnet, ſicut in iſta propoſitione *Deitas generat. Diſp.10.n.38.*

Hic Deus pro priori ad relationes ſubſiſtens ſubſiſtentia abſoluta, eſt perſona incompletè, & inadæquatè accepta *perſona. Diſp.15. num.106.& ſeqq.*

Deus non poteſt rerum eſſentias variare. *Diſp. 16.num.106.*

Dii.

Dijs, Parentibus, & Magiſtris non poſſumus reddere æquale; intelligitur quantum ad rem acceptam, non quantum ad affectum, quem principaliter attendit gratitudo. *Diſp.4.num.27.& 29.*

Diabolvs.

Diabolus, ſecundum Bernardum, antequam Adamus peccaret cognouit Incarnationem futuram, ſicut ipſe Adamus; neuter tamen cognouit in remedium peccati fiendam. *Diſp.8.à n 84. vſque ad 95.*

Diabolus præuidit ſe futurum Principem malorum, non tamen præuidit ſuum caſum. *Ibi.num.84.*

Dignitas.

Dignitas, non multiplicatur realiter in diuinis perſonis, ſed eſt vna, ſicuti eſſentia. *Diſp.3.num.96.& ſeq.*

Dignitas, ex communi conceptu dignitatis, non eſt idem quod amicitia. *Diſp.3.n.102.*

Dispositio.

Diſpoſitio, quę amicitiam in ſubiecto ſupponit, eſt idem cum merito congruo; illa verò, quę amicitiam non ſupponit, ſed ſubiectum ad illam diſponit, rationem meriti congrui, non obtinet, ſed tantum rationem impetrationis. *Diſp.13.num.22.*

Diſpoſitio vltima ad gratiam procedit phiſicè ab illa, vel ab auxilio vices eius gerente. *Diſput.3.num.83.*

Distinctio.

Diſtinctio eminentialis, alia formalis eſt, alia effectiua. *Diſp.15.num.127.*

Distinctio virtualis adæquata, idem est quod distinctio rationis obiectiuæ adæquatæ. Et hæc non requiritur ad verificanda duo prædicata contradictoria de eadem entitate, sed sufficit inadæquata, aut eminentialis, vel distinctio munium, aut formalitatum. *Ibidem num* 140. *& seq.*

DIVINITAS.

Vide *Deus*.

Diuinitati repugnat vnio, per modum formæ substantialis, & aliæ plures vniones. *Disp. 9. num. 5. & seqq.*

DOMINIVM.

Dominium consistit in facultate absoluta, & antecedenti vtendi re sua in quoscumque vsus, sine iniuria alterius, non in facultate consequenti, facta aliqua suppositione. *Disp. 7 num. 28. & n. 38. & seqq.*

DOMINIVM DEI.

Dominium Dei supra actiones creaturarũ, vniuersale est, & compatibile cum dominio particulari illarum; dominiũ autem hominibus conueniens, aliud dominiũ particulare non admittit. *Disp. 5. num. 95.*

DOMINVS.

Inter Dominum, & seruum seruitute legali, non potest exerceri stricta iustitia; benè tamen inter Dominum, & seruum seruitute naturali, qualiter homo, & Christus, sunt serui Dei. *Disp. 7. num. 20.*

E

EFFECTVS.

Vide verb. *Causa*.

Vnus, & idem effectus, non potest, etiam de potentia absoluta, à duplici causa in actu secundo adæquata, siuè efficienti, siuè finali dependere. *Disp. 8. à num. 57. vsque ad 70. & Disp. 16. num. 59. & seqq.*

Quando effectus dependet ex natura rei, & ab intrinseco à causa, cognito effectu, nõ quietatur desiderium, nisi causa cognoscatur; secus autem quando effectus solum ex voluntate extrinseca operantis à causa dependet. *Disp. 8. num. 91.*

Dependentia non causali, sed purè terminatiua, vnus & idem effectus potest à pluribus causis dependere adæquatè intensiuè; nõ tamen adequatè adæquatione extensiua. *D. 16. à num 85. vsque ad 94.*

EMPTIO, ET VENDITIO.

In emptione, & venditione, non pensatur dignitas ementis, aut vendentis, sicut in satisfactione, & redẽptione Christi, sed tantum pretium, quod emptor exhibet. *Disp. 3. num. 120.*

ENTITAS.

Entitas creata, & increata possunt conuenire in vna ratione formali specificatiua potentiæ, non verò possunt specificare eundem habitum. *Disp. 6. num. 159. 160. & 161.*

ESSENTIA DIVINA.

Vide verb. *Personalitas diuina*.

Essentia diuina vnita intellectui Beati, non constituit illum potentem infinitè videre, non enim vnitur modo infinito, nec dando virtutem, sed vices obiecti gerẽdo. *Disp. 3. num. 35.*

Essentia, seu natura diuina videri non potest intuitiuè personis, seu relationibus non visis; persona autem, seu relatio filij potest immediatè vniri humanitati, non vnita immediatè natura, etsi solum virtualiter distinguatur ab illa. *Disp. 9. num. 91.*

ÆQVALITAS.

Æqualitas inter entitates creatas specie distinctas, siuè completæ, siuè incompletæ sint, omnino repugnat. *Disp. 16. n. 103. 104. & 105.*

Æqualitatis relatio inter diuinas personas, nõ est realis, sed rationis tantùm. *Disp. 15. num. 35. 36. & 37.*

Æqualitas perfectionis, est absolutè æqualitas; æqualitas autem in aliqua ratione perfectionem non dicente, est secundum quid talis, & hoc genere æqualitatis tres diuinæ personæ possunt dici æquales secundum proprietates relatiuas, & ratione illius, quod essentię superaddunt, esto perfectio non sit. *Disp. 17. num. 71 & seqq.*

EXCELLENTIA.

Excellentia est proprium obiectum reuerentiæ, quod per se, & directè respicit: vndè, iuxta diuersam rationem excellentię, dantur diuersæ species reuerentiæ. *Disp. 6. num. 163.*

EXISTENTIA DIVINA.

Existentia diuina, virtualiter adæquatè distinguitur à natura, sicut & intellectio: vel distinguitur inadæquatè, vel ad minus eminẽrialitèr, quæuisque ex his distinctionibus sufficit, vt vnio humanitatis ad Verbũ facta fuerit cũ existẽtia formaliter, & non cũ natura. *Disp. 9. num. 25. & 26.* vbi varijs exemplis comprobatur. *& Disp. 15. à num. 45. vsque ad 50.*

Existentiæ relatiuæ, non dantur in Deo, sed

vnica existentia absoluta diuinæ personæ existunt. *Disp.* 15 *num.* 53. & 54.

EVTYCHES.

EVtyches, sequutus Zerintianos, & Apollinaristas, vnam tantum constituebat in Christo naturam, & vnionem humanitatis ad Verbum, non in persona, sed in natura factam asserebat. Error iste impugnatur. *Disp.* 9. *per totam*, & *Disp.* 14. *num.* 4.

Eutychetis error explicatur. *Ibi. à num.* 64. *vsque ad* 78.

F

FIGVRA,

FIgura Cœli, & corporum sublunarium, non possunt esse eiusdem rationis specificæ, secundum propriam rationē figuræ, & distingui essentialiter in ratione entis. *Disp.* 6. *num.* 176.

Tali conuenientia specifica suppositā, figura Cœli solum accidentaliter esset incorruptibilis, quæ incorruptibilitas nō arguit distinctionem, adhuc entitatiuam, vt constat in gratia, & charitate viæ, & patriæ. *Ibid.*

FIDEIVSSOR.

FIdeiussor, hoc ipso quod in se suscipit onꝰ alterius, tenetur ex rigorosa iustitia, pro illo satisfacere, si ille, cuius obligationē suscepit, non satisfaciat. *Disp.* 6. *à num.* 93. *vsque ad* 100.

FILIVS.

LY *Filius*, non est idem in significando cum ly *Genitus*, nec est nomē adiectiuum, nec significat suppositum de formali, sed relationem filiationis. *Disp.* 16. *n.* 158. & 159.

Inter filium non emancipatum, & patrem, non potest exerceri rigorosa iustitia, propter identitatem iuris, & dominij; inter Christum autem, & Deum potuit, propter dominium, & libertatē, quam supra suas actiones habuit Christus. *Disp.* 6. *num.* 66.

FINIS.

FInis causalitas cōsistit in eo quod, ex illius intentione, & amore, agens ad electionē mediorum procedat. *Disp.* 8 *num.* 172.

Finis, seu causa finalis, multipliciter discriminatur à causa meritoria, in modo causandi. *Disp.* 13. *num.* 66. & 67.

Finis *effectus* respectu alicuius, potest respectu eiusdem, rationem finis *cuius gratia* sortiri. *Disp.* 8. *à num.* 120. *vsque ad* 126.

Idem est finis decreti intentiui, & executiui, licet distincta motiua respiciat. *Disp.* 8. *à num.* 165. *vsque ad* 173.

Finis est primū in intentione, & vltimū in executione, & id quod in intētione est causa, est in ordine executionis effectus. *Disp.* 8 *n.* 172.

Finis *cuius gratia*, non excludit omnem vtilitatem. *Disp.* 8. *num.* 188.

Finis *effectus*, non petit præcedere ea, quæ ad ipsum ordinantur, nec quod ex illius intentione nascantur, aut imperentur. *Disp.* 8. *à num.* 216. *vsque ad* 221.

Finis *effectus*, non est causa finalis simplicitèr, & perfectè, sed secundum quid, & imperfectè. *Ibidem num.* 219.

Finis *cuius gratia*, & motiuum decreti intentiui Incarnationis, fuit subleuatio miseriæ in hominibus præuisæ actiuè considerata, prout est idem quod actiua redemptio; passiuè autem sumpta fuit motiuum illius decreti per modum finis *effectus*. *Disp.* 8. *num.* 228.

FORMA.

FOrma eadem, diuersimodè communicata diuersum præstat effectum. *Disp.* 3. *num.* 56. & *Disp.* 4. *num.* 36. & 37.

Forma creata, v.c. vnio, vel actio, non potest entitatiuè existere, quin suum effectum formalē præstet; secus autem forma increata, & infinita. *Disp.* 11. *n.* 94. & *n.* 97. & *seqq.*

Forma partialis dat esse informando; forma autem totalis, sine informatione constituit. *Disp.* 14. *num.* 59.

Habens formam receptiuè, est subiectum formæ habitæ; habens autem formam personaliter, quod idem est ac in natura subsistere, non est subiectum formæ. *Disp.* 14. *n.* 60.

Forma potens connaturaliter infinitas informare materias, foret infinita; non autem, si id illi ratione potentiæ obedientialis conueniret. *Disp.* 16. *num.* 43.

Forma semel applicata subiecto, eius effectus primarius suspendi non potest. *Ibidem num.* 67. & *seqq.*

Forma, non potest per potentiam obedientialem præstare effectum, quem tribuit in genere causæ formalis. *Disp.* 17. *n.* 44. & *seqq.* & *à num.* 82. *vsque ad* 95.

FORMA CŒLESTIS, ET SVBLVNARIS.

NEc forma Cœlestis, etiā de potentia absoluta, potest materiam sublunarem informare, nec forma sublunaris potest Cœlestem materiam actuare, ratione potentiæ naturalis, aut obedientialis. *Disp.* 17. *à num.* 86. *vsque ad* 90.

Index rerum notabilium.

FVTVRITIO.

FVturitio requirit existentiam, post non existentiam, in mensura realis durationis, quæ in diuinis decretis non reperitur. *Disp.* 13. *num.* 82.

G

GENERATIO, VEL GENERATIVA VIS.

VIs generatiua, in diuinis, nō est absolutè potētia, nec absolutè vis actiua, sed potentia, & vis actiua, prout in Patre, & illi soli conuenit. *Disp.* 11. *num.* 69.

In recto perfectionē absolutam importat, & in obliquo, & completiuè paternitatem, vnde est vis actiua cum respectu. *Ibidem.*

GENVS, VEL GENERA.

AXioma illud: *Diuersorum generum, non sub alternatim positorum, non possunt esse eædem differentiæ*, explicatur, & eius ratio à priori traditur. *Disp.* 6. *num.* 175.

GLORIA, VEL VITA ÆTERNA.

GLoria, intuitu meritorum iustis collata, est gratia radicaliter; formaliter vero est corona iustitiæ. *Disp.* 7. *num.* 7.

Gloria in ordine intentionis, non supponit merita præuisa, nec ab illis in tali ordine dependet, cum sit principium ex quo merita procedunt; Christus verò, vt Redemptor, in ordine intentionis, peccatum, & illius præuisionem, vt materiam supponit. *D* 8. *n.* 143.

Gloria, vt corona, in ordine intentionis, nō potest dici volita à Deo, propter merita, quæ sunt effectus illius in genere causæ finalis; Incarnatio autem propriè dicitur facta, & volita propter nostram salutem, quæ est effectus illius in genere causæ efficientis. *Disp.* 8. *num.* 198.

GRATIA AVXILIANS.

PRima gratia auxilians potest de potentia absoluta cadere sub merito congruo operum procedentium ab ipsa, nō verò sub merito condigno, & idem de esse substātiali hominis est dicendum. *Disp* 13. *num.* 88.

GRATIA HABITVALIS CHRISTI, ET NOSTRA.

GRatia habitualis, etsi physicè, solum proprio subiecto fructificet; moraliter tamē alijs fructificare potest. *Disp.* 2. *num.* 56.

Gratia habitualis puri hominis, quamuis finita sit, potest alteri homini, etiam in peccato existenti fructificare, non per modum condignæ satisfactionis, sed per modum meriti condigni gratiæ alteri conferendæ. *Disp.* 2. *num.* 58. & 60. & à *num.* 67. *vsque ad* 72.

Gratia in statu viæ, non solū præstat iustis amicitiam cum Deo, sed etiam dignitatem, reuerentiam, & venerationem. *Disp.* 3. *num.* 76. 77. & 78.

Gratia iustificans, non significat opera ab homine iusto elicita, secundū totam suam gradualem intensionem, sicut significat persona Verbi operationes Christi. Varij modi dicendi referuntur, & reijciuntur. *Disp.* 3. *à num.* 67. *vsque ad* 79.

Huius vera, & genuina ratio discriminis traditur, & defenditur. *Ibidem à num.* 79. *vsque ad* 83.

Gratia habitualis Christi, & nostra sunt eiusdē speciei, quoad physicam entitatem. *Disp.* 6. *num.* 132.

Gratia habitualis ex se indifferens est, ad radicandas aliquas virtutes, sicut & ad existendum in subiecto capaci credendi, sperandi, & pœnitendi: vnde sine aliqua inconnaturalitate, aut violentia aliquas virtutes radicat in Christo, quas in puro homine non radicat, & è contra, ob prædictam indifferentiam. *Disp* 6. *num.* 132.

Gratia habitualis Christi radicaret fidem, spē, & pœnitentiam, casu in quo humanitas dimitteretur à Verbo; non tamen radicaret iustitiam in satisfactionem perfectam inclinantem. *Ibidem.*

Gratia habitualis, quæ de facto datur, nullam prorsus habet connexionem cum Incarnatione Verbi. *Disp* 8. *à num* 3. *vsque ad* 7.

Gratia vberior data est illis, qui post Christum extiterunt, quam illis, qui ipsum præcesserūt; in istis enim causauit gratiam solū in genere causæ moralis, & non connaturali modo; in illis verò in genere physico, & morali omnimoda cōnaturalitate seruata. *Disp.* 13. *num.* 63. 64. & 65.

Licet gratia habitualis finita sit in genere entis; causa tamen principalis sui effectiua infinita esse debet. *Disp.* 17. *num.* 77.

GRATITVDO, VEL GRATIARVM ACTIO.

GRatiarum actio, cum novum beneficium Dei sit, pro se ipsa compensatio esse nequit; vnde recipiens beneficiū, semper manet largienti debitor. *Disp* 4 *num.* 21.

Gratitudo, vt perfecta sit, petit aliquid plus reddere, saltim quoad affectum, quam acceptum sit; ad iustitiam verò perfectam sufficit reddere æquale. *Disp.* 4. *numero* 22. & 27.

Cum

Cum debito gratiarum actionis adęquantur opera Christi Domini intensiuè, non extensiuè; vndè extendi possunt ad alia debita extinguenda, quæ eminentialiter in isto continentur. *Disp.* 5. *n.* 71. & 72.

Gratitudo ad Deum, non est virtus à Religione distincta. *Disp.* 6. *num.* 151.

H

Hęretici.

Hæretici quidam, partim cum Nestorio conuenientes in vnione accidentali humanitatis ad Verbum, partim vitare volentes dualitatem personarum in Christo, asseruerunt, Verbum assumpsisse corpus, & animam, non sibi vnita, quorum error explicatur, & reijcitur. *Disp.* 9. *n.* 2. & *seqq.*

Homo Pvrvs.

Vide verb. *Satisfactio puræ creaturæ.*

Homo purus, idest, gratia non ornatus, nec de cõgruo potest satisfacere pro peccato proprio, vel alieno, etiam veniali. *Disp.* 2. *n.* 1. & 88

Homo purus gratia ornatus, potest de potentia absoluta satisfacere pro peccato veniali alieno, quoad culpam, & pęnã; de facto autem, solam satisfacit quantum ad pęnam. *Disp.* 2. *n.* 89. & 90.

Homo purus (idest homo non Deus) potest cõdignè satisfacere pro peccato veniali proprio, vel alieno, si gratia exornatus sit: pro peccato verò mortali, solũ imperfectè. *Ibidem. num.* 2.

Homo purus potest pro peccato mortali satisfacere condignè, si in ratione offensæ non sit simpliciter infinitum, nec in ordine superiori ad satisfactionem puræ creaturæ. *Disp.* 2. *à num.* 79. *vsque ad* 87.

Homo purus, quantacumque gratia exornatus sit, non potest pro suo peccato mortali condignam exhibere satisfactionem. *Disp.* 2. *n.* 3. & *n.* 19. & *seqq.* Et denique *à n.* 75. *vsque ad* 78.

Varia Auctorum motiua, quibus ad prædictã impossibilitatem probandam vtuntur, referuntur, & reijciuntur *à numero* 4. *vsque ad* 18.

Hominem purum, non posse pro suo peccato mortali condignam exhibere satisfactionẽ; duplici ratione ostẽditur. *Disp.* 2. *à num.* 19. *vsque ad* 22.

Nec etiam potest condignè pro culpa mortali aliena satisfacere. *Disp.* 2. *à num.* 40. *vsque ad* 51.

Homo purus, potest de potentia absoluta constitui caput aliorum in ordine gratiæ, & illis condignè mereri primam gratiam iustificantem. *Disp.* 2. *à numero* 52. *vsque ad* 74.

Homini puro potuit communicari, de potentia absoluta, potestas excellentiæ Christo vt homini conueniens, etiam secundum conuenientiam vniuocam; potestas vero auctoritatis, illi vt Deo conueniens, tantum secundum conuenientiam analogam, homini puro potest conuenire. *Ibidem. n.* 53.

Si homo purus posset præstare Deo æqualem satisfactionem pro offensa in illum commissa, ex stricta iustitia ad id teneretur. *Disp.* 6. *num.* 114.

Hvmanitas Christi.

Vide verb. *Vnio humanitatis ad Verbum.*

Hvmanitas Verbo vnita, & si infinitè sanctificetur ab illo, non est æquè sancta, nec æquè bona, & amabilis, ac est Verbum in se ipso. *Disp.* 3. *num.* 55. & 56.

Humanitas Christi, gratia habitualis, & virtutes, eius animam exornãtes, ex coniunctione ad Verbum, modum infinitũ moralẽ, in aliquorũ sẽtẽtia recipiunt. *D.* 3. *n.* 88. & 89.

Si per impossibile humanitas Verbo vnita, esset in peccato mortali, illę operationes nõ essent satisfactoriæ, nec meritoriæ. *Disp.* 3. *num.* 104. & *seqq.*

Humanitati fuit vnita personalitas Verbi omni modo possibili sub ratione sanctitatis, non vero sub ratione termini. *Disp.* 55. *num.* 25.

Humanitas Christi, non satisfecit vt *quod*, sed tantum vt *quo*. *Disp.* 5. *à num.* 18. *vsque ad* 25.

Dona humanitati Christi concessa, debentur Verbo titulo condecentiæ, non titulo iustitiæ. *Disp.* 5. *num.* 53.

Licet humanitas componatur ex carne, & spiritu, tamen in sacris litteris exprimitur nomine *carnis*, accipiendo partem pro toto. *Disp.* 14. *num.* 1.

Humanitas dicta de Verbo, est prædicatum, quantum ad substantiam absolutum; induit tamen modum prædicati relatiui. *Disp.* 14. *num.* 79.

Humanitatis dependentiam, terminat Verbũ ratione prædicati relatiui, & absoluti, non absolutè sumpti, sed prout in relatiuo inclusi, ita vt ratio adæquata terminandi ex vtroque coaleſcat. *Diſp.* 15. *n.* 62. *& ſeqq.*

Si humanitas coniungeretur ſubſiſtentijs numero infinitis, non eſſent infiniti homines ex parte naturæ, ſed vnus numero homo, atque adeò talis humanitas non præſtaret infinitos numero effectus; ſubſiſtentiæ enim, illi ab extrinſeco aduenirent. *Diſp.* 16 *n.* 44.

Humanitati Chriſti conuenit ratione potẽtiæ obedientialis ſuſtentari à Verbo, illique hypoſtaticè vniri, qua vnione præſuppoſita conſtituit Verbum hominem, vt forma totalis, ratione virtutis ſibi connaturalis. *Diſp.* 17. *num.* 100. 101. *& 102.*

I

INCARNATIO.

Vide verb. Christvs. Verbvm Divinũ. Decretvm Dei.

Incarnatio Verbi Diuini fuit conueniens, ſed non ſimpliciter neceſſaria. *Pag.* 1. *& Diſp.* 2. *num.* 91.

Incarnatio non debuit à principio mũdi fieri, nec vſque ad eius finem differri. *Ibidem.*

Incarnatio, non fuit ſimpliciter neceſſaria, etiam ex ſuppoſitione vniuerſi conditi, nec ad reparandum hominem à peccato. *Diſp.* 2. *num.* 91.

Incarnatio, ſtrictè ſumpta pro aſſumptione carnis a Verbo, non fuit ſimpliciter neceſſaria ad reparandum hominem à peccato, per condignam ſatisfactionem; bene tamẽ, incarnatio largè accepta. *Ibidem. n.* 92.

Potuit Verbum incarnari, Adamo non peccante, nulloque exiſtente peccato. *Diſp.* 8. *num.* 1.

Adamo non peccante, mera diuinatio eſt aſſerere Incarnationem futuram in vi alterius decreti, quod Deus in alia rerum ſerie, & diſpoſitione haberet. *D.* 8. *à n.* 2. *vſque ad* 7.

Incarnatio Verbi, nullo modo exiſteret, Adamo non peccante, nec quoad ſubſtantiam, nec in carne impaſſibili, iuxta Sanctorum PP. doctrinam. *Ibidem. à num.* 11. *vſque ad* 33. vbi varię interpretationes PP. a Modernis excogitatæ reijciuntur. Et fuſius *à num.* 35.

Adamo non peccante, Verbum non habitaſſet in nobis, nec in carne aſſumpta in Cęlo maneret. *Diſp.* 8. *à num.* 20. *vſque ad* 24.

Incarnatio Patris, aut Spiritus Sancti, intuitu meritorum Chriſti facta, eſſet in ratione præmij, ſimpliciter infinita. *Diſp.* 3. *num.* 62. 63. *&* 64.

Adamo non peccante, non veniret Chriſtus, nec ex vi omnium decretorum de facto, circa Incarnationem Verbi in Deo exiſtentiũ, nec ex vi alicuius decreti de facto exiſtẽtis. *Diſp.* 8. *num.* 27.

Incarnatio, non foret, non exiſtente peccato, etiam ſi proximè immineret; nec Chriſtus veniret vt Redemptor in actu primo. *Diſp.* 8. *à num.* 29. *vſque ad* 33. *&* *num.* 72. *&* 73.

Reſpectu Incarnationis quoad ſubſtantiam, nõ datur in Deo duplex motiuum adæquatum, & ſufficiens, Dei voluntatem mouens. *Diſp.* 8. *à num.* 55. *vſque ad* 70. vbi ſententia P. Suarez impugnatur.

Etſi præter remedium peccati, darentur alia motiua ſufficientia, & adæquata, quæ diuinam voluntatem ad decernendam Incarnationem poſſent mouere; de facto tamen Verbum non aſſumeret carnem, peccato non exiſtente. *Ibidem. num.* 75. *&* 76.

Incarnatio no fuit bonum occaſionatum per ſe, & abintrinſeco, ſed ad ſummum per accidens, ad differentiã pęnitẽtiæ. *D.* 8. *n.* 101.

Etſi Incarnatio de facto fuerit ordinata, & volita à Deo, in remedium peccati; Chriſtus tamen non debuit gratias agere hominibus, ſed ſolum Deo illum producenti, & ad redimẽdos homines ordinanti. *Ibid. n.* 102.

Nec inde poteſt inferri, remediũ peccati, aut homines redimendos, eſſe Chriſto præſtantiores. *Ibidem n.* 103.

Nec etiã ſequitur, quod hominibus iam à peccatis redemptis, Chriſtus ſuperfluus, & ſupervacaneus ſit. *N.* 104.

Nec tandem ſequitur, animam Chriſti tantum de peccato Adami gaudere, quãtum de ſua aſſũptione, ad eſſe perſonale Verbi gaudet. *Ibidem. num.* 105.

Incarnatio Verbi diuini, ſeu Chriſtus ſolum reſpectu prædeſtinationis hominum, & effectuum illius, habuit in mẽte diuina anteceſſionem, prioritatemque naturę, ſaltim in ordine intentionis; non verò reſpectu rerum naturalium, & ſupernaturalium, ad ſolam prouidentiam generalẽ ſpectantium, in plu

Index rerum notabilium.

rium Thomiſtarum ſententia. *Diſp.* 8. *à n.* 110. *vſque ad* 114.

Incarnatio non ſuppoſuit remedium peccati vt finem *cuius gratia* ſui, ſed vt finem *effectū*; oratio verò vnius, qua ſalus alterius iuvatur, reſpicit vt finem *cuius gratia*, ſalutem illius. *Diſp.* 8. *n* 142.

Incarnatio, non ſolū vt executa, ſed etiã in diuina intẽtione, ordinata fuit, & volita in remediū peccati. *Ibidem à n.* 165. *vſq; ad* 175.

Executio exterior Incarnationis, non poteſt ratione ſui terminare finis cauſalitatẽ, nec ab illo moueri, nec ad illum ordinari; hoc enim ſolius actus interioris voluntatis eſt proprium. *Diſp.* 8. *n.* 166.

Incarnatio, nõ ſolum prout dicit operationes Chriſti Incarnati, verum etiam, vt importat duarum naturarum vnionem in Verbo, fuit ordinata ad remedium peccati, tanquã ad finem *effectum*. *Diſp.* 8. *num.* 176. 177. & 178.

Idemque eſt dicendum de Chriſto, non ſolum in ſtatu abiectionis, & humilitatis, verum etiam in ſtatu exaltationis, & gloriæ. *Diſp.* 8. *n* 179. *& ſeqq.*

Incarnatio fuit finis *cuius gratia* remedij peccati, & remedium peccati fuit *finis effectus* Incarnationis. *Diſp.* 8. *à num.* 184.

Patres aſſerentes, cauſam Incarnationis fuiſſe remedium peccati, nõ excludunt aliud motiuum diſtinctum, cum remedio tamen peccati connexum. *Diſp.* 8. *n.* 222.

INFINITVM.

ALiquid poteſt eſſe infinitum moraliter, & non phyſicè. *Diſp.* 1. *à num.* 129. *vſque ad* 134.

Vnum infinitũ poteſt eſſe maius altero, in ordine, & qualitate eſſentiali; non tamen quãtitatiuè. *Diſp.* 2. *n.* 78. & *Diſp.* 4. *n.* 39.

Vnum infinitum eſt maius altero, extenſiuè, non intenſiuè. *Diſp.* 3. *n.* 27. & 28.

Et in alio genere, licet non in eodem. *Diſp.* 4. *num.* 40.

Infinita ordinis inferioris, eſto non poſſint adæquare rem in ſuperiori ordine conſtitutã; in illa tamen contineri phyſicè, aut moraliter effectiuè, non poſſunt, niſi res illa ordinis ſuperioris ſit, etiam ſimplicitèr infinita in eo genere, in quo continet. *Diſp.* 3. *n.* 8.

Non omnis infinitas eſt modus perfectionis; peccatum namque mortale infinitum eſt, & perfectum nõ eſt, & perſonalitas diuina, ſub explicito conceptu infinita in aliqua ratione eſt, non tamen perfecta. *Diſp.* 17. *n.* 65.

INIVRIA.

INiuria eſt circũſtantia generalis omni peccato, ſed ſi ſpecialiter intendatur à peccante, eſt vitium ſpeciale, ſpeciali virtuti oppoſitum. *Diſp.* 6. *n.* 15.

INOBEDIENTIA.

INobedientia ſpecialis, quæ in non exequendo rem à ſuperiori præceptam conſiſtit, eiuſdem ſpeciei eſt in ratione inobedientiæ, per reſpectum ad Deum, & ad ſuperiores creatos; vnde in confeſſione non debet neceſſariò explicari circumſtantia perſonæ imponentis præceptum. *Diſp.* 6. *n.* 178. *& ſeqq.*

INTENTIO.

Vide verb. *Decretum Dei*, & *Incarnatio*.

INtentio efficax Chriſti, vt Redẽptoris, præcedens abſolutam præuiſionem peccati vt futuri, non eſt virtualis volitio futuritionis peccati. *Diſp.* 8. *n.* 52.

IOANNES BAPTISTA.

IOannes Baptiſta, & Agæus Propheta, non fuerunt Angeli incarnati; Origenes autem illos Angelos incarnatos appellans, fuit per exageration em loquutus, propter eximiam eorum vitæ puritatem. *Diſp.* 17. *n.* 106.

IOANNES HVS.

IOanes Hus, ſequutus errorem Vviclef, aſſerebat, Chriſtum eſſe humanitatem, & diuinitatem diuiſim. *Diſp.* 10. *n.* 58.

IVDÆI.

IVdæorum error, quod Chriſtus ſit, non animarum, ſed tantum corporum Redemptor, reiicitur. *Diſp.* 4. *n.* 1.

Iudæi Chriſtũ crucifigentes, Chriſticidæ, Deicidæque dicuntur, & fuerunt, licet vnionem humanitatis ad Verbũ phyſicè non deſtruxerint. *Diſp.* 12. *n.* 5.

IVSTITIA.

IVſtitia ex communi conceptu petit eſſe ad alterum alietate naturæ, non ſuppoſiti, ideſt, requirit in extremis, inter quæ verſatur diſtinctionem realem naturarum, non ſuppoſitorum. *Diſp.* 5. *num.* 15. *& num.* 26. *& ſeqq.*

Iuſtitia triplicitèr accipitur. Primo prout eſt communis per prædicationem ad omnẽ virtutem. Secundo pro virtute ad alterum, & ſic comprehendit omnes iuſtitiæ partes, tã ſubiectiuas, quam potentiales. Tertio pro ſtricta iuſtitia, quæ reſpicit ius alterius cum

debito legali, & æqualitate ſimpliciter tali; ſingula explicantur. *Diſp.7. num.1.*

Iuſtitia rigoroſa, abſque debito proprio, vel alieno, abſolutò, vel conditionatò, vel ratione cauſæ, vel pacti, non datur in creaturis. *Diſp 6. num.30.& 31. & à num. 83. vſque ad 90* & iterum *num.92.& 96.*

Partes potentiales iuſtitiæ, ſpecificè diſtinguũtur à partibus ſubiectiuis. *Diſput.6.n.116.*

Similiter iuſtitia, qua redditur æquale Deo, diſtinctæ ſpeciei eſt a iuſtitia, qua redditur æquale hominibus. *Ibidem. n.124.& 155.*

IVSTITIA COMMVTATIVA.
Vide verb. *Chriſti iuſtitia.*

IVſtitia commutatiua, non reſpicit eſſentialiter datum, & acceptum propriè tale, nec abdicationem dominij, licet in creaturis cum his imperfectionibus exerceatur. *Diſp. 7.num.52.& 79.*

Iuſtitia commutatiua non petit æqualitatem entitatiuam perſonarum, inter quæ exercetur, ſed ſufficit æqualitas in ratione contrahentium formaliter, ideſt, in actionibus, de quibus celebrantur contractus. *Diſp. 6. num.36. 37.& 73.*

Æqualitas à iuſtitia requiſita, non debet præſtari ab ipſa virtute iuſtitiæ, ſed ſufficit, quod ad actus aliũdè æquales inclinet. *Diſput.6.num.41.& ſeq.& num.55.*

Iuſtitia commutatiua, prout cõtracta ad materiam ſatisfactionis, habet pro obiecto æqualitatem arithmeticam negatiuè per defectum, non per exceſſum, ideſt requirit, quod ſatisfactionis valor, non excedatur à grauitate offenſæ, etſi iſtius grauitas à ſatisfactionis valore excedatur. *Diſp.6. num.73. & ſeq.*

Vel reſpicit æqualitatem arithmeticam, formaliter, aut æquiualenter talem. *Ibid, num. 79.& Diſp.7.num.84.*

IVSTITIA DISTRIBVTIVA.

IVſtitia diſtributiua reſpicit bonum commune diuidendum inter particulares perſonas, ſecundum geometricam proportionem. *Diſp.6.num.44.*

Violatio iuſtitiæ diſtributiuæ, & debitum ex iniuſta diſtributione contractum per iuſtitiam commutatiuam reſartiuntur. *Diſp.6. num.109.*

Iuſtitia diſtributiua requirit debitum in alterius iure fundatum, & non reſpicit alterum, ſolum vt extremum *cui* obligationis; conſequenterque debitum, quod attendit, non eſt adæquatè ab intrinſeco. *Diſp.7. à n. 55. vſque ad 58.*

IVSTITIA LEGALIS.

IVſtitia legalis ordinat bonum particularium perſonarum ad bonum commune Reipublicæ. *Diſp.6.num.45.*

Iuſtitia legalis eſt virtus perfectior religione. *Diſp.6.num.64.*

Iuſtitia legalis reſpicit pro obiecto bonum cõmune humanum, per modum totius, ad quod homines comparantur vt partes; vndè Deus non cõtinetur ſub obiecto iuſtitiæ legalis: quia eſt bonum commune, ſolum communitate cauſalitatis principij, & vltimi finis participabilis ab omni bono creato. *Diſp.6.num.112.& 113.*

IVSTITIA VINDICATIVA.

IVſtitia vindicatiua reſpicit punitionem delictorum, vt inuitè ab alio inflictam. *Diſp. 6.num.44.*

Iuſtitia vindicatiua eſt in Deo offenſo, tanquam in proprio ſubiecto, & in humanis iudicibus, vt in exequentibus. *Ibidem. numero 46.*

L

LATRIA.

LAtria non exhibetur peccato, nec offenſæ, licet ſit ſubiectiuè in Deo. *Diſp.1. num.104.*

Latria ſpecificè diſtinguitur à Dulia, & alijs reuerentiæ ſpeciebus. *Diſput.6.n.164.*

LIBERALITAS.

LIberalitas inter homines non exercetur ſine abdicatione dominij, benè tamen in Deo; vndè dominij abdicatio de eſſentia illius non eſt. *Diſp.7.n.52.*

Creatura reſpectu Dei liberalis eſſe non poteſt; quia omne opus illius varijs titulis eſt Deo debitum. *Diſp. 7. num. 80.*

LVNA.

LVna, & Stellæ ſunt factæ propter hæc inferiora, ly *propter* dicente finem *effectum*. *Diſp.8.n.191.*

M

MAGNITVDO.

MAgnitudo in genere dicente perfectionem modus perfectionis eſt, non autẽ magnitudo omnis generis: peccatum enim grauiſſimum magnum dicitur, & eſt, non tamen perfectum eſt. *Diſp.17. num.66.*

Dictum illud Augustini: *In ijs, quæ non mole magna sunt, idem est maius, quod perfectius*, explicatur. *Disp.* 17. *n.* 69.

MALITIA.

MAlitia quæuis peccati mortalis est finita, tam sub conceptu cõuersionis, quã sub conceptu auersionis. *Disp.* 1. *à num.* 51. *vsque ad* 54.

Finitudo malitiæ peccati mortalis, non impedit offensæ infinitatem. *Ibidem. num.* 55. *& seqq.*

MARIA VIRGO.

BEata Virgo Maria est cum omni proprietate Mater Christi, & Dei. *Disp.* 12. *à num.* 3. *vsque ad* 12.

Maria Virgo meruit de congruo talem Maternitatem, & circumstantias Incarnationis, imò & ipsam Incarnationem, non vt primo intentam à Deo, sed vt executioni mandatam. *Disp.* 13. *n.* 20.

Maria Virgo, licet condignè, nõ meruerit Maternitatem Dei; meruit tamen merito condigno augmentum suæ gratiæ, mediãte quo se ad Maternitatem præparavit. *Disput.* 13. *num.* 23.

Maria Virgo meruit de congruo vniuersaliter omnibus hominibus gratiam remissiuã peccati mortalis. *Disp.* 2. *n.* 52.

Actio, qua Beata Virgo Maria Christum in Tẽplo obtulit, non fuit infiniti valoris, qui ex persona offerente, non ex re oblata desumitur. *Disp.* 3. *n.* 114. *& seqq.*

Beata Virgo Maria fuit redempta in actu secũdo à Christo Domino, licet in illa non præcesserit peccatũ originale, aut actuale, per hoc solum, quod intuitu meritorum Christi fuit à peccato Adami excepta, vel à peccatis actualibus præseruata. *Disput.* 8. *numero* 32. *&* 33. *&* fusius *à num.* 287. *vsque ad* 300.

Beata Virgo Maria fuit redempta per Christum, redemptione non sanatiua, sed præseruatiua. *Ibidem. n.* 289.

Beatæ Mariæ Virginis præseruatio, & immunitas à culpa originali, componitur cum ordine decretorum in mente diuina circa nostram salutem existentium. *Ibidem.*

MATERIA PRIMA.

Vide verb. *Vnio materiæ cum forma.*

MAteria prima mutatur intrinsecè per animam rationalem, licet non causet illam materialitèr, nec illam sustentet. *Disp.* 14. *n.* 41. 42. *&* 43.

Materia prima, nec de potentia absoluta potest simul plures formas substantiales recipere, & per illas actuari. *Disp.* 16. *num.* 51. *& seqq.* maximè. *n.* 55.

Ex materia prima, & forma, si propriis existentijs existerent, non posset vnum per se resultare; non quia complere supponerẽtur, sed quia existentia materiæ deberet per existentiam formæ actuari, quod illi ex conceptu vltimi actus repugnat. *Disp.* 16. *n.* 50.

Materia, & forma substantialis supernaturalis omnino repugnant. *Disp.* 11. *n.* 79.

MATRIMONIVM.

MAtrimonium tria habet bona, nimirũ, propagationem prolis, pudicitiæ fidẽ, & connubij sacramentum, significans coniunctionem Christi cum Ecclesia, secundũ Augustinum. *Disp.* 8. *n.* 77.

Matrimonium Adæ, & Euæ significabat coniunctionem Christi cum Ecclesia: quia iam extabat decretum de Incarnatione Verbi, & permissione peccati, iam absolutè futuri. *Disp.* 8. *n.* 81.

Talis significatio matrimonio non cõueniret, nisi tantùm imperfectè, & aptitudinaliter, si status innocentiæ semper perseueraret, & peccatum nunquam foret extitutum. *Ibidẽ num.* 79. *&* 82.

MERITVM.

MEritum cõmittatur omnia opera virtutum, & omnis actus virtuosus hominis iusti, meritorius esse potest. *Disp.* 6. *n.* 17. *&* 18.

Meritum, vt futurum, potest meritoriam causalitatem exercere, maximè si sit simpliciter infinitum: peccatum verò, si finitũ sit, vt multi sentiunt, non potest, vt futurum, demeritoriam causalitatem exercere; in sententia verò, concedente illi vim demeritoriam simpliciter infinitam, iustè potest anticipatè puniri. *Disp.* 13. *à num.* 71. *vsque ad* 75.

Ad merendum poni debet specialis virtus in nobis, & in Christo, si ad satisfaciendum ponitur virtus specialis. *Disput.* 6. *num.* 21. *&* 22.

Principium meriti, quomodo possit, vel non possit sub merito cadere, variaquè Auctorum placita examinantur. *D.* 13. *n.* 3. *& seqq.* & fusius *num.* 76. *& seqq.*

MERITVM CONDIGNVM.

MEritum condignum gratiæ iuſtificãtis, non terminatur per ſe primo ad nõ eſſe peccati, ſed ad gratiam, vt primario excludentem maculam peccati, & ſecundario, & ex conſequenti offenſam. *Diſp.2.n 72.*

Meritum condignum, non datur, niſi in ordine ad terminũ inclinationis intrinſecæ gratiæ, qui terminus non eſt ipſa, nec eius principium eſſentiale. *Diſp.13.n.88.*

Sub merito condigno non poteſt cadere prima gratia auxilians, nec eſſe ſubſtantiale hominis; benè tamen ſub merito congruo de potentia abſoluta, incarnatio verò nullo modo. *Diſp.13.num.80.*

MERITVM CONGRVVM.

MEritum congruum, habet infalibilem connexionem cũ præmio, ſi adſit promiſsio; ſecus autem, ſi de præmio conferendo promiſsio facta non ſit. *D.13. n.7.& 19.*

Meritum congruum, non eſt ſimpliciter, & abſolutè tale, ſed tantum ſecundum quid. *Diſp.13.num.23.*

Meritum congruum, ſtatum amicitiæ in ſubiecto merente ſupponit, diſtinguiturque à cauſa purè diſpoſitiua, & materiali. *Diſp. 13.num. 38.*

MERITVM CHRISTI.

Vide verb. *Chriſtus*, & *Chriſti ſatisfactio*, & *PP. Antiqui.*

MEritum Chriſti, etſi ſit valoris ſimpliciter infiniti, excederetur à merito Dei, ſi in ſe ipſo eſſet capax merendi; eſſet enim infinitum à ſe, & per eſſentiam. *Diſp.3.n.53.*

Meritis Chriſti, non cõuenit vis meritoria præmij creati infiniti ſi eſſet poſsibile, taliter, quod ſit abſoluta ſubiectiuè, & obiectiuè cõditionata; ſed cõditio cadere debet ſupra terminũ, & ſubiectum, ſcilicet, valorẽ, qui in tali caſu variaretur entitatiuè, ſicut variaretur omnipotentia ſi chimæra redderetur poſsibilis. *Diſp. 3.num.58.& 59.*

Non plus potuit Chriſtus mereri, quam poſsit Deus præmiare. *Diſp. 3. num. 59.*

Si intuitu meritorum Chriſti, Pater, aut Spiritus Sanctus carnem aſſumeret, exhaurirentur intenſiuè, non extenſiuè, vel ſi vtroque modo exauſta manerent, illorum infinitati non obſtaret. *Diſp.3.num.65.*

Non meruit Chriſtus vnionem humanitatis ad Verbum ratione dependentiæ eſſentialis meriti à ſuo principio; poſſet tamen illam mereri attenta dignitate, & valore infinito, quo gaudebat. *Diſp.4.num.12.*

Vt merita Chriſti cauſent meritoriè gratiam Antiquis PP. datam, non requiritur, quod decretum executiuum Incarnationis præcedat decretum executiuum gratiæ illorũ, ſed ſufficit, quod præcedat præciſio decreti executiui Incarnationis, vt exiſtentis poſt decretum executiuum gratiæ Antiquorum Patrum. *Diſp.13.num.77.& ſeqq.*

METHAPHISICA.

METhaphiſica, non attingit ens increatũ, ſecundum ſuam vltimam differentiã, qua ab ente creato diſtinguitur, motiuè, & ſpecificatiuè, ſed tãtum terminatiuè. *Diſp. 6.num.161.*

MIXTVM. MIXTIO. MISCIBILIA.

IN Mixto, non manent miſcibilia formaliter *Diſp.9.num 6.*

Mixtio, non poteſt fieri inter extrema multũ diſtantia; ob exceſſum enim actiuitatis vnius, aliud in ſuam naturam conuertet, ſicut amphora vini, guttam aquæ *D.9.n.7.*

Ob iſtam rationem, ex diuina, & humana natura mixtio fieri non poteſt. *Ibidem.*

MODVS.

MOdus proprius alicuius rei, non poteſt à proprio ſubiecto ſeparari, & ſeparatus exiſtere, v.c. ſetsio, relatio, aut perſonalitas, ſi modus eſt, nec in proprio ſubiecto exiſtẽs, poteſt extraneo vniri. *Diſp. 17. num.17.& 18.*

Modus adæquatur eſſentialiter cum ſubiecto, vel re, cuius eſt modus connaturalis, ita vt ad alia non poſsit extendi, v.c. modus inhærentiæ accidentis cum proprio ſubiecto, ſub ſiſtentia cum propria natura, & relatio cum ſubiecto. *Diſp. 17. num.54.& 55.*

MODVS VNIONIS.

Vide verb. *Vnio.*

MVTATIO.

AD mutationem realem, & intrinſecam, nõ ſufficit nouitas intrinſca purè denominatiua, & terminatiua, ſed requiritur nouitas intrinſeca entitatiua: Deo namq; repugnat intrinſeca mutatio; non tamen nouitas denominatiua, & terminatiua; vt patet in creatione, & in Incarnatione. *Diſp.9.n.50. 51.& 52. Diſp.14.à num.66.*

Ad mutationẽ intrinſecam ſufficit noua acquiſitio formæ intrinſecæ, non præhabitæ formaliter in ſubiecto illam recipiente, licet contineatur in illo eminentèr. *Diſp. 14. num.6.& ſeqq.*

Mutaretur intrinſecè Deus, ſi in tempore de

nouo inciperet intelligere, & velle, intellectione, aut volitione realiter ab ipso distinctis, sicut si de nouo reciperet accidens aliquod creatum, nō obstāte, quod omnia ista eminentèr contineat. *Disp.* 14. *n.* 10. *& seqq.*

Mutatur realiter subiectum recipiens de nouo formam, non perficiētem illud, nec ab illo auferentem intrinsecam imperfectionem, quod multis exemplis ostenditur. *Disp.* 14. *num.* 19. *&* 20.

Mutatur etiam subiectum recipiēdo formam non perficiētem illud, nec quantum ad esse, nec quoad suas operationes. *Ibidem num.* 21. *& seqq.*

N

NATVRA CREATA.
Vide verb. *Persona creata.*

NAtura quælibēt, ex se, & non impedita personam constituit; secus autem si à resultantia propriæ personalitatis impediatur, vt in mysterio Incarnationis contigit: vndè in Christo reperitur duplex natura, & non duplex persona. *Disp.* 9. *num.* 20.

Eadem numero natura creata ratione potentiæ obedientialis, potest immediatè vniri tribus personis diuinis, nec ex hoc sequitur aliqua implicatio, aut infinitas. *Disp.* 16. *num.* 29. *& seqq & à num.* 43.

Si natura creata, ratione potentiæ obedientialis, posset terminari infinitis subsistentijs creatis, dato quod non repugnarent, non euaderet infinita; de facto enim terminatur subsistentia infinita Verbi, & finita est. *Ibid. num.* 43.

NATVRA DIVINA.
Vide verb. *Deus*, & *Persona*, vel *Personalitas Diuina.*

NAtura diuina, propriè dicitur incarnata, & illi fuit humanitas mediatè vnita, ab illaque formaliter sanctificata. *Disp.* 15. *num.* 27. *&* 28.

Natura diuina, nullo modo distinguitur realitèr à proprietatibus personalibus; alias aliqua realis compositio ex illis resultaret. *Disput.* 15. *num.* 28.

Natura diuina distinguitur virtualiter à relationibus, quæ distinctio sufficiens est, vt filiatio terminet immediatè humanitatem, & vt non vniatur immediatè natura diuina. *Ibidem num* 37. *& seqq.*

Natura diuina, vt subsistens subsistentia absoluta, potest sibi assumere naturam creatam, ita vt de illa in concreto prædicetur; non tamen potest illam assumere, vt existens, vel sub conceptu sanctitatis, esto immediatè à natura diuina sanctificetur. *Disp.* 15. *num.* 151. *&* 152.

Nullum prædicatum diuinum, etsi perfectissimè existat, si subsistens non sit, potest assumere naturam creatam, imò non omnia diuina prædicata, licet subsistentia sint, possunt, in sensu omnino formali, creatam naturam assumere, cum non omnia sint assumendi principia. *Disp.* 15. *à n.* 154. *vsq; ad* 157.

Si omnia diuina prædicata sint formalitèr sub sistentia, siuè illorum subsistentia sit distincta à subsistentia naturæ, siuè non, possunt naturæ creatæ immediatè vniri. *Disp.* 15. *num.* 157. *& seqq.*

Natura diuina, etsi à subsistentijs relatiuis, nō dependeat, dependentia stricta, & à priori, dependet tamen ab illis dependentia largè accepta, & à posteriori, quatenus sine illis existere nequit. *Disp.* 16. *num.* 37.

NESTORIVS.

NEstorius, & eius sequaces, ex hoc falso principio, quod, scilicet: *Natura non distinguitur ab hypostasi*, sicut duas naturas ponebant in Christo, ita & duas personas. *Disp.* 9. *num.* 1. *&* 3.

NOMEN. NOMINA.

NOmen ab aliqua forma impositum, nūquam dicitur pluraliter, nisi suppositorum pluralitas intercedat. *Disp.* 16. *numero* 150. *& seqq.* vbi de modo significandi terminorum pulchra traditur doctrina, & diuersis nominibus applicatur.

Nomen concretum, non supponit pro natura, quam significat, sed pro subsistente in illa; vndè ista propositio est falsa: *Album est albedo. Disp.* 5. *num.* 18. *&* 19.

Ad pluralitatem nominis substantiui abstracti, seu in abstracto significantis, sufficit pluralitas formæ significatæ per nomen: si autem nomen substantiuum sit concretum, ad eius pluralitatem requiritur vltra hoc pluralitas suppositorum, vt conditio. *Disp.* 16. *num.* 165. *& seqq.*

Nomina, seu potius res per illa significatæ, nō ratione significati materialis, sed ratione formalis in prædicamento collocantur; vndè Christus ratione humanitatis in prædicamento substantiæ ponitur. *Disp.* 16. *num.* 174.

Nomina numeralia addita termino substanti-

uo, vel adiectiuo, quomodo numerent, & quid ad eorum vnitatem, vel pluralitatem requiratur, latè explicatur. *Disp.16. à num. 136. vsque ad finem.*

NOTITIA INTVITIVA.

NOtitia intuitiua requirit obiectum existens pro instanti in *quo* notitiæ, non autem pro instanti à *quo*, vndè Verbum diuinum procedit ex notitia intuitiua Spiritus Sancti existentis in eodē instanti in *quo*. *Disp.13. num.79. & 82.*

NVPTIÇ.

Vide verb. *Matrimonium.*

O

OBEDIENTIA.

OBedientia est virtus specialis, nō obstāte quod cōmittetur actus omnium virtutū; cum omnes possint à superiori præcipi. *Disp.6. num.19.*

Obedientia non est virtus Theologica; non enim respicit Deum pro obiecto, sed præceptum superioris. *Disp.6. num.162.*

Obedientia, qua Deo, & hominibus obedimꝰ, est vnius speciei athomæ; habet enim pro obiecto præceptum superioris, quicumq; ille sit. *Disp.6. à num.162. vsq; ad finem.*

Ista obedientia nequit esse eiusdem rationis in ratione propria obedientiæ, & diuersæ rationis in ratione communi virtutis. *Ibidem num.173. & seqq.*

OBIECTVM.

OBiectum, non dat se ipso per modum formæ perfectionem, & dignitatem actui à se specificato. *Disp.1. passim, & Disp.3. num.30. & seqq.*

ODIVM DEI.

ODium Dei, & inobedientia, saltim virtualis, sunt cōmunes omni peccato mortali, licet obedientia, & charitas sint virtutes speciales. *Disp.6. num.12. & 15.*

OFFENSA.

Vide verb. *Peccatum, & Malitia peccati.*

OFfensa recipitur in persona offensa, tanquam in subiecto morali. *Disp.1. passim.*

Offensa formalis non distinguitur realitèr ab actu offensiuo. *Disput.1. n.94. 102. & 153.*

Offensa, & auersio, non sunt formaliter idem in peccato; vndè diuersos terminos, diuersaque subiecta respicere possunt. *Disp.1. numero 105. & 106.*

Offensę infinitas, nō desumitur ab aliquo modo morali actum offensiuum in trinsecè afficiente. *Disp.1. à num.109. vsque ad 117.*

Nec desumi potest à distantia creaturæ à Creatore. *Ibidem num.118. & 119.*

Forma dans offensæ infinitam grauitatem est Maiestas Diuina per peccatum iniuriata. *D. 1. à num.120.*

Talis forma non est extrinseca offensæ in genere moris, sed intrinseca: vbi regula generalis ponitur ad cognoscendum quando forma moralis est intrinseca, vel extrinseca. *D. 1. num.124. & 125.*

Etsi offensa esset grauitatis infinitæ solum extrinsecè, adhuc actus charitatis non esset infinitus eo modo, quo illa. *Ibidem numero 126. & 127.*

Infinitas moralis offensæ nō cōsistit in æstimatione prudētum fundata super aliquid reipsa finitum, & parum distans ab infinito, sed in aliqua coniunctione cum re infinita. *Disp. 1. num.131. & 132.*

Offensa, non est physicè infinita, vt Modernus quidam statuit. *Disp.1. num.133. & 134.*

Offensa, hoc ipso quod superioris ordinis sit ad satisfactionem puræ creaturæ, debet esse simpliciter infinita. *Disp.1. num.34, & seqq. & Disp.2. num.10. & 11.*

Grauitas offensæ peccati mortalis, non est tam mala, nec tantùm displicet Deo, ac est bona, & Deo placens Deitas in se ipsa. *Disp.4. num.17.*

Si per impossibile, essent duo Dij, & vnus aliū offenderet, talis offensa tantum extensiuè excederet offensam Deo à pura creatura irrogatam. *Disp.4. num.18.*

Omnium offensarum grauitas, solum extensiuè excedit vnius peccati mortalis grauitatem; vndè, cum valor vnius operationis Christi excedat grauitatem vnius peccati mortalis, grauitatem omnium excedit. *Disput.4. num.51.*

OMNIPOTENTIA.

OMnipotentiæ infinitas physica à posteriori probatur ex continentia infinitorum effectuum inæqualis perfectionis sine termino. *Disp.3. num.6. & 8.*

Omnipotentia variaretur entitatiuè, si chimæra, quæ modo impossibilis est, possibilis redderetur. *Disp.3. num.58. & 59.*

Omnipotentia est diuinis personis ratio proxima ad extra operandi, sed necessario debet concurrere natura diuina, vt principiū radicale, cui proximum subordinari debet. *Disp.15. num.166.*

Index rerum notabilium.

OPINIO PROBABILIS.

OPinio probabilis est illa, quam plures, & docti Theologi tenent, graui ducti fundmento. *Disp.6.num.*108.

OPPOSITA.

AXioma illud: *Oppositorum eadem est ratio*, intelligitur quoad sciri, quia nimirum, ad eandem pertinent scientiam; non autem quantum ad esse. *Disp.16. num.* 204.

Duo prædicata opposita, & contradictoria verificari possunt de eadem entitate, sine distinctione virtuali adæquata, cum sola distinctione eminentiali, aut virtuali inadæquata. *Disp.*15.*num.*143.

ORATIO.

ORatio, vt satisfactoria pro culpa, impetratur à pœnitentia, & elicitur à virtute latriæ. *Disp.6.num.*49.

P

PACTVM.

PActum sub conditione operis onerosi, & condigni, inducit in promittente obligationem strictæ iustitiæ adimpleta conditione, non solum inter homines, verum etiam inter illos, & Deum. *Disp.7. num. 8. & seqq.*

PATER.

PAter eadē numero relatione respicit omnes filios à se genitos. *Disp.*11.*num.* 16. & 57. & *Disp.* 16.*num.*108. & 109.

Paternitatis relatio, primario, & formaliter respicit filium vagè; vndè deficiente secundo filio, qui est terminus materialis illius relationis, manet entitatiuè inuariata. *Ibidem.*

Vel potest probabiliter dici, quod adueniente secundo filio, aduenit noua relatio, & antiqua deficit. *Ibidem.*

PATER ÆTERNVS.

PAter etsi ratione vni⁹ proprietatis sit principium Filij, & ratione alterius sit principium Spiritus Sancti, non potest dici plura principia; importaretur enim pluralitas suppositorum. *Disp.*16.*num.*164.

Patri attribuitur remissio peccati; quia quandam præfefert auctoritatem, sicut Filio ea quæ ad scientiā, & ea quæ ad amorē pertinēt Spiritui Sācto attribuūtur, tamesi in re sint toti Trinitati communia *Disp.*5.*n.*11.

Hæc propositio: *Pater in quantum Deus est homo*, est falsa, & temeraria. *Disp.*15.*n.*24.

Si Pater Æternus, vt potuit, carnem assumeret ex Virgine, esset eiusdem Virginis Filius filiatione fundata in temporali natiuitate, vndè esset Pater, & Filius Virginis, secundum diuersos respectus. *Disp.*16.*num* 2.

Pater, in tali casu, non esset Filius naturalis Dei, posset tamen, prout in humanitate subsistens, dici Pater naturalis Filij per gratiam vnionis, sicut Verbum, vt in humanitate subsistens, dicitur Filius naturalis Dei, quatenus filiatio illi per æternam generationē conueniens, fuit temporaliter humanitati vnita. *Disp.*16.*num.*3.4.& 5.

Pater in illo casu, non esset Filius Dei adoptiuus ratione gratiæ habitualis sanctificantis humanitatem, cum persona extranea, non esset. *Ibidem.num.*6.7.& 8.

Posset tamen dici Filius Trinitatis, filiatione supra creationem humanæ naturę fundata; non enim supponeret aliam filiationem simpliciter talem, qua ratione Christus Filius Trinitatis non est. *Ibidem.*

Pater, si humanitatem assumeret, non esset tē poraliter missus à Deo; processione enim æterna, quam temporalis missio exigit, careret. *Ibidem.num.*9.

PATRES ANTIQVI.

PAtres Antiqui, non meruerunt de condigno substantiam Incarnationis. *D.*13.*n.*1.

Patres Antiqui, & idem est de alia pura creatura dicendum, non potuerunt, etiam de potentia absoluta, Incarnationem quoad substantiam condignè promereri. *Ibid.n.*2.

Patres Antiqui, v.c. Abrahamus, & Dauid, meruerunt de congruo circumstantias aliquas incarnationis, quod, scilicet, ex illorū semine Christus nasceretur. *Ibidem.num.*3.

Patres Antiqui potuerunt de potentia absoluta, substantiam Incarnationis de congruo mereri, per opera gratia informata; per opera autem purè naturalia, nec de congruo potuerunt dona supernaturalia mereri. *Disput.*13.& *num.*4. *vsque ad* 7.

Patres Antiqui de facto meruerūt, non solum circumstantias Incarnationis, sed etiam ipsam Incarnationem, nō vt primo intentam à Deo, sed vt executioni mandatam. *Ibid. num.*9 & *seqq.*

Patres Antiqui petebant accelerationem Incarnationis, seu eius executionem, non autem primum eius decretum intentiuum à suis precibus omnino independens. *Disp.*13. *num.*21.

Patrum Antiquorum merita fuerunt causa Incarnationis, prout executioni mandatæ, & incarnatio, vt existens in præuisione Dei,

fuit causa gratiæ illis datæ; vndè talia merita seipsa non causauerunt meritoriè, sicut de fine, & medijs dici solet. *Ibid. num. 26. & num. 76. & seqq.*

Patres Antiqui, non potuerunt mereri de cõgruo Incarnationem per opera, ex viribus liberi arbitrij profecta, gratia auxiliante, aut iustificante ex parte subiecti se tenente, solũ vt conditione. *Disp. 13. num 32. 33. & 34.*

Patres Antiqui, non solum materialiter, & dispositiuè substantiam Incarnationis causarunt, sed etiam meritoriè de congruo. *Ibi. num. 38.*

Patres Antiqui, iuxta P. Suarez principia, potuerunt mereri decretum intentiuum Incarnationis. *Disp. 13. num 83.*

PARABOLA.

IN parabola de Pastore nonaginta nouẽ oues in deserto relinquẽte, vnãque, quæ perierat solicitè inquirente, nomine ouis, quæ perierat, non intelligitur vnus, vel alter homo, sed natura humana vniuersaliter primi Parentis peccato infecta. *Disp 8. num. 285.*

PASSIO CHRISTI.

Vide verb. *Sacramenta.*

PAssio Christi, gratiam Antiquis Patribus datam, causauit meritoriè, satisfactiuè, & redemptiuè; non verò physicè efficienter, sicut nostram. *Disp. 13. num. 55.*

PAVPER.

IN homine paupere virtus liberalitatis, & magnificentiæ exitere potest; quia non ab intrinseco, & essentialiter, sed accidentaliter, & ab extrinseco est impotens ad magnos sumptus faciendos. *Disp 6. num. 119.*

PECCATOR.

Peccator se vltimo disponens effectiuè ad gratiam iustificantem, non causat illam effectiuè; talis enim vltima dispositio, effectiuè à peccatore causata, non infert necessario gratiam iustificantem, nec cum illa infallibiliter connectitur. *Disp. 13. num. 25.*

PECCATVM MORTALE.

Vide verb. *Offensa.*

PEccatum mortale in ratione offensæ, est simpliciter infinitum. *Disp. 1 n. 3. & seqq.*

Non ideò est infinitum simpliciter, quia attingit obiectum infinitum, quantum attingibile est. *Ibidem. à num. 3. vsque ad 7.*

Nec quia destruit terminum infinitè bonum, scilicet, Deum: nec quia de condigno pœnam æternã meretur. *Ibid. à n. 9. vsq; ad 13.*

Nec etiam ex eo quod per peccatum mortale, Deus creaturæ postponitur, nec quia lædit ius diuinum, & in illo, ius & dignitatẽ omnium creaturarum, etiam possibiliũ si existerent simul, infinitas offensæ peccati mortalis, probatur. *Ibid. à num. 14. vsque ad 20.*

Peccatum mortale esse infinitum simpliciter, probatur auctoritate D. Thom. *Disp. 1. à numero 21. vsque ad 32.*

Idem ostenditur ratione D. Thom. desumpta ex infinita dignitate Dei, per peccatum offensi. *Ibid. num. 33. & seqq.*

Peccatum, in ratione offensę, respicit Deum, vt formam, & subiectum morale, ad differẽ tiam actus charitatis, illum præcisè, vt obiectum respicientis. *Disp. 1. à num. 87. vsque ad 108.*

Peccata in ratione grauitatis ex persona diuina offensa, sunt omninò æqualia; inæqualia verò sunt in ratione malitiæ, & grauitatis, ex obiecto, & alijs circumstantijs desumptæ. *Disp. 1. à num. 139. vsque ad 147.*

Peccatum in ratione demeriti, est simpliciter infinitum, & dignum omni pœna possibili. *Ibid. à num. 148. vsque ad 171.*

Peccatum mortale est infinitæ grauitatis, non solum in ordine, verum etiam intra ordinem. *Disp. 1. à num. 179. vsque ad 181.*

Ad hoc saluandum, non sufficit, quod peccatum sit dignum pœnæ infinitæ intensionis. *Ibidem.*

Peccati mortalis infinitum demeritum, quo attento carentiam Redemptoris meretur, vim meritoriam operationum Christi non excedit *Disp. 1. num. 165. & seqq.*

Peccatum mortale commissum cum ignorantia inuincibili, quod Deus grauitèr offendatur per illud, omninò implicat. *Disp. 2. num. 49. & 50.*

In omni peccato mortali reperitur vera ratio iniuriæ contra Deum, qui cum dignissimus sit, rei indignissimæ postponitur. *Disp. 6. num. 114.*

Non in omni peccato mortali reperitur iniustitia specialis cõtra Deum, necessario in cõfessione explicãda. *Disp. 6. à num. 108. vsque ad 113.*

PECCATI PŒNA.

PEccatum, vt futurum, potest anticipatè puniri, licet enim sit rigor talis punitio; illam tamen iustè meretur. *Disp. 13. n. 75.*

Peccatum, peccatoris anihulationem meretur, & inuersionem ordinis communis in puniendo seruati. *Ibidem.*

Peccatum sub conditione futurum, non potest iustè puniri. *Ibidem.*

Index rerum notabilium.

PECCATI PERMISSIO.

PErmissio peccati personalis in electis, est effectus prædestinationis illorum, ex præelectæ pœnitentiæ, non vt sine ratione sui intento, sed vt medio præelecto ad alios vberiores fines, per pœnitentiam consequendos. *Disp.* 8. *num.* 130. & 160.

Peccati permissio, non præuidetur extra omnem sui causam, pro priori ad Incarnationem; sed tantum præuidetur cum futuritione incompleta, & inchoata, quod, ad causalitatem materialem, quam solam exercet, sufficit. *Disp.* 8. *num.* 144. 145. & 146.

Peccati permissio, non est volita à Deo à causa, sed propter aliquem finem, qui licet non existat pro omni priori; existit tamen in instanti reali, quo illam vult in ordine ad Incarnationem. *Ibid. num.* 147.

Peccati permissio ad decretum Christi Redemptoris præuisa, non requiritur, quod cognoscatur, prout est negatio gratiæ per Christum, sed sufficit cognosci sub conceptu negationis gratiæ absolutè. *Disp.* 8. *num.* 261.

PECCATI REMEDIVM.

PEccati remedium, & nostra salus, non fuerunt propriè finis *cuius gratia* respectu Incarnationis; non enim fuit electa, & ordinata incarnatio, vt medium rigorosum ad nostram salutem. *Disp.* 8. *num.* 189. & 190.

Etsi propter remedium peccati, Incarnatio dicatur facta, remedium peccati magis propriè est propter Incarnationem; cum ista sit finis *cuius gratia* illius. *Disp.* 8. *num.* 211. & *seqq.*

PECCATVM ORIGINALE.

PEccatum originale, ratione grauitatis desumptæ ex persona offensa, est dignum pœna infinitæ intensionis; imo omni pœna possibili, non solum damni, sed etiam sensus. *Disp.* 1. à *num.* 172. vsque ad 178.

Peccatum originale fuit à Deo permissum, ex motiuo Christi vt Redemptoris, & non ex solo fine ostendendi suauitatem diuinæ prouidentiæ, nec ex illo solo fine fuit eligibile. *Disp.* 8. *num.* 129.

PECCATVM VENIALE.

PEccatum veniale nullo modo est infinitum simpliciter. *Disp.* 1. *num.* 62. 63. & 64. & *num.* 70. & *seqq.*

Peccatum veniale est offensa Dei leuis, in illoque moraliter subiectatur. *Ibidem. num* 65. & 66.

Ratio peccati, propriè dicitur de veniali, non vniuocè, nec parè æquiuocè, sed analogicè. *Disp.* 1. *num.* 67 68. & 69.

Peccatum veniale non recipit infinitatem simpliciter a Maiestate Dei offensi; quia non est subiectum capax illius. *Disp.* 1. à *num.* 70. vsque ad 83

Peccatum veniale, ex terminis non differt specificè à mortali; cum in eadem specificè malitia conuenire possint. *Disp.* 2. *num.* 50.

Propria vtriusque differentia sumitur, ex eo quod peccatum veniale non auertit à Deo, nec postponit illum creaturæ, sicut mortale. *Ibidem.* & *Disp.* 3. *num.* 17.

Peccata venialia in infinitum multiplicata, nõ æquiualent vnico peccato mortali, etsi non sit infinitæ grauitatis, vbi variæ Auctorum rationes examinantur. *Disp.* 3. *num.* 15. 16. & 17.

Peccatum veniale non præstat impedimentũ substantiale, & per se, ingressui Regni Cœlestis, sed tantũ accidẽtale, & per accidẽs; nec absolutè est dicendum culpa, sed tantùm secundum quid. *Disp.* 8. *num.* 271. 272. & 273.

PŒNITENTIA.

PŒnitentia, qua homines Deo satisfaciunt, est pars potentialis, & imperfecta iustitiæ defectu æqualitatis; satisfactio verò Christi, opposita de causa, est pars subiectiua iustitiæ. *Disp.* 6. *num.* 35. & 36.

Pœnitentia pertinet ad iustitiam commutatiuam, quatenus respicit per se primo satisfactionem pro culpa; secundum verò, quod respicit pœnam, quam peccator sustinet, aliquo modo ad iustitiam vindicatiuam pertinet. *Disp.* 6. *num* 46.

Pœnitẽtia est virtus à Religione distincta, propter diuersum debitum, & motiuum, quod respicit. *Disp.* 6 *num* 48. 49. & 50.

Pœnitentia respicit debitum proprium, nempè, peccatum, & nullo modo culpam alienam; tendit enim in peccatum vt destruendum per actus ad illius remissionem disponentes, qui sunt auersio à malo, & conuersio ad bonum; vnus autem pro alio nõ conuertitur. *Disp* 6. *num.* 98.

Pœnitentiæ obiectum, non est ius diuinum, vt læsum reparandum, & conferuandum illæsum, sed ius speciale Dei aduersus homines, vt illos puniat ab eis exigendo satisfactionẽ, & peccati compensationem, quod ius supra offensam ipsi irrogatam fundatur. *Disp.* 6. *num.* 134. & *seqq.*

Si autem prædicto modo ſupradictum ius reſpicit, ſolum eſt per ſatisfactionem inæqualem, & imperfectam; & conſequentèr pœnitentia eſt pars potentialis iuſtitiæ, ſpecificeque diſtincta à iuſtitia perfecta in anima Chriſti Domini reſidente. *Ibidem. vſque ad num.* 139.

Pœnitentia, etiam prout inclinat in ſatisfactionem pro peccato veniali, quod ſecundario reſpicit, non eſt pars ſubiectiua iuſtitiæ, ſed imperfecta, & potentialis, defectu debiti ſimpliciter talis. *Diſp.* 6. *num.* 139.

Pœnitentia non eſt finis permiſsionis peccati in electis, ſed tantum medium ad vberiores fines media illa cõſequendos. *Diſp.* 8. *n.* 130. & 160.

PERSONA, VEL PERSONALITAS CREATA.

Vide verb. *Subſiſtentia creata.*

PErſona creata eſt realiter compoſita ex ſubſiſtentia, & rationali natura, à qua perſona cõſtituta realiter diſtinguitur. *Diſp.* 10. *à num.* 74. *vſque ad* 77.

Si perſonalitas creata propriæ naturæ vniretur, vnione realiter ab illa diſtincta, intrinſecèque in illa recepta, realiter intrinſecè mutaretur; ſecus autem, ſi per ſe ipſam cũ propria natura immediatè vniretur. *Diſp.* 14. *num.* 58.

Perſonalitas creata, imò & diuina illius vices ſupplens, eſt terminus intrinſecus humanitatis. *Diſp.* 14. *num.* 62.

In perſonalitate creata, non diſtinguuntur adæquatè, adhuc per rationem, perfectas independentiæ, & perfectas incommunicabilitatis, ſed ad ſummum differunt vt duo cõceptus inadæquati. *Diſp.* 15. *num.* 70. & 89.

Perſona creata, nec de potentia abſoluta, poteſt ſibi aſſumere alienam naturam, vt principium aſſumptionis, tanquam principalis cauſa. *Diſp.* 17. *num.* 1.

Perſona creata, non poteſt potentia ſibi connaturali, alienæ naturæ per modum termini vniri; imo nec de potentia abſoluta, ſi perſonalitas creata in negatione cõſiſtat. *Diſp.* 17. *num.* 2. & *ſeqq.*

Suppoſito quod perſonalitas creata in poſitiua entitate conſiſtat, nõ poteſt, etiam de potentia abſoluta, alienam terminare naturã. *Ibidem.*

Varia Auctorum fundamenta, quibus ad hoc probandum vtuntur, examinantur. *Ibid. à num.* 10. *vſque ad* 22.

Si perſona creata poſſet de ſe ſubſiſtere in duabus naturis, ſiuè ſimul, ſiuè ſucceſsiuè, foret neceſſario in ſubſiſtendo infinita, & ren tantum in ordine ſuperiori. *Diſp.* 17. *à num.* 31. *vſque ad* 43.

Perſona creata, non poteſt ratione potentiæ obedientialis, alienam terminare, & ſuſtentare naturam. *Ibid. num.* 44. & *ſeqq.*

Perſonalitas, vel ſubſiſtentia creata, v.g. hominis, adæquatè ſpecificatur à natura hominis ſibi propria, & ad ſpeciem humanam determinatè reducitur, & non ad naturã creatam ſubſtantialem, à propria, & aliena abſtrahentem. *Diſp.* 17. *num.* 55.

PERSONA CHRISTI, VEL VERBI.

PErſona Chriſti eſt verè, & propriè realiter compoſita, & abſolutè talis dici debet. *Diſp.* 10. *per totam.*

Iſta mirabilis compoſitio, non eſt naturalis, nec à Philoſophis cognita, nec compoſitum excedit componentia, nec illa per ſe ordinãtur ad illam, ſed ſolum dicit vnionem plurium realitèr diſtinctorum, in aliquo eſſe. *Diſp.* 10. *num.* 10.

Perſona Chriſti, & perſona Verbi, non diſtinguuntur in ſignificato formali in recto importato, ſed tantum in ſignificato in obliquo importato, nimirum natura humana, & diuina. *Diſput.* 10. *à num.* 29. *vſque ad* 33.

Perſona Chriſti, & perſona Verbi diſtinguuntur realiter, ſolum inadæquatè. *Ibidem.*

Perſona Chriſti eſt compoſita reali compoſitione ex perſonalitate Verbi, & natura humana, & diuina, & non ſolum ex diuerſis habitudinibus, quas Verbi perſonalitas ad diuerſas naturas terminatas dicit. *Diſp.* 10. *num.* 12. 13. & 14.

Perſona Chriſti, prout in diuina natura ſubſiſtit, à nullo dependere poteſt, prout tamen ſubſiſtit in natura humana, ratione illius ab alio poteſt dependere, & compoſita eſſe. *Diſp.* 10. *num.* 18. & *ſeqq.* & iterum *num.* 72.

Perſona Chriſti, etſi prout in humana natura ſubſiſtit, & ratione illius dici poſsit *facta*, abſolutè tamen, & ſine limitatione *facta* dici non debet, ſicut abſolutè dicitur *compoſita*. *Diſp.* 10 *num.* 21.

Perſona Chriſti in recto ſignificat de formali perſonalitatem Verbi; in obliquo tamen de formali ſignificat diuinam, & humanam naturam. *Diſp.* 10. *num.* 24.

Index rerum notabilium.

Persona Christi absolutè dicitur, *realitèr composita*, non tamen dicitur absolutè, *realitèr distincta* à persona Verbi. *Disp.* 10. *num.* 30. 31. 32. & 33.

Persona Christi, considerata prout in diuina natura subsistit, est simplicissima, vt tamen est persona in natura humana, est realiter composita. *Ibid. num.* 35.

Persona Christi est composita, ex Verbo, & humanitate, ex personalitate Verbi, & humanitate, & ex diuina, & humana natura. *Disp.* 10. *num.* 36. & *seqq.*

Hæc propositio: *Christus est humanitas & diuinitas*, prædicato sumpto *complexiuè*, nec in sensu identico, nec formali est vera. Variæ Theologorum sententiæ circa eius veritatem referuntur & reijciuntur. *Disp.* 10. *à num.* 53 *vsque ad* 65.

Si autem prædicatum *diuisiuè* sumatur, est vera, quantum ad nam partem, nimirum diuinitatem, quæ cum supposito Verbi, pro quo *Christus* in recto supponit, realitèr identificatur; falsa autem est, quoad aliam partem, scilicet, *humanitatem*, realitèr à supposito Verbi distinctam. *Ibid. numero* 65. & 66.

Prædicta propositio cõceditur à Patribus, vel sumendo abstractum pro concreto, vel in sensu causali, ex duabus enim naturis Christus cõponitur, & suo modo causatur. *Ibid. num.* 66.

Patres asserentes, Christum esse duas naturas *coniunctim*, & non *diuisim*, sumunt ly *coniunctim*, & *diuisim physicè*, & non *dialecticè*. Termini explicantur. *Ibid. num.* 68.

Persona Christi est composita, non compositione *huius ex his*, sed compositione *huius ad hoc*, seu *cum his*. *Disp.* 10. *à num.* 70.

Persona Christi *in recto* significat relationem, vt subsistentem, & *in obliquo* naturam humanam, & diuinam. *Disp.* 10. *num.* 79. 80. & 85.

PERSONALITAS DIVINA, VEL VERBI.

HÆC propositio: *Personalitas Verbi est Christus, & est homo*, in sensu identico est vera; benè enim sequitur: *Personalitas Verbi est Christus, Christus est homo: ergo personalitas Verbi est homo.* Ista autem consequentia non tenet: *Deitas est Deus, Deus generat: ergo Deitas generat*; propter appellationem enim, sensum identicum nõ admittit. *Disp.* 10. *num.* 87. & 88.

Personalitas Verbi præstat humanitati eundẽ effectum formalem, quem tribueret propria personalitas, eundem, inquam, eminẽtèr non formaliter. *Disp.* 17. *num.* 79. 80. & 81.

Personalitas Verbi, in terminando humanitatem exhauritur *moralitèr intensiuè*, nõ physicè. *Disp.* 3. *num.* 57.

Personalitas Verbi significat operationes Christi, ratione prædicati absoluti, quod intrinsecè includit, non ratione illius, quod explicat. *Disp.* 3. *num.* 95. & *seqq.*

Personalitas Verbi, secundum expressum personalitatis conceptum, nec ad intra, nec ad extra perfectionem, dignitatem, aut bonitatem physicam, aut moralem dicit. *Disp.* 3. *à num* 99. 100. & 101.

In personalitate Verbi, non sunt idem re, & ratione, sanctitas, & dignitas, licet vtraque illi conueniat, & vtramque humanitati præstet. *Disp.* 3. *num.* 102. & *seqq.*

Personalitas Verbi, virtualiter à natura diuina distinguitur, & hæc distinctio sufficit, vt vnio humanitatis, facta fuerit in persona, & non in natura. *Disp.* 9. *num.* 21. & *seqq.*

Personalitas Verbi, non terminat naturã creatam *adæquatè* adæquatione *extensiua*, sed tantum *intensiua*; personalitas autem creata *adæquatè* terminat propriam naturam vtroque adæquationis modo. *Disp.* 16. *numero* 82.

Vis terminatiua, Personalitati Verbi competens, infinita est, etiam per comparationem ad *extra*, nimirum in ordine ad terminandas naturas creatas, à quibus eius terminabilitas actiua exhauriri non potest. *Disp. ut.* 16. *num.* 129.

Quod verum est, etiam si Personalitas Verbi, sub expresso conceptu perfectionem non dicat. *Ibid. num.* 131. & 132.

Si Personalitas Verbi, prout ab essentia distincta, infinitatem aliquam non haberet, non posset alienam terminare naturam, nec sufficit, quod sit modus naturæ diuinæ infinitæ; quod multis exemplis ostenditur. *Disp.* 17. *à num.* 57. *vsque ad* 60.

Personalitas diuina, prout ab essentia distincta, non est infinita *infinitudine* perfectionis; benè tamen *infinitudine* terminatiua. *Disp.* 17. *num.* 61. & *seqq.*

PERSONA DIVINA.

PErsonæ diuinæ conuenit magis propriè, quam naturæ, assumere naturam creatã. *Disp.* 15. *num.* 2. & 3.

Personæ diuinæ conuenit esse principium actionis assumptiuæ humanitatis, ratione na-

turæ, perfectionumque absolutarum. *Ibid. num* 4.

Omnibus diuinis personis conueniunt ea, quæ naturæ, vt illis communi conueniũt. *Disp.* 15. *num.* 23 & 24.

Persona diuina accipitur completè pro subsistente in natura diuina *incommunicabiliter*, & *incompletè*, & *inadæquatè* pro subsistente in natura diuina *communicabiliter*, & hoc secundo modo hic Deus, pro priori ad relationes, persona est, vt Caietanus loquitur, & defenditur. *Disputatione* 15. *numero* 106. & *sequentibus*.

Persona *incompletè* sumpta, est cum proprietate personæ, quoad perfectitatem independentiæ, quæ perfectitas est conceptus inadæquatus personæ. *Disp.* 15. *num* 110.

Licet *hic Deus* pro priori ad relationes sit *incompletè* persona, non dantur in Deo quatuor personæ, sicut dantur quatuor relationes *Ibidem*.

Quælibet persona diuina potest naturam creatam terminare, illique hypostaticè vniri. *Disp.* 16. *num.* 1.

Vna persona diuina potest sine alia naturam creatam assumere, & terminare, licet esse principium assumptionis, vni sine altera cõuenire non possit. *Disp.* 16. *à num.* 10. *vsque ad* 16.

Etsi secundum fidem, sola persona filij naturam humanam assumpserit, inde tamen, nõ sequitur plus illi nos debitores esse, quam Patri, aut Spiritui Sancto. *Disp.* 16. *à num.* 18. *vsque ad* 26.

Tres diuinæ Personæ possunt simul vnam naturam creatam terminare, terminatione mediata ratione indiuidui deitatis, vel alterius prædicati absoluti, cui natura creata potuit immediatè vniri *Disputatione* 16. *num.* 27.

Tres diuinæ personæ possunt de potentia absoluta, immediatè terminare eandem naturam creatam, sicut immediatè terminant diuinam. *Ibid. num.* 29.

In tali casu natura creata vnita personæ Filij, v. c. posset personæ Patris vniri, & cum illa, vnum per se constituere, licet enim talis natura vni personæ vnita, non sit incompleta negatiuè, est tamen præcisiuè incompleta, quod explicatur, & defenditur. *Disp.* 16. *à num.* 48. *vsque ad* 55.

In tali casu ex parte naturæ creatæ vnicus modus vnionis esset constituendus, sicuti vnicanumero relatione, ad tres Diuinas Personas referretur. *Disputatione* 16. *num.* 107. & *seqq.*

Vnioni ex parte naturæ se tenenti corresponderẽt ex parte personarum tres vniones realitèr distinctæ cum personis identificatæ, sicut relationi existenti in Patre, ad plures filios relato, ex parte filiorum, plures relationes materialitèr distinctæ respondent. *Ibid. num.* 112 & *seqq.*

Vna persona diuina potest simul assumere plures naturas creatas. *Disp.* 16. *à num.* 124.

Si vna persona diuina assumeret duas naturas creatas, esset & diceretur vnus homo, & nõ duo homines. *Disp.* 16. *à num* 140.

Si tres diuinæ personæ eandem humanitatem assumerent, essent vnus homo *simplicitèr*, contrapositiuè ad *secundum quid*; non autẽ *simplicitèr* prout idem valet, quod omnibus modis. *Ibid. à num.* 183.

Tres personæ diuinæ, tunc casus, essent vnus homo *simplicitèr*, non tamen possent dici *simplicitèr vnus masculinè*, sed vnum *neutraliter*. *Disp* 16. *num.* 185. & *seqq.*

Si tres diuinæ personæ assumerent simul tres humanitates distinctas, essent plures homines simpliciter. *Disp.* 16. *num.* 221.

Taliter est proprium personæ diuinæ, ob suam infinitatẽ, alienam terminare naturã, quod nulli creatæ personæ, nec connaturaliter, nec ratione potẽtiæ obedientialis, hoc possit conuenire. *Disputatione* 17. *numero* 23. & *seqq.*

Personæ diuinæ, secundum proprietates relatiuas, & ratione illius, quod essentiæ superaddunt, possunt dici æquales, non æqualitate perfectionis, quæ absolutè æqualitas est, sed æqualitate cum addito, in aliqua ratione perfectionem non dicente. *Disp.* 17. *numero* 71. & *seqq.*

Pietas.

Pietas, qua coluntur parentes, distinguitur specificè ab alijs reuerentiæ partibus. Est inferior religione, qua colitur Deus, & superior obseruantia, qua superiores coluntur. *Disp.* 6. *num.* 170.

Potentia Generativa.

Potentia generatiua fuit in Christo Domino, etsi ad actum reduceretur, purum hominem, & non hominem Deum generaret. *Disp.* 9. *num.* 31. 32. & 33.

Oppositum contingeret, si vnio facta fuisset in natura, & Christus generaret. *Ibidem.*

In tali casu, essent plures Christi de facto, modo autem sunt possibiles plures Christi, obediētialiter passiuè, & supernaturaliter actiuè. *Disp.9.num.28.29.& 30.*

POTENTIA OBEDIENTIALIS.

POtentia obedientialis, etiam Christi Domini, est limitata, & finita. *Disp.3.num.91.*

Ratione potentiæ obedientialis, non potest effectus dependere ab aliqua causa principali, nisi supposita dependētia naturali ab alia causa, in illa eminentèr contenta *Disp.16.à num.62.vsque ad 65.*

Potentia obediētialis est in ordine ad illa, quæ sunt supernaturalia, & naturæ facultatem excedunt. *Disp 17. num 44.& seqq.*

POTENTIA VITALIS.

POtentia vitalis, non continet eminentèr, sed tantum virtualiter efficienter, actum vitalem, per cuius receptionem intrinsecè mutatur. *Disp. 14. num. 7. 8.& 9.& iterum num.13.*

PRÆCEPTVM.

PRæceptum moriendi, non fuit Christo impositum dependentèr à sua voluntate, nec in fieri, nec in conseruari. *Disp. 5. num 64.*

Præceptum, eiusdem rationis est à quocumq; superiore, creato, vel increato ponatur. *Disput.6.num.162.& seqq.*

PRÆDICAMENTA.

PRædicamenta, realem distinctionem non requirunt, sicut nec genera transcēdētia, nec actio, passio, & motus, quæ prædicamētaliter differunt. *Disput,11.num.20.*

PRÆMIVM.

PRæmium potest essentialitèr cum merito connecti, sicut & pœna cum demerito. *Disp,13.num.40.& 41.*

Præmium potest ex iustitia conferri, absque eo quod præmiās sit ad illud conferendū ex iustitia obligatus, in multorum sententia, existente in subiecto præmiando iure ad præmium ex meritis orto; non tamen aduersus dominum rei. *Disp.13.num.68.*

Præmium anticipatè solutum non requirit, quod conditio ingrediens pactum ex parte merentis antecedat præmij collationem, sicut requirit præmium post meritum conferendum; vndè pactum diuerso modo debet explicari. *Disp.13.num.69.*

Præmium non potest ex iustitia conferri indigno, indignitate opposita existentiæ dignitatis subiecti præmiandi, in mente, & præuisione præmiantis; potest tamen conferri indigno, indignitate opposita existētiæ physicę, dignitatis, in subiecto præmiando pro tempore retributionis præmij. *Disp.13.num. 70.& seqq.*

PRINCIPIVM MERITI.

Vide verb. *Meritum.*

PRincipium effectiuum meriti, non potest sub merito cadere; principium verò meriti, quod illud causat in genere causæ finalis, sub eodem merito cadere potest. *Disp. 13.num.44.& seqq.*

PROPOSITIO.

VT propositio in sensu formali sit vera, debent subiectum, & prædicatum pro eodem supponere. *Disp.16.num.139.*

Ista propositio: *Deus est homo*, non est in materia remota, aut contingenti, sed in materia necessaria. *Disp.16.num.139.*

Hæc propositio: *Pater in quantum Deus est homo*, est falsa, & temeraria. *Disp.15. num. 24.*

Hæc propositio: *Christus est humanitas, & diuinitas*, prædicato sumpto *complexiuè*, nec in sensu identico, nec formali est vera. Variæ Theologorum sententię circa illius veritatem, referuntur, & reijciuntur. *Disp.10. à num.53.vsque ad 65.* de illa proprium fertur iudicium. *num.65.& 66.*

Hæc propositio: *Personalitas Verbi est Christus, & est homo*, in sensu identico est vera. *Disp.10.num.87.& 88.*

Q

QVANTITAS.

QVantitas est proximum subiectum accidentium, illa recipit vt *quod*, & ex illa, & accidenti, quod recipit, resultat accidentale compositum in Sacramēto Eucharistiæ. *Disp.10.num.50.*

R

REDEMPTIO.

REdemptio humani generis sub formali redemptionis conceptu, nō à re oblata,

vt pretio, sed à persona redimente valorem infinitum sumpsit. *Disp.3.à num.*117. *vsque ad* 120.

RELATIO.

RElatio, seu respectus transcendentalis, non est essentialis entitati recipiēti per modum subiecti, nec petit cum illa realiter identificari, sed tantum cum entitate, quæ est subiecto ratio formalis recipiendi. *Disp.* 11.*num.*81.82.*&* 83.

Relatio realis causæ ad effectum, relatio dominij, & seruitutis, & relatio, merentis ad præmiantem, ex communi, & formali conceptu, non exigunt realem distinctionem suppositorum, sed sufficit illis realis naturarum distinctio, non sic relatio realis filiationis. *Disp.*5. *à num.* 26. *vsque ad* 37.

Relatio satisfacientis ad offensum, conuenit Christi supposito, vt subiecto denominationis, naturæ vero humanæ, vt subiecto inhæsionis, vndè sicut Verbum diuinum non fuit mutatum ex Virgine nascendo: ita sine sui mutatione, realiter pro nobis satisfecit. *Disp* 5.*num* 32.

Relatio æqualitatis inter diuinas personas, & relatio filiationis Christi ad Beatam Virginem sunt relationes rationis; relatio verò Christi satisfacientis realis esse potest. *Disp.* 5.*num.*35 36.*&* 37.

Relatio paternitatis, primario, & formaliter respicit filium vagè; vndè deficiente secundo filio, qui est terminus materialis illius, manet entitatiuè inuariata relatio. Vel potest dici, quod si nouus filius generetur aduenit noua relatio, & antiqua deficit. *Disp.* 11.*num.*56.*&* 57.*&Disp.*16.*n.*118.*&* 119.

RELIGIO.

REligio habet pro obiecto formali *quo*, & *motiuo* Deum, seu excellentiam diuinam, vt diuinam, exceditque omnes virtutes morales, etiam in anima Christi existentes, excepta iustitia legali. *Disp.*6.*num.*64.

Religio Christi, & nostra, non differunt specie. *Disp.*6.*num.*147.

RELIGIOSVS, VEL SVBDITVS.

RElgiosus nullatenus habet dominiū suarum operationum; quia dominium Prælati particulare est, & cum alio particulari dominio incompatibile, ad differentiam dominij Dei. *Disp.* 5.*num.*95.

RES.

REs ordinis inferioris nunquam potest, in physicis, rem in superiori ordine constitutam adæquare, in morali autem æstimatione potest illam excedere. *Disp.*3.*num.*11.*&* 17.

RESTITVTIO.

ILle, qui damnum alteri intulit, statim ac potest restituere tenetur. *Disp* 6.*num.*102.

RESVRRECTIO.

Vide verò. *Reunio.*

REsurrectio, non est naturaliter possibilis. *Disp.*17.*num.* 83.

REX. REGIA DIGNITAS.

REges, & Prælati, humiliationis causa, homines iustos, malè tractantes, non peccant. *Disp.*3.*num.*78.

Regia dignitas cuilibet suæ actioni totam Regiam dignitatem communicat; extrinsecè enim ad Regias actiones comparatur, vnionemque physicam cum illis nō exigit. *Disp.* 3.*num.*81.

Plebeius, qui Regis famam, falso ei testimonio impositō denigrauit, damnum illatum potest ad æqualitatem reparare, pro iniuria tamen irrogata nequit ad æqualitatem satisfacere. *Disp.*6.*num.*106.

REVERENTIA.

REuerentia, directè, & per se respicit excellentiam personæ, vndè diuersæ excellentiæ, diuersas specificant reuerentiæ species, nimirum, Obseruantiam, qua cultus superioribus exhibetur, Pietatem, qua colūtur parentes, Duliam, qua colimus Sanctos, & Latriam, qua Deo cultū præstamus. *Disput.*6.*num.*164.

REVNIO ANIMÆ AD CORPVS.

IN ordine ad reunionem cum corpore, anima rationalis est in potentia, non naturali, sed obedientiali; suppositā tamen reunione cum illo, animat corpus ratione potentiæ sibi connaturalis. *Disp.*17.*num.* 83.

Reunio animæ ad corpus, est supernaturalis, quoad modum, non quoad substantiam. *Ibid.num.*85.

S

SACRAMENTA.

SAcramenta veteris legis, non causabant physicè instrumētaliter gratiam, sicut modo illam causant nouæ legis Sacramenta in virtute passionis Christi existentis virtualiter in eius humanitate, ratione alicuius modi supernaturalis habitualis, à passione Christi instrumentaliter causari. *Disp.*13.*à num.*59.*vsque ad* 62.

Talis modo potuit à passione Christi principaliter produci; est enim supernaturalis, supernaturalitate ratum modali, & incompletâ, ad differentiam habituum infusorum, & illorum intensionis, quæ licet modus sit, est virtualiter habitus. *Ibidem n.* 61. & 62.

SANITAS.

SAnitas, respectu medicinæ, est simpliciter finis *cuius gratia*; secus autem nostra salus respectu Incarnationis. *Disp.* 8. *n.* 100.

SATISFACTIO.

ESto, satisfactio arithmeticè non crescat ad incrementum personæ, si tamen infinita sit, cuadit satisfactio simpliciter infinita. *Disput.* 3. *n.* 90. & *seqq.*

SATISFACTIO CHRISTI.
Vide verb. *Christus.*

SAtisfactio Christi fuit infinita simpliciter, in valore, & morali æstimatione. *Disput.* 3. *per totam.*

Si non esset simpliciter infinita, posset adeò crescere satisfactio puræ creaturæ, quod illam adæquaret in valore, & dignitate morali. *Ibid. num.* 20. 21. & 22.

Nec principium *quo* elicitiuum operationum Christi, nec ipsæ operationes, nec illarum vnio cum persona Verbi, etsi finita sint, limitare possunt influxum personæ Verbi operantis vt *quod*. *Disp.* 3. *num.* 23.

Principium *quo* elicitiuum actus, non comparatur actiuè, respectu valoris personalis satisfactionis Christi. *Disp.* 3. *num.* 38. & *seqq.*

Valor personalis satisfactionis Christi supponit bonitatem operis, non tamen consequitur adæquatè ad illam, sed simul ad dignitatem operantis. *Disp.* 3. *num.* 45.

Forma immediatè valorans, & dignificans operationes satisfactorias Christi, non est aliquid rationis, nec modus realis creatus, sed ipsa persona Verbi. *Disp.* 3. *num.* 87. & *sequentibus.*

Persona Verbi, licet non sit illis intrinseca per modum formæ physicæ, est intrinseca illis, per modum formæ moralis. *Ibid. num.* 94.

In qualibet Christi operatione reperitur duplex valor infinitus, virtualiter distinctus, ratione sanctitatis, & ratione dignitatis personæ. *Disp.* 3. *num.* 113.

Christus satisfaciens, & redimens homines à Diaboli seruitute, non illi, sed Deo se subijciebat. *Disp.* 3. *num.* 122.

Satisfactio Christi, secundum fidem, fuit superabundans abstrahendo à modo superabundantiæ. *Disp.* 4. *num.* 3.

Fuit ab intrinseco ex se, & secluſa acceptatione diuina, in actu primo condigna pro peccato humani generis. *Disp.* 4. *a num.* 31. vbi variæ rationes examinantur.

Etsi satisfactio Christi, offensæ grauitatem excedat, iuste tamen à Deo offenso exigitur. *Disp.* 4. *num.* 52.

Satisfactio Christi, non solum fuit perfecta de rigore meriti, & condignitatis, sed etiam de toto rigore iustitiæ. *Disp.* 5 *per totam.*

Omnes conditiones ad perfectam iustitiam requisitæ examinantur, & Christi satisfactioni applicantur. *Ibidem.*

Quod satisfactio Christi in gratia vnionis humanitati facta, fundetur, vt sit de toto rigore iustitiæ, nō obstat; Verbo enim satisfacēti vt *quod*, gratia aliqua facta non fuit. *Disp.* 5. *à num.* 45. *vsque ad* 56.

Non omnes actus satisfactorij Christi, fuerunt eliciti à virtute iustitiæ specialis; satisfecit namque per aliarum virtutum actus, quæ virtutes imperare potuerunt ipsos actus satisfactorios. *Disp.* 6. *num.* 2. & 3.

Valor satisfactionis Christi in *concreto* sumptus, eius voluntati humanæ liber fuit, & à virtute iustitiæ in eius anima residente, vt æqualis offensæ imperatiuè processit. *Disp.* 6 *num.* 43.

Ad hoc, non est necessarium, quod imperet actus satisfactorios, ratione valoris à supposito Verbi sumpti. *Ibidem num.* 59.

Non obstante, quod satisfactio Christi sit donum Dei, & sub eius supremo dominio cōstituta, illum ex stricta iustitia obligauit, ad offensæ remissionem, quin Deus ex iustitia se ipsum obligauerit. *Disp.* 7. *numero* 24. & *sequentibus.*

SATISFACTIO CONDIGNA.

AD satisfactionem condignam pro peccato, non sufficit causare formam cum peccato incompatibilem, nisi ex valore morali actus formam causantis, dicta incompatibilitas oriatur. *Disp.* 2. *num.* 33. & *à numero* 67. *vsque ad* 71.

SATISFACTIO CREATVRÆ PVRÆ.
Vide verb. *Homo purus.*

SAtisfactio puræ creaturæ, solum extrinsecè, & secundum quid, & ex diuina acceptatione est infinita. *Disp.* 1. *num.* 50 & *Disput.* 2. *num.* 24. 25. & 26.

Satisfactio puræ creaturæ, ſicut & meritum, reſpectu Dei ſtatum amicitiæ in ſatisfaciente neceſſario ſupponit. *Diſput. 2. n. 21. & 35.*

Satisfactio puræ creaturæ Deo pro culpa mortali exhibita, etſi poſſit dici ſufficiens reſtitutio, non verò condigna, & ſufficiens ſatisfactio. *Diſp. 2. num. 30.*

SATISFACTIO DE RIGORE IVSTITIÆ.

SAtisfactio de rigore iuſtitiæ, non debet fieri in gratia creditoris, qualiter verum ſit, explicatur. *Diſp. 5. à num. 45. vſque ad 56.*

Falſum eſt, quod aliqui dicũt, ex debitis titulo iuſtitiæ nõ poſſe fieri rigoroſam ſatisfactionem; benè autem ex debitis titulo alterius virtutis. *Diſp. 5. n. 58. & ſeqq.*

Diſtinctio ab aliis tradita inter debitum proximè alio titulo, & debitum remotè, reijcitur. *N. 62. & ſeqq.*

Vnica ſolutione omnes titulos, ſaltim extenſiuè adæquante, poteſt de rigore iuſtitiæ ſatisfieri, pluribus titulis ſupra eandem materiam cadentibus. *D. 5. à n. 66. vſq; ad 72.*

Ad ſatisfactionem de rigore iuſtitiæ ſufficit, quod ſit ex aliàs indebitis, à ſatisfaciente vt *quod*, licet a ſatisfaciente vt *quo* alio titulo debeantur. *Ibidem. num. 73. & ſeqq.*

Sufficit etiam eſſe ex proprijs ſatisfacientis poſitiuè, & antecedenter negatiuè, & priuatiuè concomitanter, nõ abſolutè, ſed ſub aliqua ratione ſpeciali, taliter, quod ſatisfactio ſit aliquo modo ſub dominio ſatisfacientis, quo modo ſub dominio creditoris non ſit. *Diſp. 5. à num. 89. vſque ad 103.*

Poteſt fieri ſatisfactio de rigore iuſtitiæ pro iniuria alteri irrogata ex bonis debitori, & creditori communibus; non tamen ſatisfactio in materia pecuniaria, quod idem eſt ac reſtitutio. *Diſp. 5. num. 96.*

SANCTI.

SAnctis in hac vita debetur ſpecialis reuerẽtia, & veneratio, ciuili maior. *Diſput. 3. numero 78.*

SANGVIS CHRISTI.

SAnguis Chriſti Verbo diuino vnita fuit, ex qua vnione valorem infinitum participauit. *Diſp. 3. n. 5.*

SCIENTIA DEI.

SCientia ſimplicis intelligentiæ, qua Deus res, aliàs exiſtentes, vt poſſibiles cognoſcit, intuitiua non eſt; terminatur enim ad illas ſecundũ ſuas quidditates, non vt exiſtentes, nec vt ſibi coexiſtentes. *Diſp. 13. n. 82.*

SEPARATIO.

SEparatio realis mutua, inter ea quæ ſeparantur realem entitatiuam diſtinctionem arguit; ſi autem ſeparatio ſit non mutua, eſt ſignum diſtinctionis realis modalis, in principijs Thomiſtarum, licet in Schola Societatis manifeſtas patiatur inſtantias. *Diſp. 11. num. 13. & ſeqq.*

SERVVS.

SEruus in humanis, non poteſt cum domino ex rigoroſa iuſtitia inire contractum; bona enim quę acquirit, ſub dominio domini ſunt poſitiuè, & priuatiuè, taliter quod nullo modo ſub dominio ſerui ſunt, ad differentiam Chriſti reſpectu Dei. *Diſp. 5. num. 93. & Diſp. 7. n. 19. & 20.*

SPECIES.

SPecies proximè, & completè, non à forma partiali, ſed à forma totali deſumitur; vnde ſi Verbum aſſumpſiſſet animam, corpori non vnitam, nec eſſet homo, nec eiuſdem ſpeciei nobiſcum, nec in ſpecie humana completè. *Diſp. 9. n. 110. & 111.*

STEPHANVS.

STephani oratio fuit effectus prędeſtinationis Pauli. *Diſp. 8. n. 140.*

STOICI.

SToicorum error aſſerentium, peccata omnia, omneſque virtutes, eſſe omnino æquales, refertur, & reijcitur. *Diſp. 1. n. 138.*

SVBIECTVM.

VT aliquid ſit ſubiectum alicuius formæ debet recipere illam, nec ſufficit illã ſuſtẽtare; Deus enim accidentia Euchariſtica ſuſtẽtat, & illorũ ſubiectũ nõ eſt. *D. 14. n. 45.*

Subiectũ poteſt recipere accidens ſibi non cõnaturale, ratione potẽtię obediẽtialis; accidens vero, nec ratione potẽtiæ obedientialis poteſt ſubiectũ ſibi nõ connaturale informare, licet poſſit in illo recipi. *Diſp. 17. à n. 91. vſque ad 95.*

Oppoſitum, vt probabile defenditur. *Ibidem. n. 96. & 97.*

Sine omni ſubiecto poteſt accidẽs exiſtere, inhærere autem extraneo ſubiecto nõ poteſt. *Ibidem num. 97.*

SVBSISTENTIA.

SUbſiſtentia ſupponit ſpeciem, & naturã cõſtitutã; vnde radicatio ſubſiſtentiæ eſt quid cõcomitãs cõſtitutionẽ ſpeciei, cõcomitãtia cõnaturali, nõ eſſẽtiali. *D. 9. n. 112. & 113.*

Licet ſubſiſtẽtia, non ſit pars formalis, aut materialis naturæ, eſt tamen terminus intrinſecus illius, & per illã cõſtituitur formaliter,

&

& intrinsecè natura in ratione subsistentis *Disp.* 15. *num.* 147.

Subsistere naturam in alieno supposito, non est idem quod sistere in illo, sed est ab illo sustentari, & terminari. *Disput.* 16. *numero* 57.

Dato quod subsistentia non indigeat modo, quo *subiectiuè* vnitur naturæ; natura tamen sine modo, *subiectiuè* cum subsistentia vniri non potest. *Disp.* 11. *num.* 45. 46. & 47.

SVBSISTENTIA CREATA.

Vide verb. *Persona*, & *personalitas creata*.

SVbsistentia creata, & diuina *vniuocè*, non conueniunt; vndè si ly *homo* significaret directè subsistentiam, non diceretur *vniuocè* de Christo, & alijs hominibus. *Disp.* 16. *num.* 145.

Subsistētia creata vnitur naturæ mediante modo vnionis realitèr ab illa distincto. *Disp.* 11. *num.* 43. 44. & 45.

Etiā si admittatur subsistentiam creatā se ipsa vniri naturæ, non sequitur natura, sine modo à se distincto propriæ subsistentiæ vniri. *Ibidem num.* 47.

SVBSISTENTIA DIVINA ABSOLVTA.

Vide verb. *Persona*, & *Personalitas Diuina*.

PRæter subsistentias relatiuas constituenda est in Deo, subsistentia absoluta, & cōmunis. *Disp* 15. *num.* 56. & 57.

Si in Deo esset vna tantum subsistentia absoluta, & non tres relatiuæ, ratio subsistentiæ dantis independentiam, & ratio personalitatis tribuentis incommunicabilitatem, non distinguerentur virtualiter adæquatè; vterque enim conceptus esset absolutus, sicut in subsistentia creata cōtingit de facto. *Disp.* 15. *à num.* 89. *vsque ad* 94.

Talis subsistentia absoluta vnita humanitati, non constitueret illam personam; non enim est personalitas creata eminentèr formalitèr, sed tantum eminentèr effectiuè. *Ibid. num.* 129. & *seqq.* & *n.* 145. & 146.

Hic Deus, vt subsistens subsistentia absoluta, est individuum, sumptum pro singulari naturæ; non tamen est individuum sumptum pro omnino incōmunicabili. *Disp.* 15. *n.* 134.

Vt subsistentia diuina absoluta vniatur humanitati, & non vniatur natura formaliter, & immediatè, nō requiritur virtualis adæquata distinctio inter illa. *Disp.* 15. *num.* 94. & *numero* 140. & *seqq.*

Subsistentia absoluta, quæ persona non est, quia communicabilis, à natura creata imparticipabilis est. *Disputatione* 15. *numero* 158.

Subsistētia, sumpta pro per se existentia, perfectate independentiæ ab altero vt sustentāte, est aliquid absolutum in Deo personis conueniens ratione essentiæ; sumpta verò pro perfectate incōmunicabilitatis dicitur tantum relatiuè. *Disp.* 15. *num.* 61.

SVBSTANTIA.

QVando dicitur, quod subsistātia est propter suam operationem; ly *propter*, non denotat finem *cuius gratia*, sed tantum finem *effectum*. *Disp.* 8. *num.* 124.

Substantia prædestinati est effectus prædestinationis. *Disp.* 8. *num.* 117.

SVPERNATVRALE.

SVpernaturale quoad substantiam, est illud quod excedit exigentiam omnis naturæ, tam creatæ, quam creabilis, & cui repugnat fieri ab agente creato per naturalem virtutem. *Disp.* 17. *num.* 46. & *seqq.*

De supernaturali quoad modum etiam agitur. *Ibidem*.

T

TEMPERANTIA.

TEmperantia inclinat ad sedandam carnem propriam, non alienam; ad differentiam iustitiæ, quæ etiam ad debitum alienum soluendum inclinat, & obligat titulo fideiussoris. *Disp.* 6. *num.* 96 & 97.

Temperantia in Angelis, non reperitur, licet affectum simplicem, & conditionatum erga temperantiæ obiectum habere possint. *Disp.* 6. *n.* 120.

TEMPVS.

SOla diuersitas temporis potest variare terminum *qui*, & *materialem* actionis; non verò terminum *quo*, & *formalem*. *Disp.* 12. *num.* 8.

Idem de principio actionis est dicendum. *Ibid. num.* 9.

TERMINATIO, VEL TERMINARE.

TErminatio alienæ naturæ, est effectus supernaturalis, quoad substantiam. *Disput.* 17. *num.* 46. & *seqq.*

Index rerum notabilium.

Terminare alienam naturam, taliter eſt proprium perſonæ diuinæ, ob ſuam infinitatẽ, quod perſonæ creatæ per nullam potentiã conuenire poteſt. *Diſp.* 17. *num.* 23. *& ſeqq. & num.* 51. *& ſeqq.*

Terminatio alienæ naturæ, licet in eſſe entis infinita nõ ſit, in ratione tamen effectus, formaliter infinita eſt. *Diſputat.* 17. *num.* 77. *& ſeqq.*

Terminatio alienæ naturæ, conuenire non poteſt ratione potẽtiæ obedientialis, ſicut ſubiecto conuenit recipere accidẽtia extranea, maximè ſi ſupernaturalia ſint. *Ibid. numero* 78. *& à num.* 82. *vſque ad* 95.

TERMINVS.

TErminus à *quo*, & ad *quem* conuerſionis ſunt intrinſecè mutabiles. *Diſp.* 9. *num.* 6.

Terminus formalis *quo* poteſt præcedere actionem ſecundum ſuam entitatem; ſicut anima rationalis, humanam generationem, & diuinitas, diuinam præcedunt, & tamen prædictarum generationum formales termini ſunt. *Diſp.* 12 *num.* 28.

Terminus formalis *quo*, prout dans eſſe ſpecificum, actionem præcedere nequit. *Ibidem.*

Idem eſt terminus formalis actionis, & paſſionis cum actione identificatæ. *Diſp.* 12. *n.* 32.

TERMINVS ACTIONIS INCARNATIVÆ.

TErminus formalis *quo* Incarnationis, vt actio, eſt humanitas, quatenus diuino Verbo vnita, ly *quatenus* reduplicante vnionem, vt conditionem, & humanitatem vnitam, vt rationem formalem. *Diſp.* 12. *num.* 13. *& ſeqq.*

Ad eſſe, vel non eſſe terminum formalẽ iſtius actionis incarnatiuæ, non eſt attendendum ad hoc, quod in concreto reſultante præcipuum locum teneat, vel ad modum ſignificandi, ſed præcisè inſpiciendum eſt, an det, vel non det eſſe ſpecificum termino *qui*, & *totali*. *Diſp.* 12. *n.* 14. *& 16. & n.* 23. *& ſeqq.*

Terminus formalis *quo* actionis incarnatiuæ, vt actio eſt, quocumque nomine ſignificetur, nec eſt vnio producta per illam, nec id, quod ratione ſui ab illa denominatur; eſt enim eadem actio in ſpecie quocumque nomine ſignificetur; atque adeo eundem terminum formalem *quo* debet habere. *Diſp.* 12. *num.* 21. *& 22. & n.* 25. *& ſeqq.*

Terminus formalis Incarnationis, vt actio, eſt humanitas, quæ ſimul eſt ſubiectum illius, vt paſſio, quod multis exemplis oſtenditur. *Diſp.* 12. *num.* 32. *& 33.*

Terminus à *quo* totalis Incarnationis (quæ nõ motus, ſed mutatio eſt, vel illam infert) eſt non eſſe Chriſti; terminus verò à *quo* formalis, eſt negatio humanitatis, non entitatiuè ſumptæ, ſed vt Verbum in ratione hominis conſtituentis. *Diſp.* 12. *num.* 34.

TERMINVS NVMERALIS.

Vide verb. *Nomen. Nomina numeralia.*

TErminus numeralis cadens ſupra terminum ſubſtantiuum, multiplicat eius ſignificatum formale; vndè quia *Perſona* eſt terminus ſubſtantiuus, ſupponens pro ſubſiſtentia, illamque de formali ſignificans, quæ in diuinis realiter triplicatur, concedũtur in Deo tres perſonæ. *Diſp.* 10. *num* 28. & ex profeſſo. *Diſp.* 16. *à num* 136. *vſque ad finem.*

THEOLOGIA.

THeologia eſt eminentèr formaliter practica, & ſpeculatiua, ſupernaturalis, & diſtinctæ ſpeciei, & ordinis à ſcientijs naturalibus. *Diſp.* 6. *num.* 70 & 71.

Theologia non reſpicit primario ordinẽ hypoſtaticum, & ordinem gratiæ, ſed eius obiectum primarium eſt Deus, alia verò ſecũdario attingit. *Diſp.* 6. *num.* 157.

THESAVRVS ECCLESIÆ.

THeſaurus Eccleſiæ extingui non poteſt peccatorum multitudine, propter infinita merita Chriſti, ex quibus principaliter conſtat. *Diſp.* 3. *num.* 5.

TOTVM, ET PARTES.

Vide verb. *Compoſitum. Compoſitio.*

TOtum accipitur dupliciter, nempè, *negatiuè*, & prout ſic, ſolum dicit negationẽ partialitatis, non autem ordinem ad partes; & *poſitiuè*, ſicq; partes neceſſario reſpicit. *Diſp.* 10. *num.* 17.

Partes, ſimul ſumptæ, non ſolum *identicè*, verum etiam *formaliter* prædicantur de toto, ſiuè phiſico, ſiuè methaphiſico; ſunt enim illius propria diffinitio, quæ de diffinito formaliter enuntiatur. *Diſp.* 10. *num.* 61.

TRINITAS.

NOua quædam Trinitatis explicatio, refertur, & refellitur. *Diſp.* 15. *num.* 29. *& ſeqq.*

Opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa, & tribus perſonis communia, viſque actiua conuenit diuinis perſonis, non ratione relationum, ſed ratione Omnipotentiæ, quæ abſoluta eſt, & communis. *Diſputatione* 11. *num.* 65. *& ſeqq.*

Axioma prædictum intelligitur de operibus à Diuinis Perſonis *effectiuè* cauſatis, non de

illis, quæ in genere cauſę, vel quaſi cauſæ formalis cauſantur; ſola enim perſona Filij humanam naturam aſſumpſit, & terminauit. *Diſp.16.num.12 & ſeqq.*

Tres diuinæ perſonæ conueniunt in terminando viſionem Beatificam, non autem in terminando vnionem humanitatis: & cur? *Diſput.15. à num. 39. vſque ad 42.*

Tres diuinæ Perſonæ dicũtur, tres Sapientes, tres Omnipotentes, & tres Increati, ſi hæc nomina *adiectiuè* ſumantur; ſecus autem ſi accipiantur *ſubſtantiuè. Diſp.16 num.154.*

Tres perſonæ conceduntur in Deo abſolutè, non obſtante vnitate naturæ; quia *Perſona*, non ſolum ſignificat deformali perſonalitatẽ, verum etiam pro illa in concreto ſupponit, ideſt, pro ſubſiſtente in natura. *Diſp. 16.num.176, & 177.*

V

Valor.

Vide verb. *Satisfactio Chriſti.*

VAlor operationum Chriſti in concreto fuit ab illo *elicitiuè*, & *vitalitèr*, denominabaturque, non à Deitate, vt toti Trinitati communi, ſed vt appropriata Verbo humanitatẽ terminanti; vndè ſub diuerſa ratione fuit creditor, & ſatisfaciens. *Diſp 5.num.98. & ſeqq. & Diſp.6.num.57. & ſeqq.*

Venditor.

IN venditore datur debitum iuſtitiæ, ſaltim conditionatum, ideſt, quod ſi vendat, tenetur ex iuſtitia iuſtum pretium non excedere; in merente autem, non adeſt tale debitum, nec abſolutum, nec conditionatum. *Diſp.6.num 29 & 87.*

Verbvm Divinvm.

Vide verb. *Chriſtus. Perſonalitas Chriſti. Incarnatio.*

VErbum diuinum aſſumpſit animam corpori vnitam; aliàs non eſſet homo eiuſdem ſpeciei nobiſcum. *Diſp. 9. à num. 108. vſque ad 113.*

Verbum ſatisfecit, vt *Deus homo*, humanitate efficiente vt *quo* ſubſtantiam operationum, & Deitate illas vt *quo* valorante. *Diſp.4. n. 15. & 16. & Diſp.5. num 56.*

Verbum Diuinum in ſe, & ratione ſui, nullius obligationis eſt capax, vt autem in humanitate ſubſiſtens, & ratione illius obligari poteſt. *Diſp.5. num.81.*

Verbum fieri carnem, vel hominem, non eſt inhabitare in Chriſto per gratiam ratione vnionis affectiuę; ſic enim Pater, & Spiritus Sanctus facti fuiſſent homines, & Angeli, in quibus prædicto modo inhabitant. *Diſput.9. num.84. & 85.*

Hæc propoſitio: *Verbum eſt perſona compoſita*, eſt falſa; licet iſta hypotetica ſit vera: *Verbum eſt Chriſtus, & Chriſtus eſt perſona compoſita*, propter variationem appellationis, ſaltim æquiualentis. *Diſputatione 10. num. 22. & ſeqq.*

Verbum Diuinum per Incarnationem non eſt intrinſecè mutatum. *Diſput. 14. per totam.*

Examinantur varij modi componendi immutabilitatem Dei, cum Incarnatione Verbi. *Ibidem.*

Verbum Diuinum perficeretur intrinſecè per humanitatem, & mutaretur intrinſecè, hoc ipſo, quod eſſet ſubiectum receptiuum illi⁹. *Diſp.14.num.25.*

Verbum Diuinum per Incarnationem non fuit intrinſecè innouatum; aliàs fuiſſet intrinſecè mutatum. *Diſp. 14. à num. 27. vſq; ad 33.*

Verbum, non poteſt dici *extrinſecè* vnitum humanitati; non enim eſſet homo eiuſdem rationis nobiſcum. *Diſputatione 14. numero 37.*

Licet Verbum humanitatem ſuſtentet, non poteſt dici ſubiectum ſuſtentationis illius. *Diſp.14.num.48.*

Verbum Diuinum non fuit in Incarnatione mutatum *intrinſecè*; quia nec humanitatis, nec vnionis realiter ab illo diſtinctæ ſubiectum eſt, in potentia paſsiua, & receptiua exiſtens, ſed purè terminus intrinſecus. *Diſput. 14.num.49 & ſeqq. & à num. 59. vſque ad 62.*

Verbum eſt ſubiectum realis denominationis humanitatis. *Ibidem.num.61.*

Verbum fieri hominem, non eſt idem, ac fieri, vt humanitatem terminans, & in illa ſubſiſtens. *Diſp.14.num.72. & ſeqq.*

Si Verbum Diuinum humanitatem aſſumptam relinqueret, & aliam numero diſtinctá aſſumeret: eſſet vnus homo *abſolutè*, & *ſimplicitèr*, & non plures *Diſp 16 num.219.*

Idem dicendum eſt, ſi Verbum relinqueret humanitatem, & iſtius propria ſubſiſtentia reſultaret; tunc enim Verbum, quod fuit, homo, & perſona humana de nouo reſultans, eſſent vnus homo. *Ibidem. numero 220.*

VERITAS, SEV VERACITAS.

VEritas, seu veracitas non est pars subiectiua iustitiæ, sed tantum pars imperfecta, & potentialis, defectu debiti *simpliciter* talis. *Disp.6.num.139.*

VIR, ET VXOR.

VIr, & vxor ratione affectus specialis, quo se inuicem diligere debent, dicuntur vna caro, sed non potest dici vir factus vxor, aut è contra. *Disp.9.num.* 83. & 84.

VIRGO MARIA.

Vide *Maria Virgo.*

VIRTVS. VIRTVTES.

VNa virtus imperat actus alterius in ordine ad proprium obiectum, propriumq; motiuum. *Disp.6. num.3.*

Virtutes, non solum dantur ad actus præceptos, sed etiam ad eliciendos actus sub consilio existentes; ad actus verò regulariter, nõ cuenientes virtutes, non dantur. *Disp.6.numero* 11.15.32. & 33.

Repugnat virtus in subiecto, cui ab intrinseco actus proprius, & primarius talis virtutis repugnat. *Disp.6.num.*119. & 120.

VIRTVS THEOLOGICA.

VIrtus Theologica requirit, non solum obiectum *quo*, & rationem formalẽ *sub qua* motiuam aliquid diuinum, verum etiam rationem formalem *quæ* primario attactã, diuinam, nec sufficit, quod à diuina, & creata abstrahat, quod multis exemplis ostenditur. *Disp.6.n.62.*

VNIO.

Vide verb. *Modus vnionis.*

VNioni est essentiale exercitium actualitèr vniendi extrema, quæ primario vnit, nõ verò ea quæ secundario nectit, sicut de relatione asseritur quoad referre. *Disp.11.numero* 104.

Licet vnio creata sit transcendentalis respectus ad extremum cui vnit, ex communi tamen conceptu ad creatam, & increatam, hoc non habet: sicut nec de conceptu actionis in prædicta abstractione talis respectus est; creatæ enim cõuenit, diuinæ repugnat. *Disp.11.num.* 106.

Vnio realis, realitèr formalitèr vniens, petit inter extrema realitèr distincta versari, & vnum per compositionem ex extremis vnitis efficere; secus autem si vnio realis, tantum virtualiter vniat; quod etiam actionis exemplo comprobatur. *Ibidem. num.* 106. & 107.

Vnio per se, & per accidens, quæ sit, explicatur. *Disp.9. num.5.*

Vnio per modum formæ phisicæ, repugnat Deitati, & diuinis perfectionibus; vnio autem per modum formæ moralis illis conuenire potest. *Disp.3. num.*94 & *Disp.9.n.5.*

Non datur modus vnionis infinitus in genere moris, quo operationes Christi cum persona Verbi *moraliter* vniantur distinctus realiter à modo phisico, quo tales operationes cum Verbo *phisicè* vniuntur. *Disp.3. num.* 49.50. & 51.

Talis modus est infinitus *moraliter*, non ratione moralitatis sibi identificatæ, sed ratione moralitatis, & valoris sumpti à persona Verbi, quam vnit, vt forma; vel est finitus vt *quod*, infinitus verò *moraliter* vt *quo*. *Ibidem.num.*51. & *Disp.4. num.46.*

VNIO HYPOSTATICA, SEV VNIO HVMANITATIS AD VERBVM.

VNio humanitatis ad Verbum, non est facta in natura. *Disput.9. à num.4. vsque ad* 78.

Vnio humanitatis ad Verbum facta fuit in persona. *Disp.9.à num.79.*

Vnio in persona non est idem, quod vnio secundum personam, vel hypostasim; vndè si accidens posset immediate, & intrinsecè Verbo vniri, vniretur illi in persona, non secundum personam. *Disp.9. num.88.*

Omne quod vnitur alicui personæ, vnitur illi in persona, non tamen omne, quod vnitur alicui naturæ, vnitur in natura, ob duplicẽ rationem discriminis. *Disp.9. num.*100. & 101. & *Disp.15. num* 113.

Vnio humanitatis ad Verbum, hoc ipso quod facta fuit in persona, facta fuit in hypostasi, vel supposito; non enim sunt in Christo plura suppositа, vt aliqui docuerunt. *Disp.9. à num.*102. *vsque ad* 106.

Humanitas fuit Verbo vnita, non secundum essentiam, nec accidentalitèr, sed substantialitèr, seu secundum hypostasim. *Disp.9. num.*114. & *seqq.*

Vniri secundum accidens, seu accidentalitèr, est, quod medium vnionis, & in quo fit vnio, sit accidens. *Ibidem.num.*115.

Index rerum notabilium.

Licet humanitas vniatur Verbo in actu completo existenti, & extrà illius essentiam sit, non prædicatur de illo *accidentaliter prædicabiliter*, sed *in quid*; trahitur enim ad esse substantiale, & personale Verbi. *Disp.* 9. *n.* 117. & 118.

Hæc propositio: *Deus est homo*, est per se; ista verò: *Deus est humanitas*, est falsa. *Ibidem.*

Etsi humanitas sit instrumentum Verbi coniunctum, non debet dici fuisse illi vnitam, solum vt instrumentum; talis enim vnio est in ratione causæ: ac proindè accidētalis. *Disp.* 9. *num.* 119.

Vnio tripliciter accipitur: primo pro actione vnitiua, quæ dicitur vnitio: secundo pro nexu quo realitèr vniuntur extrema: tertio pro relatione prædicamētali, ad vnionē extremorum subsequuta. *Disp* 11. *num.* 1.

Vnio in prima, & secunda acceptione, an sit ab humanitate distincta, in præsenti nō examinatur; pendet enim eius resolutio ex diuersis Methaphisicorum, & Logicorum placitis. *Ibidem.*

Vnio, seu nexus, quo humanitas Verbo vnitur, est realiter entitatiuè, saltim modaliter distincta ab extremis vnitis. *Disp.* 11. *num.* 4. & *seqq.*

Vnio ista immutauit formaliter humanitatē, quam mutationem præstare non potuit vnio sumpta *relatiuè*, nec actio vnitiua, nec ipsa personalitas Verbi, nec aliquid de nouo illi adueniens, tantum quoad denominationem etiam intrinsecam. *Ibidem à numero* 7. *vsque ad* 12. & *num.* 48. & *sequentibus.*

Vnioni est essentiale exercitium vniēdi, etiam entitatiuè sumptæ, sicut & relationi exercitium referendi, loquendo de illis respectu extremi primario vniti, & relati. *Disp.* 11. *num.* 18. & 19. & maximè *num.* 104.

Vnio qua, Verbum *subiectiuè* vnitur humanitati, est realitèr distincta ab vnione, qua humanitas vnitur Verbo *subiectiuè*; realitèr tamen identificatur cum Verbo, & est ipsa sua personalitas vnionis munus gerēs. *Disp.* 11. *num.* 84. & *seqq.* & fusius *numero* 108. & *seqq.*

Causa materialis vnionis per actionē assumptiuam productæ, fuit sola humanitas illam recipiens; causa formalis extrinseca fuit Verbum vt in humanitate subsistens; causa formalis intrinseca illius sumptæ in concreto est modus vnionis: causa denique efficiens physica fuit tota Trinitas, licet Spiritui Sancto specialiter attribuatur. *Ibidem. num.* 113. & 114.

Talis vnio qualitas non est, nec accidens prædicamentale. *Disp.* 11. *num.* 59. 60. & 61.

Nec esse potest prædicamentalis relatio. *Ibid. num.* 62. & 63.

Vnio hypostatica non est influxus actiuus specialis Verbi in humanitatem, nec in illo cōsistit. *Disp.* 11. *num.* 64. & *seqq.*

Ista vnio est modus substantialis supernaturalis respectiuus transcendentaliter Verbi, vt sustentantis humanitatem. *Ibidem, numero* 70.

Supra istum respectum transcendentalē, alius prædicamentalis fundatur, quo humanitas refertur ad Verbum, vt ad purum terminū. *Disp.* 11. *num.* 71. & 72.

Vnio hypostatica essentialitèr cum subsistentia Verbi connectitur, quæ connexio enti creato completo repugnat. *Disp.* 11. *num.* 74. 76. & *seqq.*

Vnio humanitatis ad Verbum, est modus supernaturalis identificatus cum natura humana realiter *negatiuè*, non realitèr *positiuè*. *Ibidem. num.* 75. & 78.

Vnio ista connaturalitèr exigit naturam creatam; naturæ autem creatæ non debetur talis vnio. *Disp.* 11. *num.* 78.

Etsi possit dari modus vnionis supernaturalis, forma tamen, aut materia supernaturalis substantialis, omnino repugnant. *Disp.* 11. *num.* 79.

Vnio hypostatica, principalitèr *physicè* in genere causæ efficientis, à nulla creatura potuit causari, sed à solo Deo effici. *Disp.* 11. *num.* 115. & *Disp.* 17. *num.* 77.

Instrumentaliter verò *physicè* posse, vel non posse à creatura effici; vtrinque probabile est. *Ibidem. num.* 116.

Actio vnitiua, seu assumptiua humanitatis ad Verbum, distincta est ab actione creatiua animæ, & humanitatis productiua. *Disp.* 12. *num.* 2.

Cum hoc optimè componitur, quod Beata Virgo Maria sit verè Mater Christi, & Dei. *Disp.* 12. *num.* 3. & *seqq.*

Vnio ratione cuius Deo conuenit esse hominem, non consistit formalitèr in relatione rationis, illam tamen connotat, & affert. *Disp.* 14. *num.* 79.

Potest de potentia absoluta, natura humana vniri huic Deo, vt communi tribus personis ratione subsistentiæ absolutæ, quia de facto natura diuina subsistit, siuè distingua-

Index rerum notabilium.

tur virtualiter ab illa, siuè non. *Disput. 15. num. 76. & seqq.*

Si verò subsistentia absoluta in Deo non admittatur, omnino implicat prædicta vnio. *Ibidem.*

Si natura creata vni personæ diuinæ vnita alteri (vt potest) vniretur, vnio præexistens corrumperetur per aduentum vnionis perfectioris, quæ simul vtrique personæ vniretur, sicut de relatione paternitatis aduenie̅te secundo filio philosophari potest. *Disp. 16. num 119.*

Si natura humana noua ista vnione vniretur, physicè immutaretur per illam. *Ibidem.*

Dato, quod pater ad secundam filium sine intrinseca mutatione referatur, potest adhuc sustineri intrinsecè mutandam esse humanitatem per vnionem denouo ad aliam personam. *Disp. 16. n. 120.*

Vnio humanitatis ad Verbum est supernaturalis quoad substantiam. *Disp. 17. num. 48, 49 & 50.*

Supernaturalitas ista vnionis, non prouenit ex supernaturalitate entitatiua Verbi, sed ex eo quod Verbum in ratione terminantis, omnis naturæ creatæ, aut creabilis exigentiam excedit. *Disp. 17. num. 50.*

VNIO MATERIÆ CVM FORMA.

VNio materiæ cum forma, est realiter modaliter ab illis distincta, non est accidēs, sed substantia incompleta. *Disp. 11. num. 31 & seq. & num. 60.*

Talis vnio est duplex, vna, qua materia *subiectiuè* vnitur cum forma, & ista recipitur in materia, & ad formam terminatur, alia recipitur in forma, & ad materiam terminatur. *Ibidem. num. 40. 47. & 89.*

Vnio ista realiter ab extremis distincta, nō cōsistit præcisè in causalitate, nec ex illa probatur, sed ex cōceptu vniendi. *Disp. 11. n. 44.*

VOLVNTAS CREATA.

VOluntas creata, etiam prout formaliter defectibilis, causatur à Deo, in plurium Theologorum sentētia; sed probabilius est, quod Deus tantum causat entitatem voluntatis creatæ, cui anexa est essentialiter defectibilitas, quin ex hoc sequatur Deum velle, aut causare possibilitatem peccati, aut in illa complacere. *Disp. 8. num. 48. & 49.*

VOTVM.

VOti violatio est peccatum specificè distinctum, à fractione simplicis promissionis, qua hominibus obligamur. *Disp. 6. numero 123.*

***

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE,

Quæ in hoc primo Tomo de Incarnatione Diuini Verbi explicantur.

D. *vel* Disp. *Disputationem.* N. *vel* Num. *Numerum marginalem denotat.*

Ex Genesi.

Cap. 1. In principio creauit Deus cælum, & terram. *Disp.* 8. *n.* 112.

Cap. 22. Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti vnigenito Filio tuo propter me, benedicentur in semine tuo omnes gentes. *Disp.* 13. *num.* 3.

Ex Libris Regvm.

Secvndi Regvm Cap. 7. Stabiliam Thronum Regni eius, vsque in sempiternum. *Disput.* 13. *num.* 3.

Ex Libro Iob.

Cap. 6. Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior in statera. *Disp.* 4. *num.* 31.

Cap. 25. Si iustè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? *Disp.* 7. *n.* 79.

Ex Psalmis, sivè Psalterio.

Psalmo 78. Citò anticipent nos misericordiæ tuæ. *Disp.* 13. *num.* 10.

Psalmo 129. Et copiosa apud Deum redemptio. *Disp.* 4. *num.* 3. & 31.

Ex Parabolis Salomonis.

Cap. 8. Initium viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio. *Disput.* 8. *num.* 37. 38. & 39.

Primogenita, ante omnem creaturam. *Ibid.* & *num.* 108. & 112.

Ex Libro Sapientiæ.

Cap. 11. Nihil odisti eorum, quæ fecisti. *Disp.* 2. *num.* 32.

Cap. 14. Odio est Deo impius, & impietas eius. *Ibidem.*

Ex Isaia.

Cap. 40. Suscepit de manu Domini duplicia, pro omnibus peccatis suis. *Disp.* 4. *num.* 31.

Cap. 45. Rorate Cæli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem. *Disp.* 13. *num.* 10.

Cap. 53. Si posuerit pro peccato animã suam, videbit semen longæuum. *Disp.* 7. *num.* 8. & *Disp.* 13. *num.* 69.

Cap. 53. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. *Disp.* 4. *n.* 2.

Ex Ieremia.

Cap. 31. Nouum creauit Dominus super terram, fœmina circumdabit virum. *Disput.* 14. *num.* 30.

Ex Daniele.

Cap. 9. Vt finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas. *Disp.* 8. *num.* 236.

Ex Zacharia.

Cap. 1. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. *Disputatione* 7. *numero* 10.

Index locorum ſacræ Scripturæ.

Ex Iona.

Cap.1. Si propter me orta eſt tempeſtas hæc, tollite me, & mittite in mare. *Diſp.* 8. *n.*83.

Ex Malachia.

Cap.3. Ego Deus, & non mutor. *Diſp.*14. *num.*5.

Ex Evangelio Matthæi.

Cap.7. Qua menſura menſi fueritis, remetiatur & vobis. *Diſp.*1.*num.*169.

Cap.11. Et Pater veſter, qui eſt in cęlis, dimittet vobis peccata veſtra. *Diſp.*5.*n.*11.

Cap.16. Qui reddet vnicuique iuxta opera ſua. *Diſp.*3.*num.*66.

Ex Evangelio Lucę.

Cap.3. Et videbit omnis caro ſalutare Dei. *Diſp.*14.*num.*1.

Cap.19. Filius hominis venit ſaluare, quod perierat. *Diſp* 8.*num.*34.

Cap.23. Pater, dimitte illis, quia neſciũt, quid faciunt. *Diſp.*5.*num.*11.

Ex Evangelio Ioannis.

Cap.1. Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. *Diſp.*8.*num.*15. & *Diſp.*14.*numero* 1. & 5.

Cap.1. Qui poſt me venit, ante me factus eſt. *Diſp.*8 *num.*111.

Cap.1. Ecce agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi. *Diſp.* 8.*num.*236.

Cap.3. Sic Deus dilexit mundum, vt Filiũ ſuũ vnigenitum daret. *Diſp.*8.*num.*206.

Cap.5. Filius nõ poteſt à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem. *Diſput.* 11.*num.*65.

Cap.14. Sicut mãdatum accepi à Patre meo, ſic facio. *Diſp.*5.*num.*63.

Cap.14. Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. *Diſp.*9.*num.*85.

Cap.15. Maiorem charitatem nemo habet, vt animam ſuã ponat quis pro amicis ſuis. *Diſp.*6.*num.*3.

Ex Epistola ad Romanos.

Cap.3. Quem propoſuit propiciationem, per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ. *Diſp.*5.*num.*3.

Cap.5. Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia. *Diſp.*4.*num* 3.

Cap.8. Si filij, & hæredes, hæredes quidẽ Dei, cohæredes autem Chriſti. *Diſp.*3.*n.*77.

Cap.9. Antequam quidquam boni, aut mali egiſſent, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. *Diſp.*8.*num.*284.

Cap.11. Si autem gratia, nõ ex operibus, alioquin gratia, iam non eſt gratia. *Diſput.*5.*numero* 48.

Cap.11. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? *Diſp.*7.*num.*78.

Ex Prima Ad Corinthios.

Cap.1. Qui factus eſt nobis ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio, & Redemptio. *Diſp.* 5 *num.*3. & 16.

Cap.3. Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei. *Diſp.*8 *num.*230.

Cap.8. Vnus eſt Dominus Ieſus-Chriſtus, per quem omnia. *Diſp.*9.*num.*81.

Ex Epistola Ad Galatas.

Cap.3. Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. *Diſp.* 5.*num.*18.

Cap.6. In ſemine tuo, quod eſt Chriſtus. *Diſput.*13.*num.*3.

Ex Epistola Ad Ephesios.

Cap.1. Elegit nos in ipſo ante mundi cõſtitutionem. *Diſp.*8 *n.*111.

Cap.2. Per quem habemus acceſſum ad Patrem. *Diſp.*5.*num.*11.

Cap.2. Deus autem, qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, &c. *Diſp.*8.*n.*205. & *Diſp.*13.*n.*1.

Cap.5. Sacramentum hoc, magnum eſt; ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia. *Diſp.* 8.*num.*85.

Ex Epistola Ad Philippenses.

Cap.2. Factus obediens vſque ad mortem. *Diſp.*5.*n.*63. & *Diſp.*6.*n.*3.

Cap.2. In ſimilitudinem hominũ factus, & habitu inuentus vt homo. *Diſp.*9.*n.*108.

Ex Epistola Ad Colossenses.

Cap.1. Qui eſt imago Dei inuiſibilis primogenitus omnis creaturæ. *Diſp.*8.*n.*110.

Ibidem. In ipſo condita ſunt vniuerſa in cęlis & in terra, & ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium primogenitus ex mortuis. *Diſp.9.num.82.*

Ex Prima Ad Timothęvm.

Cap.1. Christus Iesvs venit peccatores ſaluos facere. *Diſp.8.n.11.& 34.*

Cap.2. Vnus eſt mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesvs. *Diſp.5.n.18.*

Cap.3. Et manifeſtè magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne. *Diſp 14 num.1.*

Ex Secvnda Ad Timothęvm.

Cap.4. Supereſt mihi corona iuſtitiæ, quã reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex *Diſp.7.num.5.*

Ex Epistola Ad Titvm.

Cap.2. Dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret, ab omni iniquitate. *Diſp. 4.num.1.*

Cap.3. Cum autem apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit. *Diſp.13.num.1.*

Ex Epistola Ad Hebręos.

Cap.6. Non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri. *Diſp.7.num.5.*

Ex Epist. Prima Petri.

Cap.1. Non corruptibilibus auro, & argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine, quaſi agni immaculati Chriſti. *Diſp.4. num.1.*

Cap.2. Qui peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper Lignum. *Diſputatione 4. numero 2.*

Ex Epistola Prima Ioannis.

Cap.2. Aduocatum habemus apud Patrem. *Diſp.5.num.11.*

Cap.2. Ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris. *Diſp.5.num.18*

Cap.3. In hoc apparuit Filius Dei, vt diſſoluat opera Diaboli. *Diſp.8.num.34.*

Ex Epistola Iacobi.

Cap.1. Apud quem nõ eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obũbratio. *Diſp.14.n.5.*

Ex Apocalypsi.

Cap.18. Quantum glorificauit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum *Diſp.1.n.161 & 169. & Diſp.6.n. 85.*

Cap.22. Ego ſum Alpha, & Omega, principium, & finis. *Diſp.8.num.109.*

FINIS.

Series Chartarum huius Tomi.

✠. ✠✠. ¶. ¶¶. ¶¶¶. A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. V. X. Y. Z.

Aa. Bb. Cc. Dd. Ee. Ff. Gg. Hh. Ii. KK. Ll. Mm. Nn. Oo. Pp. Qq. Rr. Ss. Tt. Vv. Xx. Yy. Zz. Aaa.

Omnes ſunt Quaterniones, præter ¶. ¶¶. ¶¶¶. Xx. Yy. Zz. Terniones. Et habet 202.